




Ex
libris
Nath. Godofr.
Leske


GAUDEO.
John Carter Brown.

In Catalogo Bibliothecae Kleinio-Gralathianae quae vendita est Gedani a. 1772. d. 18 Febr. hic Nierembergii liber. venum expositus est 2 ℔ Sterl. 10 Shill. pag. 9. n. 114. et schedula inserta rarissimis annumerat.

Dr. J. A. L. Zimmermann.

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII
MADRITENSIS EX SOCIETATE IESV
IN ACADEMIA REGIA MADRITENSI
PHYSIOLOGIÆ PROFESSORIS


HISTORIA NATVRAE,

MAXIME PEREGRINAE,

LIBRIS XVI. DISTINCTA.

In quibus rariſſima Naturæ arcana, etiam aſtronomica, & ignota Indiarum animalia, quadrupedes, aues, piſces, reptilia, inſecta, zoophyta, plantæ, metalla, lapides, & alia mineralia, fluuiorumque & elementorum conditiones, etiam cum proprietatibus medicinalibus, deſcribuntur; nouæ & curioſiſſimæ quæſtiones diſputantur, ac plura ſacræ Scripturæ loca eruditè enodantur.

Accedunt de miris & miraculoſis Naturis in Europâ Libri duo: item de iiſdem in Terrâ Hebræis promiſsâ Liber vnus.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXV.

EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. GASPARI DE GVSMAN,
COMITI DE OLIVARES,
DVCI DE S. LVCAR LA MAYOR,
SANCTIORIS CONCLAVIS
CONSILIARIO,
THALAMIARCHO ET HIPPARCHO
REGIO,
INDIARVM CANCELLARIO
MAXIMO
S. P. Q.



IBROS Naturalis Hiſtoriæ, nouitium Mineualium tuorum opus, natum apud me proximâ feturâ, licentiore epiſtolâ narrare conſtitui tibi, EXCELLENTISSIME PRINCEPS. Indigna res quam Magnitudini tuæ nuncupem, cuius irrequieta cælorum ritu prouidentia, non in Hiſpaniarum, adeóque nec terrarum finibus hæret; tranſit quoque maria, nec vno mundo ſtringitur. Sed ſi quæſiſſem, faſtigio tuo dignum mu-

 nus

nus non haberem: ſi maximè conueniens, iſtud erat. Te deſiderat, te quærit hoc duplicis naturæ theatrum, qui è penetrali tuo vigil vtrumque contemplaris orbem: te quidem in excelſiſſimo poſitum, & ſummo ingenio præditum, quem religiosè adiri etiam à ſalutantibus oportet: & ideò immenſa præter ceteras ſubit cura, vt quæ tibi dicantur, te digna ſint. Maiorem te ſcio, quàm vt deſcendere huc liceat. Verùm & lacte ruſtici, multæque gentes ſupplicare ſolitæ, & molâ tantùm ſalsâ litare qui non habebant thura. nec vlli fuit vitio, quoquo modo colere. At meæ quidem temeritati hoc accedat, quòd leuioris operæ hos tibi dicarim Libellos. Nota ego mihi nunc patrocinia præſumptâ nuncupatione exoro: & plurimum intereſt, ſortiatur aliquis iudicem, an eligat: namque & tu meas aliquando eſſe aliquid putaſti nugas. Iuſſu & auſpiciis tuis lucubrationum mearum primitias dudum conſecraui, & tuæ inſcripſi Magnitudini. Quid mirum? tuæ erant, & tui potiùs inuentum egregij in omnes virtutes ſtudij, quàm ingenij mei partus: at qualemcumque meus labor efformauit fetum, obſtetricante liberalitate tuâ felici puerperio in lætam effudi lucem. Quid inde? vt tuus (planè & eram) ipſe manerem. audacter hoc dico. ſed grati animi ſcelus pronam impetrabit veniam, & ipsâ ſe piaculi deuotâ temeritate expiabit. Cuius autem arbor,

bor, eiusdem & poma. Ergo & secundæ feturæ tui quoque iuris erunt, erunt & omnia. Ad te vltrò profugit agrestis Minerua mea. Si cùm vrbana & aulica fuit, deliciaretur oleis; nunc siluatica & montana sacram arborem non linquet: amabit potiùs, quæret.. Præstabat Attica Minerua. præstat Bætica oliua: non hæc consecrata Deæ, sed Dea illi. Attica Minerua sacra est Bæticæ oliuæ, latissimos profundenti ramos, noua recreanti Lycea. Te auspice (magnificum hoc, id est, tuum; pænè putem animi tui celsitudine dignum opus, cui æternum gratulabimur) Athenis Madritum translata Minerua est, non olea. Nostra frondosior, fecundior, sacratior, in quam (hanc ignorauit metamorphosin Naso) ipsa transformata est Pallas. Anne ausus erit æquoris parens intrudere Hispanis priscum litigium, an equus Bæticus, an olea Bætica excellat? Si de fructu lis est, ius dicit arbiter: *Bætica quidem vberrimas messes inter oleas metit; non alia in Bæticâ maior arbor*. Pudeat Persicum Regem opulentæ suæ platani, & inuideat Hispano oliuam; non sibi, sed Principi suo feracissimam. In multis vicisti maximorum Imperatorum Achatas; in hoc nemo te. nec facilè prisci Annales etiam ex optimis pares racemabunt. Scilicet non quæ tua, sed quæ tui Principis, indefessâ fide quæsisti: vtique instar Thessali oleæ sibi sterilis & nudæ, vt Regias

 tota

tota ſecundaretur in baccas. Macte hac frugalis fidei gloriâ. Et quia plures taceo tuarum virtutum laudes, ignoſce vnam indicaſſe. nec tibi hoc vno videar iniurius, qui mihi violentus ſum multis. Scio hanc maximam tuis laudibus adieciſſe, eas odiſſe. Iniuſtus in hoc nobis es; nec mirum ſi aliquando nos tuo ſimus pudori iniurij. multa nunc illi do, imò omnia, dum nulla tibi. At quamuis in tuam peccem modeſtiam, quale piaculum erit, ſi vnus muſſitem quod plures tonant? Sub te non merces ſtudiorum modò, ſed præmia ſunt. Auſoniæ oleæ honorem Romana Maieſtas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iuliis ex eâ coronando; item triumphis ouantes. Athenæ quoque victores oleâ ſuâ coronabant. Noſtra quoque tota coronaria eſt Mineruali bus: ni fallor, ſicut ramoſa vitis, Iuſtino teſte, prodigium Perſis fuit Aſiatici Imperij. Frondoſam oleam ſuſpicio, magnum pollicitam Regnum eruditis. Nullam feliciorem frondem Phyſiologia mea miratur; & reuocat arborea comitia, cùm plantarum Regnum ad vitem detulere: id in oliuam conferunt recentis orbis plantæ. Interpretem naturæ cœpto agere, & oleæ miranda narro. Non olim tales oliuæ. Si Heſiodo & Theophraſto manet fides, correcta eſt & mutata iam huius plantæ natura. Lenta olim, ingrata, ſicut palma, ſatori; fructum nullus, qui ſeuit, percepit:

nulla

nulla in Hiſpaniâ. At hodie nullibi præſtantior: optimâ Hiſpanum ſolum gaudet oleâ; in deliciis eſt, liberalis iam, grata, propera fructu, vtiliſſima, & vber vigiliarum annona. Ad exemplar ſcilicet tui emendauit ſe natura, & ſenior ſe compſit orbis. Atque vt nouus æquè de te mereatur, iunioris mundi ſe tibi ſiſtunt naturæ: & ego exile mei animi monumentum, ſupplex oro, ne de tuis tholis refigas. Vale, non oleaceos modò ſed Phœnicios annos.

EXCELLENTIÆ TVÆ

deuotus ſeruus

Ioannes Euſebius Nierembergius.

SVM-

SVMMA TOTIVS OPERIS.


ISTORIÆ NATVRÆ LIBER I. *velut prolegomenus est, tractans de dignitate, vtilitate & voluptate Philosophiæ naturalis.*

LIB. II. *De substantiâ & essentiâ animalis: vbi plura & noua & curiosa de calorum naturâ.*

LIB. III. *De gradu sensitiuæ substantiæ: vbi multa Philosophica, nouè & eruditè.*

LIB. IV. *De primâ origine & causâ naturali animalium: & nouâ eruditione explicatur cap.* I. *Genesis.*

LIB. V. *De causâ efficienti, maximè de origine extraordinariâ animalium. plura interim amœnè disputantur.*

LIB. VI. *De generatione ordinariâ animalium per coitum, per vim masculinam; sine coitu, per vim solam femininam, per spontaneum ortum, per diuisionem, per fauaginem, per degenerationem: vbi iucunda & curiosa multa.*

LIB. VII. *De causâ formali & finali animalium, vbi comprehenduntur differentiæ illorum ex singulis membris, ex moribus, ingenio, proprietatibus, virtutibus.*

LIB. VIII. *incipit agere de animalibus in particulari, & primùm de homine: vbi variæ figuræ & ingenia hominum describuntur, nondum notata aliis.*

LIB. IX. *agit in particulari de quadrupedibus noui orbis & peregrinis; qui aliis Auctoribus ignoti omnino, aut leuiter tacti.*

LIB. X. *De auibus extraordinariis similiter.*

LIB. XI. *De piscibus similiter.*

LIB. XII. *De reptilibus similiter.*

LIB. XIII. *De insectis & zoophytis similiter.*

LIB. XIV. *De plantis peregrinis.*

LIB. XV. *De plantis Indicis.*

LIB. XVI. *De metallis & aliis mineralibus exoticis, & elementis: vbi de variis aquarum & terrarum proprietatibus.*

Accedunt *De miris & miraculosis Naturis in Europâ Libri duo,* & *De iisdem in Terrâ Hebræis promissâ Liber vnus.*

IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Vſus, & voluptas, & dignitas Philoſophiæ de Naturâ animatâ.



INTER anguſtos vitę terminos peruagata humana curioſitas, ipſam perdit vitam, dum inutiliter occupat. Auidam libidinem ſciendi, quam puto cupiditatum maximam, fortaſſe, quod mireris, auaritiâ maiorem, ſine delectu alit; quidquid ignoratum, nouitatem ſimulat: & dum ſuperflua diſcit, vtilia & neceſſaria omittit. Siue enim mens noſtra præſaga, beatitudinem ſuam, cognitionem aliquam, quæritat vbique; eumdem enim opinor inquietum appetitum ſciendi cum innato felicitatis ardore: ſiue natura ſe prior demirata, venuſtatis & induſtriæ ſuæ conſcia & placens, ſollicitat quibus placeat, qui conſpectent, qui commirentur; & ad hoc ingenium exagitauit humanum. Namque parciſſima materfamilias ſuperflua egiſſe ſibi videretur, ſi nemo videret quæ egit: non ſolitudini tam pulchrũ oſtenderet theatrum, tam compta, tam ordinata, tam varia, tam magná, tam multa, tam multis digna ſpectatoribus. Nos omnia torſimus; in peius ſemper vergimus, atque pruriginem ſciendi, naturæ & Deo dicatam, in quoduis cæci impingimus; iam ſtulti, quia ſcituri. Scilicet ibi plus ignoramus, dum quærimus non ignorare, dum ſcire ſuperuacua, id eſt inutilia. Non mihi tam ſubtilis & acris obtutus eſt, vt inutilem ſcientiam ab ignorantiâ diſcernam.

Remedium puto aliquod huius adulteratæ & ignorantis ſciendi appetitionis edere naturæ ſpectacula, atria ſua pandere tot ſpirantibus ornata ſtatuis: hîc innocenter curioſitas conſpatiabitur; hîc ſalubriter fames recreabitur nouitatum, & cum ſatietate, & ſine faſtidio. In ſummâ, non inutiliter ſcioli erimus. Amplũ in hac materiâ priuilegium ſapiendi curioſitas nacta, vbi in maximâ licentiâ aut ſecuritas erit, aut vtilitas. Non ſerpit, non humi ſiſtit: namque reptantium etiam contemplatio ad ſuperna nos tranſmittit. Summiſſus ad vermiculum obtutus, mentem ad cælum tranſuehit. Ad auctorem cogimur extollere, qui in tam humilibus, tam paruis, ſimulachrum aliquod ſuæ magnitudinis, ſuæ immenſitatis, neſcio dicere an circumſcripſerit, an dilatauerit. Vbinam Deus, vbi homo ex naturalibus diſciplinis plus notet? Illud beatitudo, iſtud ſapientia eſt. Nullo alio natura beneficio, aut ingenium ſolertiâ humanam dignitatem, diuinamque dignationem explanauit euidentiùs, quàm in ſpeculatione animatæ ſubſtantiæ. Si Theologiam demas, ſcientiarum omnium eſt præſtantiſſima: nulla latior, excellentior, placidior, certior, vtilior, auſim dicere diuinior. Iam ſatisfactum curioſitati erit amplitudine & iucunditate, erit & prouiſum præſtantiâ & vſu: expiabitur vtilitate voluptas, latitudo non langueſcet excellentiâ. Adeò itaque innocens & fortunata erit hîc curioſitas, vt non iam excuſare, ſed prouocare velimus.

CAPVT II.

Quàm chara fuerit iſta Philoſophia Regibus & alijs magnis viris.

IAm ſi lucrum & voluptas conſpirabunt, quid opus erit honeſtate lenocinandis cordibus, quorum illa ſunt rapaciſſimi magnetes; niſi vt expiemus nonnihil infamiam auaritiæ & libidinis, atque honore ſuo omne prolubium conſecremus? Quare breuî præmonenda eſt eius maieſtas. Sacra & Regia iſta Philoſophia eſt. Aliquam certè meretur obſeruationem & reuerentiam, quòd ex priſtinis Eccleſiæ Doctoribus, qui ad naturæ deprimi ſpeculationes ſunt dignati, atque ex Regibus, qui ſceptri onus leuitate calami recrearunt, nulla alia Philoſophiæ portio ita occupauerit aliquos, aut plures tantâ morâ, tanto ſtudio, tantâ libidine. Duo Eccleſiæ ſidera ex octo Orientis & Occidentis Doctoribus non meruit alia naturalis contemplatio. Non eſt idem vnum Philoſophiæ legitimæ

gitimæ argumentũ, quod tot Reges euocaret aut à curis publicis, aut licentiâ priuatâ quam fortuna indulget. Sacra itaque Philosophia est, in quâ sacri homines auctoritatem suam tutati sunt, & exercuere ingenia. Ne alios adferam, ipsum Deum laudo primum huius doctrinæ magistrum. Primogenitam istam eruditionem statim edocuit Beniaminum omnipotentiæ, vltimũ & dilectum partum dextræ suæ, hominem. Ipse Deus, adductis vndequaque animalibus, Adamo ostendit, vt periculum Philosophiæ suæ faceret, quâ illum instituit. suggesserat scilicet cunctorum naturas & ingenia. Primus itaque Doctor istius Philosophiæ, Deus fuit; primus homo, primus discipulus: nullam aliam eruditionem, nullam aliam Philosophiam in illâ innocentiæ felici conditione legimus. Sacra igitur, siquidem sanctissimi illius statûs. Sed & obuia consideratio contemnenda non est, ignorantiam ipsius fuisse nostri generis ruinam. Ignara communis mater Eua serpentinæ naturæ, non agnouit calliditatem dæmonis ibi delitentis. Scilicet non putarat omnia bruta muta; nec enim pernouerat omnia, sicut Adam: nondum enim ædificata mulier fuit, cùm animalia præsentauit Deus homini, & in eorum cognitione instituit; quare rudis & ignara naturæ, decepta Eua fuit. Auarè dixi primam omnium Philosophiam, & primigeniam felicissimi illius statûs occupationem: dicam & Theologiam, & primam Dei scripturam, iuxta Georgium Pisidem. Præcipuo hîc ardore diuinitatis radius in naturâ reflectitur: per hanc priscis locutus Deus, & maxima diuinitatis suę vestigia reuelauit. Sacra Scriptura natura est, ipsis conscripta digitis omnipotentiæ: quapropter viros mirè spirituales, & sacris studiosos litteris, occupauit aliquando animalium litteratura.

Regia quoque studia dignitas huius doctrinæ, aut voluptas (quod faciliùs crediderim, magnus ista titulus fortunę) impetrauit. Numidia, Sicilia, Macedonia, & aliæ prouinciæ Principes suos hîc viderunt Philosophos: viderunt Doctores Iubas, Attalos, Hierones, Philometras, Archelaos; certè & orbis dominum suum, aut tyrannum, Antoninum aliquem, & Alexandrũ Magnum. Huius beneficium præcipuè fuit, si non scripsit, dedit, fecitque vt scriberent alij. Cuius aut felicitas, aut gloria maxima fuit, gustum (rem quidem insidiosam & confragosam felicibus) habere creditorem litterarum. Eius libidine & expensis absoluit Aristoteles, quod de animalibus mandauit æternitati. Furtum Salomonicorum librorum nonnulli putarunt. Si ita est, Regius quoque labor iste fuit.

CAPVT III.

Motus cælestes in animalibus inueniuntur.

IAm à maiestate huius cognitionis ad delicias regredior. Certè si vlla scientia, hæc maximè delectat: namque omnes pæne aliquâ contingit consanguinitate aut imitatione. Ita est pars Philosophiæ speculatio sentientis naturæ, vt totâ quodammodò complectatur. Parum itaque dixerim, istam sentientium rerum cognitionem compitum & triuium esse maximarum scientiarum: in eâ enim Theologia concurrit, & Philosophia, atque huius soror Medicina. Comitia sciendi in illâ celebrantur: nam Theologiæ non contemnẽda pars est, maxima Philosophiæ, necessaria Medicinæ, vtilis aliarum artium. Iam nulli inferior; cùm sit aut omnis, aut omnium: & obinde, si non cunctis, solùm non vni superior. Si aliqua expers illius est, fortasse inuida fuit. Excludes Mathematicas? ego illas æmulationis arguo. Vel cælos suos animalia mentita est Astrologia, vel astra animalibus consecrauit. Scorpium Orionis odiũ, pisces à Typhone refugium, cetum Andromedæ periculum, leonem Alcidæ auspicium, arietem Phryxi anathema, delphinum Amphitritæ lenonem in cęlo locauit; sicut & suum Indi camelum, & sua Persæ monstra. Mortuo cælo noluit occupari, quadam scilicet Zoologiæ imagine, nimis dixi, imaginatione contenta, cui isto nomine iam cedit, dum imitatur aut inuidet. Ceterùm si libeat ius dicere inter speculationem cælorum & animalium, & alterutrius præstantiam definire, quod in sideribus mirabilius est & augustius, Astronomorum speculationes sunt. Illi motus ordinatissimi, tempestiui, stati, maximè erronum, qui certissimum ordinem sequuntur toto cælo errantes: non minùs certos & ordinatos, non minùs admirandos in animalibus reperies, &, quod mireris, in signa & tempora. Cynocephalus noctes diesque designat: singulas horas duodecies noctu, totidem interdiu, latratu & perfusione lotij demonstrat, si fides Horo Apollini sit. Galli & coturnicis cantus in stata tempora distinguit. Hemerobios æmulus Solis est; par facinus audet, eodem die nasci & mori. Heliodromos auis quotidie & Orientem & Occidentem cum Sole petit. Ælurus gemino lumine diei progressus ostendit: ritu solari protenduntur diluculo, meridie componuntur in perfectum orbem, sub noctem obscuritate hebescunt. Accedo ad lunares menstruosque excursus & crementa. Eiusdem æluri oculi eadem cum Lunâ tempora paribus incrementis & damnis

damnis oſtendunt:creſcunt,decreſcuntque. Formica, minimum animal, non minimæ admirationis, ſine calculis, ſine Calendarũ, ſine Epactæ ratione, ſine reſpectu Lunæ, eiuſdem vices noſcit & oſtendit: cuius quies aut labor,ſigna interlunij aut plenilunij ſunt. Item & cynocephalus ſe abſcondit celato ſidere, & cæcitate ſuâ orbitatem lunaris lucis ſolatur, dum conſortem damni ſe exhibet. Coitum Solis & Lunæ exortus ſcarabeus denuntiat: nec admirationi obſtat vilitas beſtiolæ; imò, vt puto, iuuat. Quid admirabilius, quàm, vnde minùs ſperas, eſſe quod plus mireris? Partes quoque anni diuidunt. Ipſo ſolſtitij die virio auis prodit. Æquinoctium caniceps manifeſtat, per horas diei noctiſque æqualiter diſtributo lotio & latratu. Cicada æſtatem, papilio ver. Nec minùs quàm Sol & Luna, præſagia temporum ſuggerunt laſciuiens delphinus, affixus echinus, volitans loligo, matutinus fulicæ clangor, rana vociferans, noctua garrula, grus ſilens, alcyon nidulans, mergus fugitiuus, anas ſe expurgans, ardea triſtis, bos odorans, & ſexcenta alia. Fixorum quoque ſiderum officia & motus conſequuntur. Parra auis Orientem indicat ſirium, ipſo die fugax. Sed & caniculæ ſenſus multis communis eſt feris. Caryſtius in Mirabilibus ita ait: Huius germanũ eſt quod Lycus narrat, in Africâ iumenta reliquo tempore alia alijs aduerſa, alia vtcumque poſita, cubare: nocte autem eâ, quâ Canis oritur, cubare ea ipſi aſtro obuerſa, eoque ortûs caniculæ ſigno incolas vti. Itáne quæuis iumenta? Atqui capras tantùm nominat hîc Plutarchus lib. De ſolertiâ animalium: Λίβυες δὲ Αἰγυπτίων καταγελῶσι μυθολογούντων περὶ τοῦ ὄρυγος, ὡς φωνὴν ἀφιέντος ἡμέρας ἐκείνης καὶ ὥρας, ἧς ἐπιτέλλει τὸ ἄστρον, ὃ Σῶθιν αὐτοὶ, Κύνα δὲ καὶ Σείριον ἡμεῖς καλοῦμεν. Τὰς γὰρ αὐτῶν ὁμοῦ πάσας αἶγας ὅτ' ἂν ἀνάσχῃ μεθ' ἡλίου τὸ ἄστρον ἀκριβῶς, ἔχει στρεφομένας ἀποβλέπειν πρὸς τὴν ἀνατολὴν, καὶ τεκμήριον τοῦτο τῆς περιόδου βεβαιότατον εἶναι.

CAPVT IV.

Præſagia ex animalibus.

SI expectemus præſagia, quibus cælum nobis aut blanditur aut minatur, & ſigna contingentium non ſuperſtitioſa quæ oſtentat, quibus Deus & ſe memorem noſtri commendat, & nos immemores ſui arguit, licet in æthere patentiora ſint, in terris non ſunt pauciora. Monſtra cæleſtia Cometæ ſunt, nec tamen credo minùs animalium prodigijs interminatum nobis & præmonitum, quàm æthereis. Mulæ partus, præiudicium Babylonicæ ſeruituti fuit. Fugam Xerxis editus ab equâ lepus præmonſtrauit. Parricidium Iulij, bouina ſine corde exta. Atilio & Manilio Conſulibus, angues nigri præiudicarunt Romanam à Luſitanis cladem; ſicut & aliquando Luſitanam à Romanis, editus ab equâ centaurus bouinus, cuius anteriora tauri erãt, extrema equi. Pridie quàm interficeretur Cæſar, alitũ pugna prædixit. Varij generis volucres regaliolum auem, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſe inferentem lacerarunt.

Sed & formicæ Phrygiæ, & Platonicæ apes, Midæ opulentiam, & Ariſtoclis pueri eloquentiã initiarunt. Significantiora ſunt ab animalibus prodigia, quàm à cęlo, diuinæ indulgẽtię aut irę clariores interpretes. Maguntiæ femina hæretica omni naſo & conuitio proſcindebat Religioſos mei Ordinis, rabido furore obuios adlatrabat, abſẽtes mordebat. Accidit illi partus mirus. Prô horrendũ ſpectrũ! ſcilicet, ſimulachrũ vitij, editus eſt fœtus canino vultu, excoriato, præciſis nare & rictu, opertus pileo quadrangulari, vt noſtri ſunt. Quid clarius? Nemo non intellexit. Ipſi adhuc noſtri Ordinis & fidei hoſtes non negarunt diuinæ indignationis interpretamentum. Quando è cælo patentius eluxit ſignum, quàm monſtrum è palude Mexicanâ delatum ad Motezumam? Auis erat proxima grui magnitudine & colore, ſed inauditæ formæ: faſtigium capitis lucidum & ſpeculare. Ibi conſpecti ſunt ab Oriente milites armati magnâ occidione irruentes. Sic Hiſpanorum aduentus non tantùm prænuntiatus eſt, viſus fuit.

CAPVT V.

Vtilitas ex animalibus.

HÆc potiſſima aſtrorum beneficia, vaticinandi, dirimendique tempora, pręmonendi ventura, demonſtrandi diuinam iram, non minori miraculo aut vindicant, aut vſurpant animantia: *quid minus reſtat, quàm vt proſint nobis, quantum cæli? cuius*, vt ad ſummam hæc trahamus, computemus vires. Mirum eſt, quantas præſtent animalia fouendis roborandiſque noſtris corporibus. Calefaciunt, refrigerant, humectant, exſiccant, commotant affectus, & affectiones incitant, remittunt. Iſta licet aſtris ſint communia, non incontrouerſa: negarunt & negant multi, nemo animalibus; quorum etiam partibus aliæ plures ſunt vires nobis ſalutares, & extra liberalitatem ſiderum. Emolliendi vim adipes & medullæ habent: concoquendi, œſypus & butyrum: admouendi pus, vitulinus adeps: abſtergendi, teſtacea, & ſepiarum oſſa, & erinaceorum cinis: adurendi ſeu cauſticam vim, pityocampa, bu-

bupreſtis, cantharis: replendi alopecyas, hippocampus crematus. Quid moror? in immenſum ibo, ſi enarrare cœpero. Præſtat abſtinere notiſſimis.

CAPVT VI.

Animalia in aëre genita.

IAm meteororũ contemplatio, imitatione Aſtrologiæ phænomena ſua animalium titulo etiam dicauit. Capras dicit ignes ſuos, quales apparuerunt in bello Perſei, & ſub exceſſu Auguſti & Germanici, & cùm de Seiano actum eſt. Dicit & dracones, vt omittam Dioſcuros & ſororem. Sed nec ab ipſis meteoris viuentia excluſa. Creati ſunt in æthere piſciculi: ortæ in ſublimibus ranæ: decidit aliquando bos, correptus ecnephiâ. Imperante Carolo IV. venenatæ beſtiolæ ceciderunt, quarum contagium magnas prouincias abſorbuit: pluerunt animalia, non ſunt aſtris deleta, quid mirum ſi inferior admittat regio? Lac & ſanguis perpluit M. Acilio & C. Porcio Conſulibus. Non opus eſt commemorare, aliquibus Italiæ locis ſtillas è nubibus deciduas, contactu terræ in ranas repentè faceſſere. Id mirum; cùm groſſior gutta ſcinditur reſultu, tot emergunt & quaſi aſperguntur ranæ, quot aſpergines.

CAPVT VII.

Meteora in animalibus generantur.

QVin in ipſis animalibus meteora contemplari licet, & pluuias, & grandines, & typhones, & fulgura, & fulmina. Conſideremus corpora noſtra, vbi natura plus laſciuit, aut iraſcitur laſciuiæ noſtrę, cupiditatibus, intemperantijs. Defluxiones & deſtillationes à capite, mundi minoris pluuię ſunt ex ſimilibus & proportionatis cauſis. Auicennæ dogma eſt, omnem deſtillationis materiam è iecore calidiori ſuſcitari, multos inde vapores in caput efferri, qui deinde cerebri frigore in aquam verſi, protinus dilabantur, perinde, atque terrarum expirationes, quæ in nubes concreſcentes mox diſſoluuntur in imbrem. Hollerius lapillulos in capite generatos obſeruauit. Galenus exhibet pluuiam ſimul & grandinem, in eo qui diuturnâ tuſſi lapillos per os eijciebat, grandinationis inſtar. Typhonis quoque ritu impediti flatus in capite volutantur, vertiginosâ affectione in præcordijs in inteſtinis per gyros illati. Fulgurationes in patre Theoderici viſæ ſunt, emittentes, quoties artus fricabat, igniculos. Quidam monachus Carmelita, quoties capitium ad occiput reducebat, ſcintillas vibrabat. Antonius Cranſius, & Maximus Aquilanus, flammas leui ſubuculæ contractu iaculabantur. Collum nigerrimi equi ſuſque deque fricatum ſcintillat. Tempeſtatem Alexander ſimulauit, fulgura cum pluuiâ, & quidem ſanguineâ: incenſus bili in ancipiti conflictu, merum ſanguinem, vt fertur, deſudans, & inflammatus ignes vibrabat. Non minorem terrorem Indis iniecit, quàm cælorum horriſonæ minæ per crebra fulmina: & ſemel dedit Macedoni victoriam, non robur Gręcum, ſed metus barbarus. Ad hæc epilepſia fulgur eſt, fulmina paralyſis & apoplexia. His affectos eleganter Plautus *ſideratos* dixit; & Salius apoplexiam vocauit *paruam ſiderationem*. Eadem & *attonitus* appellatur *morbus*, quòd fulminũ ſimilitudine ſtupefaciat: fulminat enim aër, ſiue ſpiritus accenſus, & vnum ex illis tribus malis parturit. Quid amplius? Et ſtellas labentes reperiemus. Narrat Faber Philothymicus Caſtronouodarenſis, vidiſſe nobilem puellam, formâ gratiſſimâ prędita, quę dum coram me, inquit, capillos venuſtè admodum pectine implicatos diſſolueret, flammas, veluti cadentes cælo ſtellas, è capite ſuo in ſinum excutiebat ſuum: quo meteoro perterrita ipſa puella, in ſyncopen ferè incidiſſet, nî ſubitò verbis lepidiſſimis refocillata, metum è pectore depreſſiſſet, explicatâ harum flammarum cauſâ & ipſi & parentibus ſuis.

CAPVT VIII.

Cæleſtes imagines in animalibus inueniuntur.

DEnique vt non ſolùm mutationes vireſque cæli ſiderumque, ſimiles aut æquipollentes, in animalibus mireris, ipſum cælum, ipſum firmamentum, ipſa ſidera, ipſos planetas hîc miraberis. Neque tantùm vt cælum in imaginatione habet animalia, ſed in imagine animalia habent cælum. Habet mare ſuas ſtellas ſentientes, ſuum ſolem viuum, habet ſuum orbem animatum: raræ piſcium ſpecies, quæ ſtellarum imaginem ferunt, & ſtellati cæli: totus rotundus eſt piſcis orbis, muricibus radiatis circumquaque compunctus, ſiderum ritu, vt paruulum aut inuerſum firmamentum putes. After piſcis ſuis vndique diuiditur radijs, quinque frequenter; viſus eſt qui tredecim; nec tantùm formæ ſimilitudinem cum aſtris habet, ſed vigoris. Igneæ naturæ eſt, ignei in medijs aquis feruoris: quodcumque in mari attingat, adurit, & cibum ſtatim peragit. Quantulus ignis, quem mare non extinguit. Ceterùm de piſce *lunâ* hæc habet Ælianus. Demoſtratus vir rei piſcatoriæ peritiſſimus, ſimul

mul & disertus, piscem quemdam esse affirmat specie perpulchrum, & appellari *lunam*, exiguâ magnitudine, latâ figurâ. Idemque adfert, cyanei coloris speciem similitudinémque gerere: in dorso pinnas habere molles & lenes, easdemque innatando explicare, & ad similitudinem Lunæ semicirculum efficere: simul & eum ipsum (vt Cyprij piscatores aiunt) cùm est plena Luna, tum impleri, tum implere arbores, si ex his illum appenderis: decrescente verò Lunâ, exiccari atque interire; ac si ad plantas admoueris, eas marcescere & euanescere. Item si iam plenâ vel crescente Lunâ in id aquæ, quod in perfossis puteis reperitur, quis hûc piscem iniecerit, aquam iugem & perennem fore; sin extremâ aut decrescente Lunâ, aquam exarescere. Quòd si hunc eumdem in fontem scaturientem conieceris, quomodo dixi de puteo, is ad rationem Lunæ, vel euanescet, vel implebitur. Non omnia hæc asseuero, solùm commendo aliqua.

Nec munditia stellæ marinæ deest, maximus & proprius cælorum census. Nescit excrementa & sordes. Consanguineæ aquæ cælis qui ex aquis sunt; sin minùs, sub illis. Scilicet illa comitas & vrbanitas aquarum, cùm decesserunt terræ loco, impetrauit supremum. Pignus & insigne aliquod cognationis meritò retinent, atque inter alia elementa cælestes pręcipuè seruant formas: namque licet aër, etiam vicinior cælo, stellares accipitres, & aquilas, & ardeas admittat; minor multò ista proportio est, & nominis potiùs similitudo, quàm virtutis aut figuræ. Stellionis quoque, quē terra hospitatur, minima aut tātilla comparatio est, macularum aquæ, quia tectum mundi sunt, firmamentum Planetasque complectuntur. Instrumentum tantę maiestatis oportuit edi, complectente oceano orbes & stellas. Certè libenter humor decessit terræ, obsecutus iubenti naturæ Patri. Elatis super cælos aquis, parum referebat, non esse super terram: vniuersum reuerà ambiebant, & imaginem vniuersi. Non erat opus, punctum ambire, dignitati suæ: secura est sincera maiestas in omni aut vrbanitate, aut humilitate.

CAPVT IX.

Præstat consideratio animalium contemplationi cæli.

ITaque quantum æther & cęlum patet, immò quantum est, lasciuit animalium Philosophia, & magnis exultat spatijs maiori iucunditate. Numquam plus admiranda, quàm quæ solùm visa merere fidem, nonnulla opinionem adhuc possibilitatis. Miracula sunt: cùm primùm nosces, tanta nouitas admirationem incitat, admiratio voluptatem sibi parem gignit. Quid iucundius, quàm id nosse quod putares non posse esse. Sunt plura in terris, quæ supra cęlos miremur. Anaxagoras pręmium vitæ suæ æstimauit obtutu vnius astri; amplâ mercede se dixit fuisse natum, vt Solem dumtaxat videret. Poterat non minùs gratulari, vt bestiolam, vt vermiculum, vt apem, vt sciniphem, in quibus maius ingenium artificis est, cùm & in ipso artificio ingenium insit. Sed non opus est industriam animantium aduocare: sufficit natura & compositio, ad cuius imitationem cęlum & mundum, ne minor esset parte suâ, alij animal putarunt, alij appellarunt; artus dederunt, cerebrum dixere lunam, cor solem; alijs membris ita distributis, vt facturi animal, monstrum fecerint. Pulcherrimam ordinatissimamque molem deformarunt, dum componebant. Ceterùm si in vnâ formicâ aut ape est quod plus mireris quàm in astris, & præstantiores cælis sunt; quanta planities curiositati dilatatur per innumera & diuersa animantium demiranda ingenia, & partes, in quibus natura quotidie nouis miraculis ludit?

CAPVT X.

Plantæ & mineralia in animalibus generantur.

PArum dixi, animalium speculationem patere quantum cælum; addā & quantum terra, & quantum subterranea, vt relinquam vitam stirpium, quæ aut auspicium totius animantis est, aut partium aliquarum incrementum. Pullulant animalia ex plantis, & ex animalibus plantæ. Bernecæ sunt aues, quæ poma sunt arborum: aliæ ex pomis, sicut pisces ex frondibus in Iuuernæ fluuio. Ex draconum lumbis plantas nasci Bustamantinus tortuosè & prolixè narrat; nihilominùs eius verba dabo. *Hoc verò mirabile est nimis huic generi animantium, tantæ esse molis, quandoque magnitudinis adeò immensæ, vt dorso tergoribusq. multoties, sepium instar & riparum, herbæ adnascantur; virentia plurima, quæ propriâ substantiâ alta & nutrita, sanguine irrigata animantis, altas in hæc ipsa immissa radices, germinent, fructificent, consita tergoribus vastæ molis, monstrosæ & grandis, per poros & venas succo alimento proprio viuentis vastissimi: qui floridus ramis, abditus & latens, fruticibus plenus, & occultus, virescentibus varijs, amœnitate & loci ficti delicijs, in animantia irruit illecta, cibo escaq. decepta, vt miserè deprædetur & discerpat. Hinc plurimi lepidium, dracunculos,*

herbas, sic dici, quòd huic animanti insint, orianturq; ex eius substantiâ, opinantur. Imò dracontæā hinc euenisse virentē, quòd senectā draconū cutemq; æmuletur coloribus; vt magis huius plantæ cortex corium draconis videatur, quàm herbæ pars aliqua. Cùm enim hæc primò draconibus innascerentur, eis varietate & venenatâ substantiâ corrosiuâ non absimiles, posteà semine terræ commisso, pullularunt, eam semper obseruantes naturam, qualitates easdem; semel draconum ac extitere genimina, genitorum malitiam referentes, heredes relictæ virulaginis abditæ, etsi spuria soboles: vt & terris nascuntur adhuc illa, at primò draconibus. Scimus enim & cornibus ceruorum adnasci hederam frequenter; refert Aristoteles 9. de Historiâ animalium, c. 5. oririq; cornum in hominum auribus, ossiculo intra ipsas elapso, experimur, loci vditate alto, animantiumq; aliorum. Animalcula imò animantibus procreari, pediculos, vermes, lumbricos, subtus cute, qui posteà se exerunt, ruptâ cute eâ parte & laceratâ, aut poris erumpentia. Arboribus adnasci solent alia, quæ aluntur substantiâ, succis, expensisq; illius cuius sunt exorta: quorum extat exemplum agaricum, fungiq; non minùs, muscus dictus, herbæ aliæ non paucæ. Testatur experientia communis, multaq; virentia, inserta omnia quæ increscunt trunco supposito, in quo aluntur & viuunt. Spicas adactas, vocatos surculos inditos intra suppositam arborem cui inseruntur. Sues crassissimos generare mures in natibus scimus, obesis nimis, cùm loco moueri nequeunt, ignauos & desides. Herba dicta draconis sanguis, hisce debetur: est ijs adnata primò, quæ succum reddit similem draconis sanguini. Hæc & plurima alia, tergoribus draconum innasci, quæ & nascerentur ventre, si attritu & reptu terræ non abraderentur reptili animantis motu, conspicimus. Hinc tergoribus adnascuntur illa, non sicco capiti aut ventri, qui reptu hæc impedit, & compressu, pondere atterit. Plinius lib. 25. c. 2. Edoardus lib. 6. c. 118. Pausanias, Aristoteles de ceruis suprà. Cùm enim sanguine nutriantur ista, draconi dum insunt, hunc succum reddunt, sanguis draconis dicta virentia, seruantq; in posterū, radicum opere, ex terrâ nata virtutem illam adeptam semel. Folijs imò draconem sculptum formâ & effigie tenent exorta illa, dictu mirabile nimis: norunt Indi Hispaniæ nouæ, & nos vidimus, communiter plantis aduectis, & 2. lib. 7. c. Historiæ Indiarum occidentalium inuisitur. Hæc enim planta altissimas radices immittit, pertingentes intima vasa seminaria animantis huius lumbis adnata, per quos seminis ductus decurrunt, semen vt trahere possint formatum, prolificum, efficere potens draconem verum, formetq; vt illum folijs primò, draconibus inserta ortu acceptâ virtute, seruatáq; in posterum, terræ commissa loco fruticis, quæ nullum alium fructum gerunt vmquam, quàm folijs draconem efformatum mirabilè satis. Hæc Bustamantinus, quę fortasse nonnullis ardua erunt, & mihi non omnia explanatæ fidei. Gignuntur quoque metalla mortua, & gemmæ, in membris viuis. Puero Silesio dens aureus est innatus. Crystallini lapides inuenti sunt in humanis corporibus: in quorum ferè omnibus partibus alij lapides sunt visi, in capite, in linguâ, in iuncturis, in stomacho, in vtero, in intestinis; frequentissimè in renibus & vesicâ. Draconitis gemmæ fodina nota est, cerebrum colubri; margaritas conchis debet auaritia.

CAPVT XI.

Politica & Ethica ex animalibus.

OMnem enim Philosophiā naturalem per suas particulas connectit exquisita animatæ naturæ notitia, cui, velut Pandoræ numina, suum pignus singulæ dederunt.

Pars moralis, si non dedit, accipit multa ex brutorum scholâ. Liber moralis Philosophiæ, natura est: de omnibus virtutibus in animalibus disputat. Nec tantùm mores docet, sed monet: scilicet docet exemplo. Felicissima est operis eloquentia. Prudentiæ effigiem in paguro lege, patiente, fugienteque rixarum occasiones cùm se exermem videt, donec armis reparatis valeat; nolente, nisi certus salutis, periclitari. Cuius maior prudentia, quàm cuius in arbitrio ira sit? quàm eius qui pericula dissimulatione vincit? Non magnam molem tantæ virtutis exhibeo, non elephantem, sed pusillum cancrum. Temperantiæ formam cape ab aquilâ Iouiali, abstinenti carnibus. Et ne aliquam superstitionis speciem intrudam; iuana serpens per multos ieiunus dies, inediā colit. Quid abstinentius quàm cephalus, contentus aquâ & limo, alterius edulij ignarus? Fortitudinis definitionem vbi putabis? in leone? Nequaquam. Fortius est ferre mortem, quàm inferre. In mure est quod mireris. Mauult mus Armenius occidi, quàm fœdari. Ista fortitudo est, mori millies, ne semel vita sit turpis. Essentiam iustitiæ auis diceros exhibet, defodiens excrementa sua letalia, ne quem lædant. Nulla maior iustitia, quàm innocentia.

Alias virtutes, his quatuor appendices, carpe. Ab elephantibus Religionem, adorantibus & salutantibus cælum, latice Anuli fluuij lotis. Quis docuit istas belluas, sancta sanctè tractanda, & munditiam Religione requiri? Merops, astur, ciconia, docent pietatem senium parentum, officijs suis eos alleuian-

leuiantes. Alcyon coniugalem amorem; ossifraga misericordiam, destitutos aquilæ filios sustentans. Elephas quoque studiositatem. Visus est ad Lunam gestus & motus à magistro præscriptos exercere: lectionem vltrò recolebat. Quis maior studij amor? Cassiæ aues amicitiam: numquam conspiciuntur ab incolis, nisi cùm opus est illos aduersus locustas iuuare. Apum rex clementiam colit innocenti aculeo, ipsæ apes fidelitatem in Regem: quærunt aberrantem, gestant imbellem, deserunt numquam. Columba continentiam fidelissima coniugi, elephas castitatem, semel in triennio aut biennio coiens ad remedium suæ speciei, & id secretissimo loco. Quid pudicius, si pudorem adhuc sui habet? Idem pœnitentiam docet. Magistros aliquando per calorem aut furorem occisos, luxerunt hæ bestiæ, inediâ sese punierunt capitali. Idem obseruantiam: reueretur grandiores, & senes, quibus de loco, cibo, potu concedit. Simij quidam eutrapeliam; canes magnanimitatem & gratitudinem; imò hanc omnia. Mansuetudinem à quo expectabis? ab oue? ab agno? Dabo leonem. Si semel cicuretur leo, præ omnibus mitis & comis est: conuictor Onomarchi fuit, comptor Berenices, iumentum Hannonis. Mansuetudo quid est, nisi correctio iræ? ibi laudabilior, quàm vbi furor præcipitaret. Fuit leo Barcinone, qui vt corrigeret iram, tanto animo se compressit, vt subitò exanimaretur. O pudor noster, cùm æstiment feræ virtutem pretio vitæ! Constantiæ effigies cozcacoauthlus est: eâdem perstans sede immobilis, inconcussus ventis, quibus aduersantibus vehementissimâ resistit vi. Ad hæc continuo gestit volatu: nescio an lassetur; cùm non quiescat, qui vix intermittit. Nec affabilitas abest. Vbi? rogabis. Inter hostes etiam. Narrat Scaliger, lupũ inter oues, leporem inter canes, sine noxâ, sine metu versatos. Amplius ipse testor cum plausu, cum festiuitate: in domo parentis mei vidi lepusculum non tantùm inter canes securum, sed lætum, iocosum, & ludibundum ipsos venaticos canes mordentem.

Quid moror? virtutum omniũ theatrum natura in animalibus pandit. Præter Ethicen, reliquas Philosophiæ moralis partes callent: Politicã apiculæ, Oeconomicen formicæ, militarẽ grues. Tres Reipublicæ formas in iisdem inuenies: in apibus Monarchiam, vnius regnum est; in formicis Aristocratiã, parent præstantioribus & senioribus; in gruibus Democratiam, quibus popularis est ciuilitas, & communio curæ. Nequid desit, cyanus monasticen colit, cui minimè

—— *Visus omnis humanus*
Malum reducit omne pristinum menti.

Sanè vel huius titulo Philosophiæ contemplationem animalium præposuit Deus, dum solùm proposuit, Adamo non elementorum pacificam inimicitiam, non cælorum immensam fabricam, non siderum ordinatas choreas, non Planetarũ tripudiantes discursus videnda exhibuit: bestiolas, auiculas, pisciculos voluit videre, voluit contemplari, & eorum cognitionem habere, vt suo omnia sciret & vocaret nomine. Feliciter inaugurata est diuino suffragio animalium cognitio: sed & diuinus Spiritus eamdem nobis sæpè renouat notitiam, memoriâ nos bestiolarum suffundens. Per Salomonem ad formicas & apes pigros amandat; per Ieremiam miluos, turtures, hirundines, ciconias, improuidis obiectat: per Isaiam inertis asini & bouis exemplo accusat ingratos. Doctores morum bruta dedit: magna doctrina est, ex imparibus pudor. Pater maiores natu filios exemplo minorum castigat: infirmioris virtus fortiùs prouocat. Non ita Horatius aliquis aut Torquatus hortantur ad fortitudinem, ac imbelli femina sexu Pyrrhi interfectrix. Optima morum virtutisque academia, animalia sunt, quorum doctrina tantò præstantior est, quantò efficacior. Efficacissima autem est, quia ex minimis, & quia non verbo, sed exemplo: ideò sæpissimè animalium mentione in sacris libris admonemur, vt non leuis momenti sit ista historia ad eos interpretandos.

CAPVT XII.

Medicinam docent animalia.

AD alias scientias & artes quantum præstabit, vt eius iam vtilitatem discas pro expiatione curiositatis? Taceo pecuariam, rusticam, œconomicam, ad quæ iuuamur; dicam adhuc, quæ docemur. In multis hominem rebus discipulum animalium Herophilus dixit. Inuentum brutorum est, aut Medicina omnis, aut pars. Relinquo, quantũ ponant in alimentis & pharmacis. Apothecarij debent aui ibi clysteris vsum: chirurgi hippopotamo phlebotomiã. Cùm grauem se sentit, recentes arundinum scissuras speculatus, vbi acutiorem videt stirpem, imprimens corpus, venam in crure vulnerat: ita profluuio sanguinis exonerat morbidum corpus, rursus plagam limo obducit. Debemus & alijs brutis multarum vsum herbarum & lapidum salutarium. Aquilæ ætiten petram, quæ puerperis pro Lucinâ est. Omnes medicæ artis partes, & pharmaceuticen, & diæteticen, & chirurgicen, discere à brutis potes. Cognitionem vsumque simplicium nulla est bellua quæ non habeat. Palumbes,

graculi, merulæ, superfluos humores expurgant, lauri degustatis folijs; columbę & turtures helxine. Canes & feles, vt deijciant ventrem, quoties nimiâ colluuie sentiũt opplet a viscera, comedunt perfusa rore gramina. Vrsi & apri ex incommodâ valetudine se colligunt, illi mandragoris, mox formicis, isti hederâ.

Diætam, alteram Medicinæ portionem, colunt lupi & leones. Cùm nimis se sentiunt crassescere, abstinent carnibus. In vniuersum aliæ bestiæ temperant cibo, quoties satisfactum est fami.

Chirurgicen, tertiam Medicæ disciplinæ partem, elephantes docti sunt. Tela absque periculo, & neruorum conuulsione aut contractione, eximunt, & à se, & à socijs; aloës deinde lacrymas vulneribus instillant, vt Philostratus tradit. Cerui dictamo pellunt sagittas. Ciconiæ vulneri per pugnam accepto cunilam apponunt. Vsum artis quæstuosum ocumatli gratis exercent, ad imitationem aliquando Hippocratis, aut æmulationem. Tantæ charitatis sunt, vt quos vident sui generis cæsos sagittâ, aut alio telo, quantam possunt opem ferant, & admotis plagæ arborum folijs, sanguinem sistunt, & curant.

CAPVT XIII.

Diuersarum artium exempla in animalibus.

ENcyclopædiæ quoque & liberalium artium meminerimus. Grammaticen discunt elephantes: nouêre pingere litteras, linguas intelligere frequenter, aliquando loqui; & hoc non industriâ humanâ, vt psittaci & picæ. ijdem tripudia didicêre, ad fistulam saltare, choreas ducere. Cynocephali etiam musicam, & tibias inflare, & citharam pulsare. Et ne tantùm discentes musicam, sed docentes videas; memento philomelæ, in quâ etiam pædagogiam nosces. Suos instituit pullos, accentuũ obseruationem docet, vt vno pronuntient spiritu, iam producant, iam corripiant, iam inflectant, minuant; mox per semitonos mutent, distinguant, diuidantque in breuissimos exilesque garritus, actutùm reddant vocem tremulam, in variosque transforment modos. Si Democrito fides est, huic auiculæ Musicam debemus, cum iniuriâ obseruationis Pythagoricę. Quid, si memorem cencontlatollum? luscinia muta erit. Simiæ, quod miraberis, vsque ad periculum fidei Arithmeticam nouerunt. Oculatis testibus, & certis nuntijs compertum est, in Peruanâ regione simias tantam cum incolis familiaritatem contraxisse, vt cum ijs pro argento colludant. Vbi eos vicerint, vna tabernam petunt bibendi caussâ, & pretium numerant ex lucro parto. Nec Geometriæ rudes hirundines: sciunt figuram circularem capaciorem & cautiorem suis castrulis; sępè per segmenta & diametrum scindunt. Hexagonos suos apes fabricant per obtusos angulos: grues se disponunt per acutos siue curuilineos, siue mixtos, siue rectilineos. Si Astrologiam desideras, orygen vocauit Ægyptus feram, quæ cælum speculatur, & ortum Sirij obseruat. Diuinationem vnde expectabis? à regiisne animalibus, aquilâ, leone, delphine? etiam in vilissimis est. Musculi præsagi ruituræ domus, præmigrant. Perspectiuæ & sciagraphię calliditate inuisum miluum gallina videt, & soboli prouidet, ex vmbrâ hostem coniectata.

Ad sellularias & mechanicas facultates venio. Textoriam & venatoriam araneæ exercent, bombyces lanificium, simiæ ad æmulationem sartoriam. Architecturæ inuentrices hirundines feruntur: ligna in primis crassa & solida fundamenti loco iaciunt, superstruunt molliores virgulas & paleas: quando cœnum, quo calcis & cæmenti loco vtuntur, non inueniunt, ad riuum aliquem aduolant, vbi se mergitant, donec totæ madeant; mox in puluere se inuolutant, donec efficiant limum ex puluere humore macerato, vnde ædificent nidos, intercludant rimas, fissuras murorum oblinant: orbiculari formâ habitacula construunt; norunt aptiorem quadrata esse ad pullos tuendos & fouendos. Didicêre elephantes theatricen artem, spectacula populo per funem fuerunt. testis nunc est aula hæc Philippica. Capram funambulam vidimus. Machinas & ingenia excogitauere corui, cum quadam notitiâ naturalis magiæ. In Lybiâ, cùm sitientes aquam inferiorem vident quàm rostro attingere queant, calculos ore & vnguibus apportantes inferunt, desidentibusque in fundum petrulis humor ex subsidentium corporum occupatione alleuatus, superiorem replet vacuitatem. istâ solerti machinatione reficiuntur. Mirare hîc Physicæ etiam peritiam, vnum & eumdem locum duo corpora non capere. Mirare magicen naturæ, leuia ferri sursum, quando grauia mittuntur deorsum. Par calliditas alijs est. Canis quædam, absentibus coquis, silices in olei lecythum tantisper iniecit, donec pro voto elamberet.

CA-

CAPVT XIV.

Quanti fecerint Aristoteles, Ælianus, & Oppianus contemplationem animalium.

PEr tot artes, per tot ſcientias, per tot miracula excurret lætiſſima curioſitas. Si iucundum fuit, buculæ ſtatuam videre factam Myronis manu, aut equũ Aglaiphontis arte pictum; quantum oblectauit, tot virtutum, tot artium, tot ſapientiæ diuinę ſimulachra, non humanâ induſtriâ, ſed Dei manu & ingenio, in naturæ locata eſſe theatro. Quantum delectabantur Demoſtratus, Metrodorus & Leonides piſcatione; Hippolytus, Actæon, Zephalus venatione? Iucundius erit, ſine æſtu, ſine ſudore, ſine morâ, ſine patientiâ, ſine ſumptu venari tot animalia, eorum veſtigare ingenia, affectus, mores, calliditatem, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam; in ſummâ, venari Deũ ipſum,

——— *& ire per omnes*
Terrasq́, tractúſque maris, cælumq́ profundum.

Ariſtoteli nulla iucundior naturæ aut artis alicuius cognitio fuit, quàm iſta animalium diſquiſitio. Quantam in hac voluptatem perceperit, ipſe prædicat in Volumine de Partibus animalium. Ælianus pluris fecit hanc notitiam, quàm aulam, quàm diuitias, quàm auctoritatem popularem. Renuntiauit, quod maximum eſt, auaritiæ: omnes ſpes, quas tanti facimus, pro iſtâ voluptate commutauit. Hoc concludit conſilio Commentarios ſuos: *Mihi anſerum & gruum migrationes nouiſſe, & draconum naturas, & reliqua hoc Volumine comprehendere, volupe eſt; copioſis & locupletibus hominum annumerari, & ex illorum ordine cenſeri, non libet.* Non tam miror, delectaſſe Ælianum præ omnibus diuitijs iſtam ſpeculationem animatæ ſubſtantiæ, quàm Ariſtotelem præ omnibus ſpeculationibus ſuis, & vtrumque præ omnibus doctrinis. Ille liberalior, non ſolùm iucundiorem putauit, ſed glorioſiorem. Credes ſuperbire, cùm ait: *Quòd ſi de numero hominum naturæ ſtudioſorum, inter quos & Poëtæ ſunt eruditi, & Philoſophi ingenioſi, & alij ſcriptores rerum experientiâ clari, etiam ipſe vnus eſſe cupio & enitor, multò ſanè honeſtiore loco, & dignitate maiori, quàm pro illorum conſilio, futurum me confido.* Oppiano tantopere placuere Commentationes ſuæ de animalibus & piſcibus, vt litteris aureis omnes verſus conſcriberet: tantopere placuêre alijs, vt dediſſent, vnde ſic ſcriberet cum iniuriâ auaritiæ, quod vltra Ælianum mirere, etiam alienæ.

CAPVT XV.

De fide admirabilium naturæ.

CVrioſitatis guſtum, & ſcientiæ dignitatem, certitudo ampliat: conſcientia enim vanitatis, frangit impetum admirantis; & periculum violat auctoritatem doctrinæ. illo etiam nomine, & placidior iſta naturæ contemplatio, & dignior, fidem oculorum ſequitur. Nulla certior, nulla expeditior opinionibus, nulla immunior ancipitibus ratiocinationibus. Quæ de eius obiecto occurrũt, probabiliores ſunt & pauciores, quas certiſſimus obtutus dirimit, cuius maius momentum eſt incerto diſcurſu. Securus arbiter eſt conſpectus. Quantum iſte titulus præſtet huic ſpeculationi, exemplo exponam. Vidés quanta conturbatio Philoſophorum & Mathematicorum ſit circa cæli naturam, quo nihil patentius. Alij ſolidos orbes putant, & alienæ ab elementari eſſentiæ: alij ſolidos vtique, ſed ex aquâ gelatos: alij ex aliâ materiâ denſatos, communi tamen, & minimè excellentiori: alij (legi ſic opinantes) ſpongioſæ cedentiſque ſubſtantiæ, ſed digeſtos per ſuas integras ſphæras, contrahi & extendi habiles, quibus tamen inſint verè ſidera; ſic putant eripi plurimis difficultatibus, quas patitur cælorum duritas: alij elegantiùs (fortaſſe plauſibiliùs, non præoccupato iudicio, atque conſentaneè aliquibus ſanctis Patribus, & multis diligentibus Philoſophis) puriſſimæ, tenuiſſimę & peruiæ credunt eſſe materiæ, pręcipitibus ſtellis cedentis, vt iſte aër volucribus. Iſta controuerſia æterna erit: nemo cælum proximè vidit, nemo videbit, nemo poterit vicino aſpectu rem definire. Ita ſtandum eſt indicijs externis, ob penuriam contingentis euidentiæ. In animalium tamen narratione, licet aliqua vulgus controuerſa intruſerit arbitro ſenſui, paremus non opinioni populari, non opinationi. Iactatur, An phœnix illo ingenio quo narratur, verè ſit in cenſu naturæ. Turba ſemper fauit, artifex fabularum; Doctores dubitarunt. Ratio probabilis reſiſtit non leuibus fundamentis ex penu ipſius naturæ. In hac lite noſter obtutus adigendus ſequeſter: qui ſi alitem vnicum in vniuerſo vidiſſet ex cinere ſuo recreari contra omnem rationem, & repugnantiæ ſpeciem, extemplò aſſentiremus. Maiora miracula naturæ credimus, & ſunt: at quia impoſſibile eſt, omnia, quæ in vniuerſo patent, vni patuiſſe, cùm eius omnes partes nondum viderimus (erat enim neceſſe cunctos ſcrutari priùs angulos orbis, vt aſſeueretur vnica iſta auis) quia etiam funus illud vitale, & cærimoniam

mo-

moriendi nemo hactenus vidit, nemo fide dignus narrauit vidisse quod videri posset, credendum non est. Etsi nulla ratio contrà esset, satis iam damnauit sensus, quod nemini comparet.

Non minùs improbabile, non minùs incredibile ex se est, aliam auem, non post quingentos annos, sed quotannis mori & reuiuiscere, & tamen credimus, quia visum est. Neque minùs insolenti & mirandâ morte & natiuitate noitzitziltotlus auicula non diutiùs viuit, quàm flores quarumdam herbarum, quarum vescitur melligine: his marcentibus, ad pinus aut alias proceras arbores aduolat, quibus affixa rostro, appenditur circiter semestre, donec desideratę herbæ restaurantur, quibus florentibus reuiuiscit. Æquè, opinor, irrationabilis videbitur ista narratio, quàm phœnicis historia: fides tamen sensuum, auctoritatem dedit & rationem. Viderunt multi, testati sunt maiores omni calumniâ, Notariorum fide publicâ multis comprobatum est locis: nec semel ipsa auis, stipiti affixa intra cubiculum seruata, post semestrem mortem rediuiua volitauit. Franciscus Hernandez, Medicus primarius Philippi II. cuius & iussu in Americâ profectus fuit, vt illa noui orbis miracula testis oculatus inquireret, & scriptis mandaret, scribit in suâ Historiâ manuscriptâ, dubium id nemini debere esse. Nolo nunc examinare, an reuerà per semestre illud mortua sit hęc auis, an solùm specie; nam non valdè mouit admirationẽ: quid admirabilius, quàm suspendiũ illud cum vitâ, & ieiunium sex mensiũ?

Ad hæc sine dubio incredibiliora de elephante feruntur, credimus tamen. Si quis, rogo, ignaro veritatis narrasset hæc duo, elephantem, immanem bestiam, aspectu amentissimam & ignauam, inflexilium artuum, torpentium crurum, per funem in aëre protensum decurrere, & subire, & faciliùs regredi; tum esse alitem, quæ ex vermiculo cinereo nasceretur: vtrum proniùs crederetur? Opinor istud illud nec possibile putaretur. At contrà est, illud verissimum est. Vidit tota Roma, & Romæ totus orbis. Vicit fidem obtutus. Testes adhuc habemus Senecam, Dionem, Tranquillum, Plinium. In istâ commentatione animalium, non quod credibilius & probabilius videtur, statim est; sed quod patentius, illud credendum & probandum: quod sensus, non quod opinio recipit. Adeò experientiâ & sensu constat hęc doctrina, & ex hoc (quia non omnia omnes experiri & intueri possumus) fide certâ: nec enim incertius est Romam esse quam non vidisti, quàm oppidum vbi habitas.

CAPVT XVI.

Admiratio non debet obstare veritati in effectibus naturæ.

HÆc etiam contra incredulos iniecerim, qui asseuerantibus magna, aut miracula, aut prodigia naturæ, negant pertinaciter fidem, & eos qui scriptis mandarunt, vanitatis insimulant. Non tam magna enarrari continget, quàm sunt, quàm credis, quàm probasti multarum narrationum, quas in Horo, Plinio & Æliano fabulas putarunt, euentus, restaurauit auctoritatem aut ijsdem ostensis, aut similibus, aut maioribus. Nugas putabat Roma, quę de elephantibus iactabantur: tandem credidit, tandem vidit maiora relatis. Vidit bestiam & choraulem, & funambulam. Quis, antequam factum esset, possibile putaret, supra vnum animal ædificari turrem firmissimam, plures protegentem milites, in quâ machinæ multæ, &, pręter ductorem, triginta duo strenui viri, qui capacissimè pugnarent, inde iactantes (quemadmodum inueni in quadam epistolâ Arabicâ Aristotelis ad Alexandrum missâ) lapides machinis propulsandis, sagittas, tela venenata, missilia ardentia? Ad hæc, milites illi armati erant. Quis hoc probabile, quis credibile putaret, donęc patuit, donec veritatem euentus definiret? Adhuc, cùm nihil verius sit (ex sacrâ Machabæorum narratione id constat) multi vix credidêre, & assensum, quem negare ausi non sunt, excusare tentarunt interpretatione ludicrâ. Patentissima tamen sunt Scripturæ verba, & suffragantur Aristotelica quę vidi. At qui iam credit tot miracula, quot vires, quot mores sint rudis illius belluæ, quid iure discredidit veridico narratori? Quis, antequam videret, crederet, animal aliquod perpetuâ suspensione in aëre viuere, in vacuo coïre, in vacuo incubare, nidulari, pendulum dormire? iam fidem rei incredibilis manucodiata fecit. Itaque non probabilitate solùm standum est; nec omne, quod non est verisimile, putandum est falsum. Aliud est verisimile, aliud verum. Potest verum esse, quod vero non fuit simile. Fecit maiora natura, quàm ratio probare solet. In quo admiranda esset, si par esset præsumptioni humanæ? Ideò mirabilis, quia vltra opinionem ad pompam se ornauit: fidem gestit periclitari, maiestatem suam vultu mendacij sustentat, tandem fidem euentu superat. Si virtutes, calliditates, & astutias humanâ industriâ maiores de brutis legerimus, non obinde incredibile est: sed si ipsa attendas, mirabile; si auctorem, credibile. Multa admiran-

miranda ſunt, quia opera reſpicimus: ceſſaret admiratio, ſi operantem. Tranſibit nouitas in fidem, cum reſpectu auctoris. Diuina manus hæc molitur. Quædam vis ratione ſuperior, velut neruus ſigillaria, ad rationales agitat motus, ad maiores humanis. Quare non vultu, & primo aſpectu, veritas hîc exploranda, ſed cum computatione maieſtatis naturæ, poteſtatis Dei. Nec quidquid admirabile & inopinabile, illud ſuſpectum eſt: fortaſſe quod hic impoſſibile credit, ille factum vidit. Cùm in Academiâ Regiâ primo die de animalium hiſtoria dicerem, aliqua narraui admiranda ad maieſtatem naturæ, diſſerui inter alia, ſimias quaſdam apud Indos pecuniâ numeratâ ſoluere pretium vini in tabernâ, cuius narrationis ſerios laudaui Auctores: nihilominùs non credebant auditores. Cùm ecce inueni patronum idoneum: exijt teſtis oculatus, qui è nouo orbe aduenerat, & ſæpè id vidiſſe aſſeuerauit.

CAPVT XVII.

Quid de Deo demonſtretur ex naturâ animalium.

DEſiderabis fortaſſe aliquid ſenſu non iam certius, ſed ſublimius, nec intuitũ, ſed demonſtrationem, ad notitiæ huius decus. Certè, cum iniuriâ Mathematicarum ſcientiarũ, excellentiores hîc demonſtrationes inuenio, nõ minùs certas, nobiliores, vtiliores. Non concludit, omnẽ trianguli maiorem angulũ maiori laterisubtẽdi: non, trianguli internos angulos duobus rectis adęquari: non, iſoſcelium triangulorũ, qui ad baſim ſunt, angulos inter ſe eſſe æquales: non, æquiangulorum triangulorũ proportionalia eſſe latera: non, circulum quadrato pariari: non totum aſſumit maius eſſe ſuâ parte. Aſſumit minima, concludit id quod totum eſt. Concludit Deum eſſe, magnum eſſe, potentem, ſapientem, optimum, in ſummâ prouidum. O innocentiſſimam, ô felicem curioſitatem noſcendi Deum! Hîc paſſim occurſabit immutabilis, hîc patet inuiſibilis, hîc promulgatur arcanus. Quis, ſi ſtatuam ligneam aut ſigillaria moueri videret, & ſimulare humanos geſtus, non ſtatim diceret, humanâ aliquâ arte & vi latente moueri? Quis rationales, immò ſupra rationem, & conſilium, & naturam humanam, ratione carentium actiones contemplatus, non colliget, aliquam ſuperrationalem & ſupernaturalem vim exagitare?

CAPVT XVIII.

De induſtrijs animalium.

VIde formicæ induſtrias. Paruulum animal, maximæ prouidentiæ: cuius ſumma diligentia comparat in æſtate hibernam annonam. Conſtruit horrea, ſeruando quæ congeſſit: præcauet indurando ad Solis æſtũ, ne corrumpatur triticum, recondit mox ſiccatum. An ignorauit artem efficiendi ne vireſcant? Capitula granorum corrodit, quà virtus germinalis erumpit, cuius mutilatione infecunda ſunt. Quis hæc docuit? quomodo tot induſtrias excogitaret amens beſtiola, ſine mente aliquâ clandeſtinè dirigente? Miraris magnam induſtriam formicæ, quæ vincit neceſſitatem? adhuc mirare aliam, quæ vincit formicæ induſtriam. Aiotochtlus, ſolertis ingenij monſtrum, plurimùm delectatur his animalculis. Inuenit modum, quo ſine labore, immò cum quiete ſuâ illa venetur, vt in os concurrat præda. Cubat ſupinus in formicarum ſemitis, caudâ ſuper ventrem vſque ad os protenſâ, quæ cruſtata & rigens eſt; venter tamen longiuſculis & tenuiſſimis veſtitus pilis, incommodam viam formicis præſtat, quare per caudam procedentes, rectà incidunt in inſidias, & cibum deludenti hoſti vltrò miniſtrant. Quid ſolertius, quàm ita quærere prædam, vt ab ipsâ quæratur? Quid ſollicitius, quàm ſummo otio, quàm quieſcendo parare victũ? Quanta alijs animalibus calliditas ad prouentus vitæ, ad propulſanda pericula, ad medicandos morbos, ad educandos fœtus? Adijce, quòd hæc docta naſcantur ſupra humanam felicitatem, nos ſine longâ diſciplinâ rudiſſimi ſimus. Quis docuit leporem timere canem, & non ceruum, cùm deformior ſit? Quis pullum timere miluum, & non pauonem, cùm maior ſit? Quis ceruum admonuit, plus valere leuitate quã viribus? Quis leonem ad vſum vnguium inſtituit, equum calcium; vt ille fugâ ſibi conſulat, iſti armis, cùm maiora armamenta ſint cornua? Si ſapis, non caſu ita fieri dices. Bonaſus inutilibus pugnæ cornibus multiplici in ſe flexu recurrentibus, vt offenſione non vulneret, nouit, præſidium, quod frons negauit, aluum dediſſe. Cùm fugâ ſibi conſulit, proluuie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium iugerũ, cuius ardens contactus exurit inſequentes ignis inſtar. Quis aiotochtlo dixit (cuius nuper mentio admirabilis fuit) vires & arma validiora eſſe, proiectum ſui, atque defenſiua arma poſſe offenſiua reddere? Cruſtatis & duris laminis inſtructum hoc animal, cùm opprimitur, colligit ſe in globum, atque impetu

petu se conijciens, venatoris pectus validâ concussione dorsi durissimi, velut saxo proiecto contundit, compressoque exanimat spiritu. Quæ viribus destituuntur, solâ arte nouerunt defendi. Quid sagacius calliditate perdicis, quæ elusura conspectum aucupis, in sulco resupina se operit glebâ pedibus apprehensâ. Illud maximè mirandum, imbecilliora sagaciora esse, aut cautiora. Sæpè timor vel ars vires compensat. Istud iure Salomon Prou. 30, 24. miratus dixit: *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Lepusculus, plebs inualida, qui collocat in petrâ cubile suum. Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* In minimis maxima sunt quæ miremur. Altè de humilibus Tertullianus dicit lib. 1. aduersus Marcionem, c. 13: *Ad humilia deficiam. Vnus, opinor, de sepibus flosculus, non dico de pratis; vna cuiuslibet maris conchula, non dico de Rubro; vna tetraonis pennula taceo de pauo, sordidum artificem pronuntiabit tibi Creatorem? At cùm & animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industriâ ingenijs aut viribus ampliauit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate, secundùm Apostolum. Imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina: sustine, si potes, illas ipsas lectuli, & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt maiora, cùm tam modicis aut iuuaris aut læderis, vt nec in modicis despicias creatorem?* De pulice sic Augustinus ait Enarrat. in Psalm. 149. *Attendat charitas vestra. Quis disposuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Vnam bestiolam breuem, minutissimam considera, quam volueris. Si consideres ordinem membrorũ ipsius, & animationem vitæ quâ mouetur, pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat molestias, exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici quo sanguinem sugat? Quàm tenuis fistula est quâ sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expauescis in minimis, lauda magnum* Restituo me sagacitati ad tutelam vitæ, ne miraculum naturæ supprimam. Hoitzitziltototlus exigua auis est, sed incredibili prouidentiâ moritur victura. Proceras arbores quærit, vbi quo potest modo crucifigitur. Suspenditur enim & affigitur rostro per semestre, aut ieiuna, aut mortua, donec vitalis eius refloreat annona. In ligno putat se feliciter morituram, vnde resurrecturam. Documentum nobis est, astutè moriendi sæculo in arbore crucis, vnde immortales erimus, si mũdo crucifixione mortui. At, quæ maior sapientia, quàm quæ vincit fata? quæ artem reperit contra mortem nullius illusam astutiâ? Calliditas illius auiculæ postuma est; prænoscit se rediuiuam fore reuertente anno: scit interim securum adornare sepulchrum in pinorum cacumine, contextum denso frutice, vbi integra maneat sine condimento, vbi bestiæ non inueniant, vbi volucres carniuoræ non videant, vbi absconditam mortem seruet, in quâ seruatur sua abscondita vita.

CAPVT XIX.

De structurâ animalium.

SI structuram animaliũm, eorum munijs aptissimam & accommodam, attendas; supremum, potentissimũ, & sapientissimum artificem agnosces, qui potuit quidquid voluit, & voluit summo consilio. Quid poterat exoptare piscis ad natandum, auis ad volandum, ceruus ad currendum, leo ad dilacerandum, quod non habeant præstantius votis? Suo quodque animal donauit amictu opportuno naturæ. Volucres alleuiauit plumis; pisces expediuit squamis, ne plumis aut lanâ induti, grauarentur humore concepto. Armenta, quia sine hoc periculo, protexit pilis. Infirmiora testis muniuit, crustis armauit, conchis vallauit. Ad hæc, omnes istæ vestes & arma, coæua vitæ sunt: aut si deterenda & decidua, renouanda sine sartoris beneficio. Omnes pretereà specta artus, pro cuiusque indole & mole subtilissimè meditatos. Euidentissimè studiosam istam molitionem diuinæ sapientiæ ostendunt acitlus, & anas variegati capitis, quam Indi vocant yztactzon iaiauhqui, quibus inclinatio est natare, non incedere: ideò ijs concessa sunt admirandæ fabricæ crura, aptissima humori superando, & ad natationis dumtaxat vsum extremo adhærentia corpori. Monstra illa iudicares, si ignorares appetitum aquæ. Dicito, vbinam putabis peccasse naturam, & cum negligentiâ informe aut deforme aliquid operatam? Fortasse in simillimo monstris elephante? At summâ arte narem huius inertis aspectu belluæ machinata est. Animal hoc terrestre, & palustre: sæpè cibos ab humore petiturum erat; at quia, quatenus terrestre, respirationem diu continere est impotens, nec ab aquâ recessurum statim, propter nimiam molem; donatur prolixâ promuscide, vt mersum aquis eleuare ad contrahendum spiritum posset: veluti vrinatores instrumento flatorio vsi sunt, vt extrinsecus spiritum detraherent, quamdiu in profundo siderent. Quid sapientius, quàm

quod

quod homini ſapientia eſt, belluæ naturam eſſe? Quid elegantius, quàm quod homines velut inſtrumentum deſiderant, id elephanti membrum eſſe? Conueniunt ſibi animalium artus. Camelus prolixo gutture erigitur, conſentaneo proceritati corporis, vt ad paſcua demitti poſſet: at ne deforme & graue onus eſſet, ſi par moli corporeæ collum eſſet elephanti, loco illius flexilis & cartilaginoſa promuſcis tribuitur, quæ pro manu & calice eſſet cibum aut potum ſumpturo. Omne animal conſtat architecturâ aptiſſimâ indoli. Quot ſunt in tantâ varietate conſtructiones membrorum, tot miracula ſunt examinanti cauſas. Quotuſquiſque non demirabitur compoſitionem hacuatzini ſub vbera manticam ex ipsâ habentis cute, vt prolem editam ibi geſtet & mulceat vſque ad quaternos & quinos catulos. Meritò iſta miramur, immeritò, ſi minùs minora. Diuina ars æqualis eſt: eamdem manum tot diuerſa opera oſtendunt. Non minùs admirandum eſt, cur magnum caput taurus habeat, & paruum camelus in maiori corpore, & orbis piſciculus nullum; nam aut totus caput eſt, aut totus corpus. Cur dentes etiam cornutos elephas habeat, & cephalus nullos: cur cenotzquus collum docile circumuoluat, vt immoto corpore vndique proſpiciat, & hyænæ inflexile ſit: cur in pectore cor geſtent terreſtria, & aſellus marinus in ventre, & angues in capite: cur, cùm reliqua habeant illud dependente angulo, piſcibus ſit inuerſum: cur equus ſolipes, & bos fiſſipes, & elephas multifidus: cur aues in vniuerſum bipedes ſint, quædam quadrupedes, quædam apodes, & quædam diuerſipedes? Cauſæ harum & aliarum diuerſitatum ſapientiſſimæ ſunt. Super omnia mirabitur contemplator humanæ conſtitutionis oſſium, vertebrarum, ligamentorum, neruorum, muſculorum, cartilaginum, viſcerum, venarum, arteriarum ordinem, neceſſitatem, officia, atque mirandam alchimiæ artem, ad conuertendum in carnem viuam hominis, carnem pecorum mortuam quâ veſcimur. Tum artificioſas ſenſuum officinas, vt plus in oculo ſit quod mireris, quàm in cælo: ſed præ omnibus ſubtiliſſimam vnionem ſpiritus & materiæ, & vim illam traducendi corporea ſimulachra ſenſuum in mentem. Omnia tam rotunda, tam quadrata fabricata ſunt, vt non ſit quod adijcias, nec quod ſubducas. Tulliani ſermonis gloria fuit, nihil addi poſſe; Demoſthenici, nihil demi: plura tamen illi demi, huic addi poſſent. Neutrum admittunt naturæ opera. Voluit Momus emendare taurum, & ſub armos figere cornua, vt validiora eſſent. Improuide, & ſtultè: namque non tantùm oportuit arma fortia eſſe, ſed longiora, vt ſecuriùs & à longè cedatur. Maximum periculum capitis maximè ſeruandi, præſidium humerorum tauro fuiſſet. Anne tam conſultâ opera ſine conſilio facta? Summâ ſapientiâ digeſta ſunt, non à ſe: nemo ſui auctor eſt, ergo ab aliquâ ſummâ mente.

CAPVT XX.

Prouidentia Dei circa animalia. Agitur etiam de ocotochli aſtutiâ.

POſt animalium fabricam, adijce ſollicitam de ipſis curam. Singula ſui guſtus ſunt, ſuæ indolis. At cui defecit annona? Quotannis renouantur nemora, agri vireſcũt diuerſiſſimis herbis, fruticibus, arbuſtis, fructibus, ad quorumdam paſtum, aliorum pharmacum, aliorum exultationem. Longum hîc narrare, quantâ œconomiâ, quantâ copiâ, quot artibus parata ſint ſingulis accidentium morborum, & quotidiani, famis dico, remedia. Memorabo illud, vnde maximè & ipſa diuina mens & ipſius cura noſcitur, aſtutiam & charitatem ocotochli. Necat ceruos, & ieiunus ipſe conſcendit in proceram pinum, inde intento vlulatu conuocat epulatum alias feras minùs valentes & innocentiores: hæ ſtatim accurrunt conſciæ ſigni, acceptant conuiuiũ: demum, poſtquam omnes ſatiatæ ſunt prædâ alienâ, vltimus accedit eſurus ipſe ocotochlus. Peſtifera iſta beſtia eſt, & iniquiſſimi veneni; atque ne, ſi prior libet cadauera, contaminet, & quos vult habere conuiuas necet, ſuſtinet interim famem. ita prouiſum eſt vnius feræ charitate multis, aut inualidis, aut tardioribus ceruo. Ad tutelam cuiuſque vitæ quot inſtruxit modis, armis, robore, celeritate, timore, augurio, aſtutiâ. Aduerſus pericula, totum iſtum ſalutis apparatum vincentia, admonitione publicâ præſtruxit. Boiuningo, inuincibilis veneni beſtia, admonet tintinnabulo ſuo obuios. Priuata eſt tanta pernicies inſidijs, ne inſtructa ſilentio peſtis atrociùs depopularetur: ita ineuitabile virus ſe ipſum publicatione fecit irritum. Apud Bengalenſes eſt tabidiſſimi & implacabilis generis tigris: perſequitur omnes tam contumaci odio, vt nauigantes pænè per triginta leucas inſequatur, in obuia quæque trux & atrociſſima. Ad remedium periculi, anteambulonem habet ſocium aliud animal, quod intento latratu ſignificet vicinum malum. Non itaque tanta rerum prouiſio ſine curatore eſt. O quanta mens humana capit pignora diuinæ memoriæ, & dilectionis, atque ſollicitudinis ſui! curas enim amor metitur,

titur, cùm videat vulgus viuentium tam splendidè & sapienter curari, nec tantæ liberalitatis & consilij decens putat neglexisse Regem, cuius mancipia sic curat; oblitum fuisse charissimi filij, cùm sic pro seruis vigilauerit. Multis passeribus meliores sumus. Istâ demonstratione ipse nos Dominus gloriæ arguit, & docet, & solatur, cùm Matth. 6,25. ait: *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis?* O quanto animæ gaudio gestit, hæc audiens, hæc videns, ad ruborem nostrum! Stoicus aliquis sine huius fide ita exsultat. Quisquis es, iniquus æstimator sortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit Parens noster, quantò velociora assequamur, quàm nihil non mortale sit sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes: animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento peruium est, sideribus velociorem, quorum post multa sæcula futuros cursus antecedit. Ita benè æstimatâ naturæ indulgentiâ, confitearis necesse est, in delicijs te illi fuisse. Ita est, charissimos nos habuerunt Dij immortales, habentque.

CAPVT XXI.

Prouidentia circa homines per animalia.

AD hæc proximè cognoscimus ex ipsis brutis prouidentiam erga nos, cùm tot videamus subsidio vitæ seruire iumenta, armenta, greges, colendo terram, portando onera, sustentando vitam, protegendo corpus; alia valetudini, quotquot medicinalia sunt; alia delicijs, alia exemplo, alia societati, alia custodiæ, omnia admirationi. Iam hinc etiam æstima dignitatem tuam dignatione diuinâ, & quantus sis, cognosce è summis illis quæ dedit. A dominatione animalium, commendatam video ab ipso Deo maiestatem hominis, quem illis dominari voluit: cuius fidem & in communibus officijs experimur, & in raris aliquando obsequijs miramur, cùm maximè eximia virtus reuocauit pristinam reuerentiam. Quid dominantius homine, cuius gratiâ mori vltrò quærant famulantia animalia, non minori quàm Erycinæ hostiæ obsequio. Pisces constiterunt sine humoris impedimento, vt diuini viri Andreæ Ouiedi palato seruirent. Petro Canisio, sanctimoniâ & eruditione admirabili viro, cupienti, cùm langueret prostratâ appetitione, esum auiculæ, cum quæsita non reperiretur, vltrò venit ad manus per fenestram ingressa,

Illa ter, illa quater per inane cubile pererrans,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Iosepho Anchietæ aues adumbrato sole adulatæ sunt. Noui ego cuius prece res miranda nuper contigit, hoc nimirum anno millesimo sexcentesimo vigesimo octauo. Duo ex nostris iter fecerunt: amisit alter Breuiarium: voluit retrò ire quæsitum; vetuit socius, minimè dicens amittendum. cùm ecce post aliquot leucas occurrit canis rictu illud afferens. S. Xauerio effigiem Christi crucifixi, quam in mare sedandum miserat, cancer restituit. Hoc decus hominis concelebrauit Dauid Psalmo 8, 6, inquiens: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi; volucres cæli, & pisces maris.* Narraui solum aliqua animalium obsequia erga nonnullos sanctissimos viros nostræ Societatis; immensum esset si alios memorarem.

CAPVT XXII.

Quomodo ex rebus naturalibus philosophandum sit de diuinis.

ISTis itaque demonstrationibus elicitur, non tantùm quòd Deus sit, sed quantus sit, & quòd potentissimus, & sapiens, & optimus. Quemadmodũ summo Phydias artificio vultum suum infixit Mineruæ, vt priùs dissoluendum esset totum Diuæ simulachrum, quàm auctoris deleri posset effigies; ita diuina mens notam aliquam sui in omni naturâ subtilissimè impressit. Periti pictores ita ducunt extremas lineas, vt vltrà aliam innuant formę partem. Eodem modo excellentiores & supremas naturas demiror artefactas, vt vltra se aliam excellentiam, aliam naturâ superiorem naturam promittant. Non per se vult natura videri; sed in se, aut ex se auctorem ad tantum theatrum per tot spectacula introducit. Contemplator naturæ hoc primum in illâ videat, aliò nos remittere, & quasi gestu & digito innuere se maiora. Hoc primum in illâ placeat, quòd nolit in se placere. Quod ornatius, quod artificiosius in rebus est, est ista indicatio Numinis. Cur, qui admiratur naturam, non spectabit admirabilius? Imperitorum est, detineri in minoribus & paruis. Cùm Apelles prospectui populari suas tabulas obijceret,

ret, plebs optimos colores mirabatur, vestimentorum speciem, calceorum elegantiam, & quidquid primus aspectus dabat: at periti nutum aliquem viuidum, aut significationem affectus. Ita in pulcherrimis naturæ tabulis imperiti primam tantùm speciem osculantur, peritiores non nisi reconditum & arcanum gestum illum, & significationem, quâ tacitè Numen insinuat. Ceterùm licet in vniuersum omnia naturæ opera, argumenta diuinitatis sint; sunt etiam clara diuinæ mentis ænigmata, amentes naturæ. In hoc tamen atrio animata substantia non signa dumtaxat Dei locauit, sed sigillaria expressiùs & viuidiùs, quæ rationalibus gestibus arguunt ratione superiorem mentem. Quare cùm sit munus naturalis Philosophi; vt non ita illi placeat natura, quin placeat quod naturæ; oportet in hac præcipuâ parte eiusdem naturæ sequi gustum, & per feras venari Deum. Eustachius ceruum venatione insecutus, inter cornua feræ simulachrum Christi conspexit, ad immortalis vitæ prædam inuitantis. Non minùs in singulis animalium naturis effigiem quamdam diuinitatis conspicere possumus, tacitis ad se clamoribus auocantis. Deus sancto Iob maiestatem suam ex animalium proprietatibus arguit, ex prouisione ceruæ, leænæ, ibicum, onagri, rhinocerotis, struthionis, equi, accipitris, aquilæ indole & moribus ostendit. Tres sunt diuinitatis lineamenta: tres sunt radij inuisibilis luminis per creata translucentes, summa potentia, summa sapientia, summa bonitas: & hæc ipsa vbique pignora sunt prouidentiæ. Potentiam copia monstrat, sapientiam forma, bonitatem vsus. Ille potentior est, qui plura potest; prudentior, qui meliùs disposuit; melior, qui plus prodest. Quare diuersitas animalium, structura & vtilitas, suis constantem lucibus diuinam effigiem adumbrabant. His itaque consecro speculationibus totam hanc animalium doctrinam. Neque enim placet ignauiter philosophari, mechanicè, vt sic dixerim, compingendo solùm historias & mores animalium, velut paxillos aut lateres; sed considerando, & sublime aliquid exprimendo. Non est magnæ eruditionis, naturæ vultum videre, sed sensum agnoscere: tantum interest inter vnum & alterum philosophandi modum, quantum inter legere & intelligere. Nec iucundum, nec magna doctrina est, verba Latina legere, si non intelligas. Feminæ & pueri ea legunt dumtaxat, doctiores intelligunt. Prima Dei Scriptura, natura est: tot litteris, seu verbis, siue potiùs sententijs constat, quot formæ sunt. Parum erit, & ineruditi Physiologi, illas nudas spectare, sensu suo vacuas, & sine significatione. Ad hæc iucundior iste philosophandi modus est: sicut iucundius est Lectori, si intelligat, quàm si legat peregrinam & ignotam linguam. Adijce, quòd ad ipsius naturæ cognitionem iuuat. Velut enim qui intelligunt quæ legunt, meliùs, & expeditiùs, & veriùs legunt; sic qui cognoscit significationem & sensum naturæ, meliùs de ipsâ iudicabit. Multi Philosophi, quia naturam considerarunt sine suo significato, ignorarunt ipsam, & pluribus vituperandis erroribus peccarunt. Viderit Empedocles, qui tribuit plantis & brutis intellectum; & Aristoteles, qui æternam illam dixit; & alij, qui casu factam præsumpserunt: ridiculi, qui tantum consilium fortunæ donum putarunt. Prætereà, hanc præcipuam exceptionem curiositas obijcere potest, hunc solum scientiæ titulum præscribit. Plura sine suo vsu discere, plus quàm ignorare est, & inane, & futile, &, vt mihi placet, insulsum. Quis autem melior rerum vsus, quàm cognoscere Deum, mirari, laudare, continuis sacrificare hymnis, & in hoc mundano templo adorare? Qui expendit naturas cum interpretatione suâ, tot hymnos consecrabit Deo; quot formas demiratur, tot laudum sacrificijs honorificabit auctorem.

CAPVT XXIII.

Ratio huius Historiæ.

QVare non credo superfluum aut frustraneum istud opus ab omnibus videri, adhuc post tot exactos commentarios ex Græcis, Latinis, & barbaris; post diligentiam Aristotelis, curiositatem Æliani, studia Plinij, post anonymum Arabem & Elcarfini. Ex recentibus quoque accuratissimâ plurium doctissimorum Medicorum diligentiâ & vtilibus laboribus fruimur, opinionis præmio paribus, quos hæc Philosophia meritò occupauit, præripiendo istam gloriam alijs Philosophis & Theologis, ex quibus tamen Alberto Magno & Vincentio Burgundio aliquam laudem debet. Nec superuacanea æmulatio erit labor alterius Theologi. Caussabatur Ælianus, satisfacturus curiosis, se noua animalia facere impotentem; sat fuisse, ex priscis noua narrasse. Nolo ita excusari: vtrumque, vt spero, inuenies, & no-

ua animalia, & ex priſcis noua.

—— Πάντα γὰρ οὔπω
Ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν· ἀλλ᾽ ἔτι πολλὰ
Κέκρυπται, τῶν αἴ κε θέλῃ, καὶ ἐσαυτίκα δώσει
Ζεύς. ——

—— *Omnia nondum*
Ex Ioue mortales cognoſcimus; occulit ille
Plurima, dum libitum fuerit, quæ tradet. --

Iſtam Arati ſententiam euentus probauit. Numquam ita patuit natura, vt hodie. Tantùm dimidius vultus antiquis eſt viſus, & velut ex obliquo reſpectus; nunc integra facies, & ex directo oſtenditur. Cum nouo orbe noua ſpectacula exhibuit, & ſe aut alteram, aut diuerſam. Nemo integram hactenus contemplatus eſt. Quare neceſſarius labor erat, ditiorem aliquomodò hiſtoriam integrioris ſiue ſecundæ naturæ ordinare, vt nonnihil ſupplerentur pleniſſimæ aliorum narrationes, mutilæ tamen non leuibus ſui inſtituti membris.

Præmittam, ne iſte Tractatus acephalus ſit, aliqua ad notitiam gradus ſenſitiui ſpectantia, ab alijs Auctoribus neglecta, cùm pertineant maximè ad integram methodum huius Philoſophiæ. Laxo ſpatiari poſſem calamo, abſtineo tamen multis, ne morer in ijs quæ alij inculcarunt. Curabo noua diſſerere, aut nouè, & ſupplere aliqua prætermiſſa: non tamen omnia poſſum, nec promitto; ſat erit plura adijcere plurimis. Exordio itaque altiùs petito, in animalis definitione excludam ab hoc cenſu, quæ priſci ſenſu immò mente donarunt, maximè cælos, quorum naturam oportet perſpectam habere ad notitiam naturæ ſentientis, num aliquis gradus medius ſit inter nutritionem & ſenſationem, tum etiam ad cauſas & originem animalium definiendam. Hîc opus fuit parumper morari ab ipſis mundi natalitijs, quorum conſideratio iuuabit ad locupletiorem cognitionem naturæ, maximè gradus ſentiendi, nec leuiter ad animalium Indicorum narrationem. Ambiguum enim eſt, quo pacto poſt diluuium Noë genita in nouo illo orbe, qui velut deportatus, à commercio naturæ antiquæ aberat; num à cælo genita, num à terrâ & aquâ iteratò producta, repetitione primæ formationis, aut quâ aliâ viâ illuc tranſuecta.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV

HISTORIÆ NATVRÆ LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

De varietate animalium, & quid sit animal.



NVNC accedo ad propositum opus. Extollam in hoc Volumine anathêma diuinæ omnipotentiæ, per tot animalium formas & species ludenti: nec minùs se ostentanti ex diuersitate, quàm ex multitudine, cùm nostris maximè sæculis noua animalia inuenta, diuersissima à priscis sint. Amplitudinem tantæ virtutis libertas ostendit. Fecit Deus quantũ voluit, fecit quomodo voluit. Fortasse maius est fecisse ita differentia, quàm multa: nam plura fecit, dum eadẽ toties diuersa. Plures distinctiones sunt, quàm distincta; siquidem vnumquodque à cunctis multæ differentiæ discernunt. Ostendit diuina omnipotentia, postquã tot fecerit, posse fecisse plura; dum facta à pluribus distingui possent, cùm superent differentiæ facta. Nec aliter, quàm in ædificijs imperfectis extrema murorum, lapidum laterumque partibus denticulatim exertis inæqualia, ostendunt superesse adhuc continuandum illâ parte ædificium, atque ipsum posse artificem procedere: ita tot animalium miræ & innumeræ diuersitates, inexhaustam, post tantam multitudinem, diuinam potentiam monstrant, & multiplicare potuisse tam multa, & perficere tam perfecta. Ista enim indicatio aliorum operum non debetur imperfectioni factorum, vt in fabricis vsu venit: ex perfectione potiùs est. Tanta est consummatio diuinorum operum, vt vltra se commendent opificem, & fidem faciant ad plura, ad omnia. Faciet omnia, qui talia fecit: faciet quodcumque libeat, qui aliqua potuit facere quomodocumque libuit. Sed & istud maximum opus diuinæ omnipotentiæ puto, operibus limitatis potuisse ostendere se illimitatam.

Descendam ad singularia animalium difficilia, postquam ostendero, in quibus ipsa à non animalibus distent, & inter se conspirent. Quæ non sint animalia, decernet id quod animal est. Hoc nomine significo corpus animatum, sensu præditum. An aliquid animatum sit expers alicuius sensus, celebrior olim quæstio fuit & controuersa, fautoribus Stoicis negantibus vitam & animam stirpibus. Stoicis arrisit alicubi Tertullianus, & alij Patres; atque, vt videtur, diuinus Philosophus Moyses maximè fauit, auspicatus vitæ & animæ nomen in solis animalibus, neutrius mentione factâ in plantarum procreatione. Solùm in quarto die, sentienti primæ naturæ dicato, cœpit ista vox *anima viuens* audiri. Deinde etiam animalibus dumtaxat tributa. Fortasse aliquando ad hęc redibimus: nunc satis per sensum à plantis distinguentur animalia, neque abundat pro genere particula *corpus animatum*, propter reuerentiam eorum, qui plantas dicunt animatas, licet non animalia.

CAPVT II.

An mundus sit animal.

IAm discutiam, an animalia sint, quæ à pluribus hoc titulo aut infamantur, aut honorantur. Ridicula primùm narrabo potiùs quàm disputabo, indigna sunt deliberatione. Stoici iustitiam, fortitudinem, ceterasque virtutes, vitia, & affectus omnes, animalia dixerunt. Prô quanta animalium millia angustię nostri cordis caperent! Quis humanas libidines numerabit? Satis hoc reiecit Seneca, quamuis de Stoicâ disciplinâ meritus; nec in ridendâ disputatiunculâ detineri opus est. *Non enim tantùm*, inquit Epistolâ 113. *virtutes animalia erunt, si hoc recipitur; sed opposita quoque illis vitia, & affectus, tamquam ira, timor, luctus, suspicio. Vltrà res ista procedet. omnes sententiæ, omnes cogitationes animalia erunt: quod nullo modo recipiendum est. Non enim quidquid ab homine fit, homo est. Iustitia quid est? inquit. Animus quodammodò se habens. Itaque si animus animal est, & iustitia. Minimè, hæc enim habitus animi est, & quædam vis. Idem animus in varias figuras*

 con-

conuertitur, & non toties animal aliud est, quoties aliud facit: nec illud quod fit ab animo, animal est. Si iustitia animal est, si fortitudo, si ceteræ virtutes: vtrùm desinunt animalia esse subinde, ac rursus incipiunt, an semper sunt? Desinere virtutes non possunt: ergo multa animalia, imò innumerabilia in hoc animo versantur. Non sunt, inquit, multa: quia ex vno religata sunt, & partes vnius ac membra sunt. Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis est hydræ, multa habentis capita, quorum vnumquodque per se pugnet, per se noceat. Atqui nullum ex illis capitibus animal est, sed animalis caput: ceterùm ipsa vnum animal est. Nemo in Chimærâ leonem esse animal dixit aut draconem: hæ partes erant eius: partes non sunt animalia.

Delirium quoque Valentinianorum, sæcula constituentium animalia, maximi Ecclesiastici auctores refutarunt, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius. At solemnis antiquorum existimatio fuit, mundum animal esse. ita fere omnes probarunt prisci, nisi Democriti & Epicuri factio, qui inane & atomos introduxerunt; ijdem exanimem fecerunt mundum; neque prouidentiâ, sed naturâ, bruta administrari. At, qui prouidum Deum voluerunt, animal fecerunt, pro corpore appendentes vniuersum, cui inesset, quod viuificaret & regeret diuina mens, non aliter quàm mens humana corpusculum suum gubernat arcanâ præsentiquè virtute. Præsentiam illam Numinis singulis rebus intimam, sine animatione non capiebant. Hi diuinæ immensitatis priuilegium ignorantes aberrarunt. Si Deus aut mundus animal est, sensu præditus est. Sensus ad externa est: præter mundum nihil est. Præstereà, non quòd rebus insit Deus, eas eum putes animare, aut esse corpus diuinum. Animæ est, cum corpore & per corpus affici. Vulnerato tuo brachio, concutitur anima tua, dolet, gemit; alteratis spiritibus corrupto sanguine, exundanti bili languet, tristatur, deficit, imò desinit. Deus immutabilis est, indemnis. Turbentur maria, cælum parturiat fulmina, concutiantur vrbes, corrumpantur omnia; idem est, vnus, securus. Adijce, ex diuinâ præsentiâ, agitatione & gubernatione rerum non suaderi animationem; nam nec anima animæ est, nec spiritus alio informatur: at Deus non minùs assistit, non minùs intimus est, non minùs gubernat, sustinet, conseruat immediatè spiritus & animas nostras, quàm corpora. non informat illas, ergo nec ista. Plura Empiricus cogit contra animationem Dei. *Omne enim animal ex participatione sensus intelligitur animal. Si autem sentiunt, amarore afficiuntur & dulcedine; non enim per alium quidem sensum apprehendunt sensilia, & non etiam per gustum. Vnde eum à Deo amputare, aut vllum, vt semel dicam, sensum, est planè non probabile. Plures enim habens sensus, eis meliùs vtetur homo, cùm magis oporteat, vt dicebat Carneades, cum omnibus qui sunt quinque sensibus, alios quoque plures ei tribuere, vt possit res plures apprehendere; non autem quinque auferre. Dicendum est ergo, Deum habere aliquem gustum, & per eum apprehendere ea quæ sunt gustabilia: sed si per gustum apprehendit, etiam amarore afficitur & dulcedine. Dulcedine autem & amarore affectus, aliquibus delectabitur, & offendetur. Aliquibus autem offensus, erit etiam capax molestiæ & mutationis in deterius. quod si ita est, in eum quoque cadit interitus. Quamobrem si sunt dij, in eos cadit interitus, non sunt ergo dij. Et si est quidem Deus, est animal. Si est animal, sentit etiam; animal enim à non animali non aliquo alio differt, quàm eo quod est sentire. Si autem sentit, & audit, & videt & odoratur, & tangit. Quod si ita est, sunt quædam in imo quoque sensu quæ ipsum sibi familiaritate coniungunt & alienant: vt in visu quidem, quæ cum eo habent symmetriam ac proportionem, & non aliter; in auditu autem voces modulatæ ac numerosæ, & non quæ aliter se habent: similiter autem in alijs quoque sensibus. Quod si ita est, sunt quædam Deo molesta: & si sunt aliqua Deo molesta, existit Deus in mutatione ad id quod est deterius; quamobrem existit etiã in interitu.* Hactenus Empiricus.

CAPVT III.

An Angeli, plantæ & elementa sint animalia.

ITaque licet suprema illa mens rebus insit, non tamen animat diuinitate suâ. Plato præter communem animationem mundi introduxit quatuor genera immortalium animalium: vnum cęlestium, his corpus agglutinauit igneum & rotundum; alterum volucre & aëri-vagum, tertium aquatile, vltimum terrenum, terrâ ipsa victitans. Ista disceptatio, An dæmones & Angeli corporei sint, licet quondam valida & frequens, iam antiquata est. Puros spiritus agnoscimus & credimus. Empedoclem inter delirantes accenseo: non solùm animalia plantas disseruit, sed intellectu eas exornauit. Fuerunt qui elementa etiam animata dixerunt, in quibus Olympiodorus Platonicus; & Origenes insuper & Ægyptij per sexus distinxerunt. Aërem marem iudicarunt, quà ventus est; feminã, quà nebulosus & iners. Aquam virilem vocarunt mare, muliebrem omnem aliam. Ignem dixerunt masculum, quà ardet flammâ; & feminam, quà lucet innoxius

tactu.

tactu. Terram fortiorem marem appellarunt, saxa, cautesque; femineum sexum putarunt istam partutientem segetes, & tractabilem ad culturam. At, quid mirum animalia? & rationalia dicerent, quæ deos adorarunt. Orpheus terram infarcijt Plutone & Proserpinâ viuificantibus; aquam Oceano & Tethide, aërem Ioue & Iunone, ignem Phanete & Aurorâ. Vt taceam, quantum illi licuisset in sublimium animabus coniuganti Eribromum, Perichthonium, Amphietum, Sebasium, Bassareum, Trietericum, Lysium, Silenum, Bacchum, totidem Pieridum sponsos.

CAPVT IV.

An cæli sint animalia.

CEterùm Aristoteles imis istis, & commixtis intra sphæram lunarem naturis, negauit spiritum aliquem inesse. Noluit vniuersum per omnes suas partes animatum, neque sensu, neque mente, neque ratione præditum, neque à prouidentiâ temperatum. Cælestibus quidem hæc omnia adesse, quòd orbibus contineantur animatis, & animalibus; ordinem autem terrestribus per accidens, non per se, aut caussâ antegressâ, contingere. Plausibilior ista animatio cælorum fuit, quam omnes, Philosophi saltem, acceptarunt, nisi, vt nuper memini, aliquis Epicurus, aut Democritus; & tenacius Anaxagoras, qui quòd mallet exanimari quàm animare cælos, ei contradicens occisus fuit. Theophrastus autem Philosophi nomē denegauit neganti cælis animam. Hebræos in eadem existimatione cum Peripateticis & Platonicis censuisse, Calcidius adhuc ethnicus scribit. Cabalistæ lineâ suam viridem, siue vltimâ suam Midah, siue Cheter Elion, animam cæli crediderunt, si credimus Archangelo Burgonouensi. Primis Ecclesię Patribus problema fuisse, Pamphilus Martyr testatur: nam & Origenes defendit, Ambrosius sequitur, Augustinus aliquando dubitat, Hieronymus constanter non horruit. Tatianus non propterea notatur. Plus quàm quingentis annis disceptatum liberè, vsque ad vniuersalem Quintam Synodum earum quæ Constantinopoli coactæ sunt, Secundam Agapeti & Iustiniani æuo, quæ censurâ ita Origenistas perculit: *Si quis dicit, cælum, & Solem, & Lunam, & stellas, & aquas quæ supra cælos sunt, animatas quasdam esse & materiales virtutes, anathema sit* quamuis & pridem Irenæus atque Epiphanius idem in Marcosijs damnarint. Scholastici tamen ignari Constantinopolitani Canonis (excidit enim à Concilij cetero Volumine, sed inuenies apud Nicephorum lib. 17. suæ Historiæ) adhuc liberè disputarunt, dubitarunt. S. Thomas ad fidem non pertinere scripsit, nec improbauit Aduersus gentiles: benignus enim fuit Aristoteli, cuius reuerentiâ nonnulla aut asseruit, aut tolerauit. Fortassis si aliqua minùs certa tantus vir disseruit aliquando, culpa Aristoteles fuit; siue quia ipse errauit, siue quia interpretes è Græco errarunt. Sub S. Thomæ statim mortem, & paulò ante, Parisienses in suis Articulis damnarunt Aristotelicæ opinionis tutores: nihilominùs sub nostrum sæculum Paulus Ricius fastidiosè disseruit, & asseruit. Verùm quidam errores felicissimi sunt, quia quadam cæcâ reuerentiâ antiquitatis coluntur: multos sustentat sui originis obliuio, hæc vetustati debetur. Maximos assertores cælorum animatio obtinuit, sed peccantes Philosophicis principijs. Inspiciamus auspicia huius opinionis, inueniemus errorem: satis hoc refutationi, quid certum ex errore præsumes? Immò inueniemus errores, adde nostræ Fidei palàm aduersos. Cælos prisci animatos statuerunt, quia Deos putarunt, & ipsum summum Deum, magnum quoddam animal; contrà Hebræi Deos crediderunt, quia animatos. Deleuit Iosias adolentes incensum Soli, Lunæ, duodecim signis, & omni militiæ cæli, quam anteà Reges & Israël & Iuda adorauerunt, præsertim Manasses, dedicatione ararum in ipso templo Dei. Vtriusque Regni exitium ista superstitio meruit. Et apud Ieremiam placenta & libamina oblata sunt Reginæ cęli, Lunæ puta. Itaque & filia & mater idololatriæ hæc præsumptio fuit, nec Christianis pepercit. Manichæi idem cum ethnicis & Hebræis reputantes, eadem superstitione puniti sunt. Ignari autem Philosophi immensitatis Dei, vbi prouidentiam posuerunt, animam diuinam addiderunt; quasi iners diuinitas sine mole fuisset. Aristoteles præsertim astutè confixit cælos accommodatissimos mendacio suo de æternitate mundi; ideò & incorruptibiles dixit, & sublimis alicuius essentiæ, & credidit animalia immortalia. At cuius tandē suggestio fuerit, non modò error, sed superstitio, aut infidelitas: qualem expectabis veritatem? Ignorantia immensitatis diuinæ, & præsumptio æternitatis mundanæ, cælos necessariò animatos & incorruptibiles introduxerunt. Sorores istæ opiniones sunt, nihil tamen verum aliqua vanitas cogit. Deinde, veneratio quædam Peripateticæ doctrinæ, cælorum animationem, parum necessariam visam, transtulit ad assistentiam Intelligentiarum, incorruptionem sustentauit. Istud, quia sine vllo inconuenienti videbatur; illud, quia sine magno, atque etiam

vt cum honore desereretur. In hac parte Aristoteles. Mitius gubernacula cælorum per Intelligentias interpretati sunt, Albertus Magnus, æquiuocas permittens quasdam animas; & D.Thomas, vtique etiam Magnus, assistentes sufficiens mentes. Auctor libri de Causis vtrasque coniugauit. Sed & Trallianus & formam motricem, & Intelligentiam assistentem. Minor sanè debebatur reuerentia opinioni tantâ perfidiâ genitæ, ad cuius assertionem solus error impulit. Ablegato errore, animatio mentium necessaria non est, quare nec assistentia. Da Deum prouidum, da immensum, & tolle astris animam, exæquabis terræ, campis; omnia ex æquo sine animatione diuinus vigor agitabit.

—— Cælum, & terram, camposq́ue liquentes,
Lucentemq́ue globum Lunæ, Titaniaq́ue astra,
Spiritus intus alit, totamq́ue infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Miscet quidem, sed immixtus; sibi vtique seque subsistens, nullâ corporis affectus contagione, nec commercio. Anne Deo contracta est Luna-tenus dominatio naturæ, quâ sua cuique rei committit officia propria? Saxa sine ductore, sine assistente, sine animante spiritu, sciunt viam terræ, & ipsam quærunt sine errore dilapsa. Quando ignis sublime iter ignorauit, etiam sine intellectu, aut insidente, aut comitante? Flumina mare repetunt sine pædagogo, prata flores pingunt, distinguunt colores; arbores circulant poma & fructus, animalia migrationes suas disponunt, astutias moliuntur; & tamen amentia sunt ista, illa inanima. Tot miranda inferior natura sine magistro facit, cur terris rudiores fingimus cælos? O ignauissimam molem, si se verti nescit, cùm sciat apicula volare etiam onerata, sciat laborare, ordinare fauos, occupare nectare! Cur, si terrestribus munia sua & motus sunt natura, cælis non erit? Non. totum occuparunt Deum terrestria, superest diuinitatis etiam in cælos ipsos sine vicario alio quàm naturâ. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Nempe ex æquo terræ cælique procurationem agnouit Eliu. Anne non parêret diuinæ potentiæ spontanea volubilitas cæli? si paret, si potest fieri, cur non factum est? Vnde colligimus contrarium? Quid aliud fuisset, si cæli vltrò & intimâ inclinatione mouerentur, quemadmodum omnis natura mouetur?

CAPVT V.

De motione cælorum.

NEscio quid causari possis, nisi ordinem vniuersi, vt superiora per inferiora regantur, & connexionem superioris & imi mundi. Vtique naturæ superiores gubernent inferiora, sed habeant inferiora suas naturas. At quàm egregias dabimus cælis, si se concitare non est, quod vel calculus pendens habebit? Planè ex se torpidam naturam & otiosam largimur. Satis superiora administrant, ista inferiora dum curant, dum custodiunt singulos homines, dum conseruant singulas species rerum, de quo alibi disserui. Satis in hoc connexio mundorum constabit sensibilis & intellectualis. Sin minus, respice hominem: nodus est vniuersæ substantiæ, nexus vtriusque mundi. Non opus est animabus cælestibus, nec Intelligentijs, vt sint vicariæ naturarum; sed Intelligentijs solùm vt prospiciant naturis, non vt sint; non vt suppleant, sed vt seruent, contineant.

Dices, tantam cælorum molem sine valentissimâ vi alicuius editissimæ & supermundialis essentiæ citari non posse. Controuersum est de cęlorum naturâ & excursu. Demus nunc cęlos omnino, quales feruntur, solidissimos, incorruptibiles, & omni suâ mole & parte circummouendos; nihil facilius esset moueri, nihil habilius iactatui. Nam qui cælos incorruptibiles prædicant, non dicent graues. Ista qualitas rerum pereuntium & imarum est. Si graues non sunt, quid resistet propellenti? At vbi nullam vides resistentiam, cur ingentes & penè diuinas vires pręparas? Anne credes fatigationem, vbi nullus labor est? Labor non est, vbi non est difficultas: difficultas non est, vbi nec renisus. Ad hæc, nulla pronior, nulla facilior commotio, quàm circularis, & corporis penduli & volubilis. Non inuenitur in spatio eius cursus, quòd peruadenti resistat; nam totum interuallum corpus peruadens occupat, nec extrà it. Perinde sine impedimento, ac si per inane excurreret, vbi motus sine magno impulsu maximus erit, & citissimus libero campo. Adijce, quòd hæc corpora circularia suspensa non conuoluuntur ijsdem penitus lineis orbicularibus; nec tam exactè, vt omnino & ad infallibilem amussim in eodem spatio gyrentur, quin tantisper varient: quapropter verberatione circumflui aëris morantur, tum & ipsâ grauitate suâ. Nullum istorum obstaculum in cælis est: non enim variantur, nec minimùm è sui præscriptione situs; non grauitant. Quid ergo obstat facilitati motus? Itaque duplici capite cæli con-

concitatio sine multâ vi, sine fatigatione erit; & quia sine impedimento, & quia sine grauitate, id est, sine intrinseco, nec extrinseco renisu. Quid restat? moles illa ingens? Da duplo maiorem magnitudinem, non dico sine grauitate, sed cum minore quàm formicæ sit. Da, non dico in vacuo, sed in expedito: vna formica mouebit. Quid refert infinita moles sit, si sine vllo pondere? Adhuc amplius censeo, licet exordio sui motus extrinseca excitatio cælestibus necessaria fuisset, at semel incitatum primum mobile irrequietè moueretur, vt posset iam dormire sua illa Intelligentia; functa esset officio. Videmus rotas aliquas in pendulo, si tantisper semel contingas, diu ipsas solas volui, licet grauescant, donec domet grauitas naturalis impulsum. At cælestem globum nulla grauitas sistet, nullum in se impedimentum habet, nulla ei repugnabit inclinatio naturæ. Etenim nemo passiuâ habilitatem & promptitudinem motionis sideribus negauit: quare non inuenies causam quietis, si semel dederis motus. Perpetua commotio erit, si aliquando.

CAPVT VI.

Non sunt duo motus in cælis.

Contrarij cælorum motus impossibiles videntur: ne istud obtendas ad vanitatem animarum cælestium, aut necessitatem Intelligentiarum. Nullum corpus simplex binas motiones excipit diuersas; aliud enim est, moueri à duobus impulsibus contrarijs; aliud, per duos contrarios motus. Hoc tam arduum est, quàm simul in duobus esse locis. Nullum corpus nisi vnum locum parare sibi potest, nullum nisi in vno loco esse. Motus localis quid est, nisi comparatio loci noui? Quare vt distinguantur motus, loci distinguendi sunt. Nullum corpus simul potest habere simul distinctos locos, ergo nec distinctos motus.

Dices, eiusdem loci diuersas acquisitiones posse esse. Fateor, si à diuersis locis discedat mobile: at vt discedat à diuersis locis, quod necessarium est diuersis conquisitionibus loci, deberet fuisse in diuersis. Hoc impossibile est, fuisse aliquando simul in diuersis locis: ergo impossibilis est duplex consecutio eiusdem loci. Vnde distingues istas acquisitiones, si ab vno eodem loco proficiscaris in alium eumdem locum. Cùm ijsdem omnino terminis, à quo processit moles, & in quem accessit, non possunt motus diuersi esse. Benè autem potest idem motus à diuersis causis fieri, imò contrarijs. Tunc solùm fiet, vt vnus motus sit attemperatior. Concurrentibus enim oppositis impulsibus, fiet vt motus diuersus sit, quàm si ab alterutro solùm, non quòd duplex. Ita qui in naui dilabente progreditur, non dupliciter mouetur, sed diuersè quàm si in solido & arido. Vectio nauis, & progressio hominis, efficit vt diuersè locum acquirat, quàm si solùm veheretur, aut solùm progrederetur; sed re ipsâ vnus tantùm motus est. Adijce, quòd licet contrarias motiones, nisi oppositi impetus non agent. At vt impetum imprimat vnum corpus alij, non sufficit societas & vicinitas, id est contiguitas; sed impulsione, sed occursu est opus. Nulla moles alteram impellere valet, quin se etiam eôdem versus impellat, & illò nonnihil pergat quò pellit. Ergo pellens, vt impellat alterum, sedem mutare debet, siue tueri. Hoc addiderim propter repercussionem fortasse, cùm paries cæsus reddit pilam: at prima impulsio minimè est, quin seipsum impellens illorsum mutet. Quis autem dixit, cælum vltimum mutare situm? Mutaret & mundus. Solùm circularis motio in eodem omnino spatio conceditur sphæris. Ergo cùm necesse sit, vt qui concitat impulsu suo alium, mutet item spatium, cælum extremum alios non impellet; non enim discedit vel tantillum è suâ sede in eodem immobile spatio commotum. Adhuc ex naturâ impulsionis istud expediam. Omnis ratio impulsûs inter corpora, contentio locorum est: nemo impellit, quin occurrat. Penetratio impossibilis moli, facit vt valentior infirmiorem iactet è loco suo, vt ipsa occupet. Ergo si vnum cælum pellit alterum, sedem alterius appetit, aut partem sedis. At vnumquodque contentum non negabis suâ sede, ergo alijs nullum infensum erit, nullum inquietabit aliud. Incommodum exemplum iactatur nauis inuehentis homines, & rotæ conuoluentis formicam insidentem: nam & hîc impulsio est, & quædam rixa locorum. Grauitat homo super nauim, formica super rotam: imprimit homo grauitate suâ naui impulsum, nauis impedit resistentibus item aquis, & tutatur locum suum, in ipsumque hominem etiam repellit. Hinc fit vt mutuo impetu & renisu cohærentibus conuehat hominem nauis.

CAPVT VII.

Primum mobile non potest rapere inferiores orbes.

At cæli non onerosi sunt, non grauitant vnum super alterum, non se vicissim aut deprimunt, aut expellunt; ideò nulla sphæra rapax aliarum est. Finge totam cælorum molem quieuisse: anne dices, vnum orbem

orbem grauitate intra aut supra alterum? An vnus tunc impelleret alium? Non affirmabis. Ponito nauem consistentem: anne dices, hominem incumbentem non esse grauem illi, nec depellere suo pondere, ipsamque nauim non resistere homini sustentantem eius onus? Nequaquam, si velis philosophari: ergo ex differentiâ quietis collige discrimen motus. Tum si in illâ cælorum pausâ solùm prima Intelligentia extremum propulsaret orbem, nequaquam ceteros contentos post se conuolueret; tantùm enim adhærent, non inhærent. Quin si in ipsâ naui aliquid esset quod tantùm adhæreret illi, nec deprimeret aliquo onere, sed suspensum omnino esset. Istud profectò non conferret nauis commotione suâ: relinqueret, vt erat, in se subsistens, in se sublatum, quamuis contiguum. Ideò licet aër attiguus tabulis, non vehitur. Hoc palàm videbis in corporibus ad latus nauigij iacentibus. licet ista contingat, non vectat, quia non est contentio, vel renisus. Adhærent, non incumbunt. Quid amplius in cælis inuenies, vbi nullum subsistit in alio, nullum reclinatur, omnes in se sustentati, omnes in se subleuati. Si per interualla distarent orbes, nullus vicissim corriperet post se alterum, quia non se offenderent. Quid ergo refert, sint vicini, sint commissi, si neque tunc se offendent?

CAPVT VIII.

De Intelligentijs cælorum.

ATque vt occludam omnes exitus, obuiàm vndequaque ibo; & causantem, animas aut Intelligentias necessarias esse non tam ad motionem cælorum, quantum ad directionem; & ordinatissimos illos atque infallibiles errores Planetarum, illas mirabiles choreas, sine consilio aliquo non fieri, rogabo, vnde colligat istud: ex necessitate illarum, quia non discedunt Solemnibus excursibus, quia non fortuitò vagentur? Hincne vaticinaris voluntarias esse, à vi aliquâ liberâ, informante aut dirigente? Nescio cur, quia non sunt fortuiti, colligas potiùs voluntarios, quàm necessarios. Constantiùs excludit contingētiam necessitas, quàm voluntas. Quare tanta necessitas sine animâ, sine monitore veniet. Quidni? Adhuc, inquis, necessitatem ordinatissimam & sapientissimam esse, quare non sine mente? Vtique non sine mente, sed diuinâ, quemadmodum & arbor dirimit folia sua, & flores ordinatè pingit, & fructus denique format, atque animalia callent suas astutias. Hæc omnia sine coadiutore, sine vicario molitur diuinæ mentis spiritus. Ij autem qui incuruantur coram Deo, qui portant orbem apud Iobum, *coadiutores superbi* sunt iuxta Hebræos, nempe elati tumidique homines; hi tandem incuruantur, cùm dispersérit Deus superbos mente cordis sui: iuxta Chaldæos, *adiutores* sunt fortes viri, potentes, & robusti. Principes quoque & Reges aptè intelliges; immò, si libet, Angelos præsidentes rerum speciebus, & hominum tutores. Nam Intelligentias impulcrices non est opus intelligere. Cælos enim satis gubernabit diuina voluntas, vt placet Alpetragio, & Alberto Magno, & post hanc suâ formâ, vt alter Albertus de Saxoniâ censuit, & Ioannes Maior, cum nonnullis ex antiquis Theologis, quos S. Bonauentura memorauit. Quare non est Theologorum consensus, assistere Intelligentias cælis: ex Patribus nemo illas collocauit globis supernis, vt rotarent illos, vt alibi dissero, & locupletiùs in Libro vltimo nostræ curiosæ Philosophiæ.

CAPVT IX.

Censura de opinantibus cælos animalia esse.

CEterùm, his non irritantibus, mite iudicium de animatione cælorum tulerunt multi, & cum Fidei veniâ & pace. Ego seuerè ius dicam. Puto istam opinionem oppidò alienam doctrinæ & Religioni nostræ. An, quæso, mentes illorum corporum Deo fruuntur? an in viâ sunt ad delinquendum habiles? an in iudicio Christi comparebunt vasti illi rei? Tum si fruitura Deo sunt, anne transmittenda in empyreū erunt? Cur IESVS, qui omnia nobis nota fecit velut amicis, de istis conciuibus nostris tacuit? An pro illis mortuus fuit? Cur de illis siluit Moyses, qui tanto apparatu, & occupatione diuinâ, humanam conditionem descripsit? Cæli enim, si animalia sunt ratione prædita, homine nobiliores sunt, nec transcursim & perfunctoriè enarratio originis eorum debuit contemni. Cur in secundo & quarto die perfectæ perfectiores creaturæ, cùm processus ab imperfectioribus fuerit? An nobilissima ista corpora propter hominem ignobiliorem sunt? nónne rationabilius esset, ignobilem homuncionem propter ipsa? Ad hæc, si Dei conspectu fruuntur, quid fecerunt cur deterantur demum, dissoluantur, adurantur in fine sæculi? corpora beatarum animarum, & quæ semper innocentes fuerunt, tam pessimè habenda non sunt. At pericula damnant istam opinionem, plurimarum hæresum matricem. Viderint Menandriani, Carpocratiani, Simo-

Simoniani, Cerinthiani, Archontici, de suis Principibus mundi potestatibus. Ad hæc, quàm obnoxia superstitioni est licentia Aureoli, cælos permittentis adorari duliâ?

CAPVT X.

Excluditur illa animalium differentia, Aliud mortale, aliud immortale.

FOrtasse vltra propositum imus. Non omnino, credo. Instituti nostri est, dirimere animalium naturas per veras differentias; ad hoc & discutiendæ sunt falsæ. Primam & summam intrusit superstitio, *Animal aliud mortale, aliud immortale*. Inde, propter cælestium animarum discrimen, adiectum à nonnullis in naturæ humanæ definitione proprium mortalitatis. Homo, inquiunt, est animal rationale mortale. Abundat extrema vox. Nullum animal est, quod mortale non sit: siquidem cæli animalia non sunt. Atque vt omni latere inuadamus Peripateticos, & superuacuam ostendamus istam differentiam, dixero, nec immortales esse cælos, non formæ incorruptibilis; quantò minùs animationis æternæ? Ista quoque appendix necessaria erat, cùm nuper cælorum communes commotiones impossibiles ostenderimus, vt aliquod expediamus iter sideribus. Namque cum incorruptibilitate aut soliditate cælorum constare sui motus nequeunt, licet in magnâ firmitate, quam meritò ridet diuinus Basilius, qui, non obstante summâ tanti viri modestiâ, dixit, esse puerilis simplicisque profectò mentis, tales de corporibus cælestibus opiniones habere. Equidem malo philosophari cum Basilio & alijs Patribus, ex Scripturâ doctus veriorem Philosophiam, quàm cum Aristotele, è cerebro suo multa suo capitali errori de æternitate mundi accommodante. Fateor in rebus naturalibus, moralibus, & dialecticis summam huius viri auctoritatem, summum acumen: in his quæ diuiniora sunt, hebetior fuit, & hæc suos surculos emisere. Maximè autem obseruandum est in Auctoribus, in quibus palàm errarunt, vt caueamus non solùm manifestò errata, sed plura alia inde tamquam colonias deducta. Vnus error multos consequentes habet. Radices dogmatum maximè expendendæ sunt, vt eas probemus. Quemadmodum locaturus filiam, scrutatur genus & prosapiam sponsi: sic nulli dogmati tradenda est mens nostra, si non sit ingenuæ originis.

CAPVT XI.

An cæli solidi sint.

FEcimus manifestum, binas & contrarias cælorum reuolutiones ipsis cælis repugnare: ampliabo nunc, & adhuc negabo, simplices stellarũ excursiones possibiles esse, incorruptâ cæli firmitate, quam satis perfringit ortus & motus nouorum luminum. Cometas supra Lunam gigni & moueri, non in aëre, Seneca propugnat. Plinius noua sidera in cęlo nasci fatetur. Hipparchus nonnumquam visam stellam inter fixa sidera, obseruauit. Proclus alium Cometam supra Iouem, Albumasar supra Venerem, in vniuersum Democritus, Artemidorus, Anaxagoras, Æschylus, Hippocrates Chius, Apollonius, Myndius, Cometas in ipsis cælis, aut indigenas faciunt, aut hospites; illinc enim fulgent. Chaldæi, vt Myndius ipsorum discipulus testatur, in censu errantium stellarum ponunt. Nostris sæculis tres nouas luces, Cassiopæia, Serpentarius & Cygnus iactarunt. Cometam anni 1577. in cælo fuisse, demonstrarunt Cornelius Gemma, Guilielmus Princeps Hassiæ, Hagecius, Tycho Brahe, Mæstlinus. Idem iste iudicium tulit de Cometâ anni 1580. quem Lunâ eminentiorem manifestò ostendit. Nuper anno 1618. aliqui cælestes quoque sunt visi: palàm id fecit noster Cysatus. Idem de Cometis anno 1585. & 1590. Tycho Brahe monstrauit. Certè tot nouis monstris cælum inuiolatum non erit, tot hospitum incursionibus integrum non erit; maximè cùm extraordinarijs propriæ motionis periodis istæ nouæ luces interdum ferantur. Cysatus suum Cometam eleuari obseruabit. Vbi ista via accliuis in cælo solido patuit? An perforauit? an penetrauit? Tot iam sunt in cælis receptæ peregrinæ luces, vt frequentia neget miracula: & credo, si par copia & diligentia instrumentorum antiquis fuisset, par intelligentia parallaxeos; ferè omnia accidentia lumina super Lunam notarent. Ad hæc, quantum miraculum foret, noua ista sidera pergere rumpendo aut penetrando cælos? Monstra, quæ in terrâ apparet, aut ex vuluâ femineâ, aut aliunde, fortasse nonnulla miracula sunt, sed nullius motus miraculosus fuit. At Cometarum, si cælum firmum incorruptibiliter est, & ipsorum substantia, & quæuis progressio miraculosa erit. Adijce, quòd videatur peti, vt inquiunt, principium, cùm miracula dicuntur. Cur, rogo, sunt miracula? Quia cælum, dices, firmum & incorruptibile est? Hoc nego. Vides quomodo id causeris, cui repugno. Planè nullum tam patens

patens argumentum est solidæ incorruptibilitatis cælestis, vt ista luminum temporalium capacitas ad eam refutandam, & religio philosophica non prodigendi miracula. Alij iniuriam visûs hoc putarunt, pro diuersitate mediorum ad interuallum mentientis longiùs illas luces: sed idem de stellis constantibus dici posset, æquè distantes aut vicinæ viderentur ac Cometæ. Tum & ipsa confixa astra, nunc edita, nunc ima videremus: at semper ex eodem situ arrident terris. Sed indulgeo hæc, & inaudita miracula permitto. Nunc communes notissimorum Planetarum excursus miracula dices: at errones, si cæli duri sunt, suisque veris & distinctis sphæris separati, & incommunicabiles, absque dubio rumpunt orbes, aut penetrant. Namque per spatium solari sphæræ deputatum Venus & Mercurius exultant, currunt, discurrunt, descendunt, ascendunt, transmeant; quod sine fractione aut penetratione orbiũ non fiet. Hos ascensus & præcipitia istorum Planetarum, præterquam quòd recenter obseruata diligentissimè sint doctissimis cælorum contemplatoribus, reperio etiam in antiquis. Inualuit communis existimatio, solem in quarto orbe esse. Cur? quia notati fuerunt Mercurius & Venus sub Solem iacuisse. Hunc demissum situm obtinebant, cùm obseruarent Auctores istius placiti. Atqui Aristoteles Solem dixit secundo cælo præesse. Cur? quia eosdem Planetas Mercurium & Venerem supra ipsum conspexit. scilicet cùm illos obseruauit, editiorem sedem acquisierant: ergo transmigrant sphæram Solis, cùm nunc suprà nunc infrà renideant. Martianus Capella diligentiùs ista speculatus, vtrosque vidit elatiores & demissiores Sole, quem elegantissimè collegit circumdari erronum choreis, atque istos Planetas iam subire, iam imminere; iam sequi, iam præcurrere Solem; iam in eadem, iam in minori, iam in maiori altitudine tripudiantes. Omitto alia corpuscula vaga, & stellulas errantes per notorum Planetarum districtũ: nam & circum Saturnum & Iouem aliquæ, circum Solem plures tripudiant stellulæ, & choreas ducunt. Omitto etiam alia phænomena paria aut sublimiora Lunæ excursu, quę recentes Astronomi obseruarunt. Tantùm transscribam quæ ad me misit Ioannes Baptista Cisatus, diligentis industrię & iudicij Astronomus. In quadam è Barcinone epistolâ anno 1628. ita me docet: *Et quidem in eclipsi nuperâ solari, quæ fuit ipso die Natali Christi, obseruaui clarè in Lunâ Soli suppositâ quidpiã, quod valdè probat id ipsum quod Cometæ quoque & maculæ solares vrgent, nempe cælũ non esse à tenuitate & variationibus aëris exemptum. Nam circũ Lunam aduerti esse sphæram seu orbem quemdam vaporosum, non secùs atque circum terram; adeoq; sicut ex terrâ in aliquam vsque sphæram vapores & exhalationes expirant, ita quoque ex Lunâ. Si R. vestra mecum fuisset, atque Lunam sub Sole inspexisset, demonstrassem R. vestræ & ratione, & ad oculum, id quod dico; nunc ego quidem scio.* Itaque cæli non constãt incorruptâ densitate. Planè si cum Patribus pluribus ab Scripturâ doceri volumus, & nuper cum S. Eustathio Antiocheno recèns edito, ab Isaiâ cap. 51, 6. audio: Οὐρανὸς ὡς καπνὸς ἐστερεώθη, *Cælũ sicut fumus firmatum est.* Non itaque maior firmitas cęlestis quàm fumi est, ánne incorruptio maior erit? Non est necesse putare; nam cæli sicut fumus liquescent. Tenuissima, purissima, & obsequens substantia erat necessaria procursioni & excursioni, & tanto ascensui descensuique errantium stellarũ. Nam epicycli insufficientes & impossibiles sunt: maiores & grossiores suâ sphærâ debebant esse. Canalibus quoq; excauatis Philosophia repugnat, non minùs quã vacuo inuiso naturæ. Quare non aliter Planetarum Cometarumque vagationes expediri possent, quàm in peruio & dissipando incursibus spatio. Miror quàm sibi consona sit veritas, quàm consentanea Scriptura sacra accuratę rationi, & veræ Philosophiæ. Quot, quæso, pressit Philosophos difficultatibus tot cælorum distinctio per solidos globos? omnes vno verbo diluit Isaias dilutione cælorũ, cuius materiæ docilitatem & subtilitatem egregiè fumi imagine repræsentauit. Opinor, vt tantâ celeritate vasti illi siderum globi commodiùs prolabãtur, omnium tenuissima materia necessaria erat. Ad hęc contrarietas diuersorum discursuum hac liquidâ viâ liquidò vtique compones: non multiplex, non diuersus motus in cęlis re ipsâ est, sed aspectui nostro. Hoc optimè cõuenit, si velut spiratim sidera dicas moueri. Cùm namque per spiras circumducantur, non à puncto in punctum idem, sed in proximum, nunc elatiùs, nunc humiliùs, & viciniùs occidenti, ideò videntur habere proprios quosdam motus, quibus accedant & recedãt; nec opus est violẽtiâ & raptu valentiorũ orbium.

CAPVT XII.

Tres solùm sunt cæli.

QVid? inquies. Dissoluimus cælorum classes, & numerũ. Vnde, rogo, ista cęlorum multitudo? Non ex fonte veritatis, non ex Scripturâ, in quâ, cum Empyreo cęlo ad quod elatus Paulus, ad summum tres cælos agnosco. Addere plures, cõtra sacras Litteras putant Chrysostomus, Theodoretus, Ambro-

Ambrosius, Basilius, & Clemens Romanus ex sensu S. Petri confirmat. Si enim pro siderum motibus diuersis, pro errantiũ stellarum numero, definiendi orbes essent; oportebat liberaliùs Basilide agere, trecentos sexaginta quinq; cęlos prodigere. Sunt multa in æthere errantia lumina, licet, quia minoris molis, cõmuni aspectu inuisa. Quid, quæso, si plures essent cæli, Paulus ageret in cęlo Veneris? ad quid illuc eleuatus fuisset? aut quid illic videret, nisi immanem & vastam molem? aut vbi esset in solido & occupato loco, si fortè cum corpore euectus fuerit? spiritus nihil illic ampliùs ageret, quã in terrâ; corpus ibi non caperetur sine penetratione. Quid ibi curiosiùs videret? vnam solam stellã, quam è terrâ noctu videmus? Hinc etiã patet concordia Scripturæ & Philosophiæ accuratioris, minuentium numerum cælorum re ipsâ, quamuis doctrinæ gratiâ cõfingi possint plures circuli. Noua ista videbuntur. Sed videris an vera: nam noua minimè sunt, sed renouata. non alia sapientia antiquior, quàm sacra. Ad hæc, & Patribus multis & Philosophis nonnullis firmata. Pluribus, opinor, difficultatibus laborat naturæ consideratio, quia sacras obseruationes minùs curamus in Philosophiâ, quàm Aristotelicas; & quadam proteruiâ quęrimus interpretamenta conspicuis Scripturę verbis, ne interpretemur Aristotelis obscura. Quid clariùs & sępiùs debuit dicere Scriptura, quàm aquas super cælos esse? tum plurimi Patres id dictant, palàm id confirmant: nihilominùs quærũtur diuerticula, & interpretationes alienæ à Scripturâ & ratione. Atqui numerũ cælorum impatienter fert Chrysostomus post notitiam Scripturarum sanctarum. Pænè iratus ait Homil. 4. in Genesim: *Quis igitur post tantam doctrinam ferret eos, qui ex suo capite loqui, & contra diuinam Scripturam multos cælos dicere audent?* Nec mitior Theodoretus Quæst. 12. in Genesim inquit: *Adhærere fabulis, postpositâ diuini Spiritus doctrinâ.*

CAPVT XIII.

An cæli corruptibiles sint.

REdeo ad corruptibilitatem cęli, & quæro, Quid inde capitibus nostris imminet? Nullum Plato inuenit periculum, nullum Empedocles, Epicurus, Leucippus, non timuerunt ruinam magnam. Anaxagoras, tametsi vidit aut putauit fragmen sideris ex sublimi lapsum, non expauit, tutum se adhuc putauit: nos cur timebimus, cùm sciamus verbo Domini cælos firmatos esse, & spiritu oris eius omnem virtutẽ eorum? Cùm noscamus, ordinatione Dei perseuerare diem. Ante timemus defecturam terram quam calcamus, aquam per quam velificamur, aërem quo recreamur? Ista corruptibilia sunt, & punctum, cæli comparatione; & tamen tutò currimus in sicco, nauigamus in fluido, nec putamus peritura elementa simplicia: cur timebimus defectum cæli, toties mole suâ excedentis sublunaria, potentis validè resistere? Incorruptus manebit, licet corruptibilis, vsquequò Deus velit omnia dissoluere & reficere. Aurum ex elemẽtis constat, & æruginem nescit; adamas paruulus est, & non cedit malleo; fragiles dentes, & resistunt ignibus; an nesciuit Deus cęlos constantes & resistentes facere, vt repugnẽt aduersarijs omnibus, & vincant ignes, ictus, putredinem? O quàm ridiculi sumus, cùm sciamus Fide nostrâ, corrumpendos cælos, si adhuc incorruptibiles faciamus! Multi Philosophi, numquam corrumpendos putãtes, adhuc corruptibiles dixerunt. Deus nihil frustrà agit; cur fabricaret orbes incorruptibiles, si corrupturus erat? Quid miraris, corruptibiles esse cælos, & non corrumpi? Licet quidẽ mirari, ad hoc vtique factos. Hoc inter Dei mirabilia sancto viro Iob proponitur. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Scilicet hoc miratu dignũ. Perinde subtilissimum, æthera continere integrum, securũ, ac si solidissimus & æreus foret. Potest Deus firmare tenuia: inde & firmamenti nomen cælis inditum, quia verbo & potentiâ Dei firmati. Non vtique firmi ex se sunt, sed firmati. Propterea Isaias euaporati fumi similitudinem cum firmitate coniungit. *Cælum*, ait, *tamquam fumus firmatum est.* Hoc pacto etiã, qui cælos alioqui solidos & duros putant, hunc locũ accipiunt; nisi quòd, cùm suæ cęlorum densitati non quadret, referant ad ventos & aërem. Maximè quoque considerandum est ad tenuitatem cęlorum, mentio suæ fabricę, per expansionem & extensionem in sacris designatæ Litteris, in Latinis sæpè, in originalibus Hebræis sæpiùs. Ne ex proposito recedamus loco, illud *fabricatus es cælos*, in Hebraicis est, *expandisti*; & illud *fusi*, *extensi*. Subtilitas & extenuatio extensione consit, densitas contractione. Quod etiam septuaginta στερέωμα, vulgatus *firmamentum*, Moyses רָקִיעַ *rakiah* dixit, id est, expãsionem seu extensionem, Interpres vertit *firmamentum*, quia hoc nomine notius Latinis pro cælo. Ideò Deus dicitur extendisse cælos, quia extenuauit materiam ex quâ fecit, siue ignis fuerit, siue, vt multis placet, humor; quem tamen, licet ita sit, non nego in suâ formâ vniuersum conuoluere. Aptissima ista tunica & membrana erit, quã Leucippus & Democritus circumtendebant mundo. Nec Empedocles nec Plato absurdum iudicarunt,

carunt, elementum aliquod supra cælos circúscribere omnia. Aptiores aquæ erant contegendo vniuerso; nam & copia & densitas requirebatur huic officio. Maior múdi massa, aquę fuerunt per abyssú exaggeratæ: & Thales propterea valentissimum elementú iuxta sacras Litteras vocauit, & ex ijs pleraque esse facta. Tum conueniés spissitudo, incommunicabile nostro aspectui empyrei cæli iubar, commodè reddit. Iuxta alios, qui solidos cælos amãt, acutissima est consideratio Ferdinandi de Salazar, ideò causantis necessitatem supercælestium aquarú, vt mollis aliqua & fluxa materia è transmundanâ illâ regione impetum extremi globi non detineret, quemadmodum sublunaris materies pertenuis substernitur sphæræ primæ. Sed istam commodam alioqui Philosophiam, ac duritiam cælestem eodem ictu contudimus.

CAPVT XIV.

An sint violentæ aquæ super cælos.

AT num aquæ istæ supercælestes violétæ sint, an per miraculum suspendantur, alienæ disputationis est. Breui dicam, quod fortè ridebis, si non expendas; breuitas expiabit digressionis culpam. Semel opinor, elatas sine miraculo contineri. In primis, si gelatas credas, sine quæstione est: tum si in gyrum concitari diceremus, minimè cadent; nam & lebetes humore plenos, celeriter sursum & deorsum circumactos, videmus non diffundi. Pręterea non putamus miraculum, quòd nubes suspendantur. Adhęc, tantâ proportione & æqualitate libratæ sunt in purissimâ & pacatissimâ illâ regione, adeò vndique qualitatibus similibus attemperatæ, vt in se velut in fornice contineantur: nam non est maior ratio, cur hinc aut illinc exordiantur dilabi. Omnes autem simul & vno vndique impetu nequeunt; relinquerét enim vacuum suum locú. Non esset elementú, nec aptum corpus, quod occuparet sedem illam: materia enim empyrei cæli iam est extra iurisdictionem naturæ, nec eius ritus colit. Vnde cùm materia non sit quæ succedat, consistút. Materia autem inferior, aut ætheris, aut alia quęquis, vt illuc insurgeret, oppressâ defluxione aquarum, iam supponeret aquas loco discessisse, quare & vacuú. Ausim hinc iam dicere, sponte quadam, & cum naturæ gustu, illuc aquas suspendi: nam & subeunt sine violétiâ per fistulam attracto spiritu, impedituræ vacuum. Si ascensus non violentus est, nec statio sua erit. Adijce super omnia diuinam voluntatem & potentiam: id omnibus rebus natura erit, quod Deus vult esse.

CAPVT XV.

Reijciuntur, qui Planetas & Cometas putarunt animalia.

CEterùm animalia cælos esse, bifariàm intellexerunt Antiqui. Quidã omnem cęlestem molem rebantur informari animâ; alij sidera dumtaxat, maximè errones (præsertim qui hos putarunt, vt Empedocles aliquis, cælo solutos, non, prout multi iudicarunt, vt luces firmamenti, alligatas siue consertas sphæræ) crediderút & sensu, & mente, imò diuinitate præditos, nisi quòd alimoniâ indigos, vesci humore. Ridiculè ista Cleanthes. Tam insanis corporibus quæ annona sufficeret? Oceanus, putauit Stoicus, missis in altum vaporibus. Certè licet mille Oceani expirarent euaporati, ieiuna tot & tam vastissima corpora fuissent. Plura sunt sidera quàm vides, quæ & victui & sensationi citatissimus cursus inepta redderet. Quare quorum natura tam properans est, sensus fuisset sine vsu, fames sine saginâ. Menté ijs abesse, in communi cum cælo causâ vindicauimus. Tum non erat, cur alligaretur sarcinę ineptæ sensui. Quid corpori insensato mens prodesset? aut quid stupidú corpus menti ignoraturæ sensibilia, cuius cognitionis gratiâ posset colligari corpori? Ad progressus suos statos & certos opus non erat; sufficit ad hoc minor suggestus, naturæ innatâ & propriâ aliquâ qualitate: determinato & certo impetu exstimulari possent ad commotionem circularem. Nec deficit vigor, nec ars diuinæ menti, excogitandi aliquã vim appetentem circuitûs. Quemadmodum grauitas ad motus deorsum agitat, leuitas ad sublimes, impulsus ad obliquos, & omnes differentias iactationú; ita potest esse aliquis impetus, nec ad sublimia, nec ad ima, sed veluti ad latera vniuersi; qui cùm rotundus sit, in circulationes præcipitaret. Hoc vtique & potest esse, & fortasse maximè expediebat ad consummationem, & absolutam mundi integritatem. Certè admirationi potissimùm seruiet, contemplari, sidera soluta palari per certissimas ordinatissimasque periodos, aptissimis exultabunda choreis, laudantia Creatorem, gratulantia maximæ eius potentiæ & sapientiæ. Mihi istud mirabilius est, & ad maiorem maiestaté diuinitatis, quàm si alligata alicui sphæræ voluerentur, aut aliâ vi peregrinâ & intelligenti. Cometæ non magis digni sunt mente, quorú causa non melior quàm stellarum ad summum erit: namque in æthere vidétur in territorio, vt sic dixerim, siderum, non quòd ibi aliquid facilè putem denuò generari, sed apparere, quodammodò enim

cælum incorruptibile vocare potes, vt cedrum, vt setim, vt aurum. Prô! quanta moles vaporum, quanta vis exhalationũ tantis corporibus opus erat! licet Oceanus totus surgeret euaporatus, licet terra omnis in halitus alleuiaretur, non satis materiam ministrarent. Non itaque nimis errarunt Democritus & Anaxagoras, qui Cometas dixerunt coapparentiam errantium stellarum, cùm, propterea quòd propè veniant, videantur se tangere. Nicephorus scribit, visam nouam stellam, ad quã, velut apes ad ducem suum, ingens aliarum stellarum vis aggregabatur. Dion quoque prodit, sidus per multos dies conspectum ab Vrbe, in multas dissolutum partes. Democritus experientiâ doctus obseruauit, apparuisse, dissolutis Cometis, stellas quasdam: sunt namque plura corpuscula lucida, seu stellulæ in cælo inuisæ hactenus, tum fixæ tum erraticæ. Ipse nonnullas per tubum specularem conspexi; & in Pleiadibus videbit aliquas, qui velit, si commodum sit instrumentum. Quin in vnicâ stellâ nebulosâ Cancri spectantur per tubum quini stellularum tumuli, ex nubilo constantes lumine, aliquot intermicãtibus stellis. Est quædam stellarum congeries sub vltimam iugulæ, vbi angustissimo campo coaceruantur, interque ipsas stellulas, & circumcircà, candidũ affusum lumen, albæ instar nubis. Paulò supra sagittam Sagittarij globus etiam nubeus est, intermixtis stellulis. Erratica quoque corpuscula conijciuntur è maculis quibusdam Solis, quas primus obseruauit noster Christophorus Scheiner, quæ variantur, & contemplanti patebunt, oppositâ chartâ radijs solaribus, per foramen aliquod impingentibus in cubiculo aliâ orbo luce. Hęc itaque aut alia corpuscula lucida, quæ seorsim non videntur, confluentia splendent. Coactum ex pluribus lumen, fortius vibratur: proprijs enim illata motibus, & in varias certis vijs progredientia partes, cùm accidit coire, vnius corporis effingunt lumen. Quemadmodũ cùm Planeta aliquis cum alio Planetâ coniungitur, aut cum aliquo fixo sidere, ita confunduntur radij, vt vnius stellæ schema proponant. Atqui eâdẽ causâ, quâ coëunt Cometæ, dissipantur, diffluentibus eisdem corpusculis quæ confluxerant. Cumque ista corpuscula, non nimis vnita, & parua, sint lumine quodammodò confuso, non semper splendorem & claritatem exæquant notarum stellarũ. His stellulis constare Cometem, diligẽtissimè obseruauit noster Cysatus. Vidit per tubos opticos, per multos dies, Cometem, ex ijs qui anno 1618. apparuerũt, constare minimis stellis, nũc coactiùs distributis, nunc laxiùs, nunc paucioribus & maioribus, nunc pluribus & minimis. Coma & cauda Cometarum non est flamma, non incendium: transmissio fortasse est radiorum Solis eâ formâ & figurâ per illa corpuscula non nimis vnita, eodem pænè ritu, quo per foramen aliquod, aut lentem vitri cõuexam, radiosâ illucent pyramide in conclaue, aut per diuersas nubes porrigitur illuminosus tractus; quemadmodum cùm aquam bibi à Sole dicitur, aut virgas cælestes contorqueri, aut ignea cælo tela vibrari. Adiuuit fortasse refractio & reflexio ex tam varijs corpusculis, & sufficient ad varias Cometarum species, crinitorum, barbatorum, caudatorum. Cur autem extremitas incuruari interdum videatur, ex aliquibus theorematibus & axiomatibus Euclidis responderi posset: ampliùs in his morari, institutum opus negat.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De gradu sensitiuæ substantiæ.



OPORTVIT cælestium corporum dignitatem solertiùs discutere ad sentientis substantiæ dignitatē & speculationem, ne minorem dicamus maximâ cæli mole, tum ne præcipuam reuerentiam originis illis debeat. Sunt qui ex cælorum siderúmve animatione, causas plurimarum bestiolarum supernè deducant; & à cælis gigni, quidquid non à patre. Hoc si cæli spiritu præstarent, ad expeditionem huius controuersiæ non minimum conduceret: nam in inquisitione originis animantium orphanorum (sic dixerim, quæ sine semine è terrâ videmus exposita) impunè id imputaremus vniuersali & excellentiori causæ, vbi pro naturæ ritibus effectus non nobilior origine esset. Iam cùm cælorum maiestatem temperauerimus, negato animo, restituitur eadem difficultas, vnde trahant natalitia isti spurij naturæ fœtus, qui, si cælos adhuc amentes Gentiles agnoscunt, ipsis cedere videbantur. Huic quæstioni dedicabimus suas moras; priùs tamen animalium dignitas vindicanda est, deinde ad causæ vestigationem surgemus, & plures sentientium naturarum origines scrutabimur.

Animalium dos & fons suæ gloriæ, sensus est. Quędam intellectionis vmbra in hominibus vmbraculũ etiam. Nihil adit mentem, nisi per sensus. Quantum igitur præstent animalia, cetero naturæ vulgo pronum est conijcere, ex quo sibi dormienti quisque vigil præstet. Tota natura simulachrum quoddam est, siue potiùs ænigma diuinitatis: quæ cùm simplicissima sit, per minutissimas digeritur particulas, vt capax nostrę materialitatis fieret. Quemadmodum excellentes Magistri alta animi sensa, vt rudes percipiant, mille explicant modis, & per partes, cùm vna sit animi conceptio: sic Deus, vt suam magnitudinem nostrę accommodaret paruitati, diuisit seorsim perfectiones suas. Quasi cum methodo edocet, vt per minima ad magna scanderemus; vt miraremur illum, qui cùm tot sit, simplex est; cùm tam innumera, vnus. Qui hebętioris & infirmi obtutûs sunt, si repentè ad magnam claritatem prodeant, nihil vident; oportet paulatim progredi. Sunt diuini luminis temperati radij, nec totus splendor vbique effusus; vsque ad minima extenuata est infinitudo. Ima linea, materia informis est: inde si insurgamus, simplicia corpora sunt, mox meteora, deinde metalla, posteà lapides, classis ista inanimis est. Altiùs deinde surgit ad viuida & interna officiosa vigore; stirpes sunt ista, herbæ, frutices, arbores. Tertia deinde cohors apprehendentium, & iam expergefactæ vitalitatis, bestiæ sunt, volucres, pisces. Quartus ordo ratiocinantium est; hunc solum occupat maiestas humana. Quintus, proximusque diuinis, intellectualium est mentium. Itaque sentiens substantia media est, velutque diaphragma naturæ, cuius inter imas partes & supremas dirimit. In cunctis gradibus aliqua Numinis effigies sculpitur. Hæc lex Dei, operum speculum aliquod sui esse. Inaugurata istum ritum fuit æterna processio,

—— quem Cælitis alma Parentis
Mens habet vnigenam, quem Numine fœta perenni
Aeternùm paritura parit, fingitq; tuendo.
Scilicet in se aciem dum colligit, & sua cernit
Ora Pater, sat nota sibi, sat prompta videri,
Et propriā visu faciem pulcherrimus haurit,
Nec sese aspectu cessat lustrare profundo.

Simili gestit tenore diuinitas, vt quæcumque producit, præstent specimina originis. Idem est, facere aliquid, ac se pingere, se videre. Recreatur scilicet repetitâ vmbrâ, & velut commemoratione geniti Verbi: hæc grata reprę-sentatio obstetricatur omnipotentiæ. At vbi primùm perspicacitatis suæ lineamenta duxit, sensus est, qui iam quędam apostasia est materiæ, & gestus quidam mentis: summi enim intelligibilitatis apicis, quæ character est, & decus diuinæ naturæ, è tanto fastigio excurrit vmbra vsque ad apprehensiuam vim.

vim. Neque minimâ transscripsit in animalibus iconem Dei, siquidem immensitatis libertas mouendi. Quocumque habiles sunt progredi, vbique adesse. Quid amplius? Trinitatis in his cœpit auspicari simulachrum. Procreatio filiorum diuinam progeniem memorat. Progressus, & proles pluribus negatur, sentire solũ commune est: nulli abest aliqua imago diuinę vigiliæ. Titulum itaque primum suæ naturæ sensum habent.

CAPVT II.

Quot sensus insint animalibus.

EXordior iam demirari potentiã Dei, in eo ipso, quod commune est animalibus, quantum discriminet. Quot priuatos census ex publico ærario distribuit? Omnia quidem sentiunt, non omnia omnibus sensibus. Quædam solùm quatuor, quædam tribus, quædam duobus, quædam vnico. Nullibi, quàm hîc, patentiùs monstratur, species esse sicut numeros, & ascẽsiones naturæ. Variato numero sensuum, variantur formæ, & surgit naturalis perfectio. Tactus solùm omnibus fidus est: alij absunt nõ paucis. Gustus quoque suspectus; fortasse aliquibus se negat. Talpa visu caret: effectu concedunt omnes, non potentiâ. At, cur, si vsum perpetuò damnauit natura, facultatẽ prodigeret? In Indiâ tamen genus talparum duplex: orbũ vnum, vt nostri; aliud oculatum: tucan iste dicitur, tametsi languenti hebes visu, & sub lucem irrito. Hoc sensu pariter & auditu carẽt, quæ testis includuntur: superuacuus esset obtutus & auditus ijs, quę desidiâ & tenebris perpetui carceris damnantur. Dati hi sensus ad pręuidendas iniurias, tuendumq; corpus: satis his prouisum innatis munimẽtis. Cum ijs accenseo marinas vrticas, pulmones, lepores, priapos, soles, stellas, echinos magno otio torpentes. De his duobus extremis & nonnullis vrticis adhuc disquiri posset, ne intuitione priuemus: è loco enim mouentur; verùm cæcorum more vagantur huc & illuc improuido incursu. pręterquam dissectio litem diremit. In aquatilibus mulcta visûs & auditûs eadem est: qui cęci sunt, sunt & surdi. Non ita in terrestribus, potiùs vnius sensus dispendium altero reparatur. Talpæ liquidiùs audiunt. Quod imputãt aliqui balęnis, mutilas oculis esse, non ita accidit: non est peccatum naturæ cæcitas illa, sed gulæ. Plurimas ignorantias appendices abdomen habet; nimia pinguedo solet occludere oculos bestiæ, cui indulgentissima prouidentia præparauit pisciculum qui præduceret illam, alioqui

—— Ruit in rupes, amisso pisce sodali,
Bellua, sulcandas qui prænius edocet vndas,
Immensumq́, pecus paruo moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdere monstrum.

Sunt quæ tertio quoque sensu, vt tethya, glandes, & alia, mulctari videntur: quibus enim alimentum præstò est, & sincera, & absque delectu gula, odoratus superfluit, qui ciborum interpres & explorator est. quare quæ humore contenta sunt, & in ipso contenta, spiritu dignoscendi vestigandiq; escas non egent, pręter gustationem. Gustum potissimè fratrem tactûs iudicant plerique, &, velut geminos, neutrum sine socio reperiri. Et licet nemo sit, qui palàm alterum negarit cui alterutrum indulserit, non sine probabili coniectione dirimeretur in spongijs, quas in animalium censu Aristoteles & Plinius conscribunt: hæ tactu pollebunt, non gustu. nullum tamen est tactione mutilum, quia sensus iste communior est, & ceterorum pauimentum seu basis.

CAPVT III.

An sit gradus medius inter animalia & stirpes.

ITaque gradus sentientis naturæ in suos quoque distributus est gradulos. Quædam animalia pluribus & præstantioribus ditata sunt sensibus, quædam paucioribus & hebetioribus contẽta. Scilicet per contextum natura assurgit paulatim, & sine saltu, velut cõtinuâ procedit tramâ, lento mitique conspatiatur tenore. Nullus hiatus est, nulla fractio, nulla dispersio formarum: inuicem connexæ sunt, velut anulus anulo. Aurea ista catena complectitur vniuersum. Ergo quemadmodum in ipso sentientium gradu suus processus est, sui noduli inter se sunt, tum & alius nexus qui copulet sentientem naturam cum spirituali; ita oportebat fibulam esse inter plantas & sentiẽtia. Istud erit, si verè aliquid planta sit, & verè sentiens: quemadmodum homo nexus est inter animalia & Intelligentias, quia verè animal est, & verè intelligit. Hæc fibula stirpium cum sensu, spongia videtur esse, quæ cum plantarum formâ sensum tuetur. Rondeletius restitit palàm Plinio adornanti spongias sensu, Aristotelem maiori reuerentiâ coluit; nihilominùs interpretamento illusit. Ego nec Rondeletio nec Plinio hærebo, persecutus fortasse Aristotelicam censuram circa spongias, quibus sensum aliquem expediã, dum illas modo dicto in naturarum confinio statuo. Non enim se refutauit Aristoteles: dixit spongias sentire, allegatione etiam communis suffragij, & coniecturâ experientiaque id comprobans; nam vbi auulsorem sensere,

contractæ multò difficiliùs abstrahuntur. idem faciunt flatu vrgente, & vndabundo Neptuno, ne sede suâ excidant. Alibi tamen pronuntiat, omnino plantis similes esse. Iam in similitudine istâ differentiam aliquam fatetur, in quo Rondeletium perculit: namque si meræ plantæ essent, non diceret similes plantis, sed plantas. Quercus non est similis arboribus, sed arbor: nihil amplius dicit quercus quàm arbor; imò minus, dum sub illius significatu penitus concluditur. Itaque iuxta Aristotelem aliquid amplius habent spongię quàm stirpes. quid nisi sensum hunc ipse fassus est? Ad hæc ipse Aristoteles ait, genus vniuersum eorum quæ testâ integuntur, plantæ simile esse: at quis dicet plantas esse, cùm gustent? Dixit itaque cautiùs non plantas, sed similes illis, nimirum respectu gradientium. Ita spongiæ, non plantæ omnino sunt, sed similes plantis, respectu etiam gustantium.

Rogas, Cur addidisse, omnino similes? Quia omnino carent gustu, quia omnino aluntur plantarum ritu. Quòd autem agnouerit Aristoteles diuersas quodammodò à plantis, contextus initij octaui Libri exponit: nam locutus de lento & insensibili processu naturæ ab inanimis ad animata, deinde ad animalia; excusatâ consideratione de plantis, occupatur in sentientibus, quæ minimum sensum haberent, & maximâ cognationem cum stirpibus; inter quæ in spongias incidit. Ceterùm cùm tantâ similitudinem agnoscat, palàm à Plinio dissidet, tribuente spongijs exquisitiorem gulam: ali putat conchis, pisce, limo. Vterque fortasse in Aristotelem peccauit: Rondeletius, quia negauit tactum spongijs; Plinius, quia indulsit gustum, quas dumtaxat limo nutriri, velut stirpes, Philosophus concessit, ob natiuam adhæsionem. Quod autem Rondeletius obiecit, nulla viscera, nullos neruos, nulla apta organa illis reperta; hoc tantùm Plinium grauat, non si dixeris, gustu carere quemadmodum frutices: tactus enim parcus sensus est, sine magno apparatu, sine multo artificio, in homogeneis est: nec stirpes, vt gliscant, abdomine nec stomacho egent. Ceterùm ad illud quod adiecit Aristoteli Plinius, cruoris succum inhærere petris, tolerari potest refutatio Rondeletij, illum humorem non sanguinem spongiarum esse, sed externum potiùs nutrimentum: quamuis, vt ego puto, non ita est, sed ex interno succo. Oppianus tradit, à spongijs euulsis distillare saniem: quæ si spongiatoris fortè naribus adhæreat, sæpissimè hominem suffocat. Sed hoc parum est, vt viscus illis concedamus, nam multis herbis resectis, lac, & humor alius defluit.

Sed infeliciùs adhuc laborauit idem Rondeletius in Aristotelicâ commentatione. In primis ait, non ex mente suâ Aristotelem scripsisse, spongias sentire, sed narrasse alienum vulgi placitum, cùm adiecerit, *vt aiunt.* Mihi non est dubium, Aristotelem sententiam suam tulisse, & confirmasse. Bis clarissimè pronuntiauit sentire spongias, semel deinde supponit. Quòd autem addiderit, *vt aiunt*, non ad sententiam circa spongiarum sensum refert, sed ad alias narrationes, quæ sibi omnes constare æquè certò possent. Patens istud erit ex primo Historiæ, vbi ait: Δοκεῖ δὲ ὁ σπόγγος ἔχειν τινὰ αἴσθησιν. Σημεῖον δὲ, ὅτι χαλεπώτερον ἀποσπᾶται, ἂν μὴ γένηται λαθραίως ἡ κίνησις, ὥς φασι. hoc est: *Videtur quoque spongia aliquo sensu eße prædita. Eius signum est, quòd difficillimè auellatur, nisi sensim circum eam motus fiat, vt aiunt.* Itaque Aristotelis censura est, cùm difficulter, quemadmodum inquiunt experti, auellantur spongiæ, nisi sensim corripiantur illas sentire: nec suppositâ narratione, quam non potuit refutare, dubium illi fuit, sensu ornatas esse. Deinde in quinto libro eamdem rescribit sententiam, nisi quòd fortasse puncti alicuius mutatio Rondeletium fefellerit, non quidem Scaligerum ita vertentem: *Sentire quoque eas hoc argumento deprehensum ferunt: nam si sese auulsum iri præsenserint, contrahi adeò, vt haud facilè auferantur.* Vbi illud *ferunt* non remittit ad sensum spongiarum, sed ad argumentum sensus. quare sic videtur appinxisse, ἔχει δὲ καὶ αἴσθησιν, ὥς φασι. Atqui, vt omni scrupulo Rondeletium leuemus, ratum, dubitationem etiàm vulgi ab Aristotele admoueri, dũ subdit, *sunt qui de hoc dubitent*; hoc neque ad sententiam de sensu referendum est, sed ad proximam narrationem de contractione in validis ventorum aut fluctuum incursibus. Integra verba edo. *Spongia habet sensum, vt aiunt. Argumentum quidem est, quòd ad auulsoris accessum contrahantur, ita vt euelli difficile sit: quod idem etiam faciunt, quoties flatus tempestasq; vrget, ne de suâ sede pellantur, sed sunt qui de hoc dubitent, vt qui Toronam incolunt. Narrant tamen proculdubio, bestiolas quasdam velut tineas lumbricósve, & eiusmodi alias consistere intra spongias, atque ali.* Duas historias proposuerat ad argumentum sensus: prior, quòd contraherentur ad accessum auulsoris; altera, quòd se constringerent aduersus Æoli Neptunique furores. Adiecit: *Sunt qui de hoc,* (non ait, *qui de his*) *dubitent.* Scilicet de proximo experimento dubitatio fuit, non de priori; nec de sensu, illarum nempe, prima historia obuia veritati erat; nam sine humanâ actione euenire non potuit. Altera diffi-

difficiliùs nonnihil potuit obseruari; quare non mirum si controuersa. E vestigio pergit de iisdem dubitatoribus Toronensibus, dicens: *Narrant tamen, bestiolas ali in ipsâ.* Et Theodorus adiecit, *proculdubiò.* Vbi ostenditur, Toronensium dubitationem fuisse de historiâ illâ, alia verò minimè perplexos narrasse. Potiùs ex Plinio constat, quanta fides Toronensibus fuerit de spongiarum sensatione. Ipsi præcipuè illam sunt tuiti, multa argumenta eius gratiâ obseruantes, adeò liberales, vt etiam gustum illis prodigerent, quos & laudat Plinius. Ita inquit: *Circa Toronem vesci illis auulsas etiam aiunt.* His immoratus sum, vt expedirem Aristotelem, multis annis & sæculis in hac parte sine contradictione acceptum; neque ea, quæ aduersus aliquem spongiarum sensum iactauit Rondeletius, multos non ignobilis eruditionis & censuræ viros post se trahens, magnopere diffidere. Gustatu solùm interdicunt illas, & hoc certè ad gustum Aristotelis fuit: in primo enim libro non absolutè dixit habere sensum, sed aliquem, id est vnum, tactum scilicet, cetera omnino similes plantis; nam & per radices siue limo, siue humore aluntur, & ijs relictis, post auulsionem recrescunt. Sæpè etiam Aristoteles solum constantem sensum, & communem omnibus animalibus, tactum scilicet commendat, ceteros deesse multis; neque gustum excusat: immò in libro de Somno & vigiliâ manifestam censuram suam fecit; namque gustandi facultatem non omnia animalia habere dicit. Vbi istud aut verius, aut verè, quàm in spongijs? Alia quoque sunt magnopere participia stirpium, vt sunt thetya & holoturia, ancipitis quidem naturæ inter plantam & animal; maximè tamen omnium spongia vtrique contermina est, & meditullium germinantium & sentientium.

CAPVT IV.

Quanta communio sit stirpium & animalium.

SVggerit ista confusio vitarum, vt exploremus perfunctoriè ipsarum fœdera, quantum sibi tribuant, se communicent, & nouo modo alia zoophyta miremur, nec tantùm planti-animalia, sed animali-plantas videamus. Inuenio mutuâ retaliatione animalia germinare, & plantas sensu animare, Aristotele, Theophrasto, Plinio, & Thasso contestantibus. E cerui viui cornibus enata est hedera: hoc fieri potuit, quia tenello fortasse cornu hæsit festuca eius stirpis, siue ex intrinsecis causis ipsius animalis erupit, vt Fortunius ait. Sed & aliâ etiam ratione de cornu cerui sponte oriri valuit, nêpe quia ex ipsomet ceruino corpore substantia excrementitia, potissimùm ex hederæ pabulo educta, vi coctionum in ceruo editarum, & à facultate propultrice vnà cum alijs excrementis tertiæ coctionis ad radices cornuum depulsa; quæ ibi lentoris alicuius, seu proprij, seu alieni, glutine adhærescens, ab ambientis calore digesta præparetur ad nouam vitam. Admirabilius est quod Plutarchus aliquando posteritati scriptum reliquit. nam *Quidam*, inquit, *cùm diu laborasset vrinæ difficultate, tandem culmum hordeaceum geniculatum excreuit.* Porrò in vesicam è stomacho via est per arctissimas mesaræi venas, & per substantiam renum; quas demonstrant sensui Anatomici, hordeaceo semini nullâ ratione peruias esse valere. Sponte igitur ortum in vesicâ hordeum oportuit: quod eò minùs incredibile putandum esse reor, quò frequens est in renibus & in vesicâ solidissimorum lapidum exortus. Cùm enim longè magis ab animalis naturâ, & renum vesicæque substantiâ lapis diffideat quàm planta; quidni, vbi in corpore viuentis animalis frequentissimè gignuntur saxa, ibidem aliquando culmus hordeaceus gigni potuerit? Insuper autem, vt in animalium viuentium corpore ex putri excrementorum colluuie vermes gignuntur, quidni ex eadem consimilive materiâ, ob efficientis imbecillitatem, & patientis ignobilitatem, in viuente animali planta procreari valeat?

Ceterùm, stupendum est, quod Ioannes Gualterius in suo Chronico Politico ex Conrado Rubeaquense retulit, dum ait: Aretij mulieri è naso spicæ farris natæ: eadem farris grana vomuit, vrbe lustratâ, anno mundi octingentesimo sexagesimonono supra tria millia, ante Christum natum nonagesimo quarto; quo tempore Ptolomæus Rex Ægypti Cyrenis mortuus, Senatum Populumque Romanum heredem reliquit. Ceterùm quando in palpebrarum extremitate passim norint Medici, quid innasci consueuisse hordei grano consimile, quod propterea morbi genus *hordeolum* vocant; cur non in naso mulierculæ farris grana enasci potuerint? Nempe in eius corpore multa materies esse potuit farris, quod vomitus granorum farris demonstrauit; quæ materies vnà cum alimento narium ad eas partes delata, illisque nutriendis inepta, simul cum elementis fuliginosis pilorum foras exiliens, lentore cuti adhærens, à calore ambientis subiacentiumque partium acquisierit debitum vitæ temperamentum. Si enim ex animali mortuo passim stirpes sponte nascuntur, vt mox apparebit; quidni ex viuo exoriri valeant? Immò verò, cùm à stirpium natura,

turâ, quæ viuens est, longè magis terra dissideat quàm corpus humanum (quippe terra inanimis est, homo verò in vegetantium genere cum plantis collocatur) profectò si ex terrâ sponte spica farris prouenire potest, multò potiori ratione planta eadem ex naso mulieris exoriri valebit. Taceo alias eruptiones florum ex humanis corporibus, præter mores & vires naturæ, qualiter Ioscioni viro sancto accidit: Vincentius Burgandius & Thomas Cantipratēsis auctores sunt. Quinque flores illi enati, vnus ab ore, bini ab auribus, bini ab oculis; præmium quotidiani erga Deiparam obsequij, quam quinquies salutarat totidem Salutationibus Angelicis, & quinque Psalmis, quos literæ nominis MARIA initiant. erant hi: *Magnificat: Ad Dominum cùm tribularer: Retribue: In conuertendo: Ad te leuaui.* Hæc obiter memoraui: fortasse alicuius mulcebit cor recordatio benignissimæ MARIÆ, matris benignissimi IESV, & sub eius patrocinium liberaliùs se tradet, cùm liberalissimā erga suos cultores videat. Redeo iam ad naturæ licentiam. Frequentissimum autem est, in testaceorum piscium, cetorumque dorso, muscosas herbas & algas prouenire: sæpenumerò enim & cancri & ostreæ muscosis herbis conuestiuntur. Quin etiam legimus apud clarissimos Auctores, immanium cetorum & balænarum speciatim tergora sic herbis conuestiri, vt plerūque animalia hæc grandia, dum in æquoris superficie (pereffatu dignum) temporis interstitium permanent, nauigantibus insulas repræsentent, maximo cum eorum periculo, qui belluarum dorso, adactis introrsum anchoris, & velut in solum naui descendentes in monstri tergum, in eoque ignem etiam succendentes, cetum dormientem à somno excitant, ad fugam motumque in profundum concitant: vnde naues & nautæ non rarò merguntur.

CAPVT V.

Plantæ quæ animalia generent.

FOrtasse liberaliùs stirpes pariunt animalia. Resurrectionem hoitzitziltototli è pinu mirati sumus: nunc non tantùm regenerationem, sed generationes dabimus. *Trombas* vocant Lusitani quoddam quasi radicum genus, quibus dignoscunt in terram Angolæ aduentare, licet non sit constans signum, vt in suâ Arte nauigationis aduertit noster Christophorus Borrus. Illæ quasi radices instar arundinum inanes sunt, nisi quòd intus generetur genus vermiculorum, qui inserti & continui sunt ipsi plantæ. Plurimas quoque Fortunius collegit generationes, quibus ab stirpibus integris, vegetis, nondum corruptis innata sentiētia. Noster Acosta narrat mures & vermes natos ex arundinibus in nouâ Hispaniâ. Neapolitanus Porta ex Aristotele decernit, anguillas in aquis ex algâ sponte procreari. Quin ob id, inquit, nos amicum nouimus, qui ligneis vasis aquâ plenis, algis, & quibusdam fluminum herbis immissis, & lapidis pōdere oppressis sub dio, paucis diebus anguillas generabat. Cardanus ait, non secùs è folijs mori bombyces in calidiore cælo gigni, quàm ex bobus apes oriantur. A Plinio item habemus, terebinthum ferre folliculos, emittentes quædam animalia ceu culices; nascique vermiculos in frumenti radice, cùm sementem imbribus secutis, incluserit repentinus calor humorem: gigni & in grano, cùm spicæ pluuijs calor interuescit; & caprificum parere culices, vt etiam robur. Adijcit, & cosses nuncupatos vermiculos in lignis exoriri, laricemque teredines procreare. Theophrasto autem culices è caprifico & è ficu prodeunt, & ex polio; bestiolæque cnipes nuncupatæ ex vlmi folijs. Dioscoridi ex oleribus erucæ gignuntur, Aristoteli ex virentibus folijs, & ex pineis frondibus, quæ cantharides nuncupantur. Aristoteli oriuntur gramine rediuij; cui & è leguminum vermiculis pennata animalia prodeunt: & in ligno animalium minimum gignitur, acari nomine. Costæus inter plantarum morbos cum senioribus vermiculationem posuit. Scaliger asserit, vermiculos enasci è medullâ cardui fullonij, è nucibus, è folijs lentisci. Addimus, è rosarum spongijs, ac ferè ex omni stirpe animalia quædam sponte produci; *stirpis* vocabulo singulas plantarum partes & excrementa intelligentes, radicem, stipitem seu caulem, ramos, folia, flores, atque fructus. Apes ortum habere spontaneum ex flore cerinthi, arundinis, & oleæ, veteribus ferè consentit Aristoteles, argumento ducto ex eo, quòd cùm oliuarum prouentus fit largior, tunc plura examina prodeant. Vermem in suâ quemque nasci arbore, notauit Scaliger apud Theophrastum; qui limaces & araneos è plantis etiā nasci confitetur. Sed mirum his adiūgit vir alter summâ eruditione spectabilis. *De Iuuernæ verò fluuio*, inquit, *non silebo. in eum quæ arboris vnius imminentis collapsæ frondes fuerint, pisciū formam induunt, pisces viuunt deinceps.* Quamquā subtiliùs consideranti, non tam esse videtur hæc fluuij vis, quàm arboris ipsius: nam quę frondes in terram cadunt, animalia volucria effecta auolāt. Quid mirū? nempe vt in terrâ mutantur plantæ aliæ in alias, ita supra terram gignunt è seipsis animalia. Verùm nos, vt accipimus plantas alias in alias mutari (quod obserua-

tur

tur etiam in animalibus ab Aristotele non in vno loco) ita non probamus, plantam vllam generare posse animalia, quorum ipsæ sint verę causæ procreatrices. Nam vltra suas vires agerent, generando quid se ipsis nobilius; quod nec in animalibus, nec in re vllâ (præter elementa fortasse, de quibus suo loco agemus) natura patitur. Sed redeamus ad pensum. Consimilem historiam texuere Saxo Grammaticus, Æneas Siluius, Munsterus & Delrius, asserentes, in Scotiâ inueniri arbores, quæ producunt fructum folijs conglomeratum; qui cùm opportuno tempore decidit in subiectam aquam, reuiuiscit, conuerliturque in auem viuam, quam vocant anserem arboreum. Creuit etiam hæc arbor in insulâ Pamoniâ, quæ haud procul abest à Scotiâ versus Aquilonem. Siluius autem didicisse se asserit, cùm in Scotiâ esset apud Iacobum Regem, in Orcadibus insulis arborem inueniri, quæ supra ripam fluminis enata fructus produceret anatum formam habentes, & eos quidem cùm maturitati proximi essent, sponte suâ decidere, alios in terram, alios in aquam: & in terram deiectos putrescere, in aquam verò demersos mox animatos enatare sub aquis, & in aëre plumis pennisque euolare. Olaus Magnus Episcopus Vpsalensis, agens de populis Septemtrionalibus ex auctore Scoto, qui maiori diligentiâ tradat de rebus abditis, refert, in Orcadibus insulis ex quodam fructu arboris, qui in mare decidit, gigni anates, quibus sensim crescentibus alis, volant vel ad hominum habitationes, vel ad siluas. Sed & ipsemet Olaus in Regnis Septemtrionalibus reperiri testatur aliquos anseres in arboribus nascentes, vt suprà dictum est de anatibus Scotiæ. Obscurus auctor, Gesneri obseruatione, bernecam auem ait ex arbore nasci, & in quibusdam Flandriæ partibus inueniri. Turnerus refert eamdem historiã auium ex arborũ fructibus in mare collapsis sponte nascentium: nam præter blantam, aut bernilam, esse ait aliam auem, quæ originem suam arbori refert acceptam. Bartholomæus Anglicus etiam bernecam auem ex arbore nasci confitetur. Fulgosius item asserit, in insulis Hiberniæ, quas Orcadas vocant, & in eâ speciatim quam nunc appellant Irlandam, in locis quæ mari alluuntur arbores salicibus persimiles nasci, *in quibus ortæ paruæ quædam pilæ, paulatim crescendo in aues anatum formam habentes effigiantur, rostro ab arboribus pendentes; & cùm ad maturitatem peruenerint, sui ipsarum nixu arboribus excussæ in mari decidunt, atque euolant. Britanni vulgò* bernetas *appellant. Et quia ex auium genere non oriuntur, ijs Quadragesimali ieiunio sale conditis homines vescuntur, vt ab his, qui viderunt, certiores facti sumus; & res tam multorum grauiumq; virorum testimonio, qui hoc viderunt, probata est, vt minimè dubia duci debeat.* Hæc Genuensium Princeps Fulgosius ad verbũ. Hector Boëtius asserit se vidisse in algâ conchas enatas, è quibus apertis viuæ aues euolauerunt. His consentit etiam Salustus in suâ Diuinâ Hebdomadâ, sic vertente Italis Grisonó, concinens:

Il Boote così perle gelate
Piagge vede volar gli augei nomati
Grauagni, e figli d'arbuscei creduti,
La cui fronda s'inalza in mezo à l'acque.

Quibus omnibus fidem sufficientissimam facit Aristoteles, asseuerans, Hypanem fluuium, apud Cimmerium Bosphorum, sub Solstitio deferre veluti folliculos acinis maiores, quos non nisi ex arboribus deciduos fatearis, è quibus quadrupedes volucres erumpunt; quod genus animalis in postmeridianum vsque diei tempus viuit, & volat, mox descendente Sole macrescit & lãguet, deinde occidente emoritur, vitâ non vltra vnum diem peractâ; vnde *ephemerum*, id est, *diarium* appellatum est. Plinio arboribus cochleæ adnasci solent, peculiaria ficorum vitia; & oleis erucæ. Nascuntur & phalangia in eruo, bestiolæ aranei generis; & limaces in viciâ. In tritico maximè crescunt animalia, quæ *curculiones* appellamus. Beatus denique Odoricus in Itinere, quo perrexit ad Magnum Cham, referente Rhamusio, *Rem,* inquit, *admirabilem scribo, non à me visam, sed ab hominibus verè fide dignis auditam, asserentibus in quodam Regno esse aliquos montes, nomine Capescos, vbi nascuntur permagni pepones, qui maturescentes aperiuntur, & intra eos reperitur animal ad instar agni pusilli, qui habet peponem, & carnem simul. Et si hoc videatur incredibile, tamen, vt in Hiberniâ sunt arbores quæ producunt aues, ita possunt verè ibi tales reperiri pepones.* Et in alio loco idem repetit, inquiẽs: *Quodam die vidi belluã ad magnitudinem agni, albã ad instar niuis, cuius lana, æmula gossypij, facilè à cute vellebatur. Circumstantes interpellati dicebant datã à Magno Cham cuidã Baroni pro carne optimâ humano victui inter alias omnes. Subdiderunt, montem esse Capsij nomine, in quo pepones nascuntur magni, qui maturescentes hiant, & huiusmodi bestiam exerunt. Subiunxerunt etiam, in Regno Scotiæ & Angliæ arbores esse, quæ producunt poma violacea, & rotunda ad instar cucurbitæ, à quibus maturis exit auis. Hoc magis credo, quia id audiui à Magnatibus, & fide dignis, quàm si proprijs meis oculis vidissem.* Ita ergo ex plantis viuentibus plurima nascuntur animalia.

CAPVT VI.

An planta borametz, seu agnifera, ad zoophyta spectet.

CEterùm, Tartarica quædam stirps aliquam moram meretur. Affirmant eius historiam Sigismundus in Moscouiæ descriptione, Surius in Commentario anni 1504. & de eâ Scaliger hæc habet: *Superiora ludum putes, præut est admirabilis Tartaricus frutex. Tartarorum orda primaria Zauolha est, vetustissimæ nobilitatis commendatione. In eo agro serunt semen seminis melonis simillimum, sed minùs oblongum. Ex eo satu plantam exire, quam borametz, id est, agnum vocant; crescit enim agni figurâ ad pedum ferè ternûm altitudinem, quem pedibus, vngulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus, repræsentat. Pro cornibus pilos gerit, singularis cornu specie. Obducitur corio tenuissimo, cuius detracti vsus ad capitum tegmina incolis. Ferunt internam pulpam gammari referre carnes. Ceterùm è vulnere quoque sanguinem manare. Dulcore esse admirabili. Radicem humo exertam surrigere ad vmbilicum vsque. Illud miraculi fouet magnitudinem: quamdiu vicinis obsidetur herbulis, tamdiu viuere quasi agnum in læto pascuo; absumptis illis, tabescere atque interire, idq; non solùm vel casu, vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratiâ subtractis atque ablatis euenire. Quin illud auget admirationem, appeti à lupis eam, non item ab alijs bestijs quæ carne vescantur.* Hoc quasi condimentum atque intritum ad fabulæ & agni allusionem. Illud scire velim, ab vno stipite quatuor dissita crura, cum suis pedibus, quî possint prouenire atque produci. Hæc, quòd non ignorarem haud ingrata fore tibi ceterisque Philologiæ studiosis, enarraui, partim à nobilissimis, partim ab exercitatissimis in rerum naturâ viris non solùm lecta, sed etiam audita, quibus ingenij tui amplissima spatia implere aliquâ ex parte posses. Sanè vix certò decernere possumus, nisi arbitris oculis, an hæc mera stirps, an mera bestia, an zoophytum sit; & in re dubiâ ne negemus naturæ maiestatem, & licentiam eius, & summam interdum libidinem. Haud displicet penitus censura Liceti. Putarem, vt ab vno trunco quatuor pluresque rami dissiti, cum suis folijs, vi vegetantis animæ proueniunt; vtque ab vno vmbilico in vtero matris quatuor dissita crura perfectorum animalium cum suis pedibus, operâ vegetalis animæ à sentiente gubernatæ, producuntur; ita posse ab vno stipite quatuor dissita crura Tartarici agni cum suis pedibus prouenire atque produci. Sed neque ratio deest, quâ huius agni natura Physica esse demonstretur. Nam agnus hic esse potest cùm fructus illius plantæ, solam retinens agni figuram, non verè animal sensu præditum, sed purũ vegetans; tum verum animal de stirpe nascens; tum nouum genus zoophyti, mediam inter animalia & plantas naturã obtinens; siquidem fructus plantæ sine sensu dicatur. Iam eius origo spontanea non est, cùm planta illa semine oriatur. At fructum plantæ posse figuram agni physicè nancisci, duo sunt quæ doceant. Primum est, quia plurimæ stirpes in suis floribus à naturâ pictam habent imaginem animalium, vt muscarum, & aliorum à quibus denominantur; aliæ in radicibus testiculos animalium referunt: quin & fungi alij linguam aptissimè repræsentant in colore, carne, ac figurâ; alij animalium oua, vt boleti. Quidni ergo plantæ Scythicæ fructus agnum possit æmulari? Secundum est, quia in lapidum genere plerique à naturâ in se bellissimè delineatas habet arborum ac stirpium imagines, vt in borsycite, ac dendrachate. Cùm autẽ magis differat à lapide inanimato planta, quàm à stirpe viuẽte agnus; cur fieri non possit, vt plãta Scythiæ fructum proferat agno consimilem?

Non obstat sanguis ex eo fructu dissecto manans: quia è ficu tithymalo, & alijs lac; è chelidoniâ fractâ cruentus humor emanat. Minùs officit pulpa cancrorũ carni similis; quia vuæ nigræ pulpa talis est, è quâ vinum sanguini simile prouenit. Minimè refragatur lana, quâ vndique circumdatur agnus ille Tartaricus, quia Persici fructus supra pelliculam induunt albam lanuginem. Si verò dicatur hic agnus esse verum animal, tunc eius origo de stirpe non nisi sponte fieri poterit: nam stirpis anima vegeta nobiliorem se sentientem in agno procreare non potest. At ex plantâ sponte animal oriri posse agno consimile, illud apertum facit, quòd & in lapidibus ranas, bufones ac serpentes sponte nasci certum sit; & ex arbore aues anati similes, & ex putri nauigiorum ligno volucres anseribus consimiles, nomine *bernachias*, ortu spontaneo prouenire demonstrauimus. Nec officit, quòd vmbilico radice alligetur humo: nam & fœtus in vtero est animal verum, & vmbilici vinculo ceu radice matri alligatur; quod nos docuit Aristoteles, alicubi monens, fœtum in vtero viuere ac enutriri veluti adnascentia & pura vegetãtia terræ affixa. Minùs obest, si ore comedat herbas circum se natas, & è terrâ, etiam radice in vmbilicum insertâ, sibi alimentum attrahat: nam & fœtus in vtero grandior, & ore sugit sibi alimentum, & vmbilico succum itidem sibi in nutricationem attrahit; vt ex Hippocrate comprobari potest. Minimè repugnat, si

si duas habeat partes, quibus trahat alimentum, quia vnicã dat Aristoteles animalibus perfectis: hoc autem animal est imperfecti generis, cùm sponte nascatur, & nondum à matrice absoluatur. Sed & illud adhuc non satis compertum est, vtrùm & ore & vmbilico nutriatur, an ore solo, an vmbilico tantùm; dum non referunt Historici, an egerat excrementa primæ coctionis per aluum atque vesicam.

Sin auté statuatur hic agnus esse nouum quoddam zoophytum, mediam naturam habens ex animali & plantâ constitutam; iam ei ortus è plantâ spontaneus inerit necessariò, quod conuenit zoophytis. Et certè vt è saxis oriuntur spongiæ, vrticæ marinæ, & alia plant-animalia cruorem, carnem muliebre virileque pudendum referentia; quidni è stirpe nasci poterit zoophytũ agninum? Id planè, quà plantæ naturam habet, poterit vmbilico per radicem terræ insertam sibi ex humo alimentum trahere; quà verò animal est, ore valebit vicinas herbas in pabulum sibi arripere. Sed si contendas cum Auctore Dierum caniculariũ, agnum Tartaricum esurire & edere, ac belluarum more pasci herbis, ex oreque sumere plantam humorem quo radix viuat; non autem vt in ceteris plantis est, radicem humorem è terrâ sugere, quem ramis omnibus communicet. Neque huic exemplum deerit in naturâ zoophytorum: nam ex Aristotele habemus, inter plant-animalia vrticas marinas scopulis affixas prænatãti pisciculo frondem suam spargere, complectentemque deuorare; vt obseruat etiam Plinius, non radicibus ali. quid enim è saxo sibi possit in alimentum haurire? Non obstat, quòd huic agno natura corneos pedes non dederit, quia nec lepori; & eò magis, quò procul à radice, cùm progredi nequeat, nulli vsui sibi essent cornei pedes, quos verendum non erat nimio itinere atteri. Non ergo ita gratis accipiendum est, fabulosam penitus esse historiam de agno Tartarico ex plantâ nato à tot tantisque viris promulgatam.

CAPVT VII.

An sint plantæ, quæ præter tactum alios sensus habeant.

POtest quoque in medium venire, an sint aliqua vnico alio sensu pollentia præter tactum. Dederunt aliqui inanimis quibusdam plantis gustum; pereunt enim, nisi salsuginem degustent in potu: alijs olfactum, quo accessum mulieris menstrualis sic percipiant, vt inde languescant: alijs auditum, vt violæ albæ, quæ in Mycęno mõte, vbi nominatur nouerca, corrumpitur: alijs visum, vt araxæ, quæ simul atque inuentam se vidit à virginibus, sanguinem emittens contabet. At vana hæc sunt; nec nimis iam obstaret, vt paliuro, cùm è ceteris auibus cuculum dignoscat, iudicium tribueretur. Abeat Plutarchus talia commendans. Tum neque sine exemplo spongiæ tactus concedendus spinosæ illi circa Memphim plantæ, quòd eius folia contacta in se concidant, cuius argumentum non est: quòd aliquæ absque solo in aëre suspensæ inediam sustineant vigeantque, vt aloë & scylla, sed quòd ab aëre interclusæ tamquam spiratione priuatæ, omnes denique pereant.

CAPVT VIII.

An inter plantas & animalia mediam perfectionem obtineant cælestia corpora.

SEd an sit alia intercedens natura inter herbas & belluas extranea vtrisque, in medium venire potest: spongia enim & vertibula seu calli, atque tubera, vt Theodorus Latinè vertit, ita intersecant, maximè spongia, vt vtrumque esse, tethya & holoturia quodammodò, spongia omnino videatur. Num aliquod medium erit, quod neutrum vsurpet? Quòd mihi, tale quid cælestia corpora esse non arrideat, impulit Moysis philosophia: si Moysis, vtique Dei. Iuuat & ratio, non omnino recusanda. Summâ religione scientificam coluit methodum Moyses in historiâ de generatione vniuersi, perpetuò ascensu naturarum ab imperfectioribus progressus ad excellentiora, ab elementis primùm, deinde ad alia vsque ad hominem, continenti ascensione. Quare cùm astrorum conditionem inter vegetabilia & animalia conscripserit, mediâ inter vtrumque perfectione videtur honorasse. Nihil Deus inconsultò, nihil fortuitò fecit; nihil Moyses sine magno enarrauit consilio, nihil sine arcano: vt mirer, quanta doctrina, naturæque peritia, quàm præstans Philosophia se offerat examinanti verba & apices, atque omnem dispositionem. Num, quæso, cùm opportuna producendorum siderũ occasio (fortasse necessitas) primâ die fuisset, ne lux peregrina vagaretur absque domicilio, dilata sine causâ, sine mysterio fuit ad quartum diem? Inuiolabilem methodum tueri voluit, vt imperturbatâ rerum perfectione ius suum & decor cuique seruaretur. Audio te dicere cælos non viuere. Num & plantas audisti à Moyse viuere? Non puto. vitæ & animę nomen animalia apud Moysen inaugurarunt. Si ita est, etiam cum Stoicorum applausu, astra solùm sentienti naturâ prædita minora

sunt

ſunt proculdubiò. Ad hæc, tribuamus vitam ſtirpibus, neganda fortaſſe non videtur ſideribus. Vitam motio ſpontanei & perpetui impetûs maximè decernit: hoc ſideribus excellentiùs & æterniùs competit. A ſe, vt dixi, mouentur; immò ob hoc ſolum dixiſſe poſſem. Tum præſtantiùs & euidentiùs, locali nempe peregrinatione; tum conſtantiùs, & non ad quietem, vt elementa, ideò exanima: illud enim viuit, cuius perfectio eſt ſe mouere. Hæc abeſt elementis: perfectio horum quies eſt, aut aſpiratio quietis: motus inconuenientem eorum ſtatum arguit. Aſtra tamen otium maximè oderunt, ergo vita aliqua competere illis videtur. Sanè ſi localis motio, vitalis actio eſt, vt pluribus perplacuit, vita quædam ſtellis ineſt media inter vegetantem & ſentientem, maior illâ, minor iſtâ. Oportebat, exornationi naturæ, actionem iſtam vitæ localis progreſſionis in ſuo ſeorſim gradu vindicari, quemadmodum ceteræ vitarum functiones. Senſus eſt & intuitus, vbi mens abeſt; auditus, vbi viſus deeſt; odoratio, vbi deſideratur auditio; guſtatio, vbi nullus olfactus; tactus, vbi non comitetur guſtus. Quare progreſſio conuenienter in aliquâ naturâ erit, vbi nec tactus; ſicut & nutritio ſuâ etiam exanimem claſſem meruit.

Obijcies, generationem vitæ munus eſſe, & tamen ſine ſocietate alterius non eſſe. Ad hoc dico, non eſſe integrum munus, ſed partem & appendicem nutritionis. Inquies: Si vita conuenit cæleſtibus corporibus, ergo & mors. Cur iſtud negaueris, cùm ſacra Scriptura præiudicauerit fore interitura? Mors ſideribus quiete ſuâ continget, cùm cæleſtia munia & mutationes ceſſabunt: tunc creanda noua omnia prędicuntur, nempe in eamdem priſcorum ſiderum inquietorum materiam ſuccedet alia forma noua pacatior, & amica ſtationis. Ceterùm perituros hos cælos, non tantùm mutandos & renouandos, quoad ſubſtantiam, non tantùm quoad accidentia, multi iam Aſtronomi dabunt, multi iam Patres dederũt, Baſilius, Clemens Romanus, Nyſſenus, Ambroſius, Iuſtinus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius. Vehementiùs loquitur Scriptura de cæleſtibus & elementaribus mutationibus, quàm de eâ quæ reſurrectioni noſtrorum corporum accidet. Noſtra immutatio accidentalis eſt, ergo illa amplius aliquid obtinebit. Ad hæc, lux naturaliter effundetur ab cælorum eſſentiâ, ergo excellentiorem fontem exiget. Sed non opus eſt ampliùs hîc morari; præſtruximus enim alia, atque in noſtræ curioſæ Philoſophiæ libro vltimo idem præmuniuimus, & ſatis aſſeruimus, vt publicis Theſibus propoſitis locupletiſſimè illuſtratum, defenſum, ac multis poſteà approbatum plauſumque ſit. Illud admonendum, iuxta eruditiſſimos viros tanta mors, tanta ruina cælorum erit, vt verè & propriè ſtellæ corruant, iuxta prædictionem Chriſti Domini. Ait noſter Maldonatus: *Magis Chriſto id affirmanti, quàm Ariſtoteli id fieri poſſe neganti aſſentior.* Iam quid obſtat ampliùs? æqualitas cæleſtium? terſa, limpida, læuigata ſunt, ſine neruis, ſine fibris, ſine officinis alijs & organis viuendi? At quis ſidera proximè vidit? quis diſſecuit, vt de his decernere poſſit? nullam tantarum & ſublimium molium anatomen nouimus. Sed ex Lunâ & Sole conijcere fortaſſe potes, heterogenea cetera eſſe, vt nonnulli præſtantiſſimi Aſtronomi indicarunt. Inæqualitas in Lunâ videtur, & per partes à ſe diſſidet. Sol quoque in ſummâ claritate ſibi non eſt conſentaneus, quod per chartam radijs eius in conclaue iaculatis reſiſtentem, patefcit. Cumque ex iſtis macularibus obtutui differentijs in Sole & Lunâ multæ conſtantes ſint, atque eædem in diuerſis & ſitibus & temporibus, auſi ſunt obſeruatores aſſeuerare, quòd inhæreant ſideri, atque ob differentiam partium emicent. Adijce, quòd inſtrumenta vitalia pro genere & neceſſitate vitæ requirenda ſint. Vegetationi minor apparatus deſideratur quàm ſenſui, quare vitæ illi cæleſtium illocali ſeu procedenti, fortaſſe nulla aut exigua inſtrumenta requiruntur: poterit ſine artubus hæc viuacitas eſſe, ſine viſcere, ſine cruribus, ſine radice.

CAPVT IX.

Quæ animalia præſtent ſenſibus.

POſtquam ſenſum, animalis characterẽ, definiuimus, & cum vicinarum naturarum decore contulimus, reſtat, vt domeſticâ collatione ipſa expendamus, An fortaſſe non ſolùm ſenſuum numero inter ſe dirimantur, ſed præſtantiâ eorumdem aut mentis, id eſt, an omnes adæquet par ſenſatio, an intellectio. Priorem quæſtionem facilè explorare poſſumus, alteram ridere; nihilominùs diſcutienda eſt. In primis aquatilia hebetioris ſunt ſenſus: imò fuerunt ante Ariſtotelem, qui penitus mutilarent auditu & odoratu. Iniuſtè: manifeſto enim experimento audire & odorari probantur. Tintinnabuli ſono in multis ſtagnis ad cibum vocati piſces accurrunt; fugiunt ingentes ſonitus, vt facilè propterea capiantur in latibulis ſuis. Venaturi delphinos, eos repentè alueis circumdabant, mox obſtrepentes compellebant vniuerſos fugitiuos in terram, vbi ob ſtrepitum capite grauatos capiebant. Exiguus namque extra aquam rumor, ijs omnibus, qui in

aquâ audiunt, difficilis est & magnus. Delphin quoque Simonis nomen agnoſcit. Sturiones expaueſcunt tonitru, fortaſſe plus aloſæ, quæ poſt illud inſalubres dicuntur. Sed & illud cum vſu diſciplinæ habet piſces, cicures adnatant ad vocantem. Tradit Rondeletius troctam quamdam properaſſe ad cibum, & de manu captaſſe. Odorari, demonſtrat ſalpa, è longinquo adnatans ad ſtercus & porrum: polypus ad oleam, ſcarus ad linozoſtim; alij contemnunt eſcam non recentem. Plurimos latentes euocant piſcatores, illinendo ſpecûs fauces cetarijs odoribus, carnémve ſepiarum deuſtam hamis affigendo: quare nidores grati ſunt piſcibus. Canthari in naſſam pelliciuntur nidore carabi aut polypi, Oppianus ait.

—— Αὐτίκα δ' ὀδμὴ
Κάνθαρον ὀξύνει τε, καὶ ἵζεται ἔνδοθι κύρτου.
Lib. 3. Hal. —— *Mox autem odor*
Cantharum impellet, & perueniet intra naſſam.

Sentinâ nauis eiectâ, flutæ fugiunt: Scribit etiam Ariſtoteles, ſanguinem ſuum ſagaciter piſces odorari: quæ res eo patet argumento, quòd quoties ſanguis effuſus piſcium eſt, fugiant, & loca petant longinqua. Miror hoc iudicium admiſiſſe: namque & horrori ex intuitu fuga tribui poſſet. Multi etiam homines, ſed maximè feminæ, ſanguinem effuſum, aut venam incidi videre nequeunt, & recedunt. Terreſtria, præter talpam, integriorum ſunt ſenſuum, minuſque controuerſorum. Præſtare autem canes olfactu, perplacet multis, viſu aquilas, auditu anſeres, guſtu protogeuſtas Indica animalia, merita ſuum nomen, tactu ſerpentes, & quaſdam aues. Vulgus tamen ferè ita diſpenſat ſenſus:

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

Alij præſtantiâ auditionis prætulerût piſces: Plinius talpas; qui & reliquos ſenſus ita diſtribuit, vt ignobiliorum, tactûs & guſtûs, faciat hominem principem: reliquis ſuperari, accepit vtique ab Ariſtotele. Tullius tamen inquit: *Omnis ſenſus hominum multò antecellit ſenſibus beſtiarum, quorum ita clara iudicia & certa ſunt, vt ſi optio naturæ detur, & ab eâ Deus aliquis requirat, contentáne ſit ſuis integris incorruptiſq; ſenſibus, an poſtulet melius aliquid, non videam quid quærat amplius.* Interpretabor, vt ſequar, iſtud iudicium Tullij de qualitate ſenſationis in vniuerſum, & de excellentiâ abſolutè ipſius ſenſus in nonnullis hominibus. Puto, omnes dotes animalium aliquem hominem præceſſiſſe, celeritate ceruos, fortitudine leones, magnitudine elephantes; ſic & ſenſibus lynces & aquilas. Iſtud decebat inſigne maieſtatem humanã, in nullâ re aliquod brutum omnibus præiſſe hominibus. Habidis pernicitas non fuit minor ceruinâ. In tractu Cardulinorum fuit genus hominum, curſu anteuertentium canibus. Polymeſtor Mileſius leporem conſecutus eſt. Samſoni, Dauidi, Miloni, robur maius quàm leonibus fuit. Blaſius Magærus ſic luſit viribus, vt ſublatum dentibus armatum hominem, militares inter choreas armatus etiam ipſe circumferens, ſaltaret. Quid de mole dicam? Quanta apud Tetzcocanas & Tollucenſes oſſa reperta? Inter alia dentes maxillares, quinque circiter vncias lati, decem longi. Conijce hinc amplitudinem capitis, ex capite corporis: tantum cranium duo homines extentis brachijs vix poſſent redimire. Similis prærogatiua ſentiendi erit. Excellunt inter animalia viſu aquila, lynx, & quodam tenebrarum priuilegio nycticorax, & alia nocturna. At aquilæ perſpicacitas exæquata Straboni fuit, vltra centum & triginta quinque millia paſſuum intuentis clariſſimè exeuntem à Carthagine claſſim, numerumque nauiũ è Lilybætanâ ſpeculâ denotantis. Tiberius noctu tam perſpicax fuit, quàm interdiu alius. Nunc pluresſunt, qui humorem & alia ſub terram conſpiciant, quæ licet per elatas vaporationes coniecerint, acutiſſimo tamen id obtutui debetur. De guſtu incredibilia nuper vidimus in hac Aulâ Philippicâ: hominem, qui omnia guſtaret, omnia voraret, laneos adhuc pannos, & coria, & mures viuos. Imò ſemel viſus eſt manducare viuum felem cum pelle & pilis: ipſumque eiulans & repugnans animal mordebat ille. Crudele prorſus ſpectaculum. Vidimus, quę profectò non poteramus credere. Nihilominus oſtendi, non nouum hoc in naturâ fuiſſe. Nam monſtrum ſimile legi apud Realdum Columbum, qui in Anatome ſuâ libro vltimo ſic ait: *Quod maiore admiratione me affecit, fuit inſpectio Lazari, Vitri-voracis vulgò dicti, quem Patricij omnes Veneti, imò Veneti omnes, omnes Ferrarienſes de facie nouerant. Hic nullo prorſus guſtu, dum viueret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil iniucundum perſentiebat: inſipida, amara, dulcia, pinguia, ſalſa, acria non diſtinguebat, vitrum, ſaxa, lapides, ligna, viua animalia, carbones, piſces è viuario extractos adhuc ſalientes vorabat. Vorabat lutum, lineos laneoſq; pannos, fœnum, ſtipulam, &, vt breuî omnia complectar, quidquid homines, quidquid animantia vorant: quidquid illi edendum ſeu deglutiendum potiùs offerebatur, mercede propoſitâ, dictum ac factum, ingurgitabat. Teſtis eſt inter reliquos Martinus Aromatarius Patauij ad Angeli inſigne, cui ſacculum carbone refertum, & ſacculum inſuper deuorauit. Quo viſo perſoluit quod pollicitus fuerat, comminatus ne ad*

Pharmacopolium ampliùs accederet, veritus ne se cum tabernâ & vasis esitaret. Cùm igitur hoc naturæ monstrum mihi dissecandum esset Patauij, cœpi huiusce rei diligenter, quoad eius fieri potuit, causam venari, quàm me tandem, Deo duce, ex particulari illius structurâ assecutum esse confido. Nam quarta neruorum coniugatio, quæ gustus gratiâ in alijs hominibus à naturâ producta est, in hoc Lazaro Vitri-vorace neque ad palatum, neque ad linguam reptabat, sed ad occipitium reflectebatur. Hæc Realdus. Regredior ad institutam quæstionem. Præter dicta in sensuum vsu & placiditate nullum animal homini prçit, nullum tot aromatum florumque generibus delectatur, pulchra nulli ita placent, harmonia nullum ita suspendit, aut suauitas mulcet. Duo officia sunt sensuum, vnum necessitatis aut conuenientiæ naturalis, alterũ voluptatis. In gustu & tactu, vbi vtrumque officium vendicant bruta, homo proculdubiò omni ex parte superat, cui optimâ temperie fundati hi duo sunt sensus. In olfactu, auditu, visu, vbi voluptatis beneficio carent quæ & ratione, parum refert superet in vno vultur, in altero talpa, in tertio aquila: in parte sensus dumtaxat excessus est; in alterâ parte, & vsurâ voluptatis, nõ tam præstat homo, quàm totam vsurpat. Ad calculos voca omnia officia sensuum, in omnibus reperies vicisse humanos; ad hæc, adstrumento & societate mentis sagaciores sunt, & latiùs patent. Adijce, temperationem omnium, præstare intemperanti aliorum excessui. Mugil si euidentiùs audit, hebetis est obtutûs: talpis auscultationis gloria damnatur oculis. Quare si omnes simul complectaris sensus, nullum animal prçstantiores habet quàm homo, & cum quadam excellentiâ æqualitatis. Bruta adeò inadæquatos habent, vt non diuersorum, sed eiusdem sensus inæqualitate mulctentur. Thunni si perspicaces sunt dextro lumine, hebescunt læuo. Tum & mediocritas humanæ sensationis maxima est, tanta scilicet quantam eius exigit natura. Quid amplius quæres? Aquila validissimæ aciei est, quia altiuolans conspicari humi lepusculum debebat; vultur ad explorationem annonç odoratu iuuari, talpa ad nuntium periculi auditu: his hominem suppetijs adiuuari non erat opus; liberaliùs ei & compendiosiùs prouisum est.

CAPVT X.

Quo fundamento antiqui assignarínt mentem animalibus.

NVnc ad certamen venio de gloriâ mentis, an scilicet sint animalia, quæ cum humanâ sagacitate competãt, sicut cum sensu. Anaxagoras indulsit illis mentem agentem; Pythagoras, Plato, & Diogenes otiosam: illi ob incommoditatem temperamenti, iste ob humoris crassitiem; non aliter, ac qui insaniunt, cassæ mentis sunt. sed mentis quidem scilicet metempsychosis istud commentata est. Empedocles ait:

Οὐ παύσεσθε φόνοιο δυσηχέος. Οὐκ ἐσορᾶτε
Ἀλλήλους δάπτοντες ἀκηδείῃσι νόοιο;
Μορφὴν δ' ἀλλάξαντα πατὴρ φίλον υἱὸν ἀείρας
Σφάζει ἐπευχόμενος μέγα νήπιος· οἱ δὲ πορεῦνται
Λισσόμενοι θύοντες. Ὁ δ' ἀνήκουστος ὁμοκλέων
Σφάξας ἐν μεγάροισι, κακὴν ἀλεγύνατο δαῖτα,
Ὡς δ' αὔτως πατέρ' υἱὸς ἑλὼν, καὶ μητέρα παῖδες,
Θυμὸν ἀπορραίσαντα φίλος κατὰ σάρκας ἔδουσι.

Non desistetis crudelem admittere cædem.
Pulchrúmne afflicta sic vos discerpere mente
Inter vos? Formâ mutatâ namque parentes
Charos occidunt natos, per multa precati
Stulti, alijq; Ioui facientes sacra precantur.
Ast alius non exauditus in ædibus istum
Occidit clamans, miseras epulasq; parauit:
Atque pater nati crudeli cæde perempti,
Et matrum nati carnes in viscera condunt.

Brachmanes, nunc Indorum, & forrasse Bodinus aliquis, vt Libanius imputat, pari peccarunt amentiâ. Nec Occidens minùs superstitiosus quàm Oriens. Indorum noui orbis opinio de simijs & vox communis est, intellectu pollere, & maximâ calliditate, sed loqui nolle astutè, ne compellantur ab Hispanis ad operas & laborem. Nescio an liberaliùs ethnicis, & liberiùs egerit Laurentius Valla de brutorum intellectu. Plutarchus anteà adstruxit, Gnostici definierant, Strabo elephantes ratione præditos commendat, Oppianus exaggerat cùm cecinit:

Μαντικὸν ἐν στήθεσιν ἔχειν κρέαρ.
Diuinum cor habere in pectore.

Dion illos exornat scientiâ rerũ cælestium. Lipsius scripsit se omnino carere ratione, si elephas. In cuius argumentum vsurpabimus aliqua ab eodem disertissimo & diligentissimo Scriptore. Porphyrij tamen pertinacior sententia est, animalia sensibus & memoriâ prædita, rationem habent, tum quia inter se plura significant, tum quia diligenti solertiâ suâ consulunt, vsuique futuro prouident; tum quia distant, & à se ipsis inuicem doceant: & omnes qui veritatem de animalibus percontati sunt, rationis participationem inuenisse in animalibus asserunt. Tot solertiæ, tot calliditates videbantur mereri rationẽ; sin minùs, tot virtutes, quas à bestijs discere possumus. Posteà omnia refutabimus, priùs brutam hanc opinionem de brutorum mente fundamentis suis nixam exhibebimus.

CA-

CAPVT XI.

Ex calliditate animalium probarunt, mentem aliquam ijs inesse.

ORdo & prouidentia, filiæ rationis sunt. Quomodo amentes grues scient se ordinare in profectione digesto agmine, in statione designatis excubijs, diuisâ etiam per vices noctu vigiliâ, quam suspensus lapide grauatus pes à somno eripiat, quæ clamore edito pericula nuntiet? Elephantes feri maximum ingeniũ adhuc in periculis monstrant, aciem suam magno consilio imò virtute dirigunt, defessos aut infirmos in medium agmen recipiunt: in fugâ suos non deserunt, gregatim abeuntes circumdant & propugnant. Sed & cicures, quàm feroces pro homine? In bellis quàm fideles? quàm habiles institutionibus militaribus? Bellicos motus decorè edunt. Viginti quatuor Indorũ Regi assistebant, excubias agebant, fidissimi custodes Regij corporis: alterni in stationem succedebant sine somno aut conniuentiâ oculorum. Ad extremum spiritum pro illo pugnasse, elephantus Pori ostendit. An apiculæ sine ratione erunt, quæ etiam cum fide sui Regis, quæ cum labore quæ cum industriâ fallunt humanas artes? Adijciam formicas, quarum etiam astutia nostrum consilium vincit. Quidam quoddam vasculũ, ne in id se intromitterent, circumunxit visco, vt impeditæ hærerent: illæ callidiùs pontem deportatâ terrâ fecerunt, quâ possint tutò transmeare, illusâ hominis prouidentiâ.

CAPVT XII.

Ex sermone & sermonis intellectu.

ATque vt hæc vrgeam, quod argumentum mentis potest euidentius esse sermone & moribus? Canes & equi intelligunt humanas voces, sistunt, accedunt, vadunt prout iusseris. Ceruus educatus à Ptolomæo Philadelpho, loquentes Græcè intelligebat. Elephantes patrium norunt sermonem. Sed & Porphyrius censuit, omnia inter se bruta sermocinari, & eorum loquelas calluisse Apollonium Tyanęum, Melampum Thiresiam, & Thaletem. Idem de Salomone Doctores Hebræi putarunt. Adiecit vanissimè non-nemo, serpentem locutum suo idiomate Euæ, & ab ipsâ intellectum.

Sed nullum maius rationis testimonium, quàm ipsius obsequium. Bacchationes & furores Veneris comprimunt elephantes, si exhorteris. Non alio pharmaco illum morbum ferè annuum tolles; nisi increpet, exprobret fœditatem magister: Tantámne belluam, & Reginam aliarum, ita dementire per affectum? Vilitatem eam esse, degenerationem à naturâ, à stirpe: rediret ad sese, & conculcaret amorem, qui turpiter ipsum. Ad hæc sermo illos cicures reddit, ad varia instruit. Post intellectum, sermonis vsus feris est. Christophorus Acosta prodidit, in vrbe Cochin defessum elephantem solitum operas diurnas præbere ad portum, & res marinas; nihilominus coëgisse vrbis Præfectum, vt liburnicam, quam mouere cœperat, deduceret porrò in mare. Ille abnuere; instare alter multis blandisque verbis, & ad extremum, in gratiam Lusitani Regis vt id vellet, orare. Hîc bestia hæc duo verba clarè ingeminauit, *Hoo, Hoo*, quod Malabarum linguâ est, *Volo, Volo*, atque sine morâ traxit in mare nauim. Certum autem, apud Malabares bestias istas inter se communicare sermone. Oppianus quoque ait:

Φήμη δ' ὡς ἐλέφαντες ἐπ' ἀλλήλοις λαλέουσι,
Φθογγὴν ἐκ στομάτων μεροπηΐδα τονθορίσαντες.
Fama est, sese inter sermocinari elephantes,
Distinctasq; susurrare atque emittere voces.

Scripsisse eos constat. Ælianus oculatus testis ait: *Vidi ego ipse quemdam in tabulâ litteras Romanas promuscide scribentem rectè, & non contortè. Quin etiam cùm scriberet, oculi eius cum rigore deiecti in tabulam erant, vt planè intentos diceres.* quare Plinius non mendax è Muciano asseuerat, quemdam Græcas litteras pingere didicisse, eaque linguâ scripsisse, *Ipse ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicaui.* In scripturâ saltem disciplinæ intellectio requiritur. Voces aliquas, postquam didicêre, cum sensu opportunè videntur emisisse aues. Psittacus quidam doctus istam Litaniam, *Sancte Thoma, ora pro nobis*, correptus à miluo clamauit, pro opportunitate periculi inuocato Sancto. Res mira! exanimis raptor derepentè concidit, liberato & incolumi precatore. Non ex more cantionis implorasse Apostolum, discrimen suadet, vbi metus omnem significationem, omnem morem præoccupauit lætitiæ. Aliquas loquaces aues narrat Macrobius, quas referre iuuat, non tam ad argumentum mentis, quàm voluptatis. Sublimis Augustus Actiacâ victoriâ potitus reuertebatur: occurrit ei inter gratulantes coruum tenens, quem instituerat hoc dicere, *Aue Cæsar victor Imperator.* Miratus Cæsar officiosam auem, viginti millibus nummûm emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illâ liberalitate peruenerat, affirmauit Cæsari, habere illum & alium coruum, quem vt afferre cogeretur, rogauit. Allatus, verba quæ didicerat expressit, *Aue victor Imperator Antoni.* Nihil exasperatus, satis duxit, iubere illum

illum diuidere donatiuum cum contubernali. Salutatus similiter à psittaco, emi iussit eum. Idem miratus in picâ, hanc quoque redemit. Exemplum sutorem pauperem sollicitauit, vt coruum institueret ad parem salutationem: qui impendio exhaustus, sępè ad auem non respondentem dicere solebat, *Opera & impensa perijt.* Aliquando tamen coruus cœpit dicere dictatam salutationem. Hac auditâ dum transit Augustus, respondit: *Satis domi salutatorum talium habeo.* Superfuit coruo memoria, vt & illa, quibus dominum querentem solebat audire, subtexeret: *Opera & impensa perijt.* Ad quod Cæsar risit, emique auem iussit, quanti nullam adhuc emerat. At peritia sermonis, & acumen intellectionis, vbi patentius, quàm ex fide Christophori Acostæ, narrantis, ex stupore populi spectantis: elephanti cuidam in vrbe Cochin ad horam cibus non oblatus. Queritur, & barrit. Magister excusat, & vas æneum eius cibarium ostendit perfluens & pertusum. Causam hanc moræ esse, quòd cibi non vltrà tenax: iubet igitur, si esse velit, ad fabrum ęrarium ferat reconcinnandum. Ille paret, promuscide aufert, fabro offert. Faber siue per negligentiam, siue ludos belluam faciens, infideliter reparat, atque obstipat. Elephas refert. Herus vitium videt, & indignatur, inclamat illum absentem, hunc præsentem. Denique redire iubet cum illo ipso vase. Facit, & fabro querulus impingit. Ille homo suauis iterùm imponere conatur, & admoto malleo claudere rimam simulat, non claudit. Nec tamen imponit. Nam ille catus lebetem resumptum ad flumen defert, immergit, & aquâ implet, periculi faciendi causâ. Videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrum recurrit, intonat magnâ voce. Confluunt vicini, & inter eos Vicarius Regis. Faber blandis verbis demulcet (nescio an vltrà audeam dicere) belluam: vas denique sumit, & refingit probe atque ex fide. Sed ille ne tum quidem fidens, iterùm ad flumen, & ad haustũ, dum contineri aquam videt, vertit se ad adstantes, & ostendit, velut testes eos aduocans in hoc factum. Ita demum abijt domum. Appendo quod, conteste item populo, alter Acosta noster, Iosephus inquam, de simio prodit, in exequendis officijs prudentissimò, sollicito, fideli, obsequioso. Mittebatur ad tabernam, in vnâ manu lagenâ, in alterâ pretio numeratis nummis accepto, id minimè soluebat, neque è manu patiebatur eripi, donec reciperet vinũ. In viâ pueros inuadentes, depositâ interim lagenâ, correptis iniectisque lapidibus fugabat. Expeditâ securaque viâ, resumens illam pergebat, donec referret illibatam, etiam à se, cum meri quàm maximè bibacissimus esset. Sed & cornicis obsequium Marrhen Ægypti Regem celebrauit: quò vellet altor, epistolas perferebat, pterophori cursorisque officio functa. Monita, noscebat callidè quà transuolandum, quò dirigendus impetus, vbi sedendum.

CAPVT XIII.

Ex ludo & iocis.

Ampliabit admirationem contestatio Romæ. Munere illo quod publice dedit Germanicus Tiberio Principe, duodecim elephanti theatrũ inducti sunt siue circum, induti floridas & histrionas vestes. Ac primùm ad vocem Magistri diuidebantur in diuersas Circi partes, intereundum molli & saltatorio gressu inundantes: iterumque ad eamdem vocem coibant, flores spargebant & corollas, & ad cantum terram pedibus leniter & numerose pulsabant, & omnia præstabant quæ peritissimi ludorum. Iam ijdem (quod insanum mirum) docti mensis accumbere, cibum potumque sumere, parcè, modestè, ordine, humanum in modum. Lecti erant humiles (agnosce Romanum ritum) instrati purpurâ & aulæis: mensæ ad eos, vario & dapsili instrumento, disposita pocula aurea, argentea, minuta, grandia; cibi in lancibus, panis, caro, fructus. Ecce ingressi duodecim elephantes, sex mares, totidem feminæ; illi togati, hæ stolatæ. Decorè & verecunde in lectis se reclinant, mensam accumbunt. Tum signo dato (non enim ante) in mensam promuscides siue manus suas extendunt, summâ modestiâ cibos capiunt, delibant. Non voracitas vlla in ijs, non auiditas visa, non maioris meliorisve partis appetitio, præreptio. Denique cùm bibendum, pateram pueri porrigebant: ijque promuscide eamdem genialiter hauriebant, & (iucundæ potioni hoc adnexum) reliquijs vini circumstantes aspergebant, velut cottabum facientes. Sed ex indisciplinatis ludicris seria nonnumquam ratio disciplinaque se prodit: non enim tacebo quod Plutarchus obiecit. In Syriâ elephas quispiam alebatur: seruus curator additus, cotidie de dimenso subtrahebat, & dimidio belluam malo furto fraudabat. Fors fuit, vt hero præsente cibum daret: & admensus igitur est totum. Elephas, vt iniuriam diu sibi factam, quà posset, detegeret, accurate hordei partem separat, dimidium sibi seruat, altero repulso. Quid nisi clamans facetè, callidissimo & ludicro inuento, illud diarium sibi hactenus fuisse? Alius cùm rudera & terram magister ad explendam mensuram pabulo identidem misceret,

ret, fraude fraudem hanc vltum iens, in ollam eius carnium plenam, è foco correptum, cinerem iniecit.

CAPVT XIV.

Ex furore.

POst iocos furor rationem comprobet. Amentia nō est, vbi mens non fuit: ergo si aliquando insani, sæpè cordati. Ferè annuo morbo dementantur istæ bestiæ: restituuntur, vt narraui, pharmaco rationis. Nunc furorem non solemnem memoro. In Antiochiâ vrbe Syriæ elephas inter cicures more suo ad pastiones iens, vidit fortè mulierem haud inscitam, pariter corollariam. Vidit, perijt. Assiduus ille apud eam, promuscide faciem, manus lambere, tergere; & quacumque poterat, blandiri, insinuare. Quin & illa redamauit, corollas & flores, aliasq; amoris illecebras sæpè offerens. Cùm perseuerasset mutuus hic amor, mulier ecce ad plures abijt. Elephas desideriū non tulit, nec mentis suæ vltrà compos, datus est in furorem.

CAPVT XV.

Ex virtutibus.

MAximum rationis indicem, nunc ostendo virtutem. Vt sileā religionem, castitatem, pœnitentiam, obseruantiam, & reliquas quæ in primo Libro ex animalibus præsentauimus, pietatem pro cunctis nunc exhibeo maximam; documentum edam charitatis. Antigono Regi elephas femina fuit. Euenit, vt in obsidione oppidi Megarensis puerum pareret vxor Indi elephantistæ. Is suâ linguâ commendat infantem inter bellicas turbas elephanti (ita nomen eius fuit) Niceæ. Capit illa seriò in fidem, & omnia officia exhibet quæ piissima aliqua nutrix siue mater. Infans ante pedes eius deponi debebat; nisi fieret, cibū non capere, iram omnibus signis ostendere, & dolorem. Gaudere contrà, eo adiacente, & tum cunas mouere ad oblectandum, aut somnum conciliandum; tum ventilare & pellere muscas, quod faciebat sanè scitè, arundinis ramum promuscide suâ motitans. Atque hæc officia interdum etiam vsurpabat elephas maritus.

CAPVT XVI.

De canibus ex Empyrico.

CAnum virtutes Sextus Empyricus ad construendā bestiarum intelligentiam collegit, & ne mutilem, eius dissertationem integram præsento. Non vltra vnum animal progrediemur canem, quo nullum vilius esse videtur animal: nam etiā ita comperiemus, nihilo inferiora esse nobis ea, de quibus nunc loquimur animalia, ad fidem de apparentibus obtinendam. Sensu ergo nos antecellere hoc animal, ore vno fatentur omnes Dogmatici: nam odoratu magis quàm nos percipit, per hunc feras, quas non videt, indagās; & oculis eas celeriùs cernens, quàm ipsi possimus. Sed & acuto aurium sensu præditus est. Itaque ad sermonem veniamus, qui intrinsecus & in animo situs est, aut enuntiatiuus. Videamus igitur priùs de intrinseco. Hic certè, secundùm eos qui maximè nobis aduersantur nunc Dogmaticos Stoicos, in his videtur agitari, videlicet in eligendis ijs quæ ad naturam nostram accommodata, & in fugiendis ijs quæ aliena sunt: item in cognoscendis quę ad hoc conferunt artibus, in percipiendis ijs quæ ad propriam naturam pertinent virtutibus, quæ circa affectiones versantur. Canis ergo (quod vnum ex brutis in exemplum afferre libuit) eligit quæ sibi sunt commoda, & fugit quæ noxia: quæcumque esculenta sibi esse cognoscit, quærens & persequens, intentato autem flagello recedens. Sed & artem habet sibi commodorū comparatricem, nimirum venatoriā. Nec verò virtutis est expers: nam cùm iustitia sit ea, quæ vnicuique id quo dignus est, tribuit; canis familiaribus quidem, & ijs qui de ipso benè merentur velut assentans, eosque custodiens, externos autem, & qui ei iniuriam inferunt, vlciscens, iustitiæ expers non fuerit. Quòd si hanc habet, cùm virtus vna ab alijs separari non possit, etiam ceteras habet virtutes, quas ipsi sapientes vulgus hominum habere negant. Quinetiā & magnanimum ipsum esse videmus in propulsandis iniurijs, videmus & prudentem; vt etiam testatus est Homerus, qui Vlyssem omnibus domesticis ignotum inducit, à solo autem Argo agnitum: cùm nec immutatione corporis ipsius hominis deceptus esset canis, nec àcomprehensiuâ phantasiâ desciuisset, quam magis quàm homines habere ipsum apparuit. Secundùm autem Chrysippum (qui maximè irrationalibus animalibus aduersatur) etiam illius tam celebratæ dialecticæ particeps est: ait enim hic vir, tertij notitiam per multa eum anapodicta consequi, cùm ad triuiū venerit; & ex tribus vijs, cùm iam duas indagauerit per quas non transierit fera, tertiam ne indagans quidem, statim per eam magno impetu fertur. Perinde enim hoc valere ait vetus ille Philosophus, ac si ratiocinaretur hoc modo: Aut hac, aut istac, aut illac transijt fera; neque autem hac, neque istac; ergo illac. Sed & morbi sui, quales sint,

percipit, & leniendo dolori curam adhibet. Si quis enim illi palum impegerit, ad hunc extrahendum properat, pedem terræ adfricans, & dentium vtens ministerio. Quòd si illi fortè sit alicubi vlcus (quoniam sordida vlcera magnâ cum difficultate curatur, munda autem facilè) leniter tabum inde fluentem abstergit. Sed & Hippocratis præceptũ pulcherrimè obseruat: quoniã enim pedis medicina, est eius quies; is si quod fortè vulnus in pede habuerit, hunc sursum attollit, & quantum potest dat operam ne agitetur. Cùm verò facessunt illi negotium humores incommodi, herbâ vescitur, cuius ope quidquid est incommodum illi, egerens, valetudinem recuperat. Si igitur ostensum est, canem (quod vnum animal sermoni nostro exemplum suppeditauit) & quæ sibi commoda sunt, appetere, & quæ negotium exhibent, fugere, & arte sibi commodorum comparatrice præditũ esse; talem etiam esse, qui passiones suas percipere, & remedia, quibus eas mitiget, excogitare possit. Nec verò virtutis expertem esse, in quâ sermonis intrinseci consistit perfectio, perfectus, quãtum ad hunc spectat, canis iure dicatur. Vnde mihi factum videtur, vt nonnulli Philosophi se huius animalis cognomine commendauerint. De sermone autem enuntiatiuo in præsentiâ quidẽ disputare non est necesse. Hunc enim etiam nonnulli Dogmatici respuerunt, vt virtutis adeptioni aduersantem: ideò & toto tempore, quo instituendos se tradebant, silere solebant. Prȩtereà fingamus hominem aliquem esse mutum: non eum propterea quisquam irrationalem dicet. Verùm vt hæc quoque omittamus, primùm videmus hæc animalia, de quibus loquimur, humanas proferre voces, vt picas, & aliqua alia. Sed vt etiam hoc missum faciamus, etiamsi animalium irrationalium voces non intelligamus, non absurdum fuerit dicere ea inter se disserere, sed nos non intelligere. nam cùm Barbarorum audimus vocem, minimè eam intelligimus, sed vniformem nullaque varietate distinctam esse putamus. Quin etiam canes audimus aliam quidem edentes vocem, cùm aliquos persequuntur, aliam cùm vlulant, & rursum aliam cùm vapulant; sed & aliam cùm ceuent: ac, vt semel absoluam, si quis hoc attentè considerauerit, magnum comperiet discrimen esse vocis, non in hoc animali solùm, sed & in alijs, prout diuersa contingunt. Itaque meritò his de causis animalia, quæ irrationalia appellantur, sermonis enuntiatiui non expertia esse dicantur. Iam verò si & tam exactis prædita sunt sensibus quàm homines, & æquè pollent sermone intrinseco ac illi, & (vt hoc ex abundanti addam) etiam enuntiatiuo; in ijs certè quæ ex phantasiâ pendent; nihilominùs penes ea quàm penes nos fides esse poterit. Possim autem, vnumquodque animaliũ oratione percurrens, eadem ostendere: nam & illud quis negauerit, & solertiâ præstare aues, & enuntiatiuo vti sermone: quippe cùm non prȩsentia solùm, sed & futura norint, & hæc ijs qui intelligere possunt, prænuntient, cùm alijs modis ipsa significantes, tum etiam voce prȩdicentes? Sed hac comparatione vsus sum (vt etiam anteà admonui) ex abundanti; cùm, meo quidem iudicio, satis superquè iam declarassem, non posse nos phantasias nostras phantasijs animaliũ irrationabilium præferre. Hactenus disseruit Empyricus.

CAPVT XVII.

Ex vitijs.

QVid restat? ánne & vitiorum suffragium expectas? Fortasse: nam & malignitas ingeniosa est. Sed nec istud deest, in maximâ omnium calumniâ, glorię cupiditate, ambitione, αὐθαιρεσία. Erat Antiocho Regi elephas, cui (ita enim hominum canumque exemplo distinguuntur) nomen Aiax. Is dux plerumque agminis, generosus, celsus, & velut Rex in Regio illo grege. Euenit vt flumen transmittendum esset: renuit infelix, & malâ suâ sorte Aiax. Pronuntiatum enim illicò à Magistris, Principatum eius fore qui prior transisset. Intellexit, & arripuit Patroclus (& hoc elephanti alteri nomen) fluuiumque transmisit. Præmio igitur donatus est, phaleris argenteis, quibus mirè gaudent, ornatus, & velut in possessione positus principis loci. At Aiax noster properè ab hoc Vlysse circumuentus, fatum etiam, quà potest, illius veteris exsequitur; & mortem ignominiæ præferens, inediâ se confecit.

CAPVT XVIII.

Ex discretione.

AD hæc quid magis probabit iudicium, quã diiudicare? Leo discernit magnanimos ab humilibus, gestiens non tantùm rationem humanam, sed prouidentiam maiorem æmulari.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Eidem delectus precum est. Equo præiudicium periculi: præsentiscit insidias, quod non rarò dominis saluti fuit. At illa in prælijs discretio quanta est? tela humi deiecta necessaria pugnæ iudicat, hero sæpè porrexit. Tigrides discernunt inter homines: canes inter hostes & amicos, de quibus suo loco verissima dabimus, non sine periculo fidei, scilicet admi-

admiranda. Suliac animal Scythiæ, de quo scribit Camerarius, se quasi ductorem præbet capreolorum gregibus, ipsisque præire solet: acerrimo visu viuidoque auditu percipiens, longè lateque circumspiciens, omnia obseruans, hominum persequentium insidias è longinquo deprehendit, comitibus sibilo acuto signum fugæ dat, vt in loca tutiora se recipiant. Typus pulcherrimus Principis, idem Camerarius ait, solliciti ac solertis, rectorisque vigilantis, quem Homerus ideò *ποιμένα λαῶν*, id est *pastorem populorum* vocat. Chrysanthas apud Xenophontem ait, nullum esse discrimen inter bonum Principem, & patrem bonum. Quidã attribuunt huius symboli inscriptionem Adriano Imperatori Rom. qui etiam in frequenti Senatu, vt Dion memorat, publicè hæc verba protulit: *Ita Imperium administrabo, vt sciam non mearum rerum, sed subditorum curâ me affici debere.* Sic legum quasi colophon, clausula hæc additur: *Salus populi suprema lex esto.* Ipse Camerarius animali ipso ita depicto vt capreolis præcurrat, ad eosque respiciat, pulcherrimum confecit symbolum seu emblema, cum lemmate, *Non mihi, sed populo.*

Rex bonus est pastor populi, tutorq; paterq;,
Nec sua sed populi commoda sola cupit.

CAPVT XIX.

Ex varijs actionibus.

COmmiscebo denique aliqua argumenta mentis, quæ collegit Antigonus. Apud Canopium, ad lacum Mæotidem, inquit lupos accipere à piscatoribus alimenta, & eorum piscationis instrumenta custodire: quòd si aliquâ se affectos iniuriâ putent, lina & pisces eorum tunc infestare. In Thraciâ, eo loco qui olim Cedripolis fuit vsurpatus, homines & accipitres societatem aucupij seruare: nam auiculas ab hominibus lignis exagitari, insectari exagitatas accipitres, fugientesque auiculas in homines incidere, itaque homines prædæ partem accipitribus dare. Pardalim ferunt deprehendisse, quòd suo odore animalia delectentur: itaque se occultare, & iuxta prætereuntia venari. Ichneumones, aspide conspectâ, non priùs eam aggredi, quàm alios ad auxilia acciuerint: contra morsus autem & ictus humectare eos corpora, & in puluere volutare, itaque se luto oblinere. Trochilos aiunt dentes crocodilorum purgare, indeque ali, & sentire crocodilum hanc suam vtilitatem: ideoque cùm exire vult trochilus, collum mouere, ne eum commordeat. Mustelam priùs quàm cum serpente pugnam ineat, rutam edere, cuius odor serpenti est inimicus. Quin & contra serpentum ictus, merum, per rutam decolatum, ac potum prodesse aiunt. Sus quoque à serpente morsa, statim ad aquam fertur, & cancrum quærit: nam & is inter ea recensetur, quæ aduersus serpentum ictus valent. Columbas nolle cum pluribus coire; neque omittere coitũ, nisi viduus aut vidua fiant: pullis salsugine præditam terram præmansam in os inspuere, alimentumque ijs ita præparare. Pelicanos conchas femellas deglutire: cumque eos aliquantulum in summo ventris detinuerint, hiscentes iam euomere, sicque carnes eruere & vorare. Vulpes quæ vocantur, cùm sentiunt se hamum deglutijsse, sursum efferri, ac funem mordicus rumpere. Polypum alimenta reponere in suas cauernas, & consumptis quæ vsui erant, inutilia eijcere, pisciculosque ad eiecta conuenientes captare: colorem imitari lapidum, aliarumque, ad quas accedit, rerum; idque facere, cùm est in metu. Vide quid nauta polypus subtilitatis vsurpet. Testam habet, quâ inuersâ sursum fertur, vt deinde faciliùs deorsum ferri queat: cũ enim sursum euasit, obuertit eam. Habet autem inter sua flagella quidpiam continuum, membranæ instar: eo, cùm ventulus est, loco veli vtitur, demissis flagellis, quæ ei claui vsum exhibent. Ferunt Scytharum Regi equam fuisse generosam: ad hanc adductum pullum ex ipsâ natum, vt eam iniret, detrectasse, equam tamen velatam ad se adductam conscendisse; cumque detectæ faciem vidisset, profugisse, ac seipsum per præcipitium deiecisse. Animalium in mari degentium esse mansuetissimum delphinum: nam & puerorum amore eum capi, vt circa Tarentum, Cariam, aliaque multa loca. In Cariâ cùm vinctus esset delphinus, ac multis affectus vulneribus, multos ferunt alios delphinos in portum auxilij ferendi causâ aduenisse, dum illum piscator dimitteret.

CAPVT XX.

Sagacitas animaliũ sine ratione vindicatur.

VErùm licet prodigamus fidem, & maiora de animalium astutijs credamus, nisi nos mente damnemus, illis concedenda non est. Erimus sicut bruta, si bruta putemus sicut nos. Diuinâ finitione istud constat. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Fimus quidem, si illis demus: ignari honoris nostri, pares erimus brutis. Lamentari quoque licet: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Cur non potiùs nos censemus mente inopes,

pes, cùm irrationabiliores illis nos faciamus? Cur bruta, quòd vltra sensum assurgant, demiramur; & nosipsos, quòd infra insensatas dilabamur naturas, non erubescimus? Negligentes sumus dignitatis nostræ, fortasse quia non memores. Sublimiùs ratio in cælo in Deo hospitatur, quàm quò vulgus naturarũ assurgat. Cognata cùm sit diuinitatis, & dos atque frons humanæ gloriæ, erigitur ad cælum capitolium mentis, arx rationis in homine erecto stat vultu; ille solùm cælestia respectat, diuinitatis cognatus, ratione decorus. Inustæ tamen sunt quædam eius notulæ brutis, vt quam in nobis non colimus, in alienis aris quamdam eius statuam reuereamur: vt sciamus cuius vmbra feras nobis similes facit, eiusdem veritatem nos Deo similes facturam. Si tantam nobis incussit admirationem vestigiũ mentis, quantum ipsa mens nos admirabiles reddet? Si bruta sensus rationalia simulauit, nos ratio diuinos: si, quæ nos, illa sensu agunt; nos ratione agemus, quæ Deus. Quantum possimus mẽte, noscamus ex ijs quæ amẽtia agunt imaginatione. Intelligit natura quid faciat: opus eius rationale est, addo & diuinum. nam rationale non ab aliâ ratione est nisi diuinâ. Non sunt rationalia dote domesticâ, quæ iuxta rationem se mouent; velut quæ eleuantur, non statim sunt ignis. Videndum est à quo moueantur. Sagitta alieno impulsu scopum quærit: ita quidquid videtur ratione agere, videndum à quo agatur; alioqui tota natura rationalis esset. In omni eâ est quædam rationis affectatio, quædam discretio. Elementa norunt, cùm exulant suis sedibus; repetunt sine errore viæ. Ignis similia cogit. Stirpes noxios succos à salutaribus distinguunt; illos recusant, hos attrahunt. Cucumeres oleum aduersantur, an quia sciunt eo se perfusos morituros? perreptant verò ad vliginem & humorem quo irrigentur. Vitis brassicam odit propter inuidiam succi ab illâ vsurpandum: fugit laurum infensam nimiâ caliditate. Audiã Tertullianum, vitis hederæque sapientias contemplantem lib. de Animâ, cap. 19. *Video enim & vitem, adhuc teneram & impuberem, intelligentem tamen iam opera sua, & volentem alicubi adhærere, cùm innixa & innexa proficiat. Denique non expectatâ rusticâ disciplinâ, sine arundine, sine corno, siquid attigerit, vltrò amabit: & quidem viriosiùs amplexabitur de suo ingenio, quàm de tuo arbitrio properat esse secura. Video & hederas, quantum velis premas, statim ad superna conari, & nullo præeunte suspendi; quòd malint parietibus inuehi textili siluâ, quàm humi teri voluntariâ iniuriâ. Contrà, quibus de ædificio malè est, vt crescendo recedunt, vt refugium sentias ramos aliorsum destinatos, & animationem arboris de diuortio parietis intelligat; contentæ suâ paruitate, quam ex primordio prouidentissimi fruticis edidicit, timentis etiam ruinam. Has ergo sapientias & scientias arborum cur non contendam? Viuant vt philosophi volunt, sapiant vt Philosophi nolunt; intelligant & infantiam ligni, quò magis hominis.*

Ad hæc affectus pariter plantæ simulant. Palmæ se diligunt; sed & in extraneum genus charitatem colunt. Myrtus & malus amicitiam colunt. Quare quemadmodum delirarunt Anaxagoras & Empedocles, tribuentes stirpibus vota, cupiditates, ille animalia ratus, iste & sexu distinguens; atque insuper accedens Democritus, mente eas exornans: ita delinquunt qui irrationabilibus rationem tribuunt. Ceterùm & tantam mentem bestiarum in argumentum nullius sumo: iam enim prudentiores nobis essent, feliciores: naturalis illis ars, & ab vtero sapientia. Nobis sera est ratio, pigra mens, laboriosa ars, post multos labores: post multas ineptias magnum præmium est, minùs insanire. Illis idem nasci, & sapere sine disciplinâ, sine labore; non igitur gloria suæ naturæ est, sed donum; non census proprius, sed beneficium alienum. Ad hæc perfectiùs aliquando quàm nos agũt: perfectiori enim gubernantur mente, nam alienâ: impetus ille à diuinâ est ratione. Puer aliquando elegantioris formæ characteres exarat quàm adultus, si peritus scriba ducat manum. Diuinus vigor illa ductat: ab illo prudentissimos impetus dispensant, non aliter quàm directus sagittæ motus ab impellente homine est. ideò quia à Deo puriores interdum virtutes edunt, id est, purioris virtutis simulachra. Adijce, quòd si ab euentu non à principio mens definienda esset, non tantùm brutis ratio esset, sed fermè diuinitas. Noscunt futura, præsagiunt: scilicet diuinatio potissima diuinitatis est tessera. Istam agitationem diuinæ manus in nobis experimur, cùm infantes fuimus; & siquando adulti desipimus, tunc aliqua rationalia facimus, sed sine ratione, interdicto eius vsu. Ad disciplinam nostram ista sunt, omnem morum institutionem, & solertia rationis officia finxit in amentibus naturis diuina mens, vt erudiremur, commendatâ ratione, vbi non est; & prouocatâ, vbi debuit esse. Ad hoc sunt plura rationalia officia manifestè irrationalium, quæ per insolentem naturæ ordinem eueniunt, ad aliquam eruditionem nostram. Infantes videmus cum sanctitate, bruta cum religione, insensata cum ratione, muta cum linguâ. Infans Nicolaus aliquoties in hebdomade ieiunabat. Brigitta conticuit, vsquequò triennis cœpit extemplò perfectè loqui

loqui inopinâ oratione. Illaterius muta visa prudentissimè: noluit loqui, donec sciret. Quid sapientius, quàm morâ vincere errores? Cùm feruidus Pater, homo quidē Dei, Ignatius Martinus in Lusitaniâ doctrinæ Christianæ rudimenta cœpisset in plateis docere, rogauit auditores, num vellet aliquis salutare Virginem. Tenuit omnium ora quidam pudor, sed infans in vlnis maternis tunc insonuit: *Aue Maria.* quo prodigio percussâ verecundiâ adultorum, progressi sunt vociferantes, *gratia plena.* Bos quidam ignarum & negligentem rusticum Religionis nostræ sacramenta edocuit, intonando articulatâ voce, *Credo in Deum Patrem*, & omnem reliquam Fidei professionem. Eloquentem etiam bouem C. Volumnius & Seruius Sulpitius Consules notarunt. Alius sub secundum bellum Punicum exclamauit, *Caue tibi Roma.* Alius ante imperium Augusti dixit ad aratorem frustrà se vrgeri, cùm breui non frumenta, sed homines sint defuturi. Loquacem canem ethnici viderunt: pulso Tarquinio Epidius arbores locutas prodidit: meminit & Plinius, speciatim Philostratus vlmū, Orpheus fagum. Saxum quo se portari Motezuma iussit ad idolorum sacra vbique peragenda, immobile constitit, nullaque vi nec arte sedem suam reliquit: diffractis pluribus rudentibus, quibus innumeri barbari id protrahere sunt conati, & porrò contendentibus, insonuit vox, nullo pacto posse dimoueri, Dominum enim naturæ nolle illa fieri sacrificia. Nuntiato Regi prodigio, iussit ibi sacrificari. sed iterùm vox: *Nonne iam dixi, displicere ista creatori? In huius fidem permittam tantisper me portari, & iterùm fixum stabo, vt dimouere me non valeatis.* Accidit ita facilè: promota rupes aliquantulum fuit, mox rursus immobilis constitit. Muri Babylonici hac voce resonuerunt, tunc vrbem captam iri, donec mula pareret: atque numquam capiendæ vrbis spem enixa Zopyri Persę mula refutauit. Quemadmodum hæc & alia rationalia insensatarum rerum argumenta propter aliquam institutionis nostræ maiorem necessitatem dispensata sunt; ita & ordinaria quædam documenta virtutis, & vestigia mentis propter communem eruditionem imprimi brutis oportuit. Erubescat homo aut brutorum æmulum non esse, aut fuisse imitatorem. Pudeat illâ virtutis imagine carere, quibus seruiles naturæ commendantur, aut per imitationem vitiorum in eorum censu rescribi. Ad fastidium vitij, ad inuidentiam virtutis, animalia cum vtriusque gestu, & rationis effigie, diuina illa ratio fabrefecit. Ad hæc fides diuinæ sapientiæ est, dum sapere videmus bruta; mitamur maiestatem illius mentis in amentes naturas refusæ: quò minùs possunt sapere, plus est sapuisse. Subtiliorem artem difficilior materia commendat. Adijce, solertiora esse minima, aut deformia, formicam, apem; elephantem aspectu stultum & inertem. Quemadmodum calidior est aër remotior à Sole, quàm in mediâ sphærâ; resistente enim opacitate terræ, geminantur reflexione radij: ita eæ naturæ, quæ humiliores videntur, sagaciores sunt. productus vsque ad illas diuinitatis splendor, velut ibi resumptus roboratur. Gestit quoque in minimis diuina se ostentare ratio: plus formæ habent, aut tota pænè sunt forma. Quanta illa mens erit, quæ sine materiâ, quæ simplicissima, quæ tota actus est, quæ tota forma, limpida omni complexione. Quæcumque igitur prudentiæ signa edunt bruta, idola quædam & velut sigillaria mentis sunt, arcanâ virtute, non suâ perspicacitate gubernata. Nec mirandum est, quæ de ipsorum astutijs narrantur (fortasse non omnia sine negligentiâ veritatis) nisi quia rationabilia sine ratione peragant: affectant mentem, non obtinent; nec illam sacram discernendi vim imis concludunt pectoribus, in territorio adhuc materię contenta. Diuortium corporis & spiritus ignorant. Quare in illis totum corpus est, & demissum, nec vltra phantasiam, citra debitum laudis, citra meritum, citra præmium.

CAPVT XXI.

An disciplina sit brutis.

IAm & disciplinam omnem nego brutis. Solus homo notitiâ principiorum pollet, quibus artes scientiæque struuntur. Solus ille discipulus, sciens, artifex: solus diiudicat per compositionem rationum, solus discursus nectit, solus mentem reflectit, ex proæresi statuit, reminiscitur. Quid denique ad vindicationem artium & ingenij desideras? Specta corpus ad artificia promptum, erectum, subsistens, instructum manu aptissimâ operi. Instrumentum dedit natura genuinum, nouit cui vsui. Blandè itaque capiendi sunt Auctores, qui à disciplinâ bestias commendant. Extulit ad hanc gloriam hirundines Theophylactus Simocata initio sui Dialogi, vbi ait: Τὰς χελιδόνας ὑπὸ τῆς μητέρων ἀκήκοα τὴν παρ' αὐταῖς ᾠδὴν διδάσκεσθαι μουσικῶς· οὐδὲ γὰρ ἀπαιδεύτου γρυνήματος χελιδὼν ἀκούειν μήτηρ ἀνέχεται. Διδάσκουσι ταῦτα ἐκεῖναι τὰ ἔκγονα, πόλεσι εἰσοικίζεσθαι, καὶ προσάδειν ἀνθρώποις, καὶ προσλαλεῖν θαλάμοις ᾠδὴν ἐναρμόνιον. *Hirundines maternos cantus, secundùm modulos musicos à matribus edoceri percepi: non enim indoctæ prolis audire mater*

ter sustinet hirundo. Docent eæ igitur suos fœtus vrbes inhabitare, & apud homines canere, ac circum superiores ædium partes carmine perstrepere continuò. Idem, vt omittam alios, elephanti exemplum sic commendat Epistolâ decimatertiâ. Φιλομαθέστατον ζῶον φασι τὸν ἐλέφαντα, καὶ ἀνθρωπείων διδαγμάτων μαθητὴν ἐπιδέξιον· οὐ γὰρ ὁ τοῦ σώματος ὄγκος θαυμαστὸς παρ᾽ αὐτῷ, ὅσον ὁ τῆς παιδείας κόσμος τετίμηται. Καὶ ταῦτα μὲν παῖδες περιθρυλλοῦσιν Ἰνδῶν. Ἐγὼ δὲ τοῦ Νικίου τεθαύμακα, τὸν ἀλόγων ζώων ἔχοντος τὸν λογισμὸν ἀλογώτερον. ὑπάρχων γὰρ παῖς ἀνδρὸς σοφιστοῦ, τὰ πατρῷα ἐκλελάκτικας, περὶ δὲ κίβους καὶ παλαίστρας τὴν τοῦ βίου σχολὴν κατηνάλωσας, καὶ γέγονας πέρας δυσγενείας τῇ φύσει. Εἰ τοίνυν παῖς ἀκούειν Ἑρμαγόρου ἐθέλεις, ὀψὲ πρὸς τὸν ἐκείνου βίον ἐπάνηκε, ἀγαθὸν, κἂν ἐς γῆρας σοφία τε καὶ φρόνησις παρῇ, καθὰ δοκεῖ καὶ τῷ Πλάτωνι. Εἰ δὲ τῶν πάλαι κακῶν δυσαναχετεῖς μεθιστάναι, καὶ παῖδα σαυτὸν Ἑρμαγόρου κηρύττεις, τυμβορύχος ἴσθι τοῦ πατρῴου τάφου γενόμενος· τῇ σῇ γὰρ κακίᾳ τὰς ἐκείνου ἀρετὰς καθυβρίζεις. *Disciplinosissimum dicunt animal esse elephantum, & dexterrimo caput ad omnia ea quæcumque ab hominibus edoceatur: neque enim in illo tantum moles miranda corporis, quantum disciplinæ cultus æstimatur. Et ea quidem Indorum pueri diuulgant. At ego Niciam admiratus sum irrationalibus animantibus rationem habere irrationaliorem, vt qui cùm sis viri eloquentis filius, paternis studijs abiectus, in alea ludo ac palæstra otio vitam deteras, egressus ingenuitatem generis. Quare si filius audire velis Hermagoræ, serò aliquando ad eius vitam redi: & bonum est, si in senectute sapientia adsit & prudentia, quod & Platoni videtur. Si verò molestum est ex pristinis vitijs resurgere, & teipsum Hermagoræ filium iactitas, scito te futurum furem paterni sepulchri. Nam tuâ malitiâ virtutes eius infamas, & contumeliâ afficis.*

Exempla bestiarum disciplinam simulantium, laxè quoque admittenda vultum solùm discendi obiectant. Fuit felis cuidam Fratri nostro familiaris, cuius curæ erat pulsare nolam ad surgendum. Id munus felis didicit: si fortè, cùm hora insonabat, abesset Frater, felis accurrebat ad funem, & manibus presso vngue detrahebat.

CAPVT XXII.

An sint in brutis affectus.

PRoximum est quærere de appendicibus mentis, num passiones aut vexent aut versent bruta. Et quidem affectus nostros affectant, non habent. Ita Stoici, qui & ipsos affectus animalia censuerunt, sed negarunt animalibus: ita & Seneca. cum quibus dicendum est, feras irâ carere, & omnia præter hominē. Nam cùm sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur nisi vbi rationi locus est. Impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incursum, iram quidem non magis quàm luxuriam. Et in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quòd credas illi qui dicit,

Non aper irasci, meminit non fidere cursu
Ceruа, nec armentis incurrere fortibus vrsi.

Irasci, dicit incitari, impingi. Irasci quidem non magis sciūt, quàm ignoscere. Muta animalia humanis affectibus carent; habent autem similes illis quosdam impulsus. Alioqui, si amor in illis esset, & odiū esset; si amicitia, & simultas; si dissensio, & cōcordia; quorum aliqua in illis quoque extant vestigia. Ceterùm humanorum pectorum propria bona malaq; sunt. Nulli nisi homini concessa prudentia est, diligentia, cogitatio. nec tantùm virtutibus humanis animalia, sed etiā vitijs prohibita sunt. Tota illorū, vt extra, ita intra forma humanæ dissimilis est. Regiū illud & principale parum subtile, parum exactum, vt vox est quidē, sed non explanabilis, perturbata, & inefficax, vt lingua, sed deuincta, nec in motus varios soluta. Capit ergo visus speciesq; rerū, quibus ad impetus euocetur, sed turbidas & confusas. Ex eo procursus illarum tumultusq; vehementes sunt; metus autem sollicitudinesque tristitiaque & ira non sunt, sed his quædā similia. ideò citò cadunt, mutantur in contrariū: & cùm acerrimè sæuierunt, expaueruntque, pascūtur, & ex fremitu decursuque vesano statim quies soporque sequitur. Libanius etsi refutet Stoicos, qui opinionis elogio diffamarūt affectus, secutus tamē Aristotelicum sensum, imaginē illorum, nō ipsos, bestijs indulsit. Vmbra amoris fuit, cùm elephas puellas, cùm delphinus pueros dilexerunt, cùm amasijs mortuis tabescebāt.

CAPVT XXIII.

An risus & fletus competat brutis.

QVid de risu & fletu? Ridet cuculus, ridet & auis fulua, quam Indi quapachtototl dicunt: meruit propterea infamiam inauspicati ominis. Adeò Barbari philosopharunt timentes lætitiam, festiuumque & ridibundum cantum minas computarunt. Luxerunt canes & equi. Paulò ante mortem Cæsaris greges equorum abstinentes pabulo, vbertim profudere lacrymas. De Pallantis equo Virgilius cecinit:

Post bellator equus, positis insignibus, Aethon,
It lacrymans, guttisq; humectat grādibus ora.

Eâdem fidei lege descripsit Homerus equos Achillis:

Perstabant curru iuncti, lacrymasq; cientes,
Quæ miseris calidæ malas per & ora fluebāt.

Pli-

Plinius lib. 8. c. 42. equis tribuit pugnæ præsagium, & lacrymas, in obitu dominorum. Consentit Isidorus, qui adiecit, solũ equum, præter hominem, lacrymari, & doloris affectum sentire. Sed istæ commotiones contingunt rationẽ, & pro excessu aut defectu stultitiæ, aut inhumanitatis elogia merẽtur: quare quibus deest ratio, similitudo erit dumtaxat. Latiùs ista Libanius, nos dũtaxat libamus. Sed de lacrymis definiamus nonnihil. Non animalibus tantùm, sed & plantis quidã lacrymas assignarunt: putarunt lacrymas non aliud esse quàm prolicitũ guttatim humorẽ ex viuẽtibus. Sed hoc & sudor est. Quid ampliùs lacryma erit? Fluxus oculorũ? Vtique, sed non simplex, sed quem affectio animi extorserit. Iam si lacrymatio inuoluit affectũ, vbi iste non legitimus, simulatio dumtaxat lacrymandi erit. Ophthalmiâ vexati ab oculis stillãt humorem, nec lacrymare dicimus: item & frigore afflicti, & inflãtes buccas, & bibentes immodicùm, aut ridentes. Quare sicut homo non semper lacrymatur, cùm oculi aquas stillant, ita nec bruta. Homo autem solus lacrymatur. Prima humanitatis cærimonia fletus est, primum vitæ vectigal, prima lucis salutatio. Scilicet præfatio vitæ, lacrymatio ceteras vitæ partes prædictat.

Fuerunt & qui in ipso vtero lucis timorem fletibus indicarunt. VVeinrichius in erudito trium historiarum de monstris tractatu facit mentionem. Operæpretium est eius verba adscribere. *Quin & flens*, inquit, *in vtero puer natus est, teste Fabricio, qui & versibus suis illustrauit, & Baptismo ipse adstitit. Nostris etiam his paucis annis clarißimè vociferari auditus est, alius in hac ipsa vrbe* (Vratislauiâ) *homo in omni suâ vitâ posteà miserrimus factus. In Alpibus Noricis vagitus cuiusdam diebus quatuordecim ante partum exauditus est, infantis etiam verè monstrosi, quòd cornutus esset.* Hæc ille. Crusius ex Iobo Fincelio anno 1546. *infans in vtero materno fleuit, vnus in Misniâ, alter Rotvvilæ ad Nicrum. Eo verò anno bellum fuit Protestantium cum Cæsare.* Meminit eius & Cardanus de Varietate rerum, sed ἐν φύσει tantùm, additque parricidas tales posteà fuisse, aut aliàs improbos. Quid? Iámne in hoc refutamus asserta? infantibus affectus non est, nam nec ratio, quare nec lacrymæ. Fateor affectus & rationem infantibus actu deesse, non facultate; illius autem lacrymæ sunt, qui mentem habet, licet non exprimat. Nobilioris animæ vigor plus dominatur etiam sine ratione corpori, & extundit argumenta sui morsus ex oculis.

CAPVT XXIV.

An soli equi lacrymas fundant.

Laxiùs interpretanda est illa Isidori sententia, quòd solius equi & hominis sit lacrymari, scilicet frequentiùs. Nam Claudianus inquit,

——— *Lacrymis torui maduere leones.*

Fauet Plinius & Lucretius, lacrymis & mœrore Regem ferarũ donantes. Asinos Mauritaniæ acerrimas lacrymas scripsit Ælianus fundere. Elephantibus tribuit Xiphilinus lugubrem vocem, canibus Calaber sensum doloris, tauris Calpurnius mœrorem. Omnia hęc capienda eo sensu, quo superiori Capite constrinximus, lacrymas proprias, affectui dumtaxat rationalis naturæ competere.

CAPVT XXV.

Memoria quibus brutis insit.

Alia lis de memoriâ est, num cõmendet bestias. Et quidem reminiscentia nullis inest (appendix intellectionis est) memoria multis imaginationis viribus contenta, quis illã elephanto negabit? Glycas testis est, elephantem quemdam, cùm in Circum deduceretur, sedentem in foro ad Milliarium aureum Magistrum ferarum, subitâ irâ atque impetu interfecisse. Causam nõ aliam violentiæ fuisse, quàm quòd ante annos totos decem, eodem illo loco, idem Magister eumdem elephantũ ferro percussisset, quam iniuriam tot annos recondens, tunc demum ijt vltum. Ex Acostâ plura Lipsius. Miles quispiam in vrbe Cochin elephantem per lasciuiam in fronte putamine nucis percusserat (grandem illam Indicã intelligo, quam incolæ coccum appellant.) Elephantus putamen studiosè tollit: illud, atque iram, recondit. Post dies plusculos, in viâ quapiã publicâ obambulantem militem conspicit, accedit, & elatum ex ore putamen, promuscide suâ acriter in illum conijcit: tum exultabundus abijt, quasi talionẽ illâ iniuriam probè vltus. Iterùm ex eodem. Miles elephantum in eadem vrbe cum rectore obuiũ habuit, noluit decedere. Elephas suam & rectoris contumeliam id interpretatur, vlcisci tamen à rectore prohibetur. Post dies aliquot, in ripâ Mangatæ fluminis (id vrbem alluit) militem fabulantem otiosè reperit. Cùm rector non adesset, corripit illicò hominẽ, in altum tollit, nec precibus nec clamore adstantium motus, aliquotiens flumine mersit, alleuans subinde & demittens. Cumque lusum eum satis diu lusisset, contentus hac vindictâ, hominem

minem vitæ ſuæ iam diffidentem, rectum & illæſum deſtituit eo ipſo loco vnde ſuſtulerat. Sed hæc in deteriorem & vindicem partem memoriæ exempla: ecce etiam in beneficam & benignam. Acoſta idem ſuggerit. Elephantum in vrbe Goâ fuiſſe, qui annuo illo & ſolemni furore correptus, catenas abruperit & vincla. Fugientibus omnibus, ſeruulum quempiã, qui vlnis infantem dominicum geſtabat, in ædes properè irrupiſſe, oblitum ſarcinę quam depoſuerat in illâ trepidatione ante ædes. Elephas adeſt, mortem omnes & obtritũ pueri exſpectant. Ille contrà manu ſuâ leniter attollit; in humile tectum, quod è regione ędium, collocat; reſpectans curiosè ſatiſne puer illic ſine damno. Dein furibundus curſum ſuum exſequitur. Id datum omnes interpretabantur veteri beneficio, quia mulier earum ædium domina, & infantis mater, elephanti tranſeunti ſæpiùs panem aut fructus obtulerat. Ad hæc: repedant feræ cubilia ſua, vtique memores. Canis poſt multos annos domũ agnoſcit; & reduces excipit dominos, adorat, blãditur, & aduentum celebrat magnis lætitiæ geſtibus. Maius diſſidium eſt, an omnibus inſit recordatio brutis. Diuus Baſilius piſcibus iniquus fuit, nullã pænè illis reliquit, eſt tamen quædam illis ſpecies diſciplinæ & experientiæ. Nihil ſine memoratione diſcitur. Ad ſigna prandij accurrunt in ſtagnis, cymbalo aut crepitaculo vocati, ſcilicet non immemores ſignificatûs: repetunt ſuas latebras, nempe non obliti viæ. Ariſtoteles quoq; nimis parcus videtur, dum apibus & formicis imaginationem negauit, memoriã eripuit. Iniuſtè quidem: formica enim per eamdẽ ſemitam redit ad domicilium, quærit amiſſam viam: apes quoque importunæ ſunt deguſtatis floribus. Fateor tamen, aliqua animalia memoriæ expertia, vt omnia pigra, & adhærentia ſaxis, ſuo contenta accubitu, ſuo fida loco: nãque indulta recordatio brutis ad repetitionem latibuli, aut opportunæ rei inquiſitionem, aut fugam. Illa ſunt tenacia ſedis; nihil quærunt, fugiunt nihil; ſuperuacaneum eſſet meminiſſe. Sed & tucani minima memoria eſt, aut maxima ignauia: neſcit repetere antrum, ſi fortè egrediatur, ideò alterum fodit quò ſe condat: nihilominùs alicuius recordationis argumentum eſt, ſeruare in ſuis latebris congeſta in annuos cibos ſemina.

CAPVT XXVI.

An libertas aut indifferentia aliqua brutis inſit.

Liberaliſſimi nonnulli Theologi, in quibus noſter Petrus Arrubal in Codicibus manuſcriptis, indifferentiam indulgent brutis circa delectabile & vtile, vt reijcere vel arripere illa poſſint; ſolùm circa honeſtum negatâ libertate: tum alij imperfectã quamdam diſcurſionem circa hæc obiecta prodigunt. Planè mihi non eſt dubium, aliud eſſe arbitrium, aliud rudem libertatem; & poſſe hanc aliquo modo ſine illo eſſe, ſcilicet ſine iudicio, ſine mente integrâ aut ſanâ. Pueri & amentes non ſolùm ſponte agunt, ſed multa etiam liberè, quæque in eorum libidine & poteſtate ſit ea efficere, aut omittere, aut aduerſa amplecti. Sic Victoria cenſuit, ſic & Molina noſter in Concordiâ ſuâ. Neque ea culpæ illis vertuntur, non merito, non opprobrio, quia non diſcernunt inter bonum & malum morale. Atqui hæc libertas non eſt exacta, nõ quam dicimus arbitrium: liberum enim arbitrium ibi eſt, vbi voluntas. Ea ſit, in quâ formaliter, vt aiunt, libertas explicetur præuio rationis iudicio. Quid? tantámne dabimus licentiam & libertatem brutis ac pueris? Non, credo, opus eſt: aliquam verò neceſſariam indifferentiam reor cum Molinâ noſtro; & ad minus, cum Arrubale, ineſt eis veſtigium libertatis quoad aliquos motus, & alterutrius partis ius eligendi à ſentienti appetitu. Quando namque (ait Molina) bellua fatigata ex diuturnâ ſeſſione ambulare appetit, neque in aliquem peculiarem locum trahitur à notitiâ & appetitu alicuius obiecti, quod in eo loco ſit, planè in poteſtate ipſius videtur eſſe ſitum, in vnam aut in alteram partem moueri. Non tamen tantum veſtigium libertatis cõcedam belluis, vt ſi ab appetitu, præuiâ cognitione alicuius obiecti, incitentur in obiectum certum, nullaque exiſtente causâ quâ retrahantur, vt metu fuſtis aut alterius rei, in poteſtate ipſarum ſit non moueri in tale obiectum. Qui tamen neque veſtigium hoc libertatis beſtijs voluerit concedere, is nullâ ratione appetitui brutorum radicem proximam alicuius contingentiæ tribuere debet. Hæc Ludouicus cenſuit, & mihi quidem vt minimùm ea indifferentiæ libido danda brutis, ſtuperet namque equus tamquam ſtatua, hinc inde æquè oblatis duobus hordei manipulis. Recurrere ad cauſam primam vnius coacturæ, longum iter eſt, & ſuperuacaneum.

Neque tamen liberaliores oportet fieri in libertate brutorum. Conſpiratio illa ſuorum morum neceſſitatem magnam ſuæ naturæ arguit. Omnes vulpes fraudulẽtæ ſunt, omnes grues cautæ, omnes araneæ ingenioſæ & inſidiatrices, omnes lupi prædones, omnes leones magnanimi, omnes lepores timidi, omnes apes induſtriæ & ſollicitæ, omnes formicæ prouidæ & laborioſæ. At humana

humana ingenia ob facultatem liberi arbitrij dissipantur. Egregiè Persius:

Mille hominum species, & rerũ discolor vsus:
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Sed & Horatius aptè canit:

Millia quot capitum viuunt, totidem studiorum.

CAPVT XXVII.

Quomodo animalia præsentiant.

CEterùm quia præsagium, scilicet diuinationis æmulum, supra mentem sit, lubet hîc definire, quo pacto cum vecordiâ concordet animalium. Obinde opinor persentiscere futura, quia sine mente sint; vacat enim sensibus intellectionis, famulatu exemptis, liberisque seruitio alieno: ideò habiliores sunt conditionibus temporum, influxuique elementorum. Aduentitię temporalium qualitates in otiosiores brutorum sensationes meliùs se insinuant: ideò gestiunt aut mœrent pro humorum effusione, aut contractione; atque pro diuersitate phantasiæ gubernant affectus præuios serenitati aut pluuiæ. Ita delphinus placato mari lasciuit; commota enim phantasia naturalium impressione causarum ad ludos prouocat.

CAPVT XXVIII.

Quid sit instinctus animalium.

NEc enim animalium instinctum aliud reor, quàm operationem phantasiæ ad iudicium commodi vel incommodi determinatam, determinantemque appetitum ad impetum vel fugam. Iudicium non propriè intelligo, sed histrionem quemdã eius. Differt autem instinctus, licet brutorum phantasia in eamdem speciem coëat, pro formarum & temperamentorum diuersitate, quæ bases indolis sunt: inde tanta operum varietas, vt bombyx lanam, apis fauos, formica horrea, araneus telam, hirundo nidum architectentur. Quemadmodum iuxta insignium Philosophorum placitum cogitatiua hominis facultas illud priuilegium ex coniugio mentis obtinet, vt circa singularia discurrat. Ita in brutis ex diuersæ formæ & temperamenti contubernio diuersæ phantasiæ instinctusque dirimuntur, vt opus habeant aliquâ rerum speciè, innatâ ab origine suâ, insigniri: nec ab Auctore naturæ nouis & aduenticijs fauoribus iuuari, vt nonnullis placuit; in illo enim excederent homines, in hoc exæquarent.

CAPVT XXIX.

Cur nullum animal præter hominem cum intellectu sit.

INquiret tandem curiositas, cur nullum, præter hominem, animal mens exornet. Nata omnia non sunt, nisi homo, imperio. Obsequium cæcum oportet esse: nec obedientia discretione magnopere habet opus. Circa eamdem quæstiunculam hoc oraculum B. Brigitta accepit. *Respondeo tibi: Omnia quæcumque creata sunt, ad vtilitatem hominis sunt, aut ad necessitatẽ eius & sustentationem, aut ad informationem & correptionem, aut ad consolationem & humiliationem. Si ergo bruta haberent intellectum sicut homo, essent vtique homini in tribulationem, & potiùs nocerent quàm prodessent. Ideò vt omnia subiecta sint homini, propter quem omnia facta sunt, & omnia ipsum timeant, ipse verò neminem nisi me Deum suum, propterea animalibus non est datus rationalis intellectus.*



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

An cælum ſit cauſa aliquorum animalium.



ISCVSSI ſentientis ſubſtantiæ dignitatẽ, nunc aliquas cauſas euoluam, antiquiores ſaltem; & primùm quæſtionem illam, quam ſuſpenſam reliqui, vt omnem expiem ſcrupulum eorum, qui cælos exornarunt intellectu & animo, An cælum alicuius beſtiolæ pater, earum ſcilicet quæ ſponte dantur. quamuis in hac parte etiam ij qui amentes & exanimes iudicarunt orbes, cenſuerint generatores horum ſentientium, non vt cauſas præcipuas, ſed vt inſtrumenta diuinæ: proxima enim aliqua cauſa ſignanda erat, quæ ſi non auctor, miniſtra ſaltem fuiſſet horum viuentium. At vnde cęlis hæc officia tribuimus, & non potiùs elementis, quibus iſtam efficaciā video in Philoſophiâ Moyſis commiſſam? *Producant*, inquit, *aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* & rurſus: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas.* Non audio, Producat cælum. quare ſi à Deo virtutem non accepit, vnde iſtam paternitatem obtinuit? In ſigna & tempora audio exornatum æthera, non ad fecunditatem. Sine aſtrorum vi peperit terra ſtirpes: tunc cælum rude erat, incultum, obſcurum, inefficax ſine ſuâ lucis manu; nulla tunc ſidera. Igitur iſta vis non eſt ſublimis, cùm cælum nec parens nec obſtetrix potuerit eſſe. Idem cenſeo de omni animatâ naturâ, quod de vegetabili. Ceterùm in illâ Dei iuſſione, aliqua ſine dubio efficacitas terræ & aquæ producendis viuentibus tributa; ergo ſufficiet. Quare non damno eruditos aliquos Aſtronomos, qui cũ pluribus Patribus temperarant cæli vires. Obſeruanda ſunt diuerſa genera diuinæ elocutionis. In quibuſdã verbis nulli delegatur creaturæ procreatio alterius, in alijs committitur. Lux, firmamẽtum, ſidera, homo immediatè à Deo fuerunt, nullâ ſecundâ interueniente efficaciâ ſiue ſocietate creaturæ, ideò horum productio conuenienti edicitur formulâ, *Fiat lux, Fiat firmamentum, Fiant luminaria, Faciamus hominem.* Igitur diſcrimen aliquod eſt, cùm dictum fuit, *Producat terra*, & *Producant aquæ.* Quod verò diſcrimen? niſi quòd aquæ & terra, vltra materiæ ſuppeditationem, conatum adhibuerint; acceptum ex diuino præcepto. Sidera autem & firmamentum ex præiacenti materiâ facta ſunt: non enim fuit denuò creata materia, cùm ipſa formata; & tamen, quia Deus illa immediatè & ſolus effecit; *Fiant* dicitur, non, *Producat terra*, aut aquâ, aut aër, aut ignis, aut quinta aliqua ſubſtantia. Deinde obſeruandum eſt diſcrimen inter ea ipſa quæ Deus immediatè fecit: de aliquibus dixit, *Fiant*; de homine, *Faciamus.* Nullum verbum Moyſis ſine ſacramento, ſine doctrinâ eſt. Cur ita diuerſa eloquia? nimirum ſidera & firmamentum Deus ſolus fecit, ſed ex materiâ; at humanum animum ſolus fecit, & ſine materiâ: non ſolùm eduxit, ſed totum tunc produxit. Satis itaque conſtat ex formulis diuini imperij, terræ & humoris commiſtio ad generanda viuentia. Non otioſa Dei vox eſt. *Producat*, inquit: producere vim notat. Terra iam tunc inaugurata vitalium rerum procreatione, ius aliquod nunc vſque retinet in aliquarum beſtiolarum partu, quemadmodum diuinus vir Baſilius cenſuit. *Præceptum hoc, ſcilicet producendi animalia, ſic impreſſum eſt terræ elemento, vt ne hodie quidem deſinat ſubſeruire ſuo creatori. Nam animalia partim ex antecedentibus oriuntur ſucceſſione, partim nunc etiam ex ipſamet emergere terrâ generariq; cernuntur. Non ſolùm enim cicadas humus pluuio tempore edit, & innumeras alias beſtiolas in aëre peruolantes, quarum plurimæ præ tenuitate nullam ſortitæ ſunt nomenclaturam; quin & mures ranasq; ex ſe ipſâ iam profert & edit, vtpote cùm circa Aegyptias Thebas poſt vehementes in æſtibus pluuias, vniuerſa arua ſoricibus impleri protinus nonimus. Anguillas quoque nec alio vllo modo, niſi ex fæculentâ conſtitui materiâ limoq; conſpicimus; quarum nec ouum, nec alium vllum*

mo-

modum, successionem efficere constat, sed è terrâ hæ progignuntur.

Neque leue est argumentum efficacitatis elementorum, ex diuino præcepto terram & aquā inuiolata tenuisse iura sua. Piscium & auium productio aquis delegata, ergo solùm humoris hæc vis: quamobrē terra numquam genuit legitimam auem. Nullam è terrâ solâ sine humore genitam vidimus, nullā genuinam, vt videmus innumeras bestiolas. Quare? quia ista iurisdictio aquarum est. in humore vtique aues natę produntur. Barliathes in aquis generantur: aquæ quoque produxerunt monstrificum alitem, qui Motezumæ præmonstrauit classem Hispanicam. Allata quoque fuit Francisco Regi Galliæ concha cum auiculâ intus pænè perfectâ, alarum fastigijs, rostro pedibus hærente extremis oris ostraci. Hector Boëtius asseuerat se vidisse enatas in algâ cōchas, quibus apertis, viuę aues euolarunt. Si cæli ista virtus esset, non adstringeretur humori, & aliquando legitima auicula è terrâ suapte nasceretur, & maria & terras cælum respectat, omnia claudit, vndequaque voluitur.

Obijcies aliquas aues ex frondibus genitas. Apud Iuuernæ fluuiū fertur, frondes aliquarum arborum in aquas dilapsas, in pisces abire, quæ in terrā, volucrium animaliū formas induere. Dico adhuc è terrâ non procreatas aues (si legitimæ aues sunt) sed ex exuberanti aut arborum aut littoris humore. Potiùs hoc probat, germanos esse pisces & volucres. Ex eisdem humidis folijs vtrumque genus emergit; hoc solum discrimen, quòd ex humidioribus pisces.

Atqui difficultatem illā, quòd elementa imperfectiora sint bestijs cōtra ius originis, etiam digerunt illi; qui horum animalculorum cælū exanime progenitorem vindicāt. Putauit Albertus, virtute seminali, vt instrumenta diuina, cælos continere vim generandarum bestiolarū: istud tamen priuilegium ad terram & aquam transfero. Namque si cælum imperfectius animalibus ipsorū causa potuit esse, potest & terra sine impedimento imperfectionis. Ad hæc, diuina vis assistit, quemadmodum nulla creata virtus sufficit producendo spiritui; nihilominùs homo hominem generat, cuius generationi spiritus necessarius est, quem homo nequit producere: coronat tamen diuina vis conatum secundæ causæ, & ad exigentias dispositionesque accedit, expletura vota naturæ impotentis. Ita, licet elementalis virtus minor sit sentiente formâ, huius Deus explebit generationem, & primis fauebit conatibus, præparationique materiæ.

CAPVT II.

Opiniones Gentium de animalium origine.

NOnnulla præterea sunt in animalium origine dispicienda, atque ad absolutam tractationem altiùs petenda res, ab ipsis scilicet mundi natalibus. Vnde diuersa placita, prout quisque aut finxit, aut interpretatus. Philosophorum decreta sat erit, vt refutemus, narrasse. Peripatetici obtendebant mundi æternitatem, negabāt reperiri posse, auésne antè an oua generata sint: cùm & ouum sine aue, & auis sine ouo gigni nequeat. Adfauêre Pythagoras, Ocellus, Archytas, Xenocrates, Dicæarchus, qui semper humanum genus fuisse credidere. Qui autem homines aliquos primigenios diuinitus naturáve factos crederent, multi fuerunt, sed aliter atque aliter in hac existimatione versati. Nonnullos narrat Censorinus. Vt omittam, quòd fabulares Poëtarum historiæ ferant, homines primos aut Promethei molli luto esse formatos, aut Deucalionis Pyrrhæque duris lapidibus esse natos; quidam ex ipsis sapientiæ professoribus nescio an magis monstrosas, certè non minùs incredibiles rationum suarum proferunt opiniones. Anaximander Milesius videri sibi ex aquâ terraque calefactis exortos esse siue pisces, siue piscibus simillima animalia: in his homines concreuisse, fetusque ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illis viros mulieresque, qui se iam alere possent, processisse. Empedocles autem egregio suo carmine, quod eiusmodi esse prædicat Lucretius,

Vt vix humanâ videatur ab arte creatum,

tale quiddam confirmat: primò membra singula ex terrâ quasi prægnante passim edita, deinde coijsse, & effecisse solidi hominis materiam igni simul & humori permixtam. Cetera quid necesse est persequi, quæ non capiant similitudinem veritatis? Hæc eadem opinio etiam in Parmenide, vel in Ste fuit, pauculis exceptis ab Empedocle abeuntibus. Democrito verò Abderitæ ex aquâ limoque primùm visum est homines procreatos. Nec longè secus Epicurus: is enim credidit, limo calefacto, vteros nescio quos, radicibus terræ cohærentes, primùm increuisse, & infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem naturam ministrantem prębuisse: hos ita educatos & adultos, genus hominum propagasse. Zenon Citiæus, Stoicæ sectæ conditor, principium humano generi ex nouo mundo constitutum putauit, primosque homines ex solo adminiculo diuini ignis, id est, Dei prouidentiâ genitos.

Denique etiam vulgò creditum eſt (vt plerique Genealogiæ auctores ſunt) quarumdam gentium (quæ ex aduentitiâ ſtirpe non ſint) Principes terrigenas eſſe, vt in Atticâ, & Arcadiâ, Theſſaliaque, eoſque autochthonas vocitari; vt in Italiâ Poëta cecinit Nymphas indigenaſque Faunos nemora quædam tenuiſſe: & non difficilè rudis antiquorum credulitas recepit. Nunc verò eò licentiæ Poëticæ proceſſit lubido, vt vix auditu ferenda confingant, poſt hominum memoriam, progeneratis iam gentibus, & vrbibus conditis, homines è terrâ diuerſis modis editos, vt in Atticâ fertur regione Erichthonius ex Vulcani ſemine humo exaratus, & in Colchide vel in Bœotiâ conſitis anguis dentibus Spartæ; quibus mutuâ cæde inter ſe necatis, pauci ſuperaſſe traduntur, qui in conditu Thebarum Cadmo fuerint adiumento. Nec non in agro Tarquinienſi puer dicitur diuinitus exaratus, nomine Tages, qui diſciplinam cecinerit extiſpicij, quam Lucumones, tum Etruriæ potentes, exſcripſerint. Paucas adijciam hiſtorias immediatiorem ſtatuentium procreationem. Euripides, qui ex diremptione cæli & terræ eam eſſe putauit, ita ait:

Cælum terraq; vnius formæ fuit:
Sed cùm fuiſſent abiuncta complexu mutuo,
Emerſit omnis in lucem res progenita,
Arbores, aues, feræ, quasq; affert mare.

Hermogenes nō vi diuinâ, ſed aſpectu ebullijſſe cuncta delirauit, cum inertiâ diuinitatis. Alij quoſdam ſecundos Deos in hac prouinciâ occupant. Plato ex his præcipuus eſt, ex cuius doctrinâ Alcinous ait: *Cùm hac omnia fabricata eſſent, animantium tria reſtabant genera, quæ mortalia erant futura, volatile, aquatile, & pedeſtre, quorum generationem filijs mandauit ſuis, ne ſi hæc quoque genuiſſet, immortalia non minùs eſſent quàm reliqua. Illi igitur à primâ materiâ particulas quaſdam ad definitum mutuati tempus, mortalia finxerunt animantium genera.* Ægypti beneficium Nili cenſuerunt, vt Marcus Aurelius ſcripſit ex putrefactione terræ poſt magnam inundationem erupiſſe animalia & beſtiolas inter illas feminam, nec longè Triſmegiſtus eſt, ardori Solis plurimum tribuit ad primum viuentium ortum. Alij aues ex aquâ, in Arabiâ maximè Phœnicem genitam feminam, ex carie arborum, & ſolari æſtu pro ingenio muliebri ardentis linguæ, carioſi pectoris. Lactantius celebre plurium ſenſum, qui pænè Epicuro imputatus iam eſt, ſic prodit: *Aiunt certis conuerſionibus cæli & aſtrorum motibus, maturitatem quamdam extitiſſe animalium ſerendorum. Itaque terram nouam ſemen genitale retinentem, folliculos ex ſe quoſdam in vterorum ſimilitudinem protuliſſe, de quibus Lucretius:*

Creſcebant vteri terram radicibus apti, eóſque, cùm maturaſſent, naturâ cogente ruptos, animalia tenera profudiſſe. Deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eoq; alimento animantes eſſe nutritos. Quomodo autem vim frigoris aut caloris ferre aut vitare potuerunt, aut omnino naſci, cùm Sol exureret, frigus aſtringeret? *Non erant*, inquiunt, *in principio mundi hiems & æſtas, ſed perpetua temperies, & ver æquabile.* Cur ergo nihil horum fieri etiam nunc videmus? quia ſemel fieri neceſſarium fuit, vt animalia naſcerentur, poſtquam verò eſſe cœperunt, conceſsâ his facultate generandi, & terra parere deſijt, & temporis conditio mutata eſt.

CAPVT III.

Fabularis origo animalium.

SEd & aliarum ſingulariū generationum mira deliria apud antiquum vulgus. Monedulam nugabatur ex Arne factam, bubonem ex Aſcalapho, ciconiam ex Antigone, ſimias ex Cercopibus, cygnum ex Neptuni ſobole, gruem ex Pygmæâ, araneam ex Arachne, mergum ex Æſaco ſiue Bulide, alcyones ex Ceyce & coniuge, veſpertilionem ex Acithoë, cornicem ex Coronide, lupum ex Lycaone, ranas ex colonis Lycijs, noctuam ex Nyctimene, luſciniam ex Philomelâ, picas ex familiâ Enippeij, hirundinem ex Progne, perdicem ex Talo puero, delphinos ex Tyrrhenis nautis, parum ſiue ægithalum ex Timandrâ, ocnum ex Autonoo, erodium ex Autho, & ſexcenta alia, quæ nugantur Boëus lib. de Auium ortu, Nicander in Alteratis, & Antoninus Liberalis in ſuis Metamorphoſibus, vt taceam Ouidianam licentiam. Idem adhuc ingenium barbari vulgi (error ſui mali tenax eſt) plura animalia & plantas per metamorphoſim iactat. Egregiâ Brachmanes commentatione vpupam honorarunt, Indis propterea Regibus charam, & in delicijs præcipuam. *Regi Indorum*, inquiunt, *olim filius fuit minimus natu, quem fratres improbi propter ætatem contempſerunt. Cùm verò parentes ſenectute graues contumelioſè ab eis tractarentur, vt improbitatem eorum declinarent, aſſumpto filio minimo diſcedunt ac fugiunt, & laboribus in itinere conſumpti moriuntur. Defunctorum cineres filius in ſui capitis vulnere, quod enſe ſibi inflixerat, ſepelit. Inſignem hanc eius pietatem conſpicatus admiratusq; Sol, puerum in auem formoſam admodum & viuacem conuertit, criſtâ ſupra caput*

put eius erectâ, vt gloriosi facinoris monumento. Feracioribus commentis Boëus, Corina, & Nicander suas paginas implent, & vno mendacio plura animalia creant. Exemplum sit narratio Munichi, quam libro 2. Mutatorum Boëus scribit. Μούνιχος ὁ Δρύαντος ἐβασίλευσε Μολοσσῶν, καὶ ἐγένετο μάντις ἀγαθὸς, καὶ ἀνὴρ δίκαιος. Ἔσχεν δὲ παῖδας ἐκ Ληλάντης, Ἄλκανδρον ἀμείνονα μάντιν ἑαυτοῦ, καὶ Μεγαλήτορα, καὶ Φιλαῖον, καὶ θυγατέρα Ὑπερίππην. Τούτους γενομένους πάντας ἀγαθοὺς καὶ δικαίους, ἐφίλησαν οἱ θεοί. Ἐπεὶ δὲ αὐτοὺς ἐπὶ τῶν ἀγρῶν νυκτὸς ἐπελθόντες λησταὶ συνελάμβανον, οἱ δὲ ἐκ τῶν πύργων ἔβαλλον, οὐ γὰρ ἦσαν αὐτοῖς ἰσόμαχοι, πῦρ ἐνέβαλλον οἱ κλῶπες εἰς τὰ οἰκεῖα. Ζεὺς δ' οὐ περιεῖδεν αὐτοὺς ὁσιότητος ἕνεκα, τελευτήσαντας οἰκτίστῳ θανάτῳ. Μετέβαλε δὲ πάντας εἰς ὄρνιθας, καὶ Ὑπερίππη μὲν ἐπεὶ φυγοῦσα τὸ πῦρ εἰς ὕδωρ κατέδυ, γέγονεν αἴθυια, οἱ δ' ἄλλοι ἐκ τοῦ πυρὸς ἀνέπτησαν. Μούνιχος μὲν τριόρχης γενόμενος, Ἄλκανδρος δὲ ὄρχιλος, Μεγαλήτωρ δὲ καὶ Φιλαῖος, ὅτι τὸ πῦρ φεύγοντες, διὰ τοῦ τείχου παρὰ τὴν γῆν ἔδυσαν, ἐγένοντο μικροὶ δύο ὄρνιθες· καί ἐστιν ὁ μὲν αὐτῶν ἰχνεύμων, Φιλαῖος δ' ὀνομάζεται κύων. Ἡ δὲ μήτηρ αὐτῶν ἐγένετο κνιπολόγος πιπώ· πρὸς ταύτην αἰετῷ πόλεμός ἐστι καὶ ἐρωδιῷ· κατάγνυσι γὰρ αὐτῶν τὰ ᾠὰ κόπτουσα τὴν δρῦν διὰ τοὺς κνίπας. Καί εἰσιν οἱ μὲν ἄλλοι συνόμοι ἐν ὕλῃ καὶ παρὰ κευθμῶνας, αἴθυια δὲ ἐγένετο πρὸς λίμναις τε καὶ θαλάσσῃ. *Molossorum Rex fuit Munichus Dryantis F. vates egregius, idemq; vir iustus. Is è Lelantâ filios habuit, Alcandrum, qui vaticinio patri præstabat, Megaletorem, Philæum, filiamq; Hyperippam, eos omnes ob probitatem Dij dilexerunt. Quadam nocte eos latrones subitò in agris circumuenerũt. Cumq; pugnæ impares de turribus se defenderent, ignemq; latrones domibus inijcerent, Iupiter, habitâ eorum pietatis ratione, miserrimâ morte perire non est passus, sed in aues transmutauit. Et Hyperippa quidem, quoniam ignem fugiens, aquam subijt, facta est fulica; ceteri ex igne euolarunt. Munichus buteo, Alcander orchilus factus. Megaletor & Philæus, quod ignem fugientes, per parietem ad terram se demisissent, in exiguas auiculas abierunt: hic in eam quæ canis dicitur, ille in ichneumonem: mater in piponem, quæ culices muliones legit. Cum hac bellum est aquilæ & erodio, quorum oua confringit, dum quercum cædit propter culices. Viuuntq; vnà reliqui in siluis & latebris, fulicâ ad lacus & mare obuersante.* Nec steriles fabulas Corinna narrat; nunc ista primò occurrit. Μινύου τοῦ Ὀρχομενοῦ ἐγένοντο θυγατέρες, Λευκίππη, Ἀρσίππη, Ἀλκαθόη· καὶ ἀπέβησαν ἐκτόπως φιλεργοί, πλεῖστα δὲ καὶ τὰς ἄλλας γυναῖκας ἐμέμψαντο, ὅτι ἐκλιποῦσαι τὴν πόλιν, ἐν τοῖς ὄρεσιν ἐβάκχευον· ἄχρι Διόνυσος, εἰκασθεὶς κόρῃ, παρῄνεσεν αὐταῖς μὴ ἐκλείπειν τελετὰς ἢ μυστήρια τοῦ θεοῦ. Αἱ δὲ οὐ προσεῖχον. Πρὸς δὴ ταῦτα χαλεπήνας ὁ Διόνυσος, ἀντὶ κόρης ἐγένετο ταῦρος, καὶ λέων, καὶ πάρδαλις, καὶ ἐκ τῶν κελεόντων ἐρρύη νέκταρ αὐτῷ καὶ γάλα· πρὸς δὲ τὰ σημεῖα τὰς κόρας ἔλαβε δεῖμα, καὶ μετ' οὐ πολὺ κλῆρους εἰς ἄγγος αἱ τρεῖς ἐμβαλοῦσαι ἀνέπηλαν. Ἐπεὶ δ' ὁ κλῆρος ἐξέπεσε Λευκίππης, εὔξατο θῦμα τῷ θεῷ δώσειν, καὶ Ἵππασον τὸν ἑαυτῆς παῖδα διέσπασε σὺν ταῖς ἀδελφαῖς. Καταλιποῦσαι δὲ τὰ οἰκεῖα τοῦ πατρὸς, ἐβάκχευον ἐν τοῖς ὄρεσιν, καὶ ἐνέμοντο κισσὸν, καὶ μίλακα, καὶ δάφνην, ἄχρις αὐτὰς Ἑρμῆς ἁψάμενος τῇ ῥάβδῳ, μετέβαλεν εἰς ὄρνιθας· καὶ αὐτῶν μὲν ἡ μὲν ἐγένετο νυκτερὶς, ἡ δὲ γλαῦξ, ἡ δὲ βύζα· ἔφυγον δὲ αἱ τρεῖς τὴν αὐγὴν τοῦ ἡλίου. *Minyas Orchomeni F. habuit filias Leucippam, Arsippam, & Alcathoëm. Hæ operum nimio studio arserunt, plurimumq; alias mulieres reprehenderunt, quòd vrbe relictâ, in montibus ea baccharentur. Tandem Bacchus puellæ sumptâ formâ, eas hortatus est, ne sacra & mysteria Dei desererent. Cúmque animum non aduerterent, indignè ferens Bacchus, è puellâ in taurum, leonem, & pardalim est mutatus: fluxitq; ei nectar & lac. His prodigijs territæ, paulò pòst sortes in vrnam coniectas concußerunt: exijtq; sors Leucippæ, quæ vouit Deo sacrificium, suumq; filium Hippasum adiuuantibus sororibus dilaniauit. Inde paternâ domo desertâ, in montibus bacchatæ sunt, pastæq; hederam, smilacem, & laurum; donec eas Mercurius, virgâ tactas, in volucres conuertit, vespertilionem, vlulam, & byzam; & hæ tres fugiunt radios solis.* Non magis infecundas nugas præter Ouidium scripsere Didymarchus, Pherecydes, Hesiodus in magnis Eoeis, & Antigonus in Alterationibus. Scilicet ingenium naturæ alicuius mirandæ contaminauit superstitio, nonnullâ vanitate accommodatâ; quemadmodum exordium habuit id quod excogitatum fuit de parizacati, quem florem Persæ & Turci vocant *Gul*, Lusitani *florem tristem*, estque mirabilis fragrantiæ, inauditi ingenij. Ferunt igitur Malabares, Parizacati Satrapæ cuiusdam filiam pulcherrimam amatam fuisse à Sole, cùm ille verò posteà mutasset amorem, illa zeli sui impatientiâ se absoluit, dira fata suâ manu amplectens, postumoque etiam odio Solem, cum damno suo, auersatur. Ex cinere enim feminæ arbor illa fertur nata, cuius flores inimicæ lucis, & quibus aurora autumnus est: decidunt quotidie, nascuntur singulis noctibus, adeò festini, vt ad sensum crescant.

CAPVT IV.

De opinione Metempsychosis apud Indos, & eorumdem fabulis.

ALit adhuc nugas Pythagoricas superstitiosus Oriens,& pænè vulgus auium ex hominibus fingit. Metempsychosis Samia intrusit metamorphoses.Isto imbuti errore Brachmanes, viciniam vaccarum moribundis exoptant, si manu cluni armenti impositâ quis exspiret.Huius felicem putant animam, quæ bouino tumulata fuerit corpore. Nosocomia volucrium erigunt,ægrotantibus medentur, magnis sumptibus illas quærit bruta misericordia,ex opinione cognationis & communicationis animarum. InOccidente quoque transformationis opinio valuit; valuit scilicet superstitio, quam liberalibus commentati sunt mēdacijs Barbari Hispaniolæ, de quibus Petrus Martyr ista prodit. Est in insulâ regio nomine Caunana, vbi ex duobus montis cuiusdam specubus prodijsse genus hominum garriunt: maiorem hominum partem ex amplioribus faucibus antri, minorem ex arctioribus exilijsse prædicant. Rupem, ex quâ specus aperiuntur,Cautam appellant: maius antrum, Cazibaxagua;minus,Amaiauna nominant. Priusquam hominibus inde egredi licuerit, simpliciter inquiunt, per hominem nomine Machochael singulis noctibus antri fauces custodiri solitas. Is Machochael cùm longiùs ab antro visendi studio perrexisset,à Sole deprehensus, cuius aspectum minimè pati posse dabatur, in lapidem mutatus dicitur. De pluribus item alijs blaterant, quòd si piscandi cupiditate noctu ab antro longiùs processerint, vt redire ante Solis ortum nequiuerint, quem non licebat intueri, in arbores myrobalanos (quarum suâ sponte copiam terra illa producit) fuisse transformatos. Aiunt prætereà,Vaguoniónam primarium quemdam ex antro, clausis familiaribus, piscatum emisisse vnum, quem inde in philomelam, eâdem causâ, quòd Sol superuenerit priusquam se reciperet, mutatum inquiunt; qui & quotannis eo tempore quo versus est in auiculam, noctu suo cantu & sortem conqueri, & Domini Vaguoniónæ auxilium implorare, putant & hinc noctu cantare lusciniam. Vaguoniona verò,familiaris sui desiderio, quem ardenter amabat, viris in antro relictis, feminas tantùm cum paruulis, quos lactabant,eduxit: è quibus feminas in vnâ insularum eius tractûs,quam appellant Machinino, reliquisse fertur, infantulos autem secum asportasse: qui miselli fame oppressi, in cuiusdam fluminis ripâ, *toa,toa*,id est,*mama,mama* clamitantes,in ranas conuersi feruntur:inde vocem illam ranis verno tempore dicunt insedisse. Ita in antris illis, è quibus per Hispaniolam sparsi sunt homines, viros tantùm sine feminis permansisse balbutiunt. Referunt insuper, Vaguoniónam ipsum per diuersa vagantem, nec vmquam ex speciali gratiâ mutatum, ad mulierem, quam in fundo maris formosam viderit, descendisse, ab eaque marmoreos calculos, & quos *cibas* vocant, & *tebellas* quasdam flauas ex aurichalco, quas *guaninos* appellant, habuisse dicunt. Hæc monilia pro sacris apud Reges habentur in hunc vsque diem: viros autem illos,quos sine feminis in antris relictos diximus, lotum se ad pluuiarum aquarum receptacula noctu referunt exijsse; atque vnâ noctium animalia quædam, feminas æmulantia,veluti formicarum agmina reptare per arbores myrobalanos, à longè vidisse. Ad feminea illa animalia procurrunt, capiunt: veluti anguillæ de manibus eorum labuntur. Consilium ineunt. Ex senioris consilio, scabiosos leprosósque, si qui sint inter eos conquirunt, qui manus asperas callosásque habeant; vt apprehensa faciliùs queant retinere. Hos homines ipsi *caracoles* appellant.Venatum proficiscuntur: ex multis quas capiebant, quatuor tantùm retinent: pro feminis illis vti adnituntur: carere femineâ naturâ comperiunt. Iterùm accitis senioribus,quid faciendum, consulunt. Vt picus auis admittatur, qui acuto rostro intra ipsorum inguina foramen effodiat,constituerunt:ipsismet caracolibus hominibus callosis, feminas apertis cruribus tenentibus. Quàm pulchrè picus adducitur?picus feminis sexum aperit.Hinc bellissimè habuit insula quas cupiebat feminas, hinc procreata soboles. Eia mirari iam desinito, quod de Myrmidonibus Græcia verax tot Voluminibus descripserit, è formicis procreatos.

CAPVT V.

Mundi ortus.

SErios nunc animalium ortus à mundano auspicabor. Deducunt nonnulli à primo elementorum diuortio originem viuentium, quare vt numeris cōstet suis hæc nostra narratio, aut licitum, aut veniale erit enarrare cursim mundi natalitia. Ex sacrâ doctrinâ colligenda sunt. Et licet obscura multis visa Moysis historia,mihi plana est & admirabilis, si recentiores aliquas diligentissimorum Astronomorum obseruationes & placita non contemnamus inauditâ parte. Satis hoc titulo probabilia erunt,quòd sacram probent histo-

historiam, & conueniant reuelatis mysterijs sine extortis & inuitis interpretamentis. Igitur mundi historia hæc est. Primùm omnium fecit Deus cælum empyreum, & rudem terræ massam, quam statuit in centro vacuitatis, quam empyreum cælum claudebat, cuius concaua superficies orbicularis est, intra quam elementorum siderumque regio latissimo spatio nunc stringitur. Hæc figura circularis capax est, & officijs astrorum, ceteræque mundanæ machinæ percommoda; ipsum tamen empyreum in immensum pænè portenditur, fortasse quadratum consistit. Constantiæ & permanentiæ est quadrangularis forma, nec capacitate maiori eget regio illa latissima. Terræ vox, cùm dixit Moyses, *In principio creauit Deus cælum & terram*, complectitur totam materiam mundi, globum scilicet ex grauibus & sidentibus elementis, aridâ & humore; quemadmodum nos quoque terræ titulo vtrumque elementum sæpè complectimur, maximè comparatione cæli, cùm dicimus terram esse punctum respectu cæli, globum terræ & aquæ intelligimus. Cùm designamus ambitum aut diametrum terrę, etiam aquam inuoluimus. Hæc elementa, materia totius mundi fuerunt: ex his alia elementa, mixta, plantæ, sidera, animalia, homo. Satis è Moyse constat, qui ante digestionem rerum, solùm terræ & aquæ meminit, & ex his narrat omnia creata, cum suffragio præstantissimorum Philosophorum è Græcis. Empyreum cælum absolutum statim fuit cum pluribus sedibus, cum incolis morituris illas. Præparata gloria est iustis à principio: fortasse & mansiones siue throni Christi & Virginis, aliquod adiumentum inuidentiæ perduellibus angelis fuerunt, si humanæ gloriæ impatientes corruêre, vt Bernardus & Amadeus putarunt. Hic in suis Reuelationibus scripsit, aliquoties humanâ (adhuc antequam homo crearetur) specie apparuisse Deum spiritibus aliquando illo habitu, ad experimentum Angelicæ fidei & charitatis. Oportebat aliquo periculo præparare beandis merita. Tunc, si ita est, primùm introductus primogenitus Dei in mundum. Massa inferior nondum fuerat exornata. Suspensam Angelorum res detinuit. Quis scit, An, illis non peccantibus, aliter digerendam? Quamdiu inculta permanserit, quis decernet? nullus anteà annus, nullus dies? Amadeus per aliqua sæcula intelligibilia scripsit. Ipse nollem vel minimo Hermogenianis fauere. id puto ignotum mansisse vsque ad lapsum Angelorum.

CAPVT VI.

Quænam fuerit materia mundi.

POstquam actum de spiritibus apostatis, cœpit diuina mens, superlata aquas sapientiæ & potētiæ suæ viribus, moliri mundi nostri fabricam, chaos eruditura, restauraturaque è terrâ ruinam cæli. Quale tunc chaos? Ego, postquam perstrinxero aliorum sensa, quid probē exhibebo. Bifariàm massa ista & velut argilla mūdi accipitur. Quidam extraneam elementis molem indigestam, inconfusam, in quâ omnia præseminata potentiâ, nihil præiactum actu. Hanc maximè compositionem confusam amplexi sunt ethnici. Sententia Diodori, & in illâ, si non omnium, plurimorum vox hæc est, vnam enim ante initium omnium, cæli & terræ cunctis simul confusis, formam fuisse tradunt: posteà disseparatis diuisisque molibus vniuersi, ordinem mundi conspectum, aëraque motum habuisse continuum, cuius pars quidem ignea ad superiores ascenderit partes, naturâ suâ propter leuitatem semper sursum tendente, eaque ex causâ Solem, ac stellarum multitudinem volutione totius circumferri; pars autem turbida atque terrestris vnà cum humidis ad infima propter grauitatem loca descenderit, quæ pars continuè & longo tempore in ipsa conuoluta maria, ex humiditate & ex durioribus, terram lutosam ac tenerā aggregauerit, & quàm primùm, posteaquam solaris calor exæstuauerit, constipata fuerit. Deinde superficie calefactâ, pluribus in locis corruptionem humidi esse consecutā: ex quâ (vt etiam nunc in pluribus fieri solet) cùm subitò ad transactum frigus calor exarserit, animalia concreta fuerint, quę noctu à circumfusâ caligine alebantur, & in die à calore solidiora reddebantur; postremò sufficiens iam incrementum consecuta, erupisse ab illâ colluuie varias has animalium formas, quorum calidiora leuioraque ad altiora loca exilierint, volucrum appellatione nuncupata; sicciora verò ac grauiora, serpentibus ac terrenis connumerata. Eodē quoque modo humidiora in consentaneum sibi ipsis locū confluxisse, aquatica nuncupata, & sic animalium diuersa genera producta fuisse. Terram verò postquam magis sole ac ventis induruit, nihil ex perfectioribus producere posse, atque ideò ex mutuâ sexuum coniunctione, perfectiora generari. Hanc rem ita se habuisse, tragicus etiā Euripides, Anaxagoræ Physici auditor, in fabulâ, quam Menalippem nominat, his verbis testatur: *Vna cælorum olim ac terræ forma, sed separatio cuncta in lucem tulit, volucres*

lucres ac feras simul, arbores, generaq; natantium, mortaliumq; genus. Hæc de chao, & rerum origine prima à priscis.

Alij non confusam substantiam, sed elementales, aut aliam simplicem, præcessisse putarũt, sed maximo, pro cuiusque cerebro, discrimine. Terream Xenophanes, aqueam Thales, aëream Anaximenes, igneam Parmenides, compactam ex elementis Empedocles, iugifluam quamdam materiam Xenocrates dixit. Sed & ex nostris Hieronymus terram solam censuit. Tertullianus terram, aquam, & aërem. Accessit Claudius Victor, qui ita canit:

Vt verò semel attingam primordia rerum:
Excelsi conuexa poli, terraq; iacentes,
Pars prima est operis, sed terras vnda tegebat,
Aëraq; in medio sordenti nube madentem,
Et tenebris se vasta nigris velabat abyssus.

Pluribus massa prima ex quatuor elementis, Basilio, Ambrosio, Iunilio, Damasceno. At cur tantùm duo elementa mentionem Moysis meruerunt? nisi quia ex istis omnia, & inter omnia duo alia & aër, & æther, in æthere ignem claudo. Anne ex aquis ardor, ex humore ignis excussus? Vtique inclinauit in hoc Guilielmus Parisiensis, Steuchus affirmauit: qui etiam duo illa elementa grauia præiecerunt ad suggestum orbis. Thales quoque valentissimum elementum aquam dixit, & ex eâ omnia, inter omnia ignem. Quomodo ex liquore æmulo flamma? Non difficile. Si ex elementis mixta tam varia, cur non & elementa alia? Quis Philosophus eorum commeationes negauit? Ex aquâ aër non difficulter fit; ex aëre ignis facilè. Igitur aquæ illius portio attenuata facessit in aërem, & rursus expansus amplius aër, in æthera & ignem. Quando ista extensio? Cùm Deus extendat cælos. Quando hoc? Cùm firmamentum, id est, extensionem fieri iussit, quod cælum vocauit. Vox *firmamentum* in Hebraicâ voce & origine, quam oportet in his controuersijs vereri, expansionem notare notissimum est. Porrò firmamentum esse spatium istorum elementorum satis Moyses admonuit, cùm ortum edixerit volatilium. Sub firmamento cæli, in Hebræo *super*. Tertullianus explicuit *per firmamentum*. itaque istius aëris vicina regio firmamenti nomine honoratur. Meruisse quoque cæli titulum, notius est & in sacrâ & profanâ litteraturâ, nec dignum aut dubitatione, aut morâ. Iam suprà adstruximus, cælorum ætherisque naturam huic sententiæ esse accommodam & expeditam. Ita Moyses non oblitus creationis integræ elementorum: & fortasse, pro vetustâ dialecto sui temporis, perspicuè declarauit antiquitati Iudaicæ omnem totius mundi narrationem. Mihi quidem plana est, licet non torsissent. Vt hoc sentiam mouent inuictæ difficultates aliter sentientium, siue firmamentum sublime cum soliditate statuentium, siue eorum, qui nuper terram firmamentum dixerunt ad aquarum diuortium. Et memoranda pendẽdaque sunt quæ præstruximus.

CAPVT VII.

Quâ facie chaos subsidebat.

RESTAT, postquam chaos & argillã mundi, humorem & puluerem finiuimus, faciem eius exhibere. Quidã mole quadam confusâ, & vasta intra claustra, & velut intestina empyrei, concauã huius superficiem implent. Credo sic suspicatos Nyssenum, Alensem, & Catherinum. At Hugo & Richardus Victorini ex terrâ subsidente in centro; & deinde tribus elementis confusis & mixtis, in caliginis modum vsque ad empyreum farciunt. Ordinatiùs Basilius & Ambrosius per suas classes distinxere simplicia, imum locum vindicante terrâ, mox liquore ambiente, deinde lambente humorem aëre, & denique igne confouente, & æthere complectente. Proximè nobis Iunilius & Guilielmus terram & aquam solùm conclusam cælesti membranâ putarunt. Ego ex Moyse ita colligo, intra ambitum empyrei cæli terram in medio subsedisse, immensâ aquarum mole conuolutã; istum tamen immanem globum terræ & aquæ non occupasse totum spatium, sed restasse inanitatem maximam, implendam mox in eruditione sequenti orbis.

Irrupit modò recens placitum inuertens ista elementa, vt terra superior aquam complecteretur. Istud contra appetitum elementorum est, quorum natiuitatem non credo auspicatam iniquis violentiæ ritibus. Difflabo postmodum istud interpretamentum, quod propugnatum Compluti est, sed exiguam reuerentiam illi debeo, quòd Magister meus doctissimus Gaspar Sanctius illius inuentor potiùs quàm assertor fuerit. Subtiliter excogitatum est, non verè; nec obseruantia vltra veritatem est. Nunc opinionem meã expediam. Moyses postquam scripsit facta à Deo cælum & terram, cùm in terræ nomine aquas communi fuisset sensu complexus, ne videretur eadem tunc formâ fuisse quâ modò, explicuit, incomptum indigestumque illum globum & vacuum præcessisse viuentibus naturis, quas modò terra & aqua Mulcebri fouent hospitio. Quòd aqua superasset terram, euidentius est. Nec magnum operæpretium id adstruere: ipsa humoris dignitas id expostulabat, & segregatio

tio aquarum, & apparentia aridæ fidem facit, tum caligo conuoluens abyssum. Ceterùm immediatè post abyssum, id est, aquarum immensam profunditatem (tantus suggestus vniuersitati necessarius erat) nonfuisse cælum empyreum, Moyses narrat. *Tenebræ*, ait, *erant super faciem abyssi*; empyrea verò regio lucidissima, quare inter illam & abyssum nihil erat, id est, tenebræ: tenebræ nihil sunt. Si alia creata moles præter tenebras circumiaceret, scripsisset Moyses. Factor itaque solùm erat super aquas, qui purissimus spiritus, non aliquid factum, non corpus, scilicet spiritus Domini, eruditurus vastam molem. Oportebat quoque vacuũ aliquod esse. Namque vel cæli tenues sunt, vel solidi. Si tenues, & extensi ex aquis, iuxta Scripturam, ergo ante illorum expansionem, ante firmamentum, aquæ, ex quibus facti, contractiorem locum occupabant, depleto illo spatio, per quod posteà expansa materia, quæ subijt subtilissimam substantiam ætheris. Si solidati sunt ex aquis, ergo nunc est vacuum aliquod, contractâ per densitatem & soliditatem materiâ aquarum dilutiore; quare in minus collecta interuallum, quàm anteà. Absurdius istud est, ergo illud prædicendum. Iam & hoc desolatur soliditatem cælestem ipsi Aristoteli inauditam. Prætereà si totum spatium abyssus farciret, quà volueretur primo die lux primogenia? ánne per empyreum? Certè non communicat cum imâ naturâ Aula Dei; ergo per spatium intercedens inter cælum & abyssum. Itaque chaos in vacuo iacebat, terrâ & humore constans.

CAPVT VIII.

An Sol in primo die eductus.

FAcies ista rerum, rudis quidem. Comptura illâ diuina mens, primùm excussit lucem. Ornatus nec caligini fit, nec in caligine: luci dicatur, & à luce. Nemo cæcus, aut in tenebris aliquid ordinatũ aut pulchrum fecit, & nemo cæcis. Prætereà lucem præstruxit Deus ad notam temporis velut diligentes artifices: & studiosi, daturi operam alicui penso, clepsydrâ constituunt, aut horologium obseruant. Rationem nos temporis in operãdo monet æterna ratio. *Fiat lux*, ait. Quotiescumque istâ formulâ promulgatur naturæ alicuius creatio, causa eius efficiens Deus solus notatur, sed ex præiacenti materiâ. Itaque ex globo illo aqueo erepta lux. Quomodo lux ex aquis? Certè istud viderunt Israëlitæ in columnâ illâ nubis sua illustrante castra. Vicaria Solis aquea moles Hebræis fuit. Pleraque phænomena lucida materiam aliquam ab humore vsurpant, igneæ trabes & capræ. Igitur lux illa fuit moles quædam corusca, velut nubes Hebræorum, circumducta impetu extraneo alicuius Angeli, non ex proposito naturæ, nec ad perpetuitatem quam natura colit, accensa illa fax fuit, sed vicaria Solis, interim rerum facies monstratura. Nec opus est fingere peregrinantem qualitatem, & sede suâ extorrem sine subiecto, sine materiâ: non opus eleuare cum Platonicis, & spiritualem commentari; non cum Empedocle impinguare, & crassitie corporeâ onerare. Licebit fortasse maturare cum Amadæo Solem, siue cum Steutio emendare, quòd in primo die factus, in quarto perfectus fuisset. Astrorum natiuitas quartum nobilitauit diem. Textus sacer hoc dictat, hoc interpretantur Ecclesiastici cantus:

Quarto die qui flammeam
Dum Solis accendis rotam,
Lunæ ministras ordinem.

Noluit Deus inuertere dignitatem rerum: scrupulosâ methodo ius cuique seruauit, ab imperfectioribus orsus: auctoritas Solis maior est elementis, maior stirpibus, post illas dari mundo perfectus debuit. Adijce quòd nondum penitus præparata sedes, siue campus excursionis assiduæ.

CAPVT IX.

Distributio partium mundi.

HÆc prima cura Dei, præparare domicilia rebus. Post illustratum recenti lychnio chaos, informem adhuc vniuersum cœpit figurare sedium distinctione, & diremptis aquis, quibusdam adhuc protegentibus terram, alijs contegentibus vniuersum, ex alijs in medio tenuatis, spatium intercedens aër & æther occuparunt, firmamenti nomine insigne, quia extenuatione & expansione aquarum interiectum, firmante tantâ subtilitate diuortia humoris grauioris. Iam inde vacuum nullum. Eleuata aquæ immensa portio ad empyream superficiem, & tenuitate dilata materies interclusa omnem locum expleuerunt. Iam astris præparatum contubernium, iam volucribus circus fabricatus. Oportuit bestijs expedire patriam, piscibus deputare secessus imarum aquarum conuoluentium terram. Vtrumque fecit, apparente terrâ, restagnante mari: factum istud, velut complicante se terrâ in colles & valles, extuberante in montes, deprimente in barathra, aperiente in gremium amplissimum, vbi excepit molem aquarum illuc prolapsarum.

Nouitiam opinionem nunc refellam, quæ firma-

firmamentum terram adſtruit. Ita componit rerum ſeriem. Primùm creatam terram & aquam, ſed hanc concluſam intra illam. Deinde die ſecundo factum firmamentum, eleuatis extrà, id eſt, ſupra terram aquis, alijs intrà abſtruſis, intercidente circulo terreſtri moles immenſas aquarum. Tandem aquas extimas in locum vnum ſeceſſiſſe ad obſequium apparituræ aridæ. Contra iſta ſunt, violentia naturæ, & ſuperfluitas actionum. Cur aquis tegenda erat terra ſtatim apparitura? Tum Scripturæ ſtilus & hiſtoria præmonſtratur die primo abyſſum eminuiſſe: tenebræ dicuntur fuiſſe ſuper faciem eius, non terra. Denique nulla neceſſitas eſt noui huius firmamenti, & contradictionis ſimplicitati Scripturæ. Deinde firmamentũ Deus vocauit cælum. Vbinam proprio nomine terra dicta cælum? conſideranda quoque eſt vox Hebræa, non vtcumque vocaſſe Deum firmamentum cælum. Sunt enim apud Hebræos multa nomina quæ cęlum ſignificant, גַּלְגַּל *galgal*, עֲרָב *hereb*, עֲרִיפִים *hariphim*, שְׁחָקִים *ſechakim*. nullum ex his nomen firmamento Deus impoſuit, excogitauit aliud quod eius naturam indicaret; idque terræ aptari nequit. Vocauit Deus firmamentum שָׁמַיִם, ab aquis etymon ductum eſt, non, vt multi putant, quaſi שָׁם מַיִם *ſam-maim*, id eſt, *ibi aquæ*. tamquã quòd in eo fuiſſent aquæ, neque enim in totâ terrâ, nec in toto cælo ſunt aquæ. Commodior & germanior origo eſt, quòd cum relatiuo elemento ita dictum ſit ex nomine מַיִם, & relatiuo שֶׁ, quaſi *quod aqua*, ſcilicet, quod erat aqua, nempe quod factum firmamentum ex aquâ eſſet: terra autem ex aquâ non fuit. Præterea ipſa ſignificatio Hebręæ dictionis רָקִיעַ *rakiah*, quam *firmamentum* vertit vulgatus, terræ nequit competere, expanſionem & extenſionem ſignificat, & potiùs actioné notat per quam factum aliquid, non ita illud quod factum: nam ſi iam haberet nomen res facta, cur Deus impoſuit nomen? ideò autem vocauit Deus *ſamaim* quod per expanſionem fecerat, quia nomen non habebat; *rakiah* enim potius fuit nomen actionis. Ceterùm terra non per expanſionem conſtituta eſſet in medio aquarum, ſed potiùs per contractionem condita fuiſſet, iuxta opinionem hanc, plus extenſa quàm modò, quippe quæ omnes aquas complexa.

CAPVT X.

Occupatio partium Vniuerſi.

DEſtinatis naturarum prouincijs, incolæ deſiderabantur. Stirpes primùm parturijt terra: annona animantium priùs procuranda erat. *Germinet terra*, ait Deus, *herbam virentem, & facientem ſemen.* Iſto tenore præcepti aliqua vis delegatur ſecundæ cauſæ. Mox æthera dedit habitanda aſtris. Sed diuersâ formulâ. *Fiant*, inquit, *luminaria.* Hîc nullius efficacitatis commiſſio datur creaturæ; miniſteriũ materiæ dumtaxat exigitur. Deinde aquas occupauit piſcium vulgus, & partem firmamenti cæli natio auium. Poſtridie Deus terram impleuit animalibus. Cur aſtrorum conditio media inter ſtirpes & ſentientes naturas, iam præmonuimus: imperfectiora ſunt animalibus. Denique hominis celebrata conditio amatorio illo & ſuaui edicto, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* vbi aliquid ſignificatur, cuius productio creatæ cauſæ non committitur. Nam licet homo hominem generet, nulla humana vis ſpiritum hominis procreat.

CAPVT XI.

Ad aliqua elementa ſpectare quæ inde non fuerunt.

ISTam itaque primam ſcimus animalium originem, ex elementis & ab elementis cauſas complexam materiales & efficaces: determinandum quoque eſt, an omnis elementalis prouincia occupata ſit incolis. Et quidem omnem puto, licet non indigenis: licet enim beſtiæ ſint aborigines terræ, piſces humoris, aër tamen nulli viuenti natalis locus fuit. Auium patria liquor eſt, non aër. Ignis quoque benignitas ſolùm ſe flexit vſque ad viuentium patientiã: parcit, patitur animalia nonnulla, nulla facit aut fecit: hoſpitari poſſunt ibi, non innaſci. Aſtrorum ſolùm patria ſterilis, tamen æther eſt.

CAPVT XII.

Aër quos incolas habeat.

ISta euoluenda ſubtiliùs ſunt, qui cuiuſque elementi incolæ, qui indigenæ à primordio. Et quidem humus, humorque ſuos incontrouerſos aborigines habent beſtias, piſces. De aëre lis, quorumnam viuentium regio ſit. Si Philoſophos audiamus, animantia aëris non aues, ſed dæmones ſunt. Ita diſpenſabant mundi ſedes, vt volucres terræ habitatores dicerent. Dæmones aëris animantia, Deos ætheris. Verùm iam retudimus cælorum animationem, & ſpiritus iam Philoſophia & Theologia corpore exonerant: neque ſi craſſi mole aliquâ eſſent & animati, in exornatione orbis intercedentem iſtam prouinciam fuiſſent adepti; lapſus fuit cauſa, & ex præcipitio ob culpam ſuſpenſi aliqui. Quare aër eremus relinqueretur,

retur, si alios non promeritus accolas. Qui, nisi volucres? At cur isti ablegantur sublimi sede, relegantur inter terrestria? Fortasse quia scribunt, humi quiescunt? Iam ista ratio & aquas depopulatur, nam & pisces consident, in latibulis conduntur, humi cubant. Quare aut pelagus sine incolâ est, aut aër cum incolis alitibus. Ad hæc, auiculæ nonnullæ sunt, quę non subsident. Paradisiaca semper suspenditur, nullam terræ requiem debet. Nos itaq; ex sacris Litteris & ratione docti, aëri indulgemus volucres. Quin & Plato reuerentiam habens Moysaicæ historię, non ausus negare volatilia ornatū aëris esse, ideò diremit, vt inferior aëris regio volucriū territorium esset, eminentior dęmonum. Ad illud elementum spectant animalia, vbi frequentia sunt, quà spatiantur, quo viuunt, in quo delectantur. Ait enim Albertus, *Dicendum, quòd motus auium est in aëre, & quies in terrâ: & istud elementum dicitur ornari illo genere animalis, quod est locus motus eius, & non quietis.* Vnde plantæ à Sanctis dicuntur non pertinere ad ornatum, quia immobiles sunt secundùm locum: omnia enim natatilia generaliter pertinent ad ornatum aquæ, & volatilia ad ornatum aëris, & gressibilia ad ornatū terræ; natatilia enim non natant nisi in aquâ, & volatilia non volant nisi in aëre, & gressibilia non gradiūtur nisi in terrâ.

CAPVT XIII.

An aues ex aquâ eductæ fuerint.

ERgo aues ad exornationem aëris sunt. At vnde? Aliunde quidem, ex aquâ scilicet. Fraterculant enim cum piscibus. Communis vulua humor est. Ideò & pisces per aquam volant, & aues per aërem natant; illi aues pelagi, istæ pisces sublimes. Similitudo incessus & elementi coniunxit natiuitatem. Quid mirum si aërei incolæ ex aquis, si & ipse aër? egregiè & palàm Claudius Victor celebrat genethliacon alitum ab humore.

Hinc volucres quoque, molle genus, traxere vigorem:
Nam liquidas dum format aquas, immissaq; pontum
Vita subit, feruet multo tumida æquora partu:
Nec satis est pisces genus omne exurgere, quòdque
Squamea turba salo summas euadit in vndas,
Ni volitans in aquis sensim natet æthere puro,
Aethereos volucris contingere docta recessus.
Ergo materies auibusq; & piscibus vna est.

Par sententia Ambrosiani Cantici Ecclesiasticâ probati auctoritate. Suprà iam exemplis barliathum seu bernicarū, & Mexicani monstri confirmauimus, licet amplius cum Eugubino: credendum est enim, talem fuisse tunc auium generationem, qualem pænè prodigiosam, & ad cuius considerationem animus stupescat, hodie quarumdam auium accepimus. Sæpè fit, vt ad Oceani littora appulsum nauis aliquod fragmen, & sabulo affixum diuque fluctibus contusum, & aquis & diuturnitate peresum, fungos albentes primùm proferat; pòst certo temporis spatio, & calente Sole, pedibus alisque adformatis, è ligno auellant sese aues, quondam fungi, nunc volucres aëra tranātes. Est extra Italiam locus, vbi, mirabile dictu, nascuntur in frutice quasi formæ teretis vellera. Hęc certo temporis spatio ex arbore in flumen quod infernè elabitur, decidentia, vt primū aquam attigerunt, dant aues volatum, & in sublimes regiones more cęterarū auium aufugiunt. De ephemero simile quid prodit Aristoteles. Quid tam multa genera volucrum, stagna, lacus, paludes & flumina accolentium, nónne testantur originem suam id fuisse, quo nunc maximè delectantur? Credendum est autem, omnes aues generatim aquâ procreasse, conuersam in aliquam materiem densiorem, quales aquatiles aues esse cernimus: ex hisque temporis progressu quasdam, quæ longiùs ab aquâ recessissent in remotiores terras, mutasse colorem cum sedibus, ibique ex propagatione nascentes, his in locis perseuerasse, vt ab aquâ non videantur habuisse principium.

Scio esse qui contrà putent. Ne tamen contra Moysis contestationem corrigant textum, quasi expiaturi quod irrepsisset, vt suspicantur, mendū lectionis. In suffragium suum Hebraicam trahunt, Chaldaicam etiam torquent, dum ita legunt: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile volet super terram.* Verbo *producant* eximunt *volatilia.* Hac castigatione confisi Catherinus, Thomas de Vio, & VVielmus, aduersum Patribus amplectuntur placitum. At ipsos rogo, vnde sciunt, peccasse Latinam Græcamque Septuaginta versionem, quarum in Ecclesiâ auctoritas maior, & non potiùs corruptam Hebraicam ab infidis Rabbinis? Pręterea non vrget ista lectio, vt minùs aquis debeamus volucres. Non negat ipsarum matricem humorem fuisse, nec aliam memorat: ergo aut negligentiæ diligentissimus erat Moyses accusandus, aut liquori danda erant volatilia. Ceterùm Eucherius, & Alensis secutus Augustinum (fatentem ex aquis volatilia, sed per aquas) aërem hunc vicinum, & vaporibus infectum, & nubes hospitantem, intelligunt: namque vltra olympum, vbi intemeratus suaque puritate tenuissimus, nullus ales exercuit pennas. Om-

Omnium fortasse clarissimè Rupertus in aëre productas maluit aues, verùm reuerentia vocis exigit, vt aquas sine interpretamento capiamus.

CAPVT XIV.

Quomodo aues ex aquâ eductæ.

DIces, Quînam ex liquore volatilia? crassa corpora sunt. Dico ego, quînam & cetacea? Si ex latice solùm nō putas fuisse aues, cur & pisces? cur monstra quibus exornatur Oceanus, si misceas piscium massæ glebulam aliquam? potest item volucrum argilla temperari densatione aliquâ. Albertus duas scindit humoris portiones: humidum aqueum frigidum, & humidum vaporale calidum; ex illo pisces, ex hoc aues. Ait ita: Quia verò in piscibus & volatilibus præcisè passiuum est humidum, & humidum aëris spirituale est, non incorporale; ideò materiale in auibus & piscibus est humidū aqueum: sed ex humido constante per frigidum, secundùm sui generis naturam, magis sunt pisces, & ideò secundùm suum genus sunt frigidi, sicut & locus aquæ in quo sunt. Ex humido verò vaporali, coniuncto cùm calido secundùm sui generis naturam, magis fiunt aues; & ideò sunt naturæ calidæ secundùm suum genus. Per hoc patet solutio ad duo prima. Rupertus ita putat.

Cùm ergo dicitur, *Producant aquæ*, licet aërem quoque simul intelligi, quia videlicet cùm ascendentes aquæ per aëris spatia vi frigoris vertantur in niues, eadem facultate per virtutem præcepti potuerunt verti in aues: itaque & de aquis productæ sunt, & tamen sub aquis viuere non possunt, quia fortè nequaquam sub densis fluctibus vitam sumpserunt, sed de rarioris, & per nubeculas volantis aquę globis volantium auium corpuscula facta sunt. Verùm quocumque modo eas aquæ produxerint, illud constat, quia produxerunt aquæ reptilia animæ viuentis, & volatilia super terram sub firmamento cæli, naturæ suæ terminis ab eo, cuius præceptum, quod semel posuit, non præteribit, informiter ibi definitis.

Sunt qui putent in superficie vndarum vtrumque genus factum, pisces absorptos statim, alites emissos. Non dissimilis originis exemplum Rutheni vident, in quorum piscinas, vt auctor est Michouius, non deferuntur pisces, sed vbi adunata est aqua, in eam decidunt pisces è cælesti rore sine curâ aut industriâ humanâ.

Dicere potes, non ex aquâ solâ genitas aues, sed ex limo dilutiore, sub oras. Fortasse & istud ex Scripturâ, dum rerum creatio ita resumitur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, ac volatilibus cæli.* ita & pisces credo non ex puro fluctu progenitos.

Rogabis, cur potiùs dicantur ex aquis. Forsitan vel præ dominij ratione, vel quia ex eo loco, seu ex illâ massâ vbi præualeret humor, vel propter aliquam virtutem genitalem aquis in hęc viuentia concessam, de qua suprà nonnihil.

CAPVT XV.

Quod genus causæ aquæ præstiterint in piscium auiumque productione primâ.

TRibuimus iam aliquam humori efficaciam viuificandi: non tantùm materia latex fuit, vt VVielmus voluit; virtute etiam quadam donatus est, diuino indulgente edicto. *Producant*, ait, *aquæ*; ergo effecerunt aliquid. Satis sit meminisse eorum quæ iam diximus, non est opus denuò inculcare. Id adijcio, istum primum partum aquæ terræque, quo auspicata natura, non fuisse ex solâ naturâ, nisi cùm valida & insolenti virtute primæ causæ. Instantanea illa generatio perfectioque perfectorum animalium non omnino naturalis potuit esse, sed perinde vt per miraculum ex sterili proles nascitur, vbi virtus diuina præualet, concurrunt tamen parentes.

CAPVT XVI.

An aër aliquid generet.

NVm alia duo & nobiliora elementa, & cælis saltem proxima, sterilia erunt? Aërne nihil dabit? Fecunditatem non accepit à Deo, sterilis est. Quamuis enim Olympiodorus in Meteorologiâ coturnices ab aëre corrupto dicat enasci, non aër ipsarum genitor erit, sed infectio alicuius euaporati humoris. Nec obstat, Fauoniū implere equas, celebre Hispaniæ & Cappadociæ priuilegium. Vultures quoque feruntur fecundari vento; sed sine efficaciâ spiritus fiet. Ceterùm licet aër infecundus sit, in ipso humor est fecundus. Plura in ipsâ Prouinciâ aëreâ genita dilabuntur. Mures pluere quotannis in Aquilonari cælo, Ziglerus auctor est. Alij pisces ab imbre prodiderunt deciduos, quorum originem è nubibus & rore deducunt. Isidorus & Maiolus bestiolas illas pestilentes, quas Scaliger & Fortunius vocant *lemmer*, putant in nubibus nasci. Sed controuersum hoc facit quę de illis narrat Vpsalensis Præsul in Historiâ Septemtrionali. *Non solùm in Noruegiâ, verùm etiā in Hesingiâ,*

&

& in multis alijs Prouincijs diœcesis Vpsalensis quædam bestiolæ quadrupedes, lemnar, aut lemnus appellatæ, magnitudine muris, pelle variegatâ, cum imbre de cælo cadunt; & vnde veniant, adhuc est incompertum, an ab insulis propinquis, an à remotis, ibi à ventis delatæ, an potiùs in nubibus natæ sint. Hoc tamen compertum est, eas statim ad terram delapsas, dissectas, inuentas fuisse habentes in stomacho herbas crudas, nondum digestas. Hæ cadentes locustarum instar in maximâ copiâ vniuersam destruunt stirpium viriditatem, inficiuntq́ quidquid ore contingunt: viuuntq́ vsque dum gustant herbam renascentem: & simul eunt, hirundinum volantium more. Sed statuto tempore moriuntur magnâ multitudine, maiori terræ infectione, & maximâ aëris contagione, qui pestilens fit; vnde homines vertigine ac ictericiâ corripiuntur. Quidquid de his sit, nonnulla suspicor in aëre gigni, non ipsius sed aquarum fecunditate. Fortasse iam nonnemo putarit productas in exordio mundi volucres ab aquis sublimibus, secutus partim Rupertum.

CAPVT XVII.

An ignis admittat aliqua viuentia.

NVnc antequam ad terram veniamus exornatam frequentibus suis indigenis, causa quoque ignis producenda in medium est, num aliqua hospitetur viuentia, num generet. Astris iam æthera ornauimus, ignem fortasse, ne ista regio mundi deserta sit, pluraque palari corpora lucida, quàm videmus, dixi. nunc de alijs inquisitio procedit, an vitam aliquam præter cælestem ignis toleret. Scio aliquibus rebus ignoscere. Antisthenes apud Simocatiæ Ἀπορρήματα Physica ait: Subtilissimi pori propter nimiã soliditatem sunt in adamante, quapropter & ferrum nihil in eum potest: neque enim scalpitur, neque frangitur ob nimiam densitatem. inde flammam non sentit, quasi prohibentibus poris, ac omnino obsistentibus, ne lapidem ignis natura penetret; cumque ita nulla sit commixtio, dissociantur. Dissociatorum verò disiunctorumque nullus ad se inuicem est habitus. Adamas igitur cum igne coniũgi nequit, quare neque aduritur, & ignis naturæ hostiliter aduersatur. Ferrum contrà & aurum ignis naturam recipiunt, vnde illa aut liquefiunt, aut molliuntur. Equidem sanè propter maiorem ariditatem combustioni non est obnoxius adamas: nam omne quod liquefit, plurimum necessariò habet humoris. Parcit quoque ignis asbesto, & carbaso, mulcet pyragmum stirpem, amiantum non deuorat. Strabo ait, nasci ad caristum lapidem, quem pectunt, nent, texunt; inde mantilia confici egregiè contexta: vbi sordescunt, in flammam proiecta, non secus emundari quàm si maculâ elueres. Quid non credemus, si ardor pro humore est? Iam si & lino & palmiti benignus ignis est, solúmne in sententia implacabilis erit? Iuxta Aristotelem fornaces ærarios Cypriæ insulæ, vbi chalcites lapis crematur, bestiolæ pennatæ paulò muscis grandioribus maiores incolunt medio igne securæ: adeò qui omnia consumit, nonnulla viuificat, namque exules rogis pereunt. Inimicum naturæ elementum minutis naturis fauet; est quod impunè flammas violet. Subscripsit Seneca, transscripsit ex Aristotele. Plinius vocat pyrales aut pyraustas. Viuacia quoque inter ignes, πυρρίβια dixit Laërtius in Pyrrhone. Sed & Solinus & Iorach carystias aues exhibent immunes inter flammas. Reiecit hos duos Albertus, sed pyralibus & salamandris ipse indulsit, quod carystijs negauit, securitatem ardoris.

CAPVT XVIII.

An in igne aliquod animal generetur.

CEterùm quia in historiâ Moysis nulla genitalis virtus ab igne celebratur, nulla iussio Dei flammas fecundauit; videndum est, num istos formarum incolas ignis procrearit. Diuiserunt suffragia puritas & vehementia elementi. Ouidianum est:

Nec tu aliud Vestam, quàm puram intellige flammam,
Nataq́ de flammâ corpora nulla vides.

Olympiodorus omnem natiuitatem ablegat rogis. Hæserunt ex recentibus Mercurialis, Cardanus, Matthiolus. Iste seueriùs nec credit rogos admittere viuentia, nec se inquit in Germanicis fornacibus inuenisse pyraustas, nec Galenum in Cyprijs. At certè Galenus non dixit contrà: nec dicere rursus opus erat, quod iam Aristoteles, quod Plinius: & Aristotelicæ sanè gloriæ æmulum se exhibuisset, si falsum aut inueniret, aut crederet. Tum si in Germanicis nõ inuenit Matthiolus, fortasse inuenit Agricola. Fatetur in fornacibus bestiolas enasci. Quin, neuter viderit in Germaniâ, an obinde nec in Cypro? an nullibi? Ceterùm Mercurialis, & Cardanus patientiam ignis non negant, solùm dicunt nullius sententis patriam esse, sed hospitiũ. Ita ille putat ex terrâ metallis commixta erumpere. Cardanus in imo ignis, seu in ignis vicinâ parte gigni ex excrementis. Detrectant nimium calorem posse esse fontem vitæ, cuius pignus humiditas est aliqua.

Contrà sunt Seneca, Scaliger, Agricola, & Licetus, qui flammeam patriam aliquorum animalculorum concedunt, & tres priores patrem. Ego Aristotelem probo; & vnde illum infamauit Matthiolus sui oblitum, maximè laudo. Nulla dictorum repugnantia est in Historiâ, atque in secundo de Generatione animalium: ibi in medio ignis nasci bestiolas affirmat, hîc *nullum*, ait, *ignis animal generat*. At, quæ in his locis contradictio? nullam video, vtramque sententiam amplector. Et in igne nasci sententia, & non ab igne: nullum vtique animal ignis generat, at in medio ignis aliquod generatur. Non video in primordio tributam fecunditatem ignis, nisi soli humori & terræ: quare flamma nihil procreat. A quo igitur generantur, quæ in igne? Ab illo vtique elemento generantur, ex quo: neque enim quòd in igne pyraustæ enascantur, ex igne nascuntur. Permixtus, impurus iste ignis est, turbulentus vapore & halitu, quos fumus inuoluit, & quos emittunt metalla & lapides adusti. Itaque ex aquâ aut terreâ substantiâ ista animalia erumpunt. quare ab illâ? Dices, iam non in igne generari. Fortasse religiosè dixit Aristoteles, in medio ignis, non in igne: nāque in medio ignis sunt plura, non ignis; ad hæc ignem nunc voco istum impurum, qui forsitan cum humiditate est. Flammas ignes vocamus; flamma fortasse nō sine humiditate. Quid flamma est? Fumus ardens. Fumus nonnihil humidus est, alioqui quomodo parieti camini adhæresceret?

Dices, istas spurias generationes eorum, quæ sponte oriuntur, sine obstetricante putrefactione non esse. Ignis huic obstat. Hippocrates incensis siluis expiauit peste Græciam ex putrido aëre. At talibus vaporibus infici fumus potest ex lapidibus, & metallis, vt sufficiens corruptio ministret exiguas has bestiolas, prӕterquam quòd Aristoteles istud cōmendet, quòd in ijs quæ putredinem nullam posse recipere existimantur, nasci animalia nouerimus; vt vermes in niue, pyrales in igne. Verùm obseruandū est, non dixisse nullam putredinem esse, sed, non existimari: aliqua quidem potest esse, ideò in his turbidis flammis morari aliqua possunt & enasci; in puro tamen & æthereo igne nihil quod sentiat habitat, nihil adhuc quod non sentiat nascitur. Incolæ illius sublimis plagæ, luces sunt cælestes. Sed videndum est, quomodo isti ignicolæ flammarum in Cyprijs fornacibus auiditatē ignis compescant. An odio aliquo naturæ, an familiaritate? Hac credo. nec audiendus Cardanus, qui putat frigore reniti. namque quomodo exilia illa corpuscula tot flammis obstarent?

CAPVT XIX.

An ignea sit salamandra.

Diuersa salamandra est, aduena quidem ignis, & ex aquâ aut limo. Scio D. Thomam ignei putasse ingenij, nutriri in igne, ex sicco terreo adusto, fumoso, propter conuenientem similitudinem ad complexionem suam. Famam fortasse secutus est confundentem pyraustā cum salamandrâ. Ita Phile, quod illius est, huic dedit, dum cecinit:

Τὴν σαλαμάνδραν κἂν ἀήρ, κἂν γῆ τρέφῃ,
Ἐν ὀστέοις γὰρ ἐστιν ἰσχνὸν σαρκίον,
Καὶ δέρμα λιτὸν καὶ πτερῶν ἔχει σκέπην.
Ἀλλ' οὖν σὺ συνιδὼν, Αὐσονάρχα, θαυμάσῃς.
Τὸ πῦρ γὰρ αὐτὴν οὐ φοβεῖ τὸ παμφάγον,
Ἐφίπταται δὲ καὶ διώκει τὴν ζέσιν,
Καὶ σβέννυσι μὲν τῆς καμίνου τὴν φλόγα,
Κινεῖ δὲ πυκνὴν τοῖς βαναύσοις ἀσβόλην,
Ψυχρός τις αὐτοῖς αἰθρακὶς δεδειγμένη,
Καὶ ζῇ μεταξὺ τῆς πυρᾶς, καὶ τοῦ βρόμου
Καὶ σπῶσα καπνοῦ καὶ δριμύτητος πνέει
Τῆς αἰθάλης πρὸς ὕψος ἠρεθισμένης.

Quid salamandram, aërne tellúsve educat?
In oßibus namque est caruncula tenuis,
Cum pellis alarumq́ paruo tegmine.
Sed tu, Imperator, hanc videns miraberis
Quòd non tremiscat deuorantis omnia
Ignis furorem, quem inuolans atrociter
Elidit, ac fornacis æstus enecat;
Fabrisq́ densam suscitat fuliginem
Ingreßa fornacem dolosè feruidam,
Rogumq́ viuit inter & flammæ sonos,
Spiratq́ fumi dißipata acredine,
Sursum fauillæ prouoluto vortice.

Non hæc salamandra est; succo imbuitur, pennis non alleuiatur: lacertæ species est, cute asperâ atque scabrâ, animal graue, tardissimum, punctis velut stellis variegatum, in fontibus inuenitur, & sub terrâ, atque in macerijs murorum. Sine dubio domat ignes æmulo rigore; vincitur tamen à magnis. Visa est comburi. quare falsò cecinit Nicander in Alexipharmacis:

Cui nullus poterit fumus ignísve nocere.

Exiguos solùm ignes refuso humore extinguit. Non amplius illi tribuit Aristoteles. Greuinus tamen immunitatem hanc cuti tribuit. Non sicco terreo alitur: namque elisa tetrum humorem, qualis est terreus adustus, fundit, sed lacteum, tamquam saniem, pituitæ pignus. Licetus ex aquâ generari probat, Greuinus ex limo: ego istas origines, si diuersæ sunt, duabus salamandrarum speciebus distribuo. Vtraque pestifera est, & terræ & aquæ: est enim quædam aquatilis, in stagnorum ripis & fontibus habitat, inde in

terram nonnumquam prosilit. Iuxta descriptionem Rondeletij, corporis specie lacertam refert, nisi quòd capite sit latiore paulò, oris rictu æmula ranæ, caudâ acutâ & longâ. Mitiùs hæc virus fundit; quamuis ego meminerim aquatili salamandræ imputatam subitam necem totius cœnobij, præter coquum qui nondum cibum sumpserat. Itaque hæc bestiola non spectat ad exornationem ignis, cùm æmula sit, vt aut extinguat, aut comburatur, & cùm alienigena sit, alibi viuit, aliunde nascitur ex humore, aut fimo. Num progenie etiam gaudeat, dubitari potest. Negat Greuinus. At Dalechampius hæc testatur. Grauida salamandra mense Martio pede & baculo elisa, lactea sanies ex omnibus corporis partibus, capite, dorso, aluo, caudâ, pedibus exilijt, non aliter, quàm ex papillâ vberis, digitis compressâ: dum etiam ex dirupto ventre plus quàm triginta fœtus adhuc palpitantes, & in aquâ natantes, ac plus quàm triginta oua prodierunt. Ego quidem feminam dissecui prægnantem, tum ouis, tum catulis plenã; alijs inchoatis tantùm, alijs iam perfectis gradientibus, & in aquâ natantibus. Fortasse mater est, quamuis oua non sint certa indicia libidinis. Aristoteli ostrea omnia non nisi sponte nascuntur, licet habeant quæ oua nuncupantur. nihil hæc generationi seruiunt. Argumenta dumtaxat sunt melioris nutricationis, quale in sanguineis est pingue, in aluo quoque muris feminæ fœtus extitere prægnantes, in quarum vterculis musculi sponte orti ex recrementorum colluuie, non paterno semine.

CAPVT XX.

An aliqua grandior bestia ignem toleret.

REstant & aliæ appendices quæstiunculæ, Num & aliud nobilius animal amicum ignibus sit. Sapiens enim in vndecimo cap. memorat bestias vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes. Iam si spirant ignes, vitale illis erit inimicum naturæ elementum. Tum Moyses scribit aduersus murmuratores misisse Deum ignitos serpentes, par supplicium flagitio. Ad hæc Cacus Arcadiæ monstrum setosum & exitiale, vt scribit Adelinus Philosophus, eructat anhelitu sui pectoris flammas, maximè cùm per iram excandet. Fortasse quispiam dicet, hæc monstra Philonem aut Salomonem respexisse in igniuomis suis feris. Virgilius quidẽ hoc animal nouit, inde superstruit multa. Pænè omne mendacium originem sui alicui veritati debet, adeò sibi secumque parum subsistit. Sic Poëta illum describit:

Hîc spelunca fuit vasto submota recessu
Semihominis Caci, facies quã dira tegebat,
Solis inaccessam radijs; semperq; recenti
Cæde tepebat humus, foribusq; affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros
Ore vomens ignes magnâ se mole ferebat.

Non, credo, insolens natura est, si euomat flammas furens aliqua bestia. Tiberij Cæsaris equus, cùm in pugnâ calebat furore, spirare ignes visus est, vt Heliodorus & alij scribunt. Architrenius quoque cecinit:

——— Ignes equus arduus efflat.

Verùm ista ignium eructatio non est argumentum sustinentiæ tanti vigoris. Innocens est anhelitus. In corde, in pectore animalis per varia latè diffusus membra tepidusque manet, nondum exuberatus in flammas, donec ructu cogatur, & iam multiplicatus adurendi vim concipiat; quemadmodum solares radij per crystallum aut beryllũ multiplicati in summo mucronis acumine, exurunt obuia, exciunt flammas. Nimia bilis recocta & torrefacta, in igneam & causticam substantiam degener, calidos halatus fouet & incendit: dum enim stringuntur afflatione, tandem inflammantur. Nihilominus ignitos serpentes Moysis non est opus dicere ignes euomuisse, sufficit ad rationem appellationis, si eorum morsus pestem ignis æmulentur; quemadmodum Lucanus similia damna à serpente sæpè atque ab igne narrat:

Seps stetit exiguus, quẽ flexo dente tenacem
Auulsitq; manu, piloq; affixit arenis.
Parua modò serpens, sed quâ non vlla cruentæ
Tantum mortis habet: nam plaga proxima circum
Fugit rapta cutis, pallentiaq; ossa retexit;
Namq; sinu laxo nudum est sine corpore vulnus.
Membra natant sanie, suræ fluxere, sine vllo
Tegmine poples erat, femorum quoque musculus omnis
Linquitur, & nigrâ distillant inguina tabe.
Dissiluit stringens vterum membrana, fluúntque
Quidquid homo est, aperit pestis natura profana.
Parua loquor, corpus sanie stillasse perustũ:
Hoc & flamma potest. Sed quis rogus abstulit ossa?

Ipsum venenum dipsadis ignem vocat:

Ecce subit virus tacitum, carpitq; medullas
Ignis edax, calidaq; incendit viscera tabe.

Et de eo qui illo fuerit percussus addit:

Ille vel in Tanaïm missus, Rhodanumq́, Padumq́,
Arderet, Nilúmque bibens per rura vagantem.

Tam parum abest quod Moysi ignitus, aut Lucano torridus serpens dicatur.

CAPVT XXI.

An in niue nascantur viuantque aliqua animantia.

Contrariorum prona reminiscentia excitabit curiositatem, an nix æquè hospitalis sit, ac ignis. Negarunt Mercurialis, & multi; Aristoteles tamen, Strabo, Plinius, Agricola, Olaus testantur: defendunt Marsilius Cognatus, Fortunius Licetus, & Scaliger. Possunt gigni vermiculi in niue, quòd in eâ multum sit aëris, & spiritus, qui posteà concalefactus, illos generet. Ad hæc: humidum cum calore aliquo est, iuxta Aristotelem; quare nix titulo humiditatis non penitus friget; gelu autem omnino infecundum puto. Has bestiolas niueas vermes appellat Apollonides, oripas seu montanas teredines Theophanes, lumbricos Pseudo-Aristoteles lib. de Plantis. Sunt candidi hi vermiculi, & in vetustiore niue rutili; nā & ipsa nix senio purpuratur: tanti alboris canities rubor est. Sunt prætereà hirsuti propter fuliginum copiam in vetustâ niue coaceruatarum.

CAPVT XXII.

Quomodo è terrâ exorta primùm animalia.

NVnc restituo me primæuæ generationi ex aridâ. Terra gremium multorum animaliũ & genitrix prima est. Videndum quomodo parturijt bestias? Claudius Victor tribuit virtuti & afflatui Solis.

Iam bis terna dies claro radiabat Olympo,
Tertia post calidi genitalia munera Solis:
Iamq́ tepēs tellus grauidos laxauerat artus,
Cùm maiora agitās iussit Deus edere terram
Omne animal, vegetat ratio quod sola mouendi:
Cui seruire datum, quo rerum postulat vsus.
Nec mora, prorumpunt fœtis vitalia terris
Pignora, quæq́ sui generis sortita figuras.

Iuxta Eugubinum quoque produxit terra superioribus aquis conspersa, & Sole tumefacta, quæ gremio ac ventre suo parturiebat animalia, priùs generata quinque dierum spatio, & concrescentia, membrísque informata, quintâ luce edita iam & perfecta. Generabantur autem simul atque aquæ separatæ terras apertas reliquerunt. Tunc, mirabile dictu, passim feruebat humus; vtque terrestris humor in medullas arborum, vitalem stirpium succum, Solis calore conuertitur, sic vertebatur humus in carnes. Vt in vtero matris exiguum semen tepefactum crescit in carnem & membra; sic item exigua semina & humorum partes coalescebant in diuersorum generum animantes. Fiebat id volente Deo, qui omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyssis. Sed & naturas parauerat ipse tales, vt inde nasci hæc possent: terram tamquam matrem ac genitricem, Solem tamquam genitorem; iacentem stratamque latè terram, Solem desuper incumbentem; cupidissimum hunc generandi, hâc cupidissimè rapientem, in sequè continentem cælestem genituram. Modum hunc generationis animaliũ cùm enarrasset, locum etiam, quo effecta est hæc animantium procreatio primùm, & quo effici potest, his tradit. Attulimus superiùs de stagnante Nilo, & considente terrasque humentes relinquēte, & animalibus nascentibus exemplum, flagrante regione Ægypti magno Solis ardore. Non fieret idem in locis frigidis. Ideò vbi inchoata est creatio, locus erat calidissimus, in Arabiâ scilicet & Mesopotamiâ, vbi paradisus erat prima pars Aquilonaris. Eoque sciendum est, istâ animalium primo tempore propagationem, non in cunctis terris extitisse, sicut nec omnes aquis principio patefactas: sed in locis tantùm æstuantibus Solisque ardore flagrantibus. Hæc, vt dixi, Mesopotamia est, & Aramea, id est, Armenia; vbi fuit etiam prima hominum habitatio, & paradisus terrestris, & homines ante diluuium. Hîc ardore Solis nata sunt primæua animalia, ex hisce natis, & per orbem proseminatis, nata sunt alia ex propagatione. Mihi celerior fuisse videtur prima illa generatio, nec per dies durasse. Efficaciam analogæ originis nisi ex Dei imperio non habuerũt. Istud imperium tunc fuit, cùm factum imperatum. Tum quia stirpes antecessere Solem & sidera, non ergo rerum generatio cæli effectus est. Præfero propterea Caietanum, & Lipomanum, qui terræ aliquam efficaciam seminalemque virtutem delegatam à Deo putarunt. Iam ista tetigimus, atque exemplum aquæ. Inde hîc suppleri possunt quæ desunt, ne aut eadem aut similia inculcemus.

CAPVT XXIII.

In quâ magnitudine animalia creata.

SVpersunt quæstiunculæ nonnullæ, nunc excutiendæ, An prima illa animalia edita magna, an multa, an omnia. Iussio Dei consequēs exigua videtur, & pauca arguere, alioqui

qui cur crescere & multiplicari imperaret? Quare dicere quis posset animalia eâ magnitudine facta, vt crescere potuissent. Nihilominùs puto in staturâ perfectâ erupisse. Exemplum Adam est in virilitate creatus. Veritati incrementi virtus augmentatiua satis erit.

CAPVT XXIV.

An initio creata multa animalia ex vnoquoque genere.

Circa multitudinem considerandũ est, an duo ex singulis generibus; an plura, licet pauca; an multa. Moyses Barcepha, & Vielmus plura arbitrantur. Allegat ille Dominum Ephræm, & in argumentum sumit pelliceas tunicas, quibus Adam è paradiso emissus fuit. Vnde sumptæ pelles, nisi aut pereunte aliquâ specie, aut superfluente indiuiduo? Vielmus plura congerit indicia. Nam terram totâ alloquebatur Deus, cùm dixit: *Producat terra animam viuentem in genere suo*, non solùm hortum in Eden, aut vicinam ei dumtaxat regionẽ. Rursus, cùm eiusdem generis animalia apud Antipodes reperiantur, quæ apud nos sunt, nec sit rationi consentaneum ea omnia ab hominibus vltro citroque fuisse aduecta, aut etiam ipsa tranasse pelagus, quod nos ab illis hominibus latè disterminat, videtur probabilius, plura quàm duo fuisse initio ab opifice formata. Ad hæc legimus, ex pellibus animalium Deum fecisse tunicas Adæ & Euæ: quod sanè testimonium euidens facit, plura quàm duo eiusdem speciei indiuidua initio fuisse edita, præsertim si eadem die Adamus eiectus à Paradiso fuit, & opertus pellibus; nisi ad miracula & nouas formationes cum quibusdam confugiamus. quod D. Augustinus prudenter vetat. Et fortè plures feminas in gregibus & armentis mundis Deus effecit quàm mares, vt species citiùs augerentur, quòd videamus vnum marem plures femellas generatim fermè implere, quamuis sub diluuium plures seruati mares fuerint quàm feminæ, ob sacrificia, & in immũdis pares, ex æquo mares & feminæ. Hæc pro sententiâ istâ: nihilominùs non obstant. Nam friuola est illa Antipodum consideratio. Nunc idem incommodum restat; namque in Noëticâ inundatione omnia animalia periere, nisi bina reseruata; nihilominùs nunc videmus in omnes mundi angulos effusa. Quod Syrus Episcopus obijcit de pelliceis tunicis, mox examinabimus. Non obest, vt bina genita cum Theodoreto & Lactantio credamus exemplo nostri generis, & reseruationis in arcâ. Procopius censuit verisimile, in initio bina in omni animantium genere, quemadmodum & cum homine accidit, esse condita. Erant itaque solummodò paria, seu coniunctiones quædam singularium animalium, cùm adducerentur ad Adamum, vt ipsis nomina daret quibus foret imperaturus. Id quoque conijcere licet ex diluuio, quando bina & bina in arcam compellebantur, ad exemplum creationis mundi. Quòd verò plura animalia munda in arcam inducta sint quàm immunda, ideò factum est, vt Noë, vbi præsenti periculo ereptus fuerit, & salutem consecutus, haberet victimas quas immolaret Domino. Præterea Deus malebat, vt plura animalia, quæ prodessent homini, conseruarentur. Oportebat summũ artificem prima solùm exemplaria effingere, & naturæ deinde relinquere negotium, vt sui imitatione in iterandis viuentibus operam strenuam daret. Ascanius nec plura vult genita animalia, nec tantùm bina, sed plures femellas. Huius causa eadem est cum antecedenti, eodem retundenda ictu.

CAPVT XXV.

Quorumnam animalium erant tunicæ pelliceæ quibus indutus Adam.

Vt institutam finiamus causam, dissertandum nonnihil est de pelliceis tunicis, & transitu animalium ad insulas & ad nouos orbes. Vnde illæ pelles? S. Iustinus putat, præparatas à Deo prænoscẽte lapsum Adami, non tamen detractas ab aliquo animalium, nam bina dumtaxat. At cuius animalis pelles erant, aut simulabantur? Ouis verisimilius puto, nec istud è meo cerebro, pulchram sanctæ Hildegardis excerpam sententiam in Epistolâ ad Prælatos Moguntinenses, cùm per illos diuinis fuisset interdicta, ita scribit: *Ouis enim præ alijs animalibus patiens, humilis, mansueta, & munda existit. Vnde etiam Deus pelliceas tunicas primis hominibus, per inobedientiam à claritate, quâ vestiti erant, denudatis, pelles scilicet ouium pro veste tribuens, significationes ouis calliditati antiqui serpentis opposuit, & tali veste eos obtexit, ne nudi paradisum exirent. Ipse enim æternus Deus, qui in scientiâ suâ æternaliter habuit tunicam, id est, humanitatem Filij sui, ad cuius imaginem hominem fecit, quemadmodum Moyses ipsum ad imaginem & similitudinem Dei creatum esse testatur, hominem deceptum vocauit, & tali veste induit; in hoc ostendens, Verbum, scilicet vnicum Filium sibi coæternum, ad requirendum & liberandum, ex virgineâ naturâ humanitate induendum, iussione in significatione ouis, patiens, humilis,*

mansuetus, & absque omni maculâ vllius contagij mundus existeret. Ioannes enim Baptista, & ceteri Prophetæ, idem in Spiritu sancto intelligentes, eum nomine agni & ouis sæpißimè appellant. Ipse namque est immaculatus agnus, & speciosus formâ præ filijs hominum, qui non de virili semine, sed de Spiritu sancto conceptus virtute altißimi Dei, de carne Mariæ Virginis, Deus & homo natus processit. Hactenus S. Hildegardis. Placitum D. Ephræm, ex pecudibus fuisse arbitrantis, laudat & amplectitur Barcepha. Huius ista sunt: *Negamus vnicum dumtaxat par in animalium generibus singulis fuiße effectum: neque enim hoc sacris Litteris proditum est. Enimuerò Deus, qui permisit Adami arbitrio, vt peccare poßet, opusq; haberet indumento, creauerat complura animalia: cumq; ille violatâ lege peccaßet, humanâ se specie primis parentibus ostendens, induit ipsos pelles solo eius nutu pecudibus detractas, atque verbo in tunicas conformatas. Et verò Dominus Ephræm ait, fortaße coram illis iugulatas eße pecudes, vt earum carnes ipsi vescerentur, corijsq; nuditatem suã cooperirent: denique ex ipsarum morte se quoque mortalia habere corpora intelligerent.* Hæc Barcepha. Verùm propter indumentum primorum parentum non erat opus plura animalia ex singulis generibus fieri, vt Barcephæ placet, bina sufficiunt ad summum, ex ouibus solùm quatuor aut sex, duo ad semen reseruata, alia præparata ad vestitũ hominis; quemadmodum & Noë non nisi ex mundis bina animalia clausit. Horum tamen excessus non remedio naturæ seruatus, sed Religioni destinatus fuit.

CAPVT XXVI.

Animalia carniuora, & recenter creata quibus rebus vescerentur in arcâ Noë.

TAntâ circa hanc rem religione tangebar, vt pænè cõsentirem, plura ex nonnullis animalium generibus in exordio congenita, debuisse ferarum annonâ pasci. Quo pacto leo, tigris, aquila, accipiter epularentur? necesse videbatur, per aliquot annos ieiunos perdurasse, aut aliquas animalium & auicularum species consumpsisse, si bina dumtaxat ex omnibus condita. At nec illud, nec istud Philosophicum, nec expediens naturæ rerum, nec dignum prouidentissimo auctore. Ceterùm prodigere tunc naturas, vt putaremus plures effusas, obstat secunda propagatio rerum, cùm post vniuersi illuuiem, binæ dumtaxat in arcâ reseruatæ reparationi mundi, binę ex eadem arcâ dimissæ. Idem hic scrupulus, ex quâ carnificinâ leo, tigris, lupus, miluus nutriti in arcâ, & proximè post exitum; siquidem in arcâ nullum animal fuit nisi saluti aut hostiæ reseruatum; post exitum incolumitati dumtaxat speciei, quæ in binis illis constitit per plures dies quàm sustineretur fames. Quare necesse est alita interim carniuora herbis, & fructibus, aut terrâ; lupus enim carniuorus est, & tamen terrâ vescitur: idem quoque illis penu fuit in recenti origine mundi, atque in claustris arcæ. Quid moror? dubitare non licet, primum omnibus animalibus promumcondum fuisse terram? Hæc verba creatoris sunt. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terrâ.*

Quæres: Quî tanta immutatio palati leonis, tigridis, & lupi, vt à pastu ad raptum deficerent, à grámine ad greges? Fortasse non incommodas plãtas gustui carniuoro, & satis similes illis præparauit Deus. Vnum aut alterum exemplum memorabo. In primis plantæ borametz, quæ pro carne agninâ est lupis, vt suprà differuimus. crescit enim, ait Scaliger, agni figura ad pedum ferè ternûm altitudinem; quem pedibus, vngulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus repræsentat. Pro cornibus pilos gerit, singularis cornu specie. Obducitur corio tenuissimo, cuius detracti vsus ad capitum tegmina incolis. Ferunt internam pulpam gammari referre carnes; ceterùm è vulnere quoque sanguinem manare. Dulcore esse admirabili. Radicem humo exertam surrigere ad vmbilicum vsque. Illud miraculi fouet magnitudinem, quamdiu vicinis obsidetur herbulis, tamdiu viuere quasi agnum in læto pascuo; remotis illis, tabescere atque interire: idque non solùm casu vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratiâ subtractis atque ablatis euenire. Quin illud auget admirationem, appeti à lupis eam. Surius item scribit, eius plantæ suauitatem lupos & cetera rapacia animantia ad eam deuorandam inuitare. Alterius magni fructus in corde suo agnùm quoque ferentis, testis fuit beatus Odericus. Bernetas aues esse fructus arborum, Æneas Siluius & Fulgosus scribunt, plurimis alijs contestantibus. Verùm in superioribus egimus de his sat diffusè. Præterea, cur carniuora aliquamdiu herbis non possent esse contenta, cùm visa sint herbiuora carnibus ali? Marcus P. Venetus scribit, equos in Regno Var coctis carnibus simul cum riso ali: in Prouinciâ etiam Aden boues, equos, camelos, & oues piscibus vesci. Taceo quod de equis Anthropophagis celebrauit vetustas.

CA-

CAPVT XXVII.

An aliqua viuentia & marina animalia creata plura quàm bina ex eadem specie.

PLantas porrò necesse est erupisse plures eiusdē speciei; perijssent alioqui multæ, cùm omnibus feris parauerint suo tempore macellum. Quare non solùm creatæ, quæ sufficerent prosapiæ propriæ, sed quæ suppetijssent annonæ alienæ. Quid de piscibus dicemus? Reor non binos solùm editos, sed maximum vulgus pisciculorum, & bestiolarum aquatilium, ad grandiorum piscium voracissimorū, cetaceorumque gulam sustentandam. Non forum his ab agris: suum illis elementum carcer est. nec illis à Domino præparatas plantas Scriptura dicit, sed neque omnino celauit terrestria bina genita, aquatilia tamen in maiori vbertate. Nam vbi dicitur, *Producant aquæ reptile*, verbum *saraz* ibi non casu positum, maiorem emphasim habet, quod S. Ambrosius, Vielmius & Pererius notarunt. Significat non quamuis productionem, sed multiplicem quasi scaturiginem & ebullitionem in maximâ vbertate & copiâ.

CAPVT XXVIII.

De piscibus vescentibus auro.

NOn obinde inficior, multis pisciculis hoc necesse non esse, qui marinis plantis aluntur, imò terrâ, imò metallis. Multi putarunt, aliquibus piscibus auriferorū fluminum aurum gulam esse. Pesqueræ incolæ ad Benacum lacum, atque etiam qui salo accolunt, sibi persuadent, eos pisces quos ipsi carpiones appellant, è puro auro alimentum sumere. Et ne tam longè exempla petamus, Lugdunensis Prouinciæ incolæ certò statuunt, pisces quos *humbles* & *emblons* nominant, alio cibo non vesci quàm auro. Nullus est rusticus lacûs *Bourget* accola, qui non asseueret pisces *Lauarets*, quos perpetuò in piscatorio foro Lugduni venales reperias, alium cibum non degustare præter aurum. Lacûs autem *Paladrou* in Sabaudiâ accolæ *emblon* piscem, atque vmbram auro sustentari arbitrātur. Similiter Laudenses retulerunt, in Mediolanensi Ducatu, piscem *themolo* vel *ahemero* illis dictum, veterum thymalum, auri depastione pinguefieri. Admoneo, non omnino in omnibus verum esse: nam Bellonius facta anatome obseruauit, plures ex his piscibus alijs cibis præter aurum vesci.

CAPVT XXIX.

An fuerint aliquarum specierum creata solùm singula animalia.

REliquum est disquirere, an si aliquarum specierum animalium plusquam bina fuerunt genita, nonnullorū sint genita minori numero: hoc est, an singula in ijs naturis, quarum incolumitas stirpis non pendebat è maris feminæque cōplexu. Pisces plures fecundantur solo humore, vultures vento, vt fertur. Quare multiplicationi sui generis non esset opus collega. Eadem quæstio est de animalibus geminæ originis è putri, aut è vuluâ; eadem de multis plantis. Puto in primis fabulam esse singularitatem Phœnicis, vt non semel disserui. Nec maior fides de Rhinocerote, quem Oppianus carere sexu sic canit:

Ῥινοκέρως δ' ὄρυγος μὲν φύδεμας αἰθυκτῆρος
Οὐ πολλὸν μεῖζον, ὀλίγον δ' ὑπὲρ ἄκρα ῥινὸς
Ἀντέλλει κέρας αἰνὸν αἰχμήεν ἄγριον ἄορ.
Κείνῳ κεν χαλκόν τε διαξήσειεν ὀρούσας
Οὐτήσας βριαρήν τε διατμήξειε χαραδρήν.
Κεῖνος καὶ σθεναρῷ περ ἐφορμηθεὶς ἐλέφαντι
Πολλάκις ἐν κονίῃσι νίκην τοιοῦτον ἔθηκεν
Ἠρέμα δὲ ξανθοῖς ἐπὶ καλλικόμοισι μετώποις,
Καὶ νώτῳ ῥαθάμιγγες ἐπήξομαι πορφυρέουσι.
Πάντες δ' ἄρρενές εἰσι, καὶ οὔποτε θῆλυς ὁρᾶται,
Καὶ πόθεν οὐκ ἐδάην φράζω δ' οὐχ ὡς δεδαηκώς,
Εἴτ' οὖν ἐκ πέτρης ὀλοὸν τὸ δὲ φῦλον ἐπῆλθεν,
Εἴτ' αὐτόχθονές εἰσιν ἐπαντέλλουσι δὲ γαίης
Εἴτε παρὲξ ἀλλήλων, τέρας ἄγριον ἐκφύονται
Νόσφι πόθων, καὶ νόσφι γάμων, καὶ νόσφι τόκοιο.

Rhinoceros autem oryge, asino Indico, est corpore impetuoso,
Non multò maior, paruum verò supra summitatem nasi
Surgit cornu, graue, acutum, indomitum telum:
Illo ferrumq; penetrarit impetu facto
Vulnerans, solidumq; dißecuerit saxum.
Sæpè in pulueribus mortuum ipsum prostrauit,
Sensim verò in rufâ, & pulchricomâ fronte,
Et in dorso maculæ confertim purpurascunt.
Omnes verò mares sunt, nec vmquam femina conspicitur,
Et vnde nascantur non noui, loquor non tamquam sciam,
An ex petrâ perniciosum hoc genus prodierit,
An ex terrâ geniti sint, existantq; è tellure,
An ex sese mutuò, portentum horrendum, procreentur,
Sine amoribus, & sine nuptijs, & sine puerperio.

At licet sileant generationem Rhinocerotis Aristoteles, Philo, Ælianus, Agatharatas, solemnem illam nouerunt Plinius & Solinus, aduerso tamen coitu, vt elephantes, cameli, lynces, leones, tigrides. Par vulgi commentum in Plinio de hyænâ, alternis annis matem, alternis feminam fieri, & sine coitu parere, quod negat Aristoteles. Nec vulturis fama veridica est. E piscium autem plebe, licet virgineæ fecunditatis sint nonnulli, non tamen propterea censeo singulares editos; namque oportebat turbam esse vt seruirent grandiorum palato, quemadmodum diximus. Idem de humilioribus plantis censeo. Fateor tamen aliquas nobiliores vnicas fortasse tunc fuisse. Id opinor de vitæ arbore. Fortasse idem accidit aliquibus animalibus sponte nunc nascentibus, si terra etiam aliqua ex ijs tunc auspicata fuit. Suo posteà loco dirimenda hæc lis erit.

CAPVT XXX.

An animalium ingenia mutata fuerint, & diuersa facta, quàm Deus illa creauerit.

DIgerenda quoque est quæstiúcula hæc, an alterius ingenij & naturæ fuerint animalia in primordio cùm illa produxit terra, quàm nunc sint, hoc est, an idem tunc feris fuerit furor, idem reptilibus virus. Per sectiones disputabo hæc. In vniuersum inficiari non licet, ingenitam illam erga Regem suum reuerentiam hominem amisisse. Et iure quidem dominatione ferarum mulctatus fuit, qui dominum suum seruitio debito priuare nitebatur. Rebellis factus Deo, meruit rebelles sibi pati feras. Insurrexit pars hominis sensitiua aduersus rationalem: vnà quoque sensitiuus gradus animalium aduersus rationale animal se extulit. Egregiè Gregorius Nyssenus in suâ Philosophiâ ait: Ceterùm antiquitus nullum aliorum animantium homini nocere audebat, sed quamdiu proprijs passionibus & irrationali, quæ in ipso erat, particulæ dominabatur, subiecta & obedientia ei erant omnia. Quia verò suis affectionibus minimè decenter imperitabat, ab eis denique possessus, & ab exterioribus subactus est: quòd enim ab ijsdem iam impetamur & lædamur, peccatum fecit. Cuius sanè veritas ex his, qui optimam transegerunt vitam, manifestum est: ferarum enim insidijs indubitanter hi superiores visi sunt, vt leonibus Daniel, viperæ morsu Paulus.

CAPVT XXXI.

An rapacia, iracunda, exitialia & carniuora animalia à Deo in initio creata eodem ingenio.

NVnc quæramus, an absolutè rapax voraxque ingenium denegandum sit bestijs, pro eo quidem tempore cùm mundus honorem suum illibatum habebat. Theophilus enim Antiochenus ad Autolycum hæc scribit: *Feras autem Græci nominant θηρία ἀπὸ τοῦ θηρεύεσθαι, id est, quòd venando capiantur. Nec tamen à rerum primordio noxiæ & exitiales creatæ sunt. Nam nihil noxium ab initio à Deo conditū est. Sed hominis delictum conditionem creaturarum deteriorem reddidit, vbi primùm homo legem Dei transgressus est, etiam reliqua præuaricata sunt, & degenerarunt. Vt enim si paterfamilias sapienter vitam instituit suam, etiam domestici, & reliqui familiares ordinatè & decenter viuant; sin autem herus peccarit, & negligentiæ se corrumpendum dederit, dubiumne est, quin & serui delinquant, & socordiam amplectantur? Pari ratione contigit in præsenti negotio, vt peccante homine etiam reliqua quæ in hominis ministerium creata erant, præuaricarentur. Vbi autem homo ad suam naturam, & pristinum ingenium, nec non dignitatem redierit, cessans malefacere, etiam aliqua animalia in primitiuam restituentur mansuetudinē.* Hęc ille. Ipsa nihilominùs structura formæ, vngues, dentes, & alia arma ferarum exigunt indolem acerbam & carniuoram, alioqui frustrà multa in naturâ; quare & nociua essent alijs, carnibus victitatura. Nec obstat sententia Patrum, innocentiam animalium ante peccatum commendantium: solùm essent innoxiæ homini, non alijs brutis. Optimè sanctissimus Eucherius dixit: *Si nobis pro peccato nocent, quare sibi inuicem nocent, nisi quia aliæ sunt in cibum aliarum datæ?* Conspirat Augustinus simili interrogatione. Dicet aliquis: Cur ergo inuicem bestię nocent, quibus nec peccata vlla sunt, vt vindicta ista dicatur, nec vllam recipiunt tali exercitatione virtutem. ideò nimirū, quia scilicet aliæ cibi sunt aliarum. Nec rectè possumus dicere, Non essent aliæ quibus aliæ vescerentur: habent enim omnia quamdiu sunt mensuras, numeros, & ordines suos. Quæ cūcta meritò considerata laudantur, nec sine occultâ pro suo genere moderatione pulchritudinis temporalis, etiam ex alio in aliud transeundo, mutantur. Quod etsi stultos latet, sublucet proficientibus, clarum perfectis est.

CAPVT XXXII.

An viperæ & serpentes venenum solùm post peccatum habeant.

QVid de pestilentiâ, quam euoment serpentes, dicimus? Rupertus ex peccato immissam disserit, cuius ista sunt. Nunc illud sciendum, quia reptabat priùs, vt nunc omne huius speciei vel generis animal: sed reptatio ista nihil horroris haberet, si non illâ diabolus ad mortem domini eius, hominis, vsus fuisset. Multò magis verò nec virus pestiferum vomeret, nec in se ipso haberet, si non illud idem creaturæ Dei adulterator veneficus illo suæ malitiæ veneno polluisset, & per os suũ homini mortem insibilasset. Ecce hodieque (vt taceã quòd multis sanctorum Christi seruorum non solùm innocuos, sed etiam obedientes legamus fuisse serpentes) gens tota esse traditur, quæ in medijs tutam agat vitam serpentibus. Vnde ait quidam Romanorum auctor nobilissimus:

——— Gens vnica terras
Incolit à sæuo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli, par lingua potentibus herbis.
Ipse cruor tutus, nullumq; admittere virus,
Vel cantu cessante potest. ———

Quantò magis tunc homo cunctorum animantium præses, & dominus, reptilibus quoque terræ ordine legitimo imperitaret, si vel diabolus per os serpentis numquam sibilasset; vel si ipse homo, cùm in honore esset, sic intellexisset, vt venenum suasionis eius non admisisset. Ergo bona quidem creatio cunctorum, sed homini, quia Deo contrarius factus est, existens sibimetipsi grauis, in malum iure versa sunt ea quæ benè facta erant. Hæc Rupertus. Dicendum tamen idem de peste venenatorum ac de sæuitiâ ferarum, vtramque dotem indolis esse, sed innoxiam soli homini.

CAPVT XXXIII.

Cur Deus venenata & noxia animalia fecerit.

DIces, cur beneficentissimus auctor lethifera & virulenta animalia fecerit. Respondit iam Augustinus, nec luculentius expectes dictum. Solent enim Manichęi, inquit, mouere quæstionem, vt dicant; Quid opus erat, vt tam multa animalia Deus faceret, siue in aquis, siue in terrâ, quæ hominibus non sunt neçessaria? Multa etiam perniciosa sunt & timenda. Sed cùm ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori & artifici suo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuersitatis, cui summâ lege dominatur. Si enim in alicuius opificis officinam imperitus intrauerit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat; & si multùm est insipiens, superflua putat. Iam verò si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cùm id malè tractat, seipsum vulnerauerit, etiam perniciosa & noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen vsum quoniam nouit artifex, insipientiam eius irridet, & verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, vt apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cùm ea viderint, credunt esse necessaria, & propter vsus aliquos instituta. In hoc autem mundo, cuius conditor & administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident; & in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt videri scire quod nesciunt. Ego verò fateor me nescire, mures & ranæ quare creata sint, aut muscæ, aut vermiculi: video tamen omnia in suo genere pulchra esse, quamuis propter peccata nostra multa nobis videantur aduersa. Non enim animalis alicuius corpus & membra considero, vbi non mensuras, & numeros, & ordinem inueniam ad vnitatem concordiæ pertinere. Quæ omnia vnde veniant non intelligo, nisi à summâ mensurâ, & numero, & ordine, quæ in ipsâ Dei sublimitate incommutabili atque æternâ consistunt. Quòd si cogitarent isti loquacissimi & ineptissimi, non nobis tædium facerent, sed ipsi considerando omnes pulchritudines, & summas & infimas, Deum artificem vbique laudarent: & quoniam nusquam offenditur ratio, sicubi fortè sensus carnalis offenditur, non rerum ipsarum vitio, sed nostræ mortalitatis meritis imputarent. Et certè omnia animalia aut vtilia nobis sunt, aut perniciosa, aut superflua. Aduersus vtilia non habent quid dicant. A perniciosis autem vel punimur, vel exercemur, vel terremur, vt non vitam istam multis periculis & laboribus subditam, sed aliam meliorem, vbi securitas summa est, diligamus & desideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis verò quid nobis est quærere? Si tibi displicet quòd non prosunt; placeat quòd non obsunt: quia etsi domui nostræ nõ sunt necessaria, eis tamen completur huius vniuersitatis integritas, quæ multò maior est, quàm domus nostra, & multò melior. Hanc enim multò meliùs administrat Deus, quàm vnusquisque nostrûm domum suam. Vsurpa ergò vtilia, caue perniciosa, relinque superflua. In omnibus tamen cùm mensuras,

&

& numeros, & ordinē vides, artificem quære. Nec alium inuenies, nisi vbi summa mensura, & summus numerus, & summus ordo est, id est, Deum, de quo verissimè dictum est, quòd omnia in mensurâ & pondere & numero dispoſuerit. Sic fortaſſe vberiorem capies fructum, cùm Deum laudas in humilitate formicæ, quã cùm transis fluuium in alicuius iumenti altitudine. Auguſtini ſententiæ adiungamus alia Patrum dicta. Gregorius Nyſſenus lib. 1. Philoſophiæ ait. Quòd si non omnia noſtris neceſſitatibus ancillentur, ſed homini noceant quædam; conſiderandum, hæc ijs vſui eſſe, quæ in famulatum & conuenienter creata ſunt, vt eorum creationi deſit nihil quæ generari decens erat. Sed neque horum vſus omnifariam hominum effugit intelligentiam, imò venenoſa ad propriam homini conducunt vtilitatem: vtitur enim eis in medelam ab ipſis inflictæ læſionis, & ad aliarum ægritudinum ſanationem. Tales quędam ſunt theriacæ vocatæ compoſitiones, quas ratio adinuenit, vt per huiuſmodi & his dominetur, & ab eis veluti poſſeſſis hoſtibus adiuuetur. Innumeras autem homo contra hæc virtutes habet à conditore tributas, quæ cohibere, defendere, & inſidias eorum corrigere queunt. Nam alia quidem alijs indigentijs conueniunt, generatim autem omnia ad hominis medelam conferre nata ſunt, etiam vtilitatis aliàs experta. Et hæc quidem de præſenti noſtræ vitæ cōſtitutione dicta ſint. Theodoretus accedit quæſt. 18. in Geneſim. Præterea, & ad alia beſtiæ nō ſunt nobis inutiles. Nam ex eis Medici pharmaca non pauca componunt ad morbos propulſandos. Ne quis igitur, beſtijs per ſe conſideratis, de creatore conqueratur, ſed vtilitatem inueſtiget: ſiquidem ipſum etiam corpus humanum, quamuis formoſum, temperatum, & variâ partium vtilitate præditum, muco tamen & ſputo, ac fœtido ſtercore non caret; nullus tamen ſanæ mentis ex his animal vituperat. Neque enim abſque his agere vitam poteſt, ſed per hæc firmum eſt & vegetum, ſiquidem eget pituitâ, ſanguine, & vtraque bile. At quemadmodum per hæc conſiſtit, ſic per eadem dilabitur: vnius enim horum exceſſu aut defectu enecatur animal. Beda in libro De ſex dierum creatione, aliam rationem breuî complectitur. Aut propterea iſta animalia venenoſa creata fuerunt ad terrendum hominem, quia Deus præuidebat eum peccantem, vt intelligeret pœnas infernales, quia alibi dicit: *Vermes eorum non moriuntur, & ignis eorum non extinguitur.* Nec contemnendus eſt Petrus Comeſtor capite 8. Scholaſticæ hiſtoriæ. Quæritur quoque de nociuis animantibus, ſi creata ſint nociua; vel primò creata mitia, pòſt facta ſint homini nociua. Dicitur quòd ante peccatum hominis fuerint mitia, ſed poſt peccatum facta ſint nociua homini, tribus de cauſis: propter hominis punitionem, correctionem, inſtructionem. Punitur enim homo, cùm læditur his, vel cùm timet lædi, quia timor maxima pœna eſt. Corrigitur his, cùm ſcit iſta ſibi accidiſſe pro peccato ſuo. Inſtruitur admirando opera Dei, magis admirans opera formicarum, quàm onera camelorum. Vel cùm videt hæc minima ſibi poſſe nocere, recordatur fragilitatis ſuæ, & humiliatur.

CAPVT XXXIV.

An ſit mutata animalium complexio & vitalis vis.

ILlud quoque illucidandū, an virtus viuifica animaliū nimis ſit labefactata ſaltem poſt diluuium. Num, quemadmodum humanæ vitæ periodus contracta eſt, ſic & brutorum: quorū nec tunc ætas longæuior eſſet quàm humana, alioqui fermè æternam tunc diceres. Pluſquã ad decem millia annorum protenderetur, ſi ſimili proportione ſuperaret noſtram; nam ſi cùm vita hominum vix nonageſimum attingeret annum, ad nongenteſimum cerui cornice ſque peruenerint; proh quanta horum brutorum longæuitas, & pænè immortalitas, tunc cùm homines nongenteſimū ſuperabant! Cur ergo noſtra nunc tantâ ſui parte mutila, & brutorum integrior? Prouidentiæ diuinæ id imputo, vt vicinia mortis nos compeſcat à peccando. Deinde conditioni mutabili ingenij humani, diſciplinas omnes præuertentis. Peritia illa naturæ, quâ ſe primogenitores illi generis ſalutaribus alimentis medicamentiſque iuuabant, paulatim amiſſa eſt; at bruta inſtinctu aguntur, docta naſcuntur, nec patrum curæ & traditioni ſuū columen fideicommiſſum.

CAPVT XXXV.

An aliquorum animalium figura mutata.

DVbitari quoque poteſt, propter ſerpentis damnationem, an animalium nonnullorū geſtus ſit diuerſus ab habitu quem primâ conditione acceperunt. Verùm antequam dolum Euæ ſtruxiſſet ſerpens non erectus (vt Baſilius & Didymus dixerunt) gradiebatur, ſed pectori incumbens reptabat. Interminatio diuina diabolum pręcipuè perculit, & ſerpentem vtique, ſed tamquam inſtrumentum; nec enim tantùm damnatur ſceleris auctor, ſed & pugio; quare id ipſum

quod

quod habuit à naturâ, recepit in pœnam & ad ignominiam, quemadmodum Adam mortem, iris quoque ante vniuersi eluuium naturalis erat, deinde in signum datur diuini pacti: si enim Adamo naturalia omnia secura, cur non seruarentur serpenti?

CAPVT XXXVI.

Quæ species serpentis fuerit, quâ dæmon decepit Euam.

OBuiam istâ appendicem annecto, qualis serpens causa nostri damni. Eugubinus putauit basiliscum, quia Rex serpentium; Pererius scytalin, quia magnitudine & tergi varietate intuentes detinet; Martinus Delrio viperam; Camara communem anguem, aliqui murem araneum, qui virulentus est atque specie gratus, & dicitur suspendere intuentes in sui admirationem. Vnde Hispani dicimus de hominibus suspensis: *Miras las musarañas.* Bonauentura & alij draconcopedem malunt. Auctor quoque Hortuli ex libro de Naturâ rerum ita ait: *Draconcopedes serpentes sunt magni, & potentes, facies virgineas habentes, humanis similes, in draconum corpus desinentes. Credibile est, huius generis illum fuisse per quem diabolus Euam decepit, quia (sicut dicit Beda) virgineum vultum habuit. Huic etiam diabolus se coniungens, vel applicans, vt consimili formâ mulierem alliceret, faciem ei tantùm ostendit, & reliquam partem corporis arboris frondibus occultauit.* Ceterùm non admodum absurdè facere mihi viderer, si draconem fuisse suspicatus fuero. blandiculus enim est, gratam quamdã speciositatem habet, amatorijs quoque assentationibus decipere nouit, adeò callidus est & versutus. Ælianus hæc scribit: *Apud Idumæos, seu Iudæos, cùm Herodes rerum potiretur, eximiâ magnitudine draconi perpulchram admodum adolescentem feminam in amore fuisse indigenæ prædicant: ad quam ille quidem ventitaret, & simul cum eâ amanter dormiret. Hæc verò, etiamsi amator, quoad poterat, leniter & mansuetè ad ipsam adreperet, eius tamen metu perterrita, sese subduxit: & vt ex amicæ absentiâ eum amoris obliuio caperet, menstruum spatium abfuit. At ei sanè, cùm absentis desiderium augebatur, indiesq́; amatorius affectus eatenus ingrauescebat, vt noctes & dies ad eum locum, vbi cum adolescentulâ versari solitus erat, frequens accederet. Cùm verò eam quam amabat non inueniret, tamquam amator cui amor optatis non respondet, acerrimo dolore afflictabatur. Posteà autẽ quàm puella reuertisset, confestim eam audiuit: ac valdè amatoriè, tamquam spretus, ob eamq́; rem amantissimâ irâ incitatus, reliquum per adolescentis corpus circumplicans, eius crura parcè & molliter verberabat. Non ergo experitia rationis animalia Cupido ille, Moris etiam dominus, negligit: sed ex his & alijs, quemadmodum & erga ea affectus sit, & singula curet, ostenditur.* Hactenus Ælianus.

Sed & Tertullianus videtur insinuare nonnihil de dracone, cùm in lib. De habitu muliebri inquit: *Aiunt & de frontibus draconum gemmas erui, sicut & in piscium cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerit Christianæ, vt de serpente cultior fiat.* Accedit S. Ioannes, quoties meminit antiqui huius serpentis, draconem in Apocalypsi appellat. Res tamen nihilominùs incerta. Sunt quoque dracones qui terram gustent.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

De animalibus noui orbis, quomodo illò transuecta, opiniones variæ.



NVNC potiùs curiositas prouocat & nostra historia, quã Vielmij confutatio, cuius sententiæ in superioribus meminimus. Quomodo in dissecta mundi membra illatæ bestiæ? An eò transuectæ? Quo ponte Oceanus superatus? Quâ velificatione ad insulas, & quartam mundi maximamque partem appulerunt? Sunt qui putent, continuari orbem ignotis vijs, ijsque sua peregisse itinera. Huic obstat primùm, feruida esse plura animalia appetentia æstum, quare nouum cælum non ambirent per aduersas ingenio plagas, quæ necessariò rigent Septemtrioni vicinæ. Ad hæc quomodo ad insulas? An, quod noster Acosta putat, communia nobiscum animalia, aprum, leonem, vrsum, vulpem in semotis & aufugientibus commercium nostrũ insulis non esse, esse tamen in Americâ. Hoc inexploratum est. Quidam ex nostris Fratribus naufragio pulsus ad insulam quamdam, vidit tigridem. Iam quid refert, ista animalia non sint, si alia sunt? aut quâ illuc viâ perrexerint? Quidam malunt terræ beneficium esse, parturientis bestias, repetiisseque aliquando primum puerperium; ideò vbique reperiri animalia, aut eadem, aut diuersa, pro qualitate humi. Istam terræ fecunditatem mox examinabimus. Fateor Augustinum in insulis eam facillimè concessurum. Alij negotium Angelorum credunt, quibus regionum cura commissa, suasque eos exornasse ditiones brutis incolis. Minor difficultas fortasse est in natione auium: eadem ijs via patebit, atque quadrupedibus insuper & sua. Plures pertinaces sunt volando, & industriæ. Grues Ponticum mare peruolant: visæ nauigantibus multæ volucres vltra ducentesimam è terrâ leucam. Olores in suis peregrinationibus ad remedium lassitudinis colla imponunt præcedentibus, fessos duces ad terga recipiunt. Pater Dominicus de S. Nicolao è nauigatione Lusitanicâ scribit, aues toto mari passim vidisse, atque omnes tam pertinaci volatu, vt mirum sit, corpus ex elementis conflatũ tam assiduo posse versari in labore. De quodam genere (alcatraces vocant) aiunt, ne noctu quidem à volando cessare, sed efferre se admodum in altum, tum collo sub alteram alam reducto, alterâ expasâ, permittere se ventis, donec suopte pondere ad hæc citima delabatur: id vbi senserit, excitari, ac rursus ætheris alta repetere, sicque noctem subeundo ac descendendo transigere, neque aliter quàm laborando quiescere. Hirundo, nescio vnde defecisset, ducentas circiter leucas circumuolitauit Capitaneam, nec quo liquore, nec quo pabulo viueret, satis sciri potuit. Ceterùm coturnices in pelago diuersoria inueniunt periculo nauigãtium; insidentes enim velis, & hoc noctu, mersere sæpè nauigia. Quin in mari intemerato ratibus, in ipsâ aquâ, putauit Acosta considere posse adhuc submersas. Equidem scio, iuxta Aristotelicam sententiam, aues patientes spiritus, & sub aquas non difficulter sustinere; tum per proximas insulas recreabuntur, iteraturæ viam. Garcilassus Inca scribit, se vidisse tot aues in mari Sur, vt vsque ad duas leucas occuparent visum, denso grege: quasdã quiescere in aquis, quasdam reparatas ex aquis assurgere. Nihilominùs vastum illud spatium immensi Oceani non credo pennâ superatum, nisi quâ parte sit vicina nostris orbibus. Nec hoc pro omnibus auibus satis: nam & struthiocameli, & gallinæ in ijs plagis inuenta, quibus sublimis progressus negatus.

CAPVT II.

Quomodo homines & animalia transuecta in nouum orbem.

VErùm quid quærimus, quomodo in dorso mundi bestiæ & volucres, si sunt homines qui secum plures potuerunt comportare? aliquando fortasse fuit nonnulla communicatio orbiũ. Ophir putauit Christophorus

ſtophorus Columbus Hiſpaniolã inſulam, quam ipſe reperit; eadem exiſtimatio eſt Roberti Stephani, & Franciſci Vatabli: alij Perüenſe Regnum crediderunt triennalibus Salomonis claſſibus ſolemne. Rapuit multos iſta cogitatio, Poſtellum, Goropium, Montanum, Genebrardum, Poſſeuinum, & alios non vulgaris iudicij. Si ita eſt, aliquando notuit vni orbi alter. Quidquid ſit, communicati mundi fuerunt: ſiquidem ille noſtri colonia, ſiue Ophir filius Iectan, nepos Heber, illuc produxit imperium ex vltimis Orientis oris, ſiue Hebræi decem tribuum illud exilium elegerunt, vt quidam huc torquent verba Eſdræ in quarto libro, ſiue tribus Iſſachar, vt Petrus Simon trahit vaticinium Iacobi. Tum Phœnices & Carthaginenſes inuenerunt. Proditum eſt reperiſſe nouas & remotiſſimas regiones prolixæ nauigationis: ſed cautum legibus, ne quis illò peteret, ne Carthago deſereretur. Cunctos inflammarant nuntia feliciſſimi & ditiſſimi ſoli. Siue incolæ Atlanticæ inſulæ apud Platonem eas prouincias occuparint, ſiue Hiſpani, vt quibuſdam placuit, primùm Heſperides inſulas, deinde vlteriores plagas incoluerint; ſiue Tartari, ſiue Sinæ, vt non paucorum exiſtimatio eſt, ſiue Romani cùm rerum, cùm Hiſpaniæ, cùm mundi potiebantur. Namque inter priſca Perüenſium Regum nomina, Titus & Paulus ab aliquibus agnoſcuntur: nec enim ſine causâ aliquâ Noui notitia mundi quibuſdam ex priſcis fuit, Platoni fortaſſe, Senecæ, Luciano, Arriano, Clementi Romano, Origeni, Hieronymo, alij. Ceterùm & longiſſimas nauigationes in antiquitate agnoſcimus, ab Iudæâ & Tyro per triennium. Credo Salomoni innotuiſſe magnetis vires, & perfectam Geographiam & Hydrographiam. Hannon & Eudoxus non minùs nauigauere quàm Luſitani. Ante diluuiũ ab hominibus primùm occupatum mundum, Petrus Simon putat Notitiâ 1. c. 10. id ſuadere videtur hominum multiplicatio, vt anguſtus ijs foret iſte mundus; ſi namque in paucioribus annis poſt diluuium, cùm homines minùs viuerent, ita multiplicati fuerunt, vt opus fuerit Ophir quærere nouum orbem, iuxta quorumdam ſenſum; potiori iure id credi poteſt accidiſſe ante corruptionem terræ & naturæ. Ad hæc iuxta plauſibilius ipſi Petro Simoni placitum, ex ſententiâ Alenſis & Alberti, paradiſus ſub Æquinoctiali poſita eſt; in hac autem plagâ dumtaxat portendi Perüanam regionem & Abyſſenos. Tum fuere qui paradiſum in Peru locarunt. Ceterùm nonnullæ ruinæ ſubterraneæ habitatas inexpiato orbe illas regiones ſollicitant. Namque iuxta Callaum portum Limæ in Peru, cùm euiſceraret auaritia terram, inſecuta auri venam, nauigium inuentum eſt ſub ipſo monte, quod à noſtris & hactenus famâ & ſcriptis antiquorum notis plurimùm diſſidebat, creditumque ab vniuerſis, illuuie ibi fuiſſe humatum. Eiuſdem argumenti eſt inuentio prodigioſi elephantici dentis iuxta Mexicum, ſub editiſſimi meditullio collis; cùm tamen Occidentales Indiæ non ferant modò hanc beſtiam. Tum in nouo Regno Granatæ, iuxta ciuitatem quæ appellatur *Nueſtra Señora de los Remedios*, in quadam fodinâ profundâ dolium integrum inuentum, & ſella ex ligno incorruptibili, & alia ſupellectilia, ollæ, vrcei: ſimilia ſæpè inuenta ſub terrâ. Idem Petrus Simon ſcribit. Fidem his adſtruit aliquâ præcipuè nauigij inuentione Petrus Mexia, qui ſub emineti monte aliud repertum narrat. Trahi poſſent eòdem oſſa gigantum reperta. Ad hæc, naufragia olim frequentiora euenêre. In Arabico ſinu res gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna nauium ex Hiſpanienſibus naufragijs feruntur agnita. Nepos de Septemtrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranij in Conſulatu Collegæ, ſed tum Galliæ Proconſuli Indos à Rege Sueuorum dono datos, qui ex Indiâ commercij causâ nauigantes, tempeſtatibus eſſent in Germaniam eiecti, Annij Plocami, qui maris Rubri vectigal à fiſco redemerat, libertus circa Arabiam nauigans, aquilonibus raptus præter Carmaniam, decimo quinto die in Hippuros portu inuentus. Fertur & Carthaginenſium claſſi, flatibus ductæ, nouus apparuiſſe orbis. Sed & is qui primus inuenit, naufragus fuit, dictus Alfonſus Sanchez de Huelua, ex Comitatu Nieblæ, ex oppido Huelua, vt Garcilaſſus ſcribit, licèt alij nominent aliter. Is narrauit Columbo, & imbuit audaciſſimâ ſpe. Ceterùm & Apoſtolos nouum orbem viſitaſſe, Euangelicæ tubæ ſono in omnem terram euecto, certiſſimum mihi puto iuxta vaticinium Dauidis, & interpretationem Pauli: neque enim cenſendus eſt exitus ſui ſoni, ſed vt ſonat capiendus. De vehementiſſimo Chriſti amatore (ſic Nicephorus vocat S. Thomam) ita ſcribit noſter Emanuel Nobrega ex Braſiliâ citeriori Americæ parte anno Domini 1552. *Habent incolæ S. Thomæ notitiam, quem Zome nuncupant* (mutando Th in Z dialecto propriâ) *eumq; hac iter feciſſe, à maioribus acceperunt, & veſtigia Apoſtolica etiamnum cerni prope quemdam fluuium affirmant. Quod vt certiùs cognoſcerem, ipſe abij, & proprijs oculis inſpexi quatuor pedum & digitorum ſatis altè impreſſa veſtigia, quæ nonnumquam aqua excreſcens cooperit. Ferunt autem eam relictam, dum D. Thomas perſecutores ipſum configere*

 volen-

volentes fugeret, flumenq; diuisum fuiße, per cuius medium ad vlteriorem ripam ſicco pede profectus in Indiam abijt. Pari modo narrant ſagittas, quibus ipſum petebant, in ſagittarios reflexas, ſiluasq;, per quas gradiebatur, cedentes, viam præbuiße. Illum quoque pollicitum fuiße, ſe aliquando has regiones reuiſurum. Porrò exploratis mihi teſtimonijs conſtat, apud Taiaobæ Indos in Occidenti traditã per auos memoriâ eius Apoſtoli, quam retinent ab eius per eas plagas tranſitu, cuius non leuia, imò ad miraculum vſque extant indicia, præcipuè ſemita quædam hactenus in vaſtis illis ſolitudinibus contumax ſui, nullâ herbâ obſita; cùm ab vtroque latere vltra modum herbeſcat. Eâ dicunt iter peregiſſe Apoſtolum, atque inde profectum in Perüana Regna. Traditio quoque manauit, in regionem Paraguay veniſſe, poſtquam per fluuium iguazu deſcendiſſet. Deinde in Paranam per Aracaium. Ibi obſeruatur locus, vbi laſſus quieuit, recreaturus paulisper marcentes artus. Prædixitque, vti à Maioribus acceptum eſt, illuc poſt ſe aduenturos viros, qui poſteris ſuis fidem veri Dei repetitâ prædicatione annuntiarent. Non leue ſolatium & animum fecit noſtri Ordinis operarijs, ingentes labores inter illos barbaros pro ipſorum ſalute & Eccleſiæ incremento perpetientibus. Sunt præterea alia ſigna noſtræ religionis euulgatæ in Occidentem vſque. Reges Ingarum crucem marmoream in pretio habuerunt in aulâ ſuâ Cuzco, quod certiſſimum eſt, non item quod alij ſcripturiunt de veſtigijs alijs noſtræ Religionis. In Regno Yucatâ crucem adorabant. Interrogati ij barbari vnde illum cultum habuiſſent, dixerunt, quemadmodum prodit Petrus Martyr Decade 4. tranſijſſe virum formoſiſſimum per eos tractus, qui eis id inſigne in ſui memoriam reliquerit. Alij, obijſſe lucidiorem Sole hominem quemdam in eo opificio. Memoria quoque Trinitatis in Chiapâ colitur, vt latiùs narrat Hieronymus Roman; tum paſſionis Filij, crucifixionis, flagellationis, & ſpineæ coronæ, triduanæ mortis, reſurrectionis, aſcenſionis in cælum, & aduentus Spiritus ſancti. Nota quoque ijſdem beata Virgo. Sed & Apoſtolici habitus ſigna exhibebant: doctos ſe confeſſionem dicebant, & ieiunium præſertim ſextæ Feriæ in memoriam mortis Filij, à quibuſdam viris illò aduentantibus oblongo indutis pallio, prolixâ comâ, aperto capite, & cum ſandalijs. Quo pacto agnoſcere Americam Apoſtoli potuerint ſine miraculo, multis oſtendit argumentis Iacobus Nauarcha in Epiſtolâ ſuâ Aſiaticâ. Itaque verè & ſimpliciter in omnem terram exiuit ſonus eorum. Arbitror igitur, non vno modo tantùm homines & beſtias illuc traieciſſe. Homines partim naufragio illuc adacti, partim conſtructâ eum in finem claſſe, partim terreſtri itinere vbi continens fuit terra, aut iuxta freta, idque temporis longiore tractu; non vnâ in parte, nec ab vno populo. Beſtiæ autem partim eò aduectæ nauigijs, partim ipſæmet per freta migrarunt, & ex vicinis continentique appoſitis Prouincijs tranſmearunt.

CAPVT III.

An aliqua animalia reproduxerit terra.

ILlud diligentiùs inquirendum, An aliquando terra partum aliquem ſolemniorem, & qualem in primordio, iterauerit. Non ſimplex hæc quæſitio, ſed an fecerit, an poſſit, & quantum poſſit. Maximè iſta pertinent ad inſtitutas de origine & propagatione animalium diſputationes, & ad narrationem de animalibus Americæ rarioribus, quorum hiſtoriæ nunc proludimus. Auguſtinus viam iſtam inter alias expedit, vt inſulis donet bruta. Si ibi ſponte eſſent data puerperio aut abortu laſciuientis humi, iam ceſſaret curioſitas quâ viâ illuc conuecta. Priſcis illud pronum fateri fuit: fuit & pronum in phyſicâ rerum narratione, vbi ex putrefactione auſpicium datur viuentibus, etiam homini: fuit denique pronum & in commentitiâ hiſtoriâ, vbi per Deucalionem & Cadmum è rupe, ex oſſe diſſeminantur homines, vbi Pegaſum & alia bruta perfecta inſolenti natiuitate exorta eſſe confinguntur. At quia veritatem veſtigamus, ſeuerioríque incumbimus Philoſophiæ, ſinceriùs agendum eſt, & primùm dirimenda quæſtio. Ea igitur vel poteſt capi de maioribus feris, vel de vaſtis illis & inſolentibus. Inſolentia aliqua animalia, licet immania, terram & aquam credo peperiſſe. Bellua quam fugauit diuinus vir Paulus Leonenſis Præſul in Armoricâ, cuius toruitatem accepimus è vetuſto codice Floriacenſi, terræ aborſus, vt puto, fuit. Eadem mihi cenſura de ablegato terribili ſerpente à ſancto Samſone coram Childeberto Rege, vt Anonymus ſcripſit in ijſdem membranis Floriacenſibus: ſicut & de Boâ terræ filio ab Hilarione incenſo, quemadmodum Hieronymus prodit. Similiter & humi fœtus erat immanis colubrus ſolerti aſtutiâ, & ſummâ animi magnitudine, à fortiſſimo equite Theodato Gezone occiſus apud Rhodios. Alium terræ filium baliſtis & tormẽtis bellicis Regulus in Africâ expugnauit. Centum & viginti pedibus pro-

producebatur moles stupenda belluæ, cuius pellem & mandibulam ad miraculi fidem Romam attulit. Sunt alia monstra numquam nisi semel visa, deinceps non videnda, quæ luxuriæ humi humorisque imputari possunt. Fortasse in horum censu immanes harpyiæ, de quibus Martyr in calce Decadis septimæ. Ceterùm licet non difficulter concedam, monstra similia ebullijsse è terrâ; non tamen credo omnia ebullijsse simplici suâ virtute, sed partim diuinâ eiusmodi prouidentiâ incubante, ad humani generis, prout bonum sibi videbatur, exercitationem expiationemque.

CAPVT IV.

De hominibus repertis quasi sponte subortis.

NVnc ad vsitata animalia venio, an præter vsum communis ortus aliqua enata sint. In mediū primùm produco humanam originem, an ortu aliquo peregrino acciderit: inde ad bestiarum natalitia pronior erit lapsus. Planè, si homo ignobilem ortum pateretur, paterentur etiam ea quæ sunt ignobiliora homine. Vulgus priscū per omnia mendacia adulabatur vanitati suæ. Imperante Tiberio Augusto in Lusitaniâ, cùm Olysipponenses Legati fidem suam obstringerent, apparuit iuxta mare quidam homo ignotæ originis cornu per interualla intonans; tum marinæ Nymphæ, humanis artubus, nisi quòd cutis anguillæ similior, in Cycladibus duæ apparuerunt, omnino humanam effigiem simulantes. Recentiora quoque portenta sub Eugenio IV. in Illyrico apud vrbem Sibinicum homo inuentus, qui ex aquis prodierat, & ad mare puerum trahebat. Ista tamen monstra sunt, aut ex luxuriâ maris, aut ex ludibrio dæmonum: nullus verus homo, mentis, quæ diuinitatis cognata quædam est particula compos, tam vili habitus fuit; numquam vllus quis ad tam abiectam conditionem demissus, vt quasi è fungo prosilire deprehēderetur. Quid, quòd necdum aliquid ex brutorum genere sic sponte ebullijsse visum sit?

CAPVT V.

An homo sponte possit ab humo nasci.

CEterùm quandoquidem solemnia & præstantiora animalia è terrâ ortum habuisse, re & euentu satis constare nequit, porrò expendamus, an possint fœtus ab humo esse. Auspicabimur verò à nostro genere, Num luxuria humi possit hominem quodammodò dare. Istam inquisitionem superuacaneam putabunt multi, necessariam tamen censuit acutus vir Cæsalpinus, qui & propterea corripuit sectatores aliquos. Multi patronos huius opinionis Auicennam & Albertum aut accusant aut collaudant. Auicennæ præsertim imputarunt Auerroës & Petrus Apponensis, imò Albertus Magnus; sed & hunc vltimum probasse Auicennicum dogma, notarunt Soncinas & Fonseca in Primâ Philosophiâ. Quin & Cæsalpinus ausus est trahere in suum sensum Aristotelem. Deinde muniunt ratione multâ. Sic ferè philosophātur: Viuentiū generatio nunc naturalis & physica est; quare & prima omnium naturalis debuit esse: at prima nulla potuit esse nisi spontanea, ergo vltroneū ortum, cuiusq; etiam perfectissimi viuentis, amat natura, cui necessaria fuit ista generatio in penu & viribus suis, vt modum haberet quo auspicaretur viuentia. Deinde, vt repararet, si casu aliquo periret tota species, oportebat industriam aliquā habere restaurandi illam, & noua parturiendi indiuidua; species enim æternæ sunt. Tum natura est chara similitudo sui, semper sibi similis. Videmus multa è semine genita, etiam sponte gigni. In muribus hæc anceps generatio communis est: expertum quoque, serpentes è muliebribus capillis genitos, deinceps ad prolem adiunctos. Tum scorpiones, quos ab amico suo artificiosis natalitijs factos vidit Auicenna, idem testatur (fiunt enim scorpiones è plantâ ocymo in sinu hominis aut in terrâ putrefactâ) alios è coitu procreasse. Ergo quidquid per artificium congressûs mutui fit, vltrò fingere humus potest. Ad hæc: oportuit vadimonium aliquod speciei esse, nec confidere rem perpetuam corruptibilibus causis. Parentes circa singularia negotiantur, quare necessaria erat tutrix aliqua totius naturæ causa. Ista communia sunt etiam brutis: specialitis humanam genesim adhuc facilitant, animam scilicet non induci materiali virtute, sed asseclam materialium dispositionum esse; at istas cælum negotiari potest, & temperamentum dignum humanâ anima præparare (quidquid enim sublunaris vis valet, præualet supercælestis) in effigiandis autem humanis artubus subesse astris vires ostendūt editi à brutis fœtus homini-formes, & lapilluli humanâ specie sponte suâ culti: tum quia contrariorum æmula existendi ratio est. Sunt in cælo vires quę impediant humanum ortum, & monstrificæ; ergo erunt quæ iubeant & efficiant. Ista omnia etiam Philosophiæ ratio diruet; nunc satis sit præmittere Theologicam. Ab vno omnes sumus. Redemptor noster vnus Christus, quibus, rogo, nouis legibus salus curaretur eius

qui è terrâ exiliret, qui nullam Christi partem haberet, cuius gratia reparationis est post piaculum communium parentũ? Tum nec terræ confidit Deus humanã fabricam, nec primum partum hominis meruit hamus, quemadmodum ceterum vulgus animantium effudit. Ipse Deus manu suâ, subministrantibus argillam Angelis, humanum elaborauit vultum, & præcordiali mox animauit halitus sui osculo. Tantum tamque pulcherrimum opus, maius est conditione adeò vili. Quod dignum labore diuino fuit, sponte non enascitur. Recogita totum illum Deum occupatum ac deditum homini, manu, sensu, opere, consilio, sapientiâ, prouidentiâ, & ipsa in primis affectatione; quæ lineamenta ductabat? an tantum tamque elaboratum Dei opus parergon terræ poterit esse, & vili adeò natalitio effundi? Tanto in pretio habebatur limus. Toties, ait Tertullianus, honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Ratio quoque Philosophica recusabit vilitatem humanæ natiuitatis: si bruta namque dedecet partus spontaneus, potiori iure hominem.

CAPVT VI.

An humanus aliquis fœtus præterquam à feminea vulua prodire possit.

ANtequam ad alia descendamus, obuia est ista curiositas, num aliena matrix, non muliebris, humanæ sobolis hospitium fuerit. Plutarchus ex secundo Paradoxorũ Aristotelis prodidit, asinam peperisse filiam humanã formosissimam effigie, Onoscelin dictam. Idem ex tertio libro Italicarum Agesilai narrat, ab equâ partu editam filiam Eponam nomine. Idem in Symposio scribit, quemdam adolescentem pastorem attulisse Periandro infantem equæ partu editum, qui quamuis postremâ equina habuisset, infantium more vagiebat. Sed de Centauris mox disputabimus; nunc ad institutam quæstionem videtur dicendum, si vtriusque parentis efficacitas fœtus desiderat, non nisi feminea vulua hominem verum & mente exornatum nouit, nec nouisse potest: at si maris solùm vis fœtum fabricat, & femina solùm officina est, fortasse iuxta Physicos possibilis erit post nefandum coitum hominem foueri in belluino vtero praeiacto humano semine. sed istud numquã contigisse, Theologos potiùs decet asserere. Quare si qui veri partus bestiarum fuerunt, vnde fœtus homini-formis prodiere, inanes potiùs mente fuerunt, & semper cum pignore aliquo irrationalis naturæ. Fertur quidam apud Belgas vir pius è vaccâ genitus; dubia tamen mihi fides est.

CAPVT VII.

An ex semine non humano homo verus possit oriri.

HVic proxima curiositas est, an ex horribili coitu feminæ & feræ verus homo edi possit. Ioannes Saxo, Ioannes Magnus, & eius successor Olaus, scribunt Reges Danorum vrsum progenitorẽ habere, quem aiunt rapuisse virginem pulcherrimam, quæ ex ferâ peperisset filium elegantem formâ, nisi quòd villosus, strenuum item robore, vocatumque à patre Vrsum. Hunc genuisse Trugillum Sprachalog eximium ducem, hunc deinde Vlfonem celeberrimum illius gentis historijs. Vlfonem autem Suenum, qui Daniæ Rex fuit. Ioannes Barros, Titus ille Lusitanus, testatur constanti traditione in regno Pegu asseri eam nationem prouenire à cane, qui rem habuerit cum puellâ naufragâ. In nostrâ Hispaniâ fama est, inter Gallecios familiam, quam dicunt Marinorum, è Tritone concumbente cum adolescentulâ originem duxisse. Antonius Turrecremata scribit, nostris pænè temporibus è simio quodam feminam, deportatam ad quamdam insulam ex ijs quas vocant Lacertarum, sustulisse aliquot liberos. Non tamen liberaliter ista credi oportet. Nec etiam puto esse vltra naturæ vires, si muliebre semen efficax est.

CAPVT VIII.

An Centauri fuerint.

AT quid de Centauris dicemus? Num fuerint, an cum micâ aliquâ mentis. Olim certè post dispersionem è diluuio, gentium lasciuiente per omne nefas libidine, edidit aliqua monstra licentia cupiditatum, quæ auspicium plurium mendaciorum fuerunt: nec enim minor est famæ licentia. Neque tantùm animâ Chironem donauit superstitio, sed summam insuper ei tribuit sapientiam, & dimidiam diuinitatem. Nihilominùs fuisse aliquos fœtus ancipitis formę humanæ atque equinæ verum censeo. Plutarchus de quodam fuit testatus, humanum fuisse vsque ad ceruices & manus, cetera equum. Vidit Centaurum in diserto diuinus vir Antonius, dum Paulum primum eremitam requirebat. Natus quoque alius in Thessaliâ proditur. Historiam quã inuenio apud Phlegontem Trallianum, Hadriani Cæsaris liber-

libertum, in suis Mirabilibus & longæuis, inficiari nemo potest, tota fuit contestis Roma. Sic Phlegon scribit: Εὑρέθη ἐν Σαύνῃ τῆς Ἀραβίας πόλει ἱπποκένταυρος ἐπὶ ὄρους μάλα ὑψηλοῦ, ὃ ἐστὶ γέμον φαρμάκου θανασίμου. Καλεῖται δὲ τὸ φάρμακον ὁμώνυμον τῇ πόλει. Ὀξύτατον δὲ καὶ ἀνυτικώτατον τῶν ὀλεθρίων καθέστηκεν. Τὸν δὲ ἱπποκένταυρον συλλαβὼν ὁ βασιλεὺς ζῶον ἀποπέμπει σὺν ἑτέροις δώροις πρὸς Καίσαρα εἰς τὴν Αἴγυπτον. Τροφὴ δὲ ἦν αὐτοῦ κρέα. Οὐ φέρον δὲ τὴν μεταβολὴν τοῦ ἀέρος, τελευτᾷ. Καὶ οὕτως ὁ ἔπαρχος τῆς Αἰγύπτου, ταριχεύσας, ἀπέστειλεν εἰς Ῥώμην, καὶ πρῶτον ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεδείχθη. Τὸ μὲν πρόσωπον ἀγριώτερον τοῦ ἀνθρωπίνου ἔχων· χεῖρας δὲ καὶ τοὺς τούτων δακτύλους τετριχωμένους, πλευρὰ δὲ συναφῆ τοῖς προσθίοις σκέλεσι, καὶ τῇ γαστρί. Ὁπλαὶ δὲ ἦσαν αὐτῷ ἵππου στερεαί, καὶ ἐπίξανθοι χαῖται, καίπερ ὑπὸ τῆς ταριχείας συμμελαινόμεναι τῷ δέρματι. Μέγεθος δὲ ἦν οὐχ οἷόν περ οἱ γραφόμενοι, οὐδ' αὖ πάλιν μικρόν. Ἐν δὲ τῇ προειρημένῃ πόλει Σαύνῃ ἐλέγοντο καὶ ἕτεροι εἶναι ἱπποκένταυροι· τὸν δὲ πεμφθέντα εἰς Ῥώμην, εἴ τις ἀπιστεῖ, δύναται ἱστορῆσαι· ἀπόκειται γὰρ ἐν τοῖς ὁρίοις τοῦ Αὐτοκράτορος, τεταριχευμένος, ὡς προεῖπον. hoc est: *Arabiæ vrbs est Sauna. In eâ inuentus est hippocentaurus in monte admodum excelso, qui lethali abundat veneno: cui veneno idem est cum vrbe nomen, estq́ omnium pestiferorum acutissimum atque efficacissimũ. Hippocentaurum Rex cùm cepisset, viuum cum donis ad Cæsarem alijs in Aegyptum misit. Vescebatur carnibus. Sed aëris mutati impatiens, mortuus est. Eum conditum Præfectus Aegypti Romam misit, primumq́ in palatio est monstratus. Facies quàm humana fuit ei truculentior: manus & earum digiti pilis intecti, latera item ventri & prioribus pedibus contigua. Vngulæ equinæ solidæ, iuba subfulcea, quamquam condimenta eam ferè cutis in morem nigram fecissent. Magnitudo non quanta pingitur, non tamen exigua. Feruntur in nominatâ vrbe etiam alij esse: sed eum qui Romam missus est, siquis discredit, videre potest, repositus est enim in finibus Imperatoris, conditus vt dixi.* Hactenus ille.

De onocentaurâ Crates ex Mysio Pergamo testatur Pythagoram narrare, eam ipsam scilicet homini ore similem esse, & pilis prolixis faciem eius ambiri: simul & collum & pectus humanam speciem similitudinemq́ue gerere: mammas quoque turgidas in pectore: humeros, brachia, cubitos manusq́ue humanam figuram habere: dorsum, latera, ventrem, posteriores pedes asino persimiles esse, & quemadmodum asinum, sic cinereo colore esse: imum ventrem ad latera leuiter exalbescere: duplicem vsum ei manus præstare: nam celeritate vbi sit opus, eæ præcurrunt ante posteriores pedes; ex quo fit, vt ceterorum quadrupedum cursu non superetur; ac rursus vbi habet necesse vel cibum capere, vel quidquam tollere, ponere, apprehendere aut constringere, qui anteà pedes essent, manus efficiuntur; tumq́ue non graditur, sed in sessione quiescit. Animal est graui animi acerbitate: nam si capiatur, non ferens seruitutem, libertatis desiderio ab omni cibo abhorret, & fame sibi mortem consciscit. Ex hac narratione fide dignum censet Ælianus, centauros aliquos fuisse. Addiderim, si non sacræ Scripturæ suffragium, saltem nobilissimorum septuaginta Interpretum, iuxta quos onocentauros Babylonem desertam habitaturos prædicit Isaias. Ὀνοκένταυροι dicunt, quòd vulgaris interpres *vlulæ*. Illos hac eleganti sententiâ sequitur Chrysostomus: *Arceamus atroces bestias, & prauas cogitationes mucrone spiritus confodiamus, ne nobis quoque Propheta Iudæorum mala intentet dicens, Centauri, ericij, & dracones illic tripudiabunt. Sunt enim, sunt certè homines asino-centauris multò peiores, qui ceu in deserto viuentes calcitrent, & ætatem iuuentæ miserabiliter agant. Nam cùm atroci cupiditate vexentur, non aliter quàm asino-centauri circumeuntes saliunt, & calcitrant, nulli rei probæ studentes.* Siluestre igitur aliquod animal, quale apparuit diuino Antonio, videntur fortasse illi Septuaginta viri centauros reputasse, namque & Hebræa vox *ijm* siluestres bestias significat. Ipse communis noster interpres *onocentauri* nomen expressit ad caput trigesimum quintum, iuxta quem Isaias dicit, *Et occurrent dæmonia onocentauris.*

CAPVT IX.

An Satyri omnino sint commentitij.

FAma quoque flexibilior quàm cera, & habilis ad omne figmentum, examinanda est quid de Satyris commendarit, & quid veri elapsum ei sit inter tot commenta. Et quidem fuisse similia monstra, Antiochia testis est; imò, iuxta diuinum virum Hieronymum, vniuersus orbis. Nam Alexandriam sub Constantino Imperatore istiusmodi homo cornutus & capripes viuus perductus magnum populo spectaculũ præbuit. Posteà cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso Antiochiam, vt à Cæsare videretur, fuit allatum. Sed & recentiùs ad Imperatorem Germanum feruntur delati. Albertus Magnus in siluis Saxoniæ versus Daciam duo scribit paulò ante illa tempora capta fuisse monstra pilosa, humanam habentia formam. Femina morsibus canum telisq́ue venatorum perijt. Mas aduixit cicuratus,

ratus, didicitque erectus incedere, &, quamuis impeditè, loqui, & exili capreoli instar voce, sed sine vestigio firmo mentis. Hæc fortasse monstra ex Satyrorum familiâ fuerunt: nã ea salacissima fuerunt: luxuria enim præcipuè celebrauit priscos Faunos. Scribit ipse Albertus, superstes illud monstrum feminas oppidò appetijsse, vt publicè obuias quascumque opprimere tentauerit. Antonius quoque vir Dei homunculum in deserto inuenit aduncis naribus, fronte cornibus asperatâ, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. In insulis vasti Oceani, quas Satyridas vocarunt, narrat Pausanias repertos ab Euphemocare Satyros rufos, caudis, non minoribus quàm equorum, salacissimos, vt qui mulierem expositam turpissimâ Venere petulantissimè vexarint. Plinius constituit Satyros in subsolanis Indorum montibus, aitque esse pernicissimum animal, tum quadrupes, tum erectâ currens effigie.

CAPVT X.

An Isaias Propheta Satyros fuisse agnouerit.

EX sacrâ quoque eruditione Satyros colligo, dum Isaias pilosos saltaturos in dirutâ Babylone minatur. Exploremus quid pilosi sint. Quidam interpretantur hircos, alij Faunos ficarios, Isidorus incubos siue Panitas, Tharguin & septuaginta dæmonas. Sequuntur hoc Cassianus & plures. Cur autem dæmon pilosus? Dauid Kimhi in libro Radicum ait, quòd appareat pilosus credenti. Et quidem ita est; gestit specie caprinâ aut hircinâ maleficis videri, adorarique. Tum priscos hirsuta Faunorum imago delusit. Aliã causam adiecit Aben Ezra, quòd phantasmate suo homines exhorrere faciat seu horripilare: hunc tamen sensum integra excludit Isaiæ interminatio. Sic ait cap. 13, 20. *Non habitabitur*, Babylon nimirum, *vsque in finem: & non fundabitur vsque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.* Ecce cùm dixerat in communi bestias, singillatim illas numerans, pilosos accenset: ergo feræ sunt, non spiritus; comminatio enim fuit habitaturas ibi feras, vbi homines. Hirci quoque intelligi non possunt commune & vulgare istud animal atque gregale, parensque pastoritiæ curæ, Isaias tamen monstra quæsiuit, & exquisitas feras, vt summam desolationem indicaret: propterea adhuc pastores ablegat Babylonico situ. Vaticinium euentus probauit. Exundauit belluis Babylon desolata: & suo tempore Hieronymus testatur in ferarum omne genus lustra abijsse, eoque Reges eos ad venationem ire. Igitur *pilosus* peregrinum & ferum aliquod animal est. Ipse idem Kimhi in Commentariis ait: *Possibile est quòd sit genus animalis commorantis in deserto.* Qualenam animal? fortasse (si non aliud exploratius subiret) illud de quo Astyages Perses, quem corruptè allegat Auicenna. Apud Indos narrauit Astyages belluam esse vrso similem, sed ex lupino grege (Mariconmorion, fortasse etiam corruptè, vocat Albertus.) Trino dentium ordine vtramque mandibulam munit. leoninam magnitudinem refert: pilosa est leonis instar, cuius & pedes imitatur, superat feritatem: cauda scorpiacæ formæ, & aculeata, iuxta Auicennam: color tamquam minio rubricatus: oculi humani, sed fusci: mores inhumani: pilis se pro tempore exuit, & induit recreatis. Tum loqui imperfectè Albertus scribit voce sonorâ & tubali, & pernicitate æquari ceruis. Dicere hoc animal pilosum diuinus Vates posset, commendatum prolixitate, colore, & reparatione pilorum. At quia non frustrà *saltabunt* adiecit, ista occupatio mihi Satyros significat, & omnem alium deserti incolam facilè negat siue dæmonem, siue hircum, siue Mariconmorion, siue, vt noster Gabriel Aluarez putauit, quoduis hirsutum animal, lupum, vrsum, leonem. Namque saltatricem indolem in Satyris cognouerunt veteres, & cum risu imitari ludicri voluerunt ridiculos saltationis gestus in ipsis obseruatos. quare celebre fuit genus saltationis, quod Satyrum vocarunt ob repræsentationem. Virgilius ait:

Saltantes Satyros imitabitur Alphesibæus.

Similiter & Horatius inquit lib. 11. Epistolarum:

Ludentis speciem dabit & torquebitur, vt qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa mouetur.

Persius quoque accinit:

Tres tantùm ad numeros Satyri moueare.

Sed nec Manilium ex Poëtis negligamus concinentem:

Nunc Satyro gestu refertq; affectibus ora.

Ceterùm eiusdem saltationis Plato in septimo de Legibus, & Lucianus de Saltationibus meminere. Qui illam saltabant, hircinis amiciebantur pellibus, setas in capite gestabant, ex Halycarnasseo & Polluce constat. Hic dixit esse inter formidabiliores saltationum Laconicarum. Similis huic alia saltatio, Silenus dicta, de quâ Dion, Ælianus, & Pollux. Erat quoque Sicinis saltatio quędam Satyrica, iuxta Eusthathiũ & Scholiasten

liasten Aristophanis. Dion in Antiquitatibus ostendit Satyros Sicinistas dictos. Item scopeuma, secundùm Hesychium. Quare per pilosos saltantes, Satyros intellexit Isaias, quos ex præcedētibus approbabimus fuisse, & ex ipso nunc Vate comprobamus: vox Hebræa omnia hæc significat, & dæmonas, & hircos, & Satyros; ego istos hîc prætulerim, quorum habitatione summa Babylonis desolatio aptè prædicitur. Multi quoque, iuxta Hieronymum, Faunos & siluestres Satyros in Isaiâ intellexere.

CAPVT XI.

An Nereides & Nymphæ extiterint.

PRocedo ad mitiora monstra, an muliebri aliquâ formâ fuerint. Sub Augusto Legatus Galliarū Nereides mortuas renuntiauit inuētas; & Vlisiponenses Legati Nymphas. Recentiùs Alexander Neapolitanus ita testatur, Theodorus Gaza, vir Græcâ facundiâ clarus, & philosophiæ præceptis imbutus egregiè, apud Iouianum Pontanum, ad quem frequēs ventitabat, compluresque nostrates, scitè admodum & luculenter ratiocinabatur, se, dum in Peloponeso ageret, & fœdâ maris tempestate obortâ, durissimo tempore anni nonnulla piscium monstra procellę ad litus illisissent, inter cetera vidisse Nereidem in littore fluctibus expositam, uiuentem iam & spirantem, vultu haud absimili humano, facie quoque decorâ, neque inuenustâ specie, corpore squamis hirto ad pubem vsque, nisi quòd cetera in locustæ caudam desinebant. Ad quam properè visendam, cùm frequens concursus fieret, ipseque, & nonnulli è propinquis oppidis vicini affinesque eò se contulissent, illam frequenti turbâ circumdatam, mœstam, & animo consternatam, vt ex vultu coniectari erat, in littore iacentem, crebroque suspirio fatigatam conspexisse: mox cùm à tam frequenti coronâ inspiceretur, seque in sicco destitutam videret, præ dolore gemitus spirantes & lacrymas vberes dedisse. Cuius misericordiâ motus ipse, vt erat mitis placidusque, cùm turbam decedere de viâ iussisset, ipsam interim brachijs & caudâ quo maximè modo poterat humi reptantem, paulatim ad aquas peruenisse. Cumque se præcipitem magno nixu in mare dedisset, ingenti impetu fluctus secare cœpisse, momentoque temporis elapsam ex oculis, nusquam apparuisse. Gregorius quoque Trapezuntius, vir multi nominis & magnæ eruditionis, apertâ professione referebat amicis, se, cùm haud procul à littore in fonte quodam spatiaretur, puellam conspexisse eleganti formâ vndis extantem pubetenus, & quasi lasciuiret subinde emergentem summergentemque se, quoadusque se conspectam intelligens, haud ampliùs apparuit. Isidorus noster fatetur, belluas esse marinas toto corpore hirsutas & hispidas, habereq; speciem aliquam conformem homini. Horum aliqua cùm mortalis conditionis imitatrix emori debet, auditur procul gemitus eius ac planctus. Massarius quoque scribit, visas à nauigantibus. Ælianus circa Taprobanem scribit reperiri cete muliebri facie, quibus pro crinibus spinæ dependent. De pisce muliere alibi dicimus.

CAPVT XII.

An Sirenes sint.

NEreidum nationem, sirenum inuentio suadet. Multas etiam eâ formâ, quâ pinguntur, inuentas, Galliarum Legatus scripsit Cæsari Augusto. Recenter reperta in Frisiâ quædam hoc nostro sæculo. Captum enim monstrum marinum orę & pube tenus virgo, infernè piscis, vixit inter homines multos annos, &, quod mirificum est, didicit nere. Ita noster contestatur Cornelius. Similia Cardanus & Bellonius narrant. Hæc dixerim pro his qui sirenes, à Nereidibus distinguūt, & semipisces putarunt.

CAPVT XIII.

Quid Isaias Propheta per Sirenes intellexerit.

SEd si maris incolæ sirenes sint (ait enim Ouidius:

Monstra maris sirenes erant, quæ voce canorâ
Quaslibet admissas detinuere rates;)

quomodo Isaias in eremum inducit depopulatæ & desertæ Babylonis? Prædicit sirenas futuras, vbi anteà fuerant delubra voluptatum, prętoria scilicet & palatia voluptuosa lasciuæ nobilitatis. Quænam ista monstra montana, alioqui æquoris pericula? Chaldæus dracones intelligit. Hieronymus dęmones aut monstra aut dracones magnos cristatos & volantes: Scholiastes autem Isaiæ Græcus sirenes, dicit vocari ea, quæ inter volatilia emittunt noctu querulam vocem, ac propè vlulant. Ignoro tamen vbi ista acceptio solemnis aut tolerabilis, nisi monstrum volucre intelligat. Fortasse pro generę speciem substituit Latinus interpres, & simile aliquod monstrum sirenibus femineo vultu indicauit quod alatum esset, fors non absimilę illis quæ in nouo orbe reperta, dę

quibus Petrus Martyr scribit. Est fonti Dabaibæ amnis proxima regio, nomine Camara, vltima producta. Memoriâ viuentium proditum est, maximam ventorum & turbinum ab Oriente vim exortam in eâ regione, repentè quæ arbores quascumque obuias radicitus euelleret, domos multas ligneas præcipuè per aëra raptaret. Eâ vi deportatas ferunt in regionem volucres duas decantatis Strophadum harpyijs ferè similes, quod virgineo vultu, mento, ore, naso, dentibus, & leui supercilio, oculisque venerandis, & facie constaren. Tãtæ molis fuisse vnam inquiunt, vt nullius arboris ramus potis esset accedentem sustinere, quin frangeretur: immò & aiunt illius pondere in rupium saxis, quò pernoctatura se conferebat, extare vnguium vestigia. Sed quid hæc recolo? non difficiliùs viatorem prehendebat vnguibus hominem, ad celsaque montium culmina comedendum ferebat, ac milui solent raptare pulliculum. Alteram, quòd minor esset, maioris fuisse prolem arbitrantur. Hispani qui regiones illas ad quadringentas vsque leucas ab ostio huius fluminis classibus vecti peragrarunt, allocutos fuisse multos, qui peremptam viderint maiorem, profitentur, probati præcipuè viri, quos sæpè memoraui, Iureconsultus Corrales, & Cantor Osorius ac Spinosa. Quomodo autem à tali tantaque se peste Camarani Dabaibenses liberauerint, non ineptum est auditu. Cùm sit excitatrix ingeniorum necessitas, perimendę rapacis volucris historiâ dignissimam inuenerunt Camerani viam. Celsam scindunt trabem: in vnâ eius cuspidum virilem sculpunt effigiem (sunt namque artis imaginariæ cuiusque periti) trabem in viâ proximâ itineri, quo prædam quæsitura ex vertice montium se prodigiosa dimittebat auis, effossâ scrobe per lucidam sub clarâ Lunâ noctem figunt solo, virilem formam supereminere permittunt. Aderat silua densa viæ proxima: latent ipsi arcubus & missilibus paratis ad ictum in insidijs. Ecce sub exortu Solis monstrum horrendum ruit ab alto æthere ad prædam inanem: simulachrũ adoritur, prehendit, stringit, vngues ita infixit, vt euoluere sese nequiuerit, donec ab lateribus insilientes barbari, tot illam sagittarum ictibus confixerint, vt cribro pertusior euaserit. Exoluta tandem, in vicino cecidit exanimis: rudentibus colligatam, & longis hastis appensam portarunt humeris occisores per viciniam vniuersam, quò à conceptâ formidine omnes liberarent, scirentq; tuta esse itinera, quæ rabida volucris fecerat inuia. Pro dijs habiti sunt interfectores, fuerũtque à populis illis honorificè nec sine oblatis muneribus suscepti, vti apud gẽtes accidit multas, vbi leonis, vrsi aut lupi alicuius interfecti signa gerenti dona præbentur à vicinis, qui ab eâ ferâ iacturas expectabant. Magno virili femori aiunt ei fuisse crassiora crura, sed breuia, vt in aquilis & rapacibus reliquis. Iunior, matre peremptâ, nusquam visa fuit. Ceterùm vt ad propositum restituamur, Theopompus in Callæschro, & Isacius, & Isidorus sentiunt, sirenas inferiore parte aues esse, superiore tamen humanâ præditas formâ. Conspirant in hoc Græci Grammatici. Albrius quoque & Buccatius illis tribuunt vmbilicotenus corpus virgineum, deinceps gallinaceos pedes: sed & sirenũ cum Musis certamen, cuius in Bœoticis Pausanias meminit, aliquid volucre in illis ponit. Euulsis ipsarum pennis, serta inde sibi contexêre Musæ. Suidæ quoque ista sententia est. Sirenas mulieres quasdam canoras vetus Græca fabula celebrat, quæ in insulâ sedentes, ita præternauigantes suauitate vocis delectarint, vt eos ibi vsque ad obitum detinerent. A pectore vsque ad verticem formâ fuisse traduntur muliebri, infernè passerum.

Mythologi dicunt, sirenas esse quasdam femineâ facie præditas auiculas, quæ prætereuntium nautarum canticis quibusdam meretricijs demulceant aures: nec alium cantus suauitatẽ finem habere, nisi mortem. Narrationis autem veritas ita se habet. Loca esse quædam maxima montibus angustata, quibus allisi fluctus argutum sonum edant: quo audito, prætereuntes fluctui vitam suam committant, ipsique vnà cum nauibus pereant.

Sirenes verò & onocentauri, quorum meminit Isaias, dæmones quidam sunt, eâ figurâ apparentes in desolatione vrbis irâ diuinâ inflictâ. Syri autem olores esse dicunt, qui post lauationem ex aquis in aërem subuolantes, suaue quoddam carmen canant. Iob verò dicit: *Frater factus sum sirenum & sodalis passerum*, hoc est, cantillo meas calamitates quemadmodum siren. Passeres autem dicit, quem nos struthio-camelum appellamus: qui auis cùm sit, pedes & collum asini habet. Hactenus ille. Nullus pænè antiquorum sirenas pisces fecit: ipse adhuc Ouidius alites describit:

——— Vobis Acheloides vnde?
An quia cùm legeret flores Proserpina vernos,
Quam postquã toto frustrà quæsistis in orbe,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Vidistis vestros subitis flaccescere pennis:
Tantaq; dos oris linguæ deperderet vsum,
Pluma pedesq; auium cùm virginis ora geratis?
In comitum numero mixtæ sirenes eratis?
Protinus vt vestram sentiret æquora curam,
Opta-

Optastis, facilesq; deos habuistis, & artus.
Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Virginei vultus, & vox humana remansit.

Peccatum itaque pictorū est, aquatili gestu pingi sirenas. Sed & serpentes cum alis sirenas appellari, quorum celerrimum virus, Isidorus etiam scribit. Quare doctus Interpres noster aliquas sirenas nouit quæ omnino aquatiles non essent, sed potiùs aëreæ, corruptâ tamen mille fabellis sirenum historiâ, quemadmodum & gryphum, harpyarum, seleucidum auium, symphalidum, & Diomedarum.

CAPVT XIV.

An Tritones fuerint.

Tritonum quoque fabulæ lasciuia Oceani opportuna fuit. In Lusitaniâ marinus homo visus, qui concham inflans resonabat. Sed recentiùs anno 1523. tertio die Nouembris repertum est Romæ in ripâ maiore marinum monstrum homini-forme vsque ad vmbilicum, deinde piscis bifida cauda in semilunæ speciem recurua, ferè quemadmodum Apollonius in quarto Argonautarum Tritonem descripsit.

——— Δέμας δὲ οἱ ἐξ ὑπάτοιο
Κράατος, ἀμφί τε νῶτα, καὶ ἰξύας ἔστ' ἐπὶ νηδὺν,
Ἀντικρὺ μακάρεσσιν ** ἔκπαγλον ἔικτο.
Αὐτὰρ ὑπαὶ λαγόνων δίκραιρα οἱ ἔνθα καὶ ἔνθα
Κήτεος ὁλκαίη μηκύνετο. κόπτετ' ἀκάνθαις
Ἄκρον ὕδωρ, αἵ τε σκολιοῖς ἐπὶ νειόθι κέντροις
Μήνης, ὡς κεράεσσιν ἐειδόμεναι διχόωντο.

Par fuerat formâ superis humerosq; caputq;,
Et latera, & partes supremas corporis omnes.
Inferiùs sed enim cauda hìc pendebat & illinc
Immanis ceti, tum spinis verberat alti
Terga freti, hæ Lunæ similes curuantur in orbem.

Sed & Satyros marinos desinentes in pisces, memorant Demostratus & Ælianus circa Taprobanam insulam. E Noruegiâ in Germaniam recentiùs aduecti duo fuerunt, mas & femina. Alexander Neapolitanus allegat, Draconetum Bonifacium testatum sæpè fuisse, se, dum in Hispaniâ militaret, marinum hominem vultu & corpore prorsus humano absolutâ similitudine pubetenus, postremis verò in piscem desinētibus vidisse, in melle ex vltimâ Mauritaniâ, & Oceani finibus ad Regulos, sub quibus stipendia faciebat, & honestum ordinem duxerat, pro monstro allatum. Fuisse autem facie hominis vetusti, capillo & barbâ hispido atque hirto, colore cæruleo, staturâ procerâ, & maiore humanâ. Alis quoque è tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat, & membra passim interlucente, fuisse munitum. Et hanc rem non sibi tantùm, sed plerisque summæ nobilitatis viris notam & conspicuam fuisse. Sed super omnia nostro æuo haud absimile profectò exemplum accepimus in Epiro, inter pauca memorabile, quod nonnulli prodendū posteris putarunt, & actis quoque publicis testatum est. Ad fontem iugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquatum ventitabant, Tritonem seu marinum hominem è speluncâ, quam fortè ibi nactus fuerat, obseruare solitum, si quando solam ad aquas accedentem, aut per litus obambulantem mulierem videret, ipsum ex vndis & speluncâ leni gressu tacitisque vestigijs desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidijs adoriri, & ad mare concubitus causâ arripere, arreptamque sub vndis deferre consueuisse. Quod cùm apud loci incolas percrebuisset, diligentiùs marinum monstrū obseruasse. Et cùm diutulè laqueos illi intendissent, haud multò pòst dolo captū, & laqueis vinctum cepisse. Cumque cibo abstineret extra aquas, diutiùs viuere nequisse; squalloreque tandem & tædio ad extremam tabem venisse. Tenet fama, venereos eos & flagrantissimos mulierum amasios esse: propterea oppidi incolas edicto inhibuisse, nequa deinceps ad fontem mulier, nisi viris comitata, accederet. Pausanias quoque in Bœoticis alium Tritonem describit in Bacchi templo seruatum Tanagræ. Memoriæ quoque proditum est in Volumine rerum Romanarum, apud Ægyptum in Nilo flumine Menâ Præfecto vnà cum populo deambulante, in loco qui Delta nominatur, sole orto animalia humanæ formæ apparuerunt in flumine, vir scilicet & mulier. Et vir quidem erat pectorosus, vultuque terribilis, rufâ comâ, canisque permixtis, & vsque ad lumbos denudabat naturam, & cunctis demonstrabatur nudus; reliqua autem corporis membra cooperiebat aquâ. Hunc Pręfectus iuramento constrinxit, ne destrueret aspectum, priusquam omnes saturati fierent hoc inopinato spectaculo. Porrò mulier & mamillas habebat & femineum vultum, cæsariesque prolixas: & vsque ad horam nonam omnis populus mirabatur videntes hæc animantia, quæ horâ nonâ in flumine demersa sunt. Sanè Menas Imperatori Mauritio hæc scripsit. Nec prætermittenda est sententia Gillij. Cùm Venetijs essem, quidam Dalmatæ, spectatâ fide viri, mihi religiosè testati sunt, se ad oppidum Dalmatiæ, Spalatum nuncupatum, vidisse marinum hominem, qui se spectantibus summum terrorem iniecisset,

cisset, cùm se in terram incitauisset, vt mulierem, quæ circum litus fortè tum versabatur, corriperet; verùm vbi eam fugere prospexisset, statim ad mare regressum imam maris sedem petiuisse, eumdem mihi descripserunt hominis omnino speciem similitudinemque gerere. Itemque magnâ fide homines, qui ad Mare rubrum per multum temporis versati essent, sanctissimâ asseueratione mihi affirmarunt, illic marinos homines sæpè capi solere, quorum durissimis pellibus calceamenta tam robusta conficiãt, vt ad quindecim annos durent. Non igitur quod de Tritonibus & Nereidibus hominibusq; marinis iam vsque ab heroicis temporibus in sermonem hominum venit, vanum esse constat cùm ex Plinio, tum ex hominibus, & patrum & memoriæ nostræ. Nam (vt prætercam veteranos piscatores, qui mihi testati sunt, cùm mare vicinum est ad pariendas tempestates, se ex alto humanos gemitus sæpè exaudiuisse) cùm nuper Massiliæ essem, piscator & senex & probus mihi narrabat, se puerum de parente suo audiuisse, Regi Renato à piscatoribus captum muneri missum fuisse marinum hominem. Itaque non immeritò homo marinus inter monstra pelagi à multis accensetur. Visus est, auctore Plinio, ascendere nauigia noctu, statimque degrauari quas insederit partes, etiam mergi. Alius in Noruegiâ repertus monachi habitu, alius in Poloniâ Episcopali ferè cultus ornatu. In Indiâ alium narrat Petrus Martyr apparuisse. Legi quoque genus piscium esse tibicinum, qui in aridam consilientes, personant conchis velut buccinis, choreas ducunt: qui licet formam humanam referant, nonnulli negant esse Tritones.

CAPVT XV.

An homines Cynocephali fuerint.

DE canicipitibus quoque hominibus dicamus, quorũ Megasthenes & Ctesias Gnidius seriò meminerunt. Historiam huius ita excerpit Photius. Degere iisdem hisce in montibus homines memorat canino capite, qui ferarum pellibus vestiantur. Sermone hos nullo vti, canum tantùm more latratum edere, atque ita mutuò sese intelligere. Dentes illis esse quàm canibus maiores, & caninos similiter vngues, sed longiores ac rotundiores. Montes incolere ad Indum fluuium vsque, & colore esse nigro, insignesque iustitiæ cultores, ceterorum Indorum more inter quos versantur. Intelligere quoque quæ ab Indis dicantur, licet ipsi loqui minimè possint, vt propterea latratu, manibus atque digitis signa dent, quemadmodum ferè surdi ac muti solent. Vocari hos ab Indis *calistrios*, quod Græci dicerent κυνοκεφάλους, id est *canicipites*. Carnibus eosdem vesci crudis, totiusque gentis capita numerari ad centum & viginti millia. At licet refutata fuerit à pluribus ista hominum natio, & inter priscorum nugas accensa; proximioribus tamen sæculis memoriæ prodita est inuentio eorumdem. Ioannes de Plancarpio & Vincentius Burgundius auctores sunt. Ille ita attestatur: Cùm autem per deserta redirent, in quamdam terram venerunt, in quâ, sicut nobis apud Imperatoris curiam per Clericos Ruthenos, & alios qui diu fuerant inter ipsos, firmiter asserendo referebatur, monstra quædam imaginem femineam habentia repererunt. Quas cùm per multos interpretes interrogassent, qui viri terrę illius essent; responderunt, quòd in illâ terrâ quæcumque feminæ nascebantur, habebant formam humanam, masculi verò speciem caninam. Dumque moram in terrâ illâ protraherent, Canes in illâ fluuij parte conuenerunt. Et cùm esset hiems asperrima, omnes se in aquâ proiecerunt. Post hæc in continenti sponte in puluerem voluebantur, sicque puluis admixtus aquæ super eos congelabatur. & vt ita pluries fecerunt, glacie super eos depressatâ, cum impetu magno contra Tartaros ad pugnam conuenerunt. At verò cùm illi sagittas super eos iactabant, ac si super lapides sagittassent, retrò sagittæ redibant. Alia quoque arma eorum in nullo eos lædere poterant. Ipsi verò Canes insultum in Tartaros facientes, morsibus vulnerauerunt multos, & occiderunt, sicque illos de suis finibus eiecerunt. Vnde adhuc inter illos est Prouerbium de hoc facto, quòd dicunt ad inuicem ridendo: *Pater meus, vel frater meus fuit à Canibus occisus.* Mulieres autem illorum quas ceperant, ad terram suam duxerunt, & vsque ad diem mortis eorum ibidem fuerunt. Hęc ille & Vincentius. Verùm ista non mihi maiori religioni nec fidei erunt, quàm quæ idem Ctesias addidit, quæ iuuabit magis legere quàm credere. Narrat insuper hos Cynocephalos in montibus habitãtes, nullum exercere opificium, sed de venatione viuere, ferasque, quas occiderint, ad Solem torrere. Magnam nihilominùs pecoris copiam alere, caprarumq; & ouium, quarum quidem ouium lac atque oxygala pro potu illis sit. Vesci tamen etiam sipachoræ fructu, è quâ arbore succinum emanat, dulcem enim illum esse. Hunc item illos fructum arefactum in corbes constipare, ad eum modum quo vuas passas Græci. Eosdem illos Cynocephalos ratem quoque extemporariam construere, quâ impositum

huius,

huius fructus onus, vt & purpuræ, sed purgato prius eius flore, itemque electri, ad ducenta & sexaginta talenta quotannis auehant, additis talentis totidem illius pigmenti, quo infectores puniceum colorem inducunt. Electri prætereà mille talenta quotannis ad Indorum Regem aduehere. Immò & alia plura deuehere ad Indos venalia, pro quibus vicissim panes, farinam, xylinas vestes accipiant. Habere quoque enses venales quibus ipsi ad venatum vtuntur, cum arcubus & iaculis: peritissimos enim esse iaculandi atque sagittandi. Præterea, quòd montes habitent altos atque inaccessos, belloque insuperabiles, Regem ipsis pro munere quinto quoque anno præbere trecenta arcuum totidemque iaculorum millia; item peltarum centum viginti, & gladiorum quinquaginta millia. Nullas item apud hos esse domos, sed in antris eos degere. In venatione iaculis potissimum feras vel sagittis petere, easdemque persequendo, quòd cursûs velocitate præstent, etiam assequi. Horum vxores semel dumtaxat per mensem, cùm menstrua patiuntur, lauare, aliàs numquam. Neque viros vmquam omnino lauare, sed manus tantummodò abluere. Oleo tamen ex lacte confecto ter saltem mensibus singulis vngi. Non villosis, sed glabris maceratisque pellibus quàm tenuissimis ipsos æquè atque vxores vti, exceptis fortè ditissimis inter eos, & ijs quidem paucis, qui lineos gestent amictus. Nec item lectorum nouisse vsum eos, qui extemporaneos sibi toros extruāt. Hunc apud eos ditissimum haberi, qui plurimum habeat pecoris; ac reliquas opes his propemodum esse similes. Caudam insuper habere omnes, tam viros quàm mulieres, supra clunes, caninæ similem, nisi quòd maior sit, & pilis densior. Quadrupedes item hos, canum more, cum mulieribus congredi, aliumque congrediendi modum omnem pro turpi habere. Illustrissimos eosdem esse, vitæque reliquos inter homines longissimæ: viuere namque ad centesimum vsque & septuagesimum, nonnullos ad ducentesimum quoque annum. Alibi plura de Canicipitibus aceruaui. Pleraque ista censeo vana. Multis veritas dehonestata est fimbrijs. Sunt quidem Cynocephali, sed simiorum astutissimorum natio, qui humanam mentem pænè simulant. Tanta industria fabulam initiauit. Fuerunt & homines nonnulli caninos rictus imitantes. Quę monstra commendarunt Ctesias & Plancarpius miris vanitatum appendicibus.

CAPVT XVI.

An Pygmæi fuerint.

Minutum quoque genus Pygmæorum dispiciamus, num sint, num fuerint, an tantùm fabula mera. Nec tam parui nobis sint, vt inuisibiles prætereant. Certè vix in vllâ humanorum monstrorum narratione antiqui Scriptores plus conspirant, aut seriùs narrant. Imò Philostratus, cùm alia hominum monstra fabulam ex Apollonio dicat, Pygmæos excipit: dicit eos viuere, nec vanam esse narrationem. Cumque olim dubia de ijs vulgò fides, Homerus historię pondus addidit, eam tertio Iliadis suæ libro inferens. Conscius tamen huius Aristoteles, vt refutaret sinistram opinionem, quam licentia Heliconis impetrauit, seriò & datâ operâ animaduertit fabulam non esse. Satis hoc ad aliquam fidem comparandam, cùm tantus interpres naturę, vir vndequaque prudentissimus, & non solùm serius, sed & verus eorum quę in rerum naturâ existunt indagator, dum eius rei incidit mentio, notantissimè moneat, Οὐ γάρ ἐστι τοῦτο μῦθος. *Neque enim hæc res fabula est.* Hanc Aristotelis testificationem, quò minùs Cynocephalos commentitios esse putent, venerati sunt Ioannes Camers, Hector Pintus, & ex priscis Isidorus: sed & tolerat Augustinus. Nihilominùs sunt Auctores qui fidem aut negant aut detrectent, Strabo, Agellius, Scaliger, Cornelius noster, Aldrouandus, & alij qui incredulitate gestiunt doctrinæ opinionem mereri, & seuero aut iniquo magis quàm vero iudicio veridici videri. Quod mihi non placet: nec austeritate censura omnis ferenda. Quemadmodum mores asperi non sunt meliores, sed mediocres; ita in iudicãdo non semper iniquos esse iuuat, sed medios, & ad omnem sententiæ partem idoneos, ratione magis fultos quàm resolutione. Commenti occasionem aliqui putant, quòd ijs locis, vbi Aristoteles eos statuit, exigua animalia sint. Inde facilis lapsus, vt eadem pusillitas ad homines trãsderetur. Hac ratione ductus Strabo diffidit. Atqui hæc ipsa ratio probabiles Pygmæos facit: nam si illarum regionum ingens æstus sic minuit & contraxit animalia, cur non & homines? præterquam quòd non vnâ tantùm in sede eos Auctores locent, sed diuersis, & temperatis aliquibus. Plinius enim lib. 4. in Thraciâ ponit Pygmæos ad Geraniam, vbi Pygmæorum, inquit, gens fuisse proditur, quos *Catizos* barbari vocant, creduntq; à gruibus fugatos. Constat enim, plurimas in his locis esse grues, vnde Strimoniæ dicuntur à Strimone Thraciæ fluuio,

&

& Gerania Greco nomine à gruibus dicitur, Γεράνια à γέρανος. Idem Plinius lib.5. opinionem eorum refert, qui Pygmæos Eudonis Cariæ fluminis putarunt accolas. Lib.6. ex aliorum traditione Pygmæos in Prasiorum montanis, quæ sunt in Indiâ, statuit: quam sententiam Philostratus sequitur. In eodem lib.6. Plinius tradit esse qui ante Nili paludes Pygmæos ponant; ex quibus est Aristoteles, qui in Æthiopiâ regione Troglodyticâ Pygmæos dicit viuere, subireque cauernas, & ob eam causam Troglodytas vocari, fabulamque esse negat, quod vulgò de staturâ eorum, deque pugnâ cum gruibus fertur, quam Homerus cantauit: qui etiam ad meridiem terræ Pygmæos dixit agere, nempe in Æthiopiâ, vt etiam Strabo interpretatur, in quâ regione tãta est gruum per hiemem nostram frequentia, quanta in Thraciâ per æstatem, videlicet eisdem gruibus pro tempore migrantibus & remigrantibus. Mela in Arabiâ interiore scribit fuisse Pygmæos minutum genus, & quòd pro satis frugibus contra grues dimicando defecerit.

Dices, Ista situum diuersitas, vanitatem arguit historiæ. Anne & propterea gigantes fabula sunt, quòd in diuersis orbis partibus siti? Natio gigantum circa Palæstinam fuit, fuit & in Peruanis plagis, fuit alibi. Dices adhuc, multa omnino fabulosa in hac Pygmæorum historiâ. Fateor aliqua esse omnino fabulosa, non tamen omnia, non rem ipsam. Quænam, quæso, expiata omni fuco & vanitate historia humana est? Et ne alias quæramus, ipsa gigantum historia celebrata fabulis est solemnis apud Poëtas, num propterea omnis rei series est fabula? Scaliger Pygmæos ideò negat, quòd nunc omnis exploratus sit orbis, nulloque eius angulo inuenti fuerint. Quia modò non sunt, negat olim fuisse. Hac argumentatione & gigantes fuisse negabo. Non constat nunc superesse, sed fuisse. Non nisi aliquis Mercurialis temerè negauit. Ad hæc, nonnulli Auctores, qui illorum meminere, eosdem deletos iam scribunt. Pomponius defecisse dicit, Solinus pulsos esse. Vbi eos quæret Scaliger post tot annorum absentiam? Sed ex recentioribus Scriptoribus aliqua ad Pygmæorum fidem hauriri possent. Iouius in Moscouiticâ legatione Pygmæos vltra Iaponem dicit esse. Olaus quoque lib.2. de Gentibus Septemtrionalibus, in Insulâ Gruntaldiæ prodit Pygmæos esse, ad minus incolas cum gruibus pugnare. In Epistolâ quadam ad Pontificem missâ ferunt esse paruulos viros non vltra puerulorum molem. Nunc quoque in Tartariâ plurimos nanos esse Lusitani produnt. Antonius Pigafeta inter Moluccas in insulâ Aruchetto eos reperit: imò inter easdem Moluccas in insulâ Caphicos idem affirmat esse. Ibidem statuit eos Argensola. Odoricus de Rebus Indicis Pygmæos trium palmorum à se compertos ait, qui ętatis anno quinto iam gignerent. Petrus Simon inuentos scribit vltra Andes à Ioanne Aluarez Maldonato, cùm nouas Indiæ terras exploraret. Gemma Frisius narrat cymbam Pygmæorum visam in Septemtrione vi cuiusdã tempestatis appulsam ad regnum Noruegiæ. Sed non opus est iuuari alijs historijs, neque omnium fidem exaggerabo. Sic quamuis Theophilus, Sergius, Hyginus in Vitâ sancti Macarij Romani inuẽtos Pygmæos prodant, non laudo, dubiæ mihi auctoritatis, aut nullius, acta illa sunt. Ignatius Aldrouandus languidiùs negat Pygmæos auctoritate Strabonis. At quo iure vnus Strabo anteponendus tot antiquioribus, imò vni Aristoteli? Ad hæc ipsius Strabonis argumentum infirmũ est, & refutatum à nobis. Ceterùm Albertus Magnus Pygmæos concedit, sed mente illos orbat. Putat genus esse bestiarum homini-formium. Hoc placitum mitius est, & tolerabile, nec penitus repugnat Aristotelicę asseuerationi. Licet enim Philosophus Pygmæos omnino adstruat, palàm tamen homines non dicit. Theodorus Gaza in Latinâ interpretatione adiecit genus hominum pusillum esse: in Græco solum est, γένος μικρόν. Cardanus quoque ex simiarum quodam genere exortũ Pygmæorum sermonem putat. Iouius quoque magis ad simias quàm ad homines accedere prodit, Albertum præsertim secutus. Niphus, Pygmæi, inquit, homines non sunt, Primò, quia non habent rationis vsum perfectum; deinde quia nec verecundiam, nec honestatem, nec iustitiam Reipublicæ exercent. Sed quia in multis imitantur homines, adeò vt loqui possint, ideò creduntur homines: non sunt autem, quia locutionem imperfectam habent. Ad hæc, non videntur homines esse, cùm careant Religione: est enim religio, vt Platoni placet, propria homini, & soli, & omni homini conueniens. Ioannes Tinnulus in Dialogo 2. censuram Niphi probat. Ego nescio vnde hoc asseuerauerit Niphus, cùm non vidisse, nõ legisse ipse non possit, si Auctores priscos cõsuleret, ea quæ Pygmæis ipse negat, istos concessisse. Photius ex Ctesiâ hæc scribit: Narrat præter ista, in mediâ Indiâ homines reperiri nigros, qui Pygmæi appellentur. Eadem hos quâ Indi reliqui linguâ vti, sed valdè esse paruos, vt maximi duorum cubitorum, & plerique vnius dumtaxat cubiti cum dimidio altitudinem non excedant. Comam alere longissimam ad ipsa vsque genua dimissam, atque etiã infra,

cum

cum barbâ longiore, quàm apud vllos hominum: quæ quidem vbi illis promissior esse cœperit, nulla deinceps veste vti, sed capillos multò infra genua à tergo demissos, barbamque præter pectus ad pedes vsque defluentem, per totum corpus in orbem constipare, & cingere, atque ita pilos ipsis suos vestimenti loco esse. Veretrum illis esse crassum ac longum, quod ad ipsos quoque pedum malleolos pertingat. Pygmæos hosce simis esse naribus, & deformes. Ipsorum item oues agnorum nostrorum instar esse, boues & asinos arietum ferè habere magnitudinem: equos item mulosque, & cetera iumenta omnia, nihilo esse nostris arietibus maiora. Tria horum Pygmæorum millia Indorum Regem in suo comitatu habere, quòd sagittarij sint peritissimi. Summos esse iustitiæ cultores, ijsdemque quibus Indi reliqui legibus parêre. Venari quoque lepores vulpesque, non canibus, sed coruis, miluis, cornicibus, aquilis adhibitis. Lacum apud eos esse octingentorum stadiorum ambitu, cui oleum (nostro simile) supernatet, quoties nullus adspirat ventus. Per hunc ergo paruulis nauigijs vectos ex eius meditullio scaphijs oleum ad vsum haurire. Vti quidem & ex sesamo expresso oleo, vt & è nucibus: præstantius tamen esse illud è lacu haustum. Pisces nihilominùs habere hunc lacum. Annectam hîc quod Hispania vidit annis preteritis, ad aliquam huius gentis pusillæ fidem. Homuncionem paruulum, optimè constitutum membris, qui natus cum dentibus numquam vllum amisit, prodijt quoque è vuluâ maternâ cum pilis & pube. Septennis iam barbatus erat, decennis omne robur suum habuit, & genuit filium.

CAPVT XVII.

De pugnâ Pygmæorum cum auibus.

PVgna illa cum gruibus, incerta fortasse, vtcumque egregiæ, nec sterili fabellæ occasio fuit, quam Boëus lib. 1. De auium ortu ita narrat: Παρὰ τοῖς γινομένοις ἀνδράσι Πυγμαίοις ἐγένετο παῖς ὄνομα Οἰνόη, τὸ μὲν εἶδος οὐ μεμπτή, ἄχαρις δὲ τὸ ἦθος καὶ ὑπερήφανος. Ταύτῃ φροντὶς οὐδεμία ἐγίνετο τῆς Ἀρτέμιδος οὐδὲ Ἥρας. Γαμηθεῖσα δὲ Νικοδάμαντι τῶν πολιτῶν ἑνὶ μετρίῳ καὶ ἐπιεικεῖ, ἔτεκε παῖδα Μόψον· καὶ αὐτῇ Πυγμαῖοι πάντες κατὰ φιλοφροσύνην πλεῖστα δῶρα πρὸς τὴν γένεσιν τοῦ παιδὸς ἀπήνεγκαν. Ἥρα δὲ μεμφθεῖσα τὴν Οἰνόην, ὅτι αὐτὴν οὐκ ἐτίμα, γέρανον αὐτὴν ἐποίησεν, καὶ τὸν αὐχένα μακρὸν ἕλκυσε, καὶ ἀπέδειξεν ὑψιπετῆ ὄρνιθα, καὶ πόλεμον ἐνέβαλεν αὐτῇ τε καὶ τοῖς Πυγμαίοις. Οἰνόη δὲ διὰ τὸν πόθον τοῦ παιδὸς Μόψου περιεπέτετο τὰ οἰκία, καὶ οὐκ ἐξελίμπανε, Πυγμαῖοι δὲ καθοπλισάμενοι πάντες, ἐδίωκον αὐτήν. Καὶ ἐκ τούτου ἔτι καὶ νῦν Πυγμαίοις καὶ γεράνοις πόλεμος ἐνέστηκε. hoc est: *Apud Pygmæos puella fuit Oenoë formâ non contemnendâ, ceterùm moribus inuenustis & superbis, & quæ nihil neque Dianam neque Iunonem curaret. Nupta Nicodamanti, mediocri & probo ciui, filium peperit Mopsum: ob cuius natales Pygmæi vniuersi beneuolētiæ ergô plurimus eam donis affecerunt. Sed Iuno Oenoæ infensa, quæ nullo honore ipsam dignaretur, in gruem eam mutauit, collumq; in longum protraxit, altiuolantemq; auem fecit, interq; eam & Pygmæos bellum excitauit. Oenoë autem desiderio filij Mopsi absque intermißione domos circumuolitauit, quam Pygmæi omnes armis sumptis profligarunt. Atque ab eo tempore in hunc vsque diem inter Pygmæos & grues bellum est.*

CAPVT XVIII.

An Propheta Ezechiel nouerit Pygmæos.

VErùm si Pygmæi concedendi sunt, liceret ob venerationem Ezechielis homines asserere, ne cogamur Versionem vulgatam ad alienos torquere sensus & ad rationem peculiarem nominis, quàm ad sensum communem, vsitataque significata, cùm opus non sit. Ait diuinus Propheta in descriptione Tyri cap. 27, 11. *Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum, ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.* Sincerè posse intelligi Ezechielem de veris Pygmæis homuncionibus, probabile ostendam. Nam vel, si non fuerunt Pygmæi, aliter interpretandus est Vates; vel quia, licet sint, nullius vsus causâ in turribus locarentur. De primo membro nunc ratione agam. Cur, rogo, Pygmæi concedendi non sunt? cùm constet testimonio Prophetæ: & ne causeris, licet immeritò, nos petere principium, testimonio & admonitione Aristotelis, veram hanc historiam attestantis; quid miraris hæc monstra? mirari poteris, non negare. Non omne admirandum, mendacium est. Miraris fortasse Gigantes, & tamen non negas, cùm tamen nullius tantæ molis experimentum oculis hauseris: cur, quæso, neganda est gens pusilla, cùm & minùs mirabilis sit lapsus naturæ, & defectus rerum, & tantę pusillitatis exempla, modò videre velimus, passim occurrāt. Vidi ego, & vniuersa aula Philippica, homuncionem eiusdem staturæ cuius Pygmæi esse feruntur, in nullâ re præter exiguitatem monstrosum aut deformem. Bonami dicebatur. Eiusdem pænè pusillitatis vidi alium, aptissimæ tamen & absolutæ compositionis virum, iam quadragenariũ, elegantis comæ

& barbæ. Nicephorus prodit, ſub Theodoſio hominem in Ægypto natum, qui tam breuis fuerit, vt perdici ſimilis eſſet. Neque ingratum, inquit, ſpectaculum erat ſi cum illo in globo hominum conuerſaretur, & ad contentionem excitatus colluderet. Porrò, quod mirabile dictu eſt, prudentia ei inerat qualis homini formoſo competit, quippe cui corporis exilitas eâ de re nihil ademiſſet. Vox à Muſis non abhorrebat. Sermo mentis generoſitatem ſpectandam exhibebat. Addit vitam tamdiu tenuiſſe, vt non multum abfuerit quin vſque ad vigeſimũ quintum annum pertigerit. Quid igitur, quò minùs ſit eiuſmodi puſilla natio, diſcredere nos cogat? Non puſillitas, videmus enim paſſim homines nanos & exiguos. An pugnacitas, & cum gruibus diſſidium? Sed pugnam iſtam adhuc adſtruit Olaus in ſuo Septemtrione. Aſſenties quidem Pygmæos fuiſſe, at quid in turribus Tyri paruulũ iſtud præſidium? Lyra non ad tutelam ciuitatis putat, ſed ad hoſtium irriſionem, quemadmodum Iebuſæi claudos & cæcos poſuerant. Reijcitur hoc, quòd non opus eſſet accerſere è ſpecubus ſuis, ad iactantiam iſtam, homunciones: ſat erant claudi quoque, & cæci, & infantes, imò ſtraminei homines, terriculamenta auium. Tum quomodo de illis Ezechiel exaggerat, ***Et ipſi compleuerunt pulchritudinem tuam?*** Quamuis conſentaneè poſſet exiſtimatio Lyræ excuſari, alio ipſe tramite pergo, & concordiam ſacrę profanæque eruditionis exhibeo. Dicit Ezechiel, Pygmæos iſtos ſuſpendere pharetras ſuas; quare ſagittarij erant. Iam patebit quid in turribus agerent: Photius enim in ijs quæ ab Gnidio excerpit, ait, tria horũ Pygmæorum millia Indorũ Regem in ſuo comitatu habere, quòd ſagittarij ſint peritiſſimi. Æmula itaque Tyrus totius maieſtatis, ad pompam, ad magnificentiam has fortaſſe cohortes peregrinas allegit, vt nihil iam ad amplitudinem exoptaret. ideò Vates commendat compleuiſſe pulchritudinem & maieſtatem ſuam. Et licet Gnidius inſperſerit commentis aliquibus ſua commentaria, vbi noſtris Scriptoribus arridet, refutandus non eſt. Quare ſi commodo ſignificatu nominis venerari noſtram verſionem poſſumus, & cum vſu gentis illius, quid opus eſt ad peregrinas aufugere interpretationes, vt quòd Chaldæus vertat *Cappadoces*, Septuaginta *cuſtodes*, Theodotion tenax vocis Hebrçæ, *gammadim*, Symmachus *Medos*. Singulares iſtæ ſcriptiones ſunt. At noſtra non ſingularis: conſpirant Aquila, Vatablus, Pagninus, Lyra. Tum ſeruatâ noſtrâ lectione, quid opus eſt quærere nouum & contrarium ſignificatum ex ratione nominis, & confuſionẽ imponi ſinceritati Scripturæ, cùm opus non eſt? Cur, cùm Pygmæus puſillum hominem notet, Ezechiel notaret gigantem? vult enim Cornelius per Pygmæos, quod idem ac *cubitalis* valet, indicaſſe Prophetam immanes viros, quòd cubitu non pede menſurarentur. At alij homines vulgares ſæpè cubitu taxati ſunt. ſicut ipſi puſilli Pygmæi. Etymon quoque Hieronymi, quòd Pygmæus ab Ezechiele pugil ſignificetur, ἀπὸ τῆς πυγμῆς, à luctâ & certamine, neceſſarium non eſt: nec conſideratio Forerij, quòd prę turrium, in quibus erant, proceritate, deſidẽtibus alijs in planicie viderentur puſilli, nec vltra cubitum excedere. Certè in re dubiâ, probabilior mihi eſt aſſerta exiſtimatio, & ſine incommodo, non contumax, non firma, ſed præcipua. Deinde putarem, ſi non homines, ſpecies ſimiorum Pygmæos eſſe, cum Alberto. Ezechielem autem cum Forerio intelligerem.

CAPVT XIX.

An animalia perfecta ſponte naſci poſſint.

NVnc poſt tot moras finiam controuerſiam principem diu interpellatam, An animalia perfecta humus parturire valeat. De homine iam negauimus, de alijs nunc negamus breuiſſimâ diſquiſitione: nulla enim ad aſſenſum ratio vrget Cæſalpini; perpetua enim ſpecierum columitas, Angelorum cuſtodiâ curata eſt. Singulis animalium generibus ſuus patronus ſpiritus antiſtat, vt in Quæſtionibus naturalibus diſcepto: nec tantæ ſocordiæ obnoxius cuſtos eſt, vt clientes ſuos negligeret. Præterea maieſtas illa naturæ in ſuis præcipuis ciuibus indigna videtur ignobilitate ſucceſſionis: nec enim quòd fæx reptilium ambiguum ortum habeat, debuit ita habere nobilior ſubſtantia; neque caſu apparari poteſt ſuggeſtus formationis eius, maximè cùm cælos iam ſæpè eiurauerimus. Neque hominem formant, neque brutum, quod etiam in Quæſtionibus naturalibus diſſerimus, & latiùs iſta Fortunius Licetus diſceptauit. Ceterùm, & affuſio illa naturarum in primordio mundi non fuit omnino naturalis, nec ex putri: propterea argumentari non licet vt iterari naturaliter poſſet; non quidem illæ ex corruptione, vt hodiernæ fuerunt. Nullum denique perfectorum animalium viſum hactenus ſponte naſci, niſi pegaſus aliquis, famâ, non veritate nobilis. In Hiſpaniâ dumtaxat euenit nonnihil, quod iſtius generationis ſpontaneæ fidem nonnihil mitigare aliquibus placuit. Equa peperit mulam grauidam aliâ mulâ. Cumque

que non ex coitu mulæ fecunditas fuisset, nec vllo modo ex masculino semine, oportet dicere, ex putrefactione aliquâ aut corruptione humorum compactum fuisse fœtum illum mulæ. Si ita fuit, non puto fœtum secundũ, nisi solùm in imagine eiusdem naturæ cum matre, neque perfectum animal futurum: sed eodem modo intumuisse illam mulam, atque visæ aliquæ feminæ grauidæ serpentibus, & alijs animalibus ex putri in visceribus genitis. Nonnumquam accidit, illud, quod ex alterius corruptione generatur, similem vultum contrahere. In Brasiliâ ex formicarum cadaueribus vermiculi nascuntur, qui mox in alatas formicas prioribus similes facessunt.

CAPVT XX.

An animalia, quæ sponte nascuntur, produxerit Deus in creatione primâ rerum.

ET illud dirimendum modò, an in mundi exordio aliqua genita spuria, id est ex ijs naturis quę sponte dantur; dantur quippe multa. Oppianus canit:

Ἤδη καὶ διερῇσιν ἐν ὑγροπόροιο θαλάσσης
Βένθεσιν, αὐτόῤῥεκτα φύει καὶ ἀμήτορα φῦλα,
Ὄστρεον, ἠπεδαναί τ' ἀφύαι, κόχλων τε γενέθλα,
Ὄστρακά τε, στρόμβοι τε, τά τε ψαμάθοισι
φύονται.

Iam etiam in humidis vndosi maris
Gurgitibus à se ipsis facta nascuntur sine
matre secula,
Ostreum, imbellesq; apuæ, cochlearumq; genera,
Testaceaq;, conchyliaq;, & quæ in arenis
nascuntur.

In hac dubitatione perspicua est Augustini definitio, qui sic ait: Sed vtrum in primis, vt dixi, rerum conditionibus, quæ isto sex dierum ordine creatæ narrantur, hæc quoque minima instituta credamus, an posteà consequentibus corruptibilium corporum solutionibus, hoc quæritur. Et potest quidem dici, ea minutissima, quæ vel ex aquis vel terris oriuntur, tunc creata: in quibus etiam illa non absurdè intelliguntur, quæ nascuntur ex ijs quæ terrâ germinante orta sunt: & quia præcesserunt conditionem non solùm animalium, sed etiam luminarium; & quia terræ continuantur per radicum connexionem. Vnde illo die quo apparuit arida, exorta sunt, vt potiùs ad supplementum habitationis, quàm ad numerum habitatorum pertinere intelligerentur. Cetera verò quæ de animalium gignuntur corporibus, & maximè mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata cùm animalia ipsa creata sunt, nisi quia inerat iam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis, & quasi præseminata materia, & quodammodò initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quæque genere ac differentijs erãt exortura per administrationem ineffabilem omnia mouente incommutabili creatore. Non enim magnum videbatur pretium operæ ad propaginem horum auimantium, bina tunc edi, siquidem & non edita, ederentur posteà nauseâ aliquâ putridorum vaporum, aut alio aborsu terræ. Obseruandum est, quod etiam facit ad Augustini sensum, animantia minuta non indiscriminatim ex quauis materiâ gigni. Vnumquodque genus propriam sibi vendicat argillam aptatam ac præparatam. Alia ex coitione & putri gignuntur, alia ex putri tantùm. Non est autem modò nobis animus (neque enim id præsens locus expostulat) disceptandi, num quæ ex maris cum femellâ congressu oriuntur, vt mures, verè ex coitione illâ edantur in lucem, prout naturæ exploratores grauissimiquè Philosophi luculenter affirmant, an fictitiè. Num etiam hæc & illa eiusdem sint speciei, cùm eorum operationes vtrisque cõmunes & promiscuę videatur. Prolixa enim esset disputatio. Rursum quæ tantùm ex putri prodeunt, alia ex exhalationibus prosiliunt, vt papiliones ex aquâ, bibiones ex vino & aceto, quos etiam muriliones Auerroës lib. 12. Metaphysices appellauit. Nonnulla ex elementorum putrefactione emergunt, vt vermes in cisternâ ex aquâ, ranæ verò, bufones, culices, & quædam vermium genera ex limo terræ, pulicesque ex puluere. Plurima ex mistorum tabe scaturiunt, adeò vt singula mista, dum putrescunt, aliquid pariant quod ipsa extermi-net. Ex herbis & floribus multa oriuntur, vt erucæ ex oleribus, de quibus Aristoteles libro 5. de Historiâ animalium latiùs scribit. Ex fructibus etiam plurima proferuntur, vt gurguliones ex fabis: ex lignis alia, vt teredines, & cimices: ex corruptis vestibus alia, vt tineæ, & blattæ: ex cadauerum verò tabe discriminatim multa prodeunt, muscæ ex humano corpore, vespæ, crabrones ex equi carnibus, apes ex tauri cadauere; vnde & à Sophocle apud Suidam *taurorum filiæ* nuncupantur. Infinita sunt propemodum genera minutorum animantium, quæ non fortuitò ac citra naturæ deliberantis consilium nascuntur, sed Intelligentiæ non errantis prouidentiâ oriuntur.

Quæsitatur itaque, Num omnia hæc animantium genera in primâ temporum hebdomadâ à Deo cum ceteris producta sint, an quędam tantùm, reliquis in seminarijs viribus elementorum solùm præseminatis, adeò vt pòst naturâ ipsa spatijs temporum

opportunis ea proferret ac ederet. Equidem puto, ex putri nulla tunc edita, sed ex humo, ne corruptione aliquâ teneram & vernantem naturam dehonestemus. Oportuit nihilominùs mundum suis, quoad fieri posset, articulis integrum enasci, & digna quæque minima ostendi diuinitate artifice, in omnibus miranda, id est diuina. Eleganter Tertullianus Marcionem naturæ irrisorem ita percellit: Et superiores quidem situ aut statu substantias sufficit faciliùs Deos habitas, quàm Deo indignas. Ad humilia deficiam. Vnus opinor de sepibus flosculus, non dico de pratis; vna cuiuslibet maris conchula, non dico de Rubro; vna tetraonis pennula, taceo de pauo, sordidum artificem pronuntiabit tibi creatorem? At cùm & animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industriâ ingenijs aut viribus ampliauit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate, secundùm Apostolum; imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina. Sustine, si potes, illas ipsas lectuli & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt maiora, cùm tam modicis aut iuuaris aut læderis, vt nec in modicis despicias creatorem?

Ceterùm ea quæ magnam corruptionem vitiosumque subiectum necessariò supponunt suæ conseruationi, tunc prægenita non fuerunt. Vbinam Deus crearet lendes? In Adamo? Absit innocentem illum statum his miserijs deturpasse. An extra omne animal? Perirent: nec consultum esset satis suæ naturæ. Deinde alia sponte nascentia, quæ per solemnes generationes propagari nequeunt, valdè vereor nō tunc eructata è terrâ, siquidem infecunda. Signum aliquod est, illam Dei benedictionē non audisse, *Crescite & multiplicamini.* Cetera sponte nascentia omnino è terrâ primo suo puerperio effusa sunt.

CAPVT XXI.

An adulterinæ naturæ à Deo conditæ in primâ productione.

PRoxima huic disputatio de adulterinis naturis, Num & istas condiderit Deus in primis auspicijs rerum, an intrusæ fuerint in rerum naturam fortuitâ libidine. Hoc putauit Vielmius, hoc fortasse Rupertus. Fiunt tamen, inquit iste, quædam naturarum ex inæquali permistione adulterinâ, cùm (verbi gratiâ) de equâ & asino mulus, de hirco & oue nascitur tityrus: quod hominū instinctu fieri, Lex vetuit, cùm dicit Leuit. 19, 19. *Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* Hoc primus fecisse fertur Ana filius Sebeon, filij Esau scilicet, quòd equarum greges ab asinis in deserto fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalium progenies nasceretur. Verumtamen & bestiæ quæ sub hominum magisterio non sunt, contra naturam diuersis speciebus permiscentur, vt dum leo permiscetur pardæ, nascitur leopardus; & dum lupus ceruæ commiscetur, lynces generantur. In reptilibus quoque permistionis inordinatio reperitur. Tradunt enim Physici, viperâ, nequissimum reptilium omnium genus, & omnibus quæ serpentini sunt generis astutius, vbi libidinem sentit, murænæ maritimæ copulā expetere, progressamque ad litus, sibilo ad amplexum illam euocare; nec murænam diu abesse, sed statim venenatæ serpenti expetitos vsus suæ coniunctionis impartiri. Diuini tamen viri Basilius & Ambrosius editas tunc has naturas censuisse videntur: primogenitorum enim animalium, quæ in exordio condita, proprietates demirati, leopardum memorauere, qui ex adulterio leonis & pardæ. Mihi videtur lis simili dirimēda regulâ, quâ vsus sum in sponte genitis animalibus, si quæ omnino sterilia sint, nullâ naturæ vi perducere genus suum valentia: ista enim opinor tunc non erupisse, cùm diuinæ benedictionis, fecundantis naturas, sint expertia. Quæ autem effeta visa, absque dubio effusa pridem à terrâ fuere: nec aliter in his philosophandum ac in quibusuis alijs geminæ originis, dum altera è vuluâ, licet etiam è putri subnasci possent. At quid de mulis absolutè dicendum? Puto ebullijsse è terrâ, sicut & equus & asinus erupit. Visæ sunt mulæ fecundæ. Licet enim in vniuersum sterilescant, & prodigij sit loco si impleantur, iuxta Aristotelem, Herodotū, Suetonium, Plinium; in Syriâ tamen & Phœniciâ omnes fuisse fecundas, in sexto de Naturâ animalium traditur. Idem scribit Theophrastus in Cappadociâ accidere. Illud quod Rupertus obiecit de Anâ primo adulterinæ generatoris auctore, non est iuxta Vulgatam versionem. Vndenam certius erit, *iemim* cum exemplaribus Rabbinorum, quàm *iamim* cum nostris scribendum? imò inter ipsos Hebræos inconstans sensus est. Sic Hieronymus tradit in primo de Traditionibus Hebraicis: *Iste est Ana, qui inuenit iamim in deserto, cùm pasceret asinos Zebeon patris sui.* Multa & varia apud Hebræos de hoc capitulo disputantur, apud Græcos verò & nostros super hoc silentium est. Alij putant *iamim* maria appellata: ijsdem enim litteris scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui

ſui in deſerto, aquarum congregationes reperiſſe, quæ iuxta idioma linguæ Hebraicæ *maria* nuncupantur, quòd ſcilicet ſtagnum repererit, cuius rei inuentio in eremo difficilis eſt. Nonnulli putant, aquas calidas iuxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina eſt, hoc vocabulo ſignari. Sunt qui arbitrentur, onagros ad hoc admiſſos eſſe ad aſinas, & ipſum iſtiuſmodi reperiſſe concubitum, vt velociſſimi ex his aſini naſcerentur, qui vocantur *iamim*. Plerique putant, quòd equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalia naſcerentur. Strabus autem putat, aquas calidas, id eſt thermas reperiſſe. Pagninus & Luſitanus venas aquæ ſalſæ exponunt. Cur autem in Lege Deus interdixit permiſtiones diuerſorum animalium? Certè non quia inuiſæ Deo, & naturæ omnino, ſed, vt multa alia, in deteſtationem idololatriæ Ægyptiorum, diuerſis vtentium commiſtionibus in Planetarum obſequium. Putabant ſecundùm diuerſas commiſtiones habere diuerſos effectus, quippe ſuper diuerſas rerum ſpecies. Tum ad præcidendum omne libidinis prouocamẽtum. Qui enim animalia diuerſa ad coitum incitant, dum ſpectatores & teſtes luxuriæ eorumdem, ſe quoque facilè poſſent deturpare pruritu; propterea etiam in Traditionibus Hebræorum præceptum erat, quemadmodum Rabbi Moyſes ſcribit, vt à coëuntibus animalibus auerterentur oculi. Caietanus allegoricam hanc cauſam putat, vt homo abſtineat penitus à nouitatibus præter rationem: miſtio enim animalium nouum parit animal præter naturam neutrius ſpeciei.

CAPVT XXII.

An gryphes verè fuerint.

INter adulterinas ſpecies celebrior fertur gryps: quapropter ſuo examini titulus dicandus. Sanctiſſima Hildegardis grifonem in ſuâ Phyſicâ narrat primũ inter volucres, ſcribitque quiddam naturæ volucrum & etiam beſtiarum in ſe habere. Mela, Solinus, Apuleius veras aues & quadrupedes aſſeuerant gryphes. Facit Ioannes de Mandauilla, qui Bachariam regionem vocat, cuius incolæ truces admodum ſint, immanes atque efferi: hîc gryphes dari affirmans, hunc ferè in modum ex Italico ſermone Latinè facto loquitur: Qui gryphibus anteriorem corporis formam aquilinam tribuunt, & poſteriorem leoninam, vera memorant, cùm reuerà talis eorum forma ſit. Verumtamen vnicus dumtaxat gryps & magnitudine & corporis robore octo etiam leones centumque aquilas ſuperat, vtpote qui vel equum vnà cum inſidente etiam equite, vel binos etiam coniunctos boues, vnguibus ſuis, qui boum cornibus multò longiores ſunt, & ex quibus incolæ cyathos conficiunt, abripiens, è viâ in nidum ſuum importet. Goropius ſcribit, Reginam Hungariæ Mariam Caroli V. ſororem, cuius ipſe Medicus fuit, inter pocula ſua habuiſſe cornu quoddam nigredine ſplendens, dodrante longius, quod aiebant vnguem eſſe gryphis, quãuis ipſe ex cornu alio fictitium quid fuiſſe exiſtimet. Ita quoque Ornithologus ſe vidiſſe ſcribit apud aurifabrum Tiguri cornu nigrum leue, & in ſummo aduncum ferè vt in rupicapris, triplo fortè craſſius, cuius labris argentum introducturus erat, vt pro poculo menſis adhiberetur, dicens ſe illud pro vngue gryphis accepiſſe. Verùm id fortè bouis alicuius peregrini, vt quem Indicum vocant, aut bubali cornu fuiſſe idem indicat. Fateor ipſe, gryphes verè eſſe: nec enim cum Origene notare Moyſen decet, quòd inter immundas aues cenſuerit, quæ non eſſent in mundo. Puto equidẽ eſſe magnas aliquas & efferas aues, ſiue genus aquilæ ſiue vulturis, non eo modo quo feruntur: nam fabulã conuincit Mathias Michouius, qui non ſolùm gryphes, ſed & aurum in extremo Aquilone, montes denique ipſos Hyperboreos ſeu Riphæos, quos vocant, reperiri negat. Ad extremum Septemtrionem Riphæos & Hyperboreos montes aliqui poſuerunt, quos illic nullos eſſe, experientiã conſtat. Quin etiam in Iurâ monte & locis Septemtrionis non effoditur aurum, argentum, nec alia metalla, nec inueniũtur illic gryphi, & magnæ aues prohibẽtes effodere & efferre aurum. Ego ſanè contra veteres Auctores gryphos nec in illâ Septemtrionis nec in alijs orbis partibus inueniri affirmarim. Hæc ille. Ceterùm magnas aues appellari gryphes, admittit Aldrouandus, qui omnem hiſtoriam gryphorum pro more locupletiſſimè ſcribit. Varinus gryphes inter cetera inquit genus eſſe animantis volucris, quod γύπον, id eſt vulturem vocant, & γρυπαὶ Heſychio etiam vulturum nidi dicuntur. Ariſtophanis interpres γρυπαιέτυς exponit peregrina ſcuti inſignia: aquilas enim ſolebant, inquit, in ſcutis pingere. Heliodorus memoriæ prodidit, Perſinam boum armenta, & equorũ, & ouium, coturnicum, & gryphûm permiſiſſe greges, partim vt ex vnaquoq; horum hecatomben adornaret, partim vt populum inde aleret. Hos gryphes aquilas fuiſſe, veriſimile eſt, quas ad hecatomben Regum & Imperatorum adhibere ſolebant. Conſcripſit Itinerarium Iudæus quidã nomine Beniamin Tudelenſis Hiſpanus, ante annos quadringentos, quod ab Ariã Montano ex Hebraico idio-

idiomate in Latinum conuersum est. In hoc ab insulis Chesil in Sinarum regionem per fretum alioquin æstuosissimum, ita vt nauigando superari interdum non possit, commeandi inter cetera rationem profectò miram exponit, & simul vastarũ quarumdam eius loci auiũ, quas gryphes vocat, naturam & fortitudinem, quarum scilicet ope & industriâ transportati homines traijciant, aperit. Verba eius sunt: Ab insulis Chenerag quadraginta dierũ nauigatio suscipitur transire volentibus in regionem Sin, quę pars Orientalis est. Sunt verò qui dicant, mare illud quo iter suscipitur, esse mare excisum seu fretum, interdum æstuosissimum, astro Chesil subiectum (quod Orion est nobis) cuius vi tantus nonnumquam excitatur ventus, vt nulli mortalium nauigando superari possit aut effugi. Intrudit enim nauigia in ipsas maris angustias, vnde extricari & effugere non possunt: hęrentque diutiùs quoad cõmeatu omni absumpto homines pereant; & neque hoc modo naues periclitantur. Verùm huic incommodo hominum industriâ prospectum est, atque euadendi ratio est inuenta, quam agnoscere non fuerit iniucundum. Sic autem res habet. Boum coria integra quamplurima in nauibus imponunt nauigantium hominum numero paria: qui cùm vento acti in illas angustias intruduntur, singuli singula subeunt, atque collo introrsum complicato ita colligant, vt aquę aditus obcludatur, cùm sese rotantes & mouentes in mare è nauigio deijciunt. Quos cùm maximæ aquilæ illis regionibus familiares, gryphes dictæ, prospiciunt, boues aut animalia esse putantes, aduolantes eripiunt, atque in aridam asportant. Tum verò depositis in valle vel monte incumbunt, vt ipsis disruptis pascantur. Verùm opportunâ celeritate vsus qui intra corium includitur homo, feram ipsam gladio confossam vulnerat atque occidit, & hoc pacto complures euadunt. Ex hisce, vtut res sese habeat, saltem hoc licet colligere, maximas certè aquilas, & his similes alites gryphes aliquando dictas, & harum ratione gryphes reuerà reperiri, affirmari posse, secùs verò minimè. Hæc sententia est Aldrouandi. Ego putarem facilè, gryphes esse eas aues, quæ condores dicuntur ab Indis, aut similes. Vel si non est fabula, auem rucquam in insulâ vltra Madaigascar reperiri scribit Marcus P. Venetus, tanti roboris, vt elephantum capiat & eleuet. Porrò beata Hildegardis non diuersum sensum habuit; nam de pauone eodem scripsit modo: Pauo calidus & humidus est, & de naturâ volucrum & bestiarum in se habet, & vox eius secundũ volucres & bestias permixta sonat; non tamen propterea quadrupedem nec monstrum pauonem fecit, sic nec suum grifonem. Facit quoq; S. Eustathius Antiochenus, qui in Hexaëm. ita ait: Τὸν δὲ γρῦπα εἶναι ζῶον παμμεγεθέστατον, ὡς ἀρουραῖαν, σκιὰν ἐκτελεῖν. ἁρπάζει δὲ λέοντα οὕτως εὐχερῶς, ὡς ἀετὸς παρ' ἡμῖν λαγωόν. *Gryphem magnitudinis immensæ ferũt, ita vt vmbra illius prædium opacet. Et veluti apud nos aquila leporem, sic ille leonem facillimo negotio raptum prædatur.*

CAPVT XXIII.

An gryphes fuerint in Americâ.

CEterùm in Americâ innotuisse biformes gryphes, quemadmodũ antiquitas nostra confinxit, argumentũ aliquod præstant stemmata Motezumæ Regis, quæ implebat gryps raptans tigridem. Dicunt etiã, in montibus Teguacan inueniri desertam vallem Auacatlan, ob sæuitiam & vastitatẽ harum semiuolucrium incolas deuorantiũ meruisse nomen, propterea eos mõtes appellari Cricblach cepetel decrutlachti, hoc est, *gryps sicut leo.* Ad hæc videbantur depicti gryphes in antiquis Indorum imaginibus cum villo, non cum plumâ. Addebant Indi, tanti roboris fuisse, vt vngue perfringerent humana & ceruina ossa. Simulabãt leonem & aquilam: quadrupedes effigiabantur, alati tamen, cum rostro & vnguibus. Aliorum nobilium insignia eædẽ volucres ornabant, raptantes aut ceruum, aut aliam ferocissimam bestiam, at nullibi inuenta sunt, à nemine hæc monstra visa, nisi in imagine. Vnde ergo consentiebat Mexicana opinio aut fabula cum nostrâ? Fortasse dæmon simili specie apparuit barbaris, inde huius confictę belluæ honos inter nobiliores. Stemma autem Mexicani Imperatoris malunt alij fuisse aquilam. Reliqua gryphũ fama inconstans & spuria. Non nouimus certã originem, licet Gomara scribat, etiam famam dictare in terris Agricolæ gryphes inueniri. Sed fama nõ semper veridica.

CAPVT XXIV.

De adulterinis animalibus, seu bigeneribus.

POstulat cõmemoratio hæc animalium adulterinorum & bigenerum, vt saltem celebriora commemoremus. Colligit aliqua B. Eugenius Iunior Præsul Toleti hoc carmine:

Hæc sũt ambigenâ quæ nuptâ dispare constãt.
Burdonem sonipes generat, cõmixtus asellæ.
Mulus ab Arcadicis & equinâ matre creatur.
Titirus ex ouibus oritur, hircoq; parente.
Musmonem capra verueco sanguine gignit.
Apris atque sue setosus nascitur hybris:
At lupus & catula formãt coëundo lyciscam.

Possunt

Possunt adijci alia. Alphet vel alpheil generatur ex leone & leopardo. Arcadici canes & Hircani, ex cane & tigride. Arcades canes primùm ex canibus & leonibus natos fama est, & appellatos λεοντομιγεῖς, Pollux notat. Concipiunt canes etiam ex lupo. Canes Laconici alopecides dicti, ex vulpe & cane gignuntur. Sunt qui lupum canarium eum putent esse, qui initu canis ex lupâ nascitur. Leonum genus ignobile ex leænis & pardis Solinus dictat. Leopardi, ex pardo & leænâ. Philostratus leænam non ex pardo sed pardali concipere scribit.

Quærendum, an vt leæna ex pardo concipit, & corpore sibi similem gignit, animo dissimilem; sic etiam pardalis seu panthera ex leone concipiat, & maculosum gignat fetum. Camelum Bractianam Didymus ex apris simul pascentibus cõcipere docet. Crocutã ex leænâ Æthiopicâ & hyænâ tradunt Plinius & Solinus. Equus ex tauro & equâ quondam generatus. Franciscus Galliarum Rex equum habuit posteriore corporis parte ceruinâ, natum, vt fertur, ex ceruo & equâ: Adnotat Bellonius. Apud Rhætos ex capræ & arietis coitu nascuntur oues anteriùs, posteriùs capræ. Thoes ex lupo, pardali, pantherâ, canit Oppianus. Mulus alius ex asino & equâ nascitur; alius ex equo & asinâ, qui hinnus appellatur. Generantur ex equâ & onagris mansuefactis mulæ veloces in cursu. Quartum genus mulorum ex asinâ & onagro; quintum ex asinâ & tauro. Omnia matrescunt bigenera: plus à matre accipere videntur; præsertim quoad molem & formam corporis.

CAPVT XXV.

An aliquæ naturæ nécne fuerint post peccatum Adami, quæ non fuissent si non fuisset lapsus.

ISta quoque curiositas in mediũ vocanda breuiter, Num aliquas bestiolas impediret innocentia Adami. Quidam putant, vtique lendes & pediculos mũdo defuturos. At ipse non credo, quòd ijs tunc carerent homines deficientes honore illo innocentiæ primæ. Quemadmodũ enim Adam peccauit, possent peccare & liberi; quorum gratia non locupletioris priuilegij est quã paterna. Quare qui semel in peccatum tunc dilaberentur, similibus miserijs conditionis & naturæ obnoxij fuissent; naturalis enim generatio pediculorum est. Prætereà non tantùm ista nostri generis infamia est. Infestantur, iuxta Aristotelem, pediculis phasianæ etiam, & aliæ aues, quibus penna caule constat. Boues quoque & sues.

CAPVT XXVI.

An aliqua animalia exotica Americæ & insularum remotissimarum post primam productionem enata fuerint.

SVspectæ aliquibus fuere monstrosæ feræ noui orbis & insularum natarum longo interuallo terris, siue quia adulterinæ visæ ex multiplicis generis commixtione natæ; siue quia sponte illic enatæ, cùm aliam viam non viderent transcurrendi ad tergus illud naturæ. Verùm quia fecũdæ sunt, & solemni copulæ ritu suum genus propagant; participes diuinæ benedictionis sine dubio fuerunt, & fecũdatę Dei iussu ad incrementum & multiplicationem. Deinde, non puto adulterinum; quidquid aspectu monstrosum. Est quoque deformitas naturalis, vt formosior natura sit. Quo pacto in orbes illos remotos illatæ fuerint, iam discussimus.

CAPVT XXVII.

An in Americâ fuerint in principio mundi formata animalia quæ ibi inueniuntur.

COnsiderandum quoque est, vbi animalia formata: in quodnam effusa solum. Suis credo quæque conuenientibus exorta plagis per omnem terram, non simul, nec prope cum Adamo; ideò delata ad illum, insigniẽda titulo qui aptissimus esset illorum ingenio.

Dices, quomodo post diluuium dissipata in dorsum vsque orbis? Quæro quomodo conuecta ad Adam? quomodo ad Noë, vt in arcam colligerentur? Rursus quomodo, postquam conuenêre ad Adam, rursus dispersa? Eâdem ratione puto post naufragium vniuersi restituta in suam quæque patriam. Hoc pertinebat ad Angelos specierum naturalium custodes aut præsides, ab his portatæ ad Adam & Noë feræ, quas senior noster orbis ignorauit, vt non possint dici coloniæ mundi antiqui, nec hinc peregrinatæ illuc, sed indigenas semper fuisse eius soli.

CAPVT XXVIII.

In quibus regionibus animalia generentur.

ENata itaque & restituta sunt animalia in aliquam earum regionum quas incolunt nunc: colligam nonnullas. Africa generat oryges, dictyen: Æthiopia calen, callitrichen, quod animal negatur in alio solo viuere posse; sphinges, cepum, camelo-pardalim, item equos feros bisulcos: Lybia cato-

blepam. Garamantes boues opistonomos habent. Aper nullus in Africâ creditur. Asia & Africa elephantes, pantheras, & chamæleontes alunt. Syria, Libya, & Cyprus, chalcidem lacertorum generis. Ægyptus & Oriens scincos. Africa & India simias & hystrices. Scythia & Sarmatia κολόν. Ægyptus generat crocodilum & ichneumonem. India papiones, chiurcam, monocerotem, axim, pæphagum, boues vnicornes & solipedes, gazellã. India & Hircania tigres. Cholchis tragelaphum Plinij, Syria colapum, Phrygia & Lycaonia præcipuos onagros. Bactriana & Arabica regio camelos. Nordvegia pestem peculiarem habet, quam leem vel lemer appellant. Hispania & Baleares alunt cuniculos, zibethum, musmonem. Italia & Thracia stelliones. Summi Heluetiorum montes ibicem & murem alpinum; Septemtrionales regiones tarandum, armelinos, id est mustelas albas, zobellã, noërzam, tragelaphum ex genere ceruorum, vrum, bisontem, bubalũ, ericetum. Sciurus à vario non nisi regione differt. Africa, Asia, & Europa cetera animalia promiscuè generant, leones tamen Europa tantùm intra Acheloum & Nessum amnes aluit, teste Aristotele. Africæ deserta, India & Arcadia testudines habent. Perüana regio semiuulpã, Creta strepsicerotem. Lupos, vulpes, aliaque quadrupedum noxia Creticus ager nusquam educat. Angliã lacertis carere dicunt. Apud diuersas regiones eadem animalia diuersâ naturâ nascuntur. Duplex iecur est leporibus Bisaltinis. Æthiopicæ quædam sues gestare cornua feruntur. Leones Indici, Armenici, Parthici non adeò robusti. Apud Neuros boues cornua in humeris habent. Omnes merulæ albæ sunt in Cyllene. Pisces in terrâ Babylonicâ fluuijs egredientes pabulari in sicco dicuntur. Capræ in Mimante natæ sex mensibus non bibunt. Oues pinguescunt in Ponto pastæ absinthio.

CAPVT XXIX.

De regionibus exitialibus.

ALiquæ regiones sunt noxię & exitiales. Narrabo aliquas ex Carystio. In Lemniorum insulis, quæ Neæ seu Nouæ vocantur, neque nascuntur perdices, & si importentur, pereunt. Quidã prodigiosiùs narrãt, mori eas, si vel conspiciant eam terram. In Bœotiâ magna talparum multitudo. In solo Coronico agro id animal non nascitur, illatum moritur; sicut & vlulæ in Cretâ, quam insulam ferunt nullum lethale animal tolerare. In Astypalæâ serpentes non nascuntur, neque lepores in Ithacâ, neque in Africâ sus siluestris, neque cerui, neque felis in Rheneâ Delo propinquâ, neque meleagris alibi vsquam conspicitur. In Scythicis regionibus, & apud Eliam mulus non nascitur. Theopõpus apud Chalcidenses, qui sunt in Thraciâ, locum esse quemdam scribit eâ naturâ, vt quæcumq; intrent animalia salua rursum exeant; cantharus autem nullus inde effugiat, sed omnes in orbem circumagitati pereant, itaque à peste cantharorũ, loco nomen esse Cantharolethron. Cranone Thessaliæ vrbe aiunt duos tantùm esse coruos. Itaque etiam publici eorum hospites, cùm (qui mos est omnibus vrbibus) suis scriptis insigne vrbis subijciunt: pingunt duos coruos currui æreo insidẽtes, quòd his plures ibi numquam sint visi. Currus autem (nam hoc quoque mirum alicui videatur) additur hac decausâ. Inter sacra donaria currum seruant æreum, quem vbi siccitas incidit, pulsant, & aquam à Deo poscunt atque impetrant. Addit his aliquid singulare Theopompus, coruos nimirum tantisper Cranone morari dum pullos educent: eo facto, ipsos relictis Cranone pullis discedere. Myrsilus Lesbius in monte Lepetymno ait fanum esse Apollinis, ac sacellum Lepetymni, in quo, sicuti Cranone, duo tantùm sint corui, cùm non pauci in viciniâ sint.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

De progeneratione animalium.



OST primas origines processerunt species animalium principes propagine diuersimodâ: non eodem ritu, coitu, partu, numero, tempore. Immensum esset censere omnia: appingam aliqua. Humanitus inter se complexi coëunt simiæ, lacerti, erinacei: vrsi humi strati, erinacei verò stantes. Coitus auersus rhinoceroti, elephantis, tigribus, lyncibus, leoni, lepori, cuniculis, canibus, lupis, & in summâ omnibus quibus auersa genitalia. His alij camelum annumerant, de quibus Aristoteles negat. Mus in coitu complectitur caudam. Elephas femina sedet. Camelus femina in coitu sedet, complectente mare, prodidit Aristoteles. Cerui currentes feminas ineunt, canit Oppianus. Cerui clunibus subsidentibus semen genitale recipiunt, vt Aristoteles scribit. Ceteræ in coitu tergis superueniunt. Testudines Aristoteles superuenire scribit, Ælianus supinas iacere tradit. Vulpes superuenire Aristoteles docet, Plinius verò feminam in latere proiectam marem amplexari scribit. Occultò coëunt elephanti, cameli, rhinocerotes. Ranæ magnâ ex parte noctu coëunt. Adulteria ignorant, & coniugij lege degunt elephanti, & capreæ. Camelus cum matre & sorore non coit. reliqua promiscuè coëunt, licet singulare exemplũ extet equi, qui matrem imprudens superuenit, & cognito indicio seipsum exanimauit, de quo Plinius, Ælianus & Oppianus. Canes cum lupis, vulpibus, & tigribus coëunt. Alia diximus inter bigenera. Sues tantùm coitu spumam ex ore fundere, diligentiores tradunt, & Plinius scribit. Verno tempore admittitur lanigerũ pecus optimè, aut etiam autumnali: idem de tauris intellige. Suillum pecus à Kalendis Februarijs ad duodecimum diem Martij. Æquinoctio verno equæ, solstitio æstiuo asinæ, per autumnũ ferè capræ. Commodum videtur, vt equi locis calidis mense Aprili, frigidioribus autem Maio admittantur. Equum post vnum à partu annum vtiliter admitti, putant Plinius & Varro. Camelus femina post vnum ab enixu annum rursus demum coit. Qui quadrimis minores sunt, maioresque quàm duodecim annorum, prohibentur admissurâ. Columella de tauris loquitur. Idem de vaccis intelligendum, sed vaccas etiam bimas rectè concipere putant. Arietis ætas ad progenerandum optima est trima, nec tamen inhabilis vsque in annos octo: Columella & Palladius dicunt. Hircus ad ineũdas feminas, & ante anniculum congruus, non autem durat vltra sexennium: Palladius notat. Canibus non nisi post annum permittẽda venus, iuxta Columellam. Elephantus tam mas quàm femina incipit coire anno ætatis vigesimo, scribit Aristoteles. & alibi: Femina incipit coire anno aut duodecimo celerrimè, aut decimoquinto lentissimè. Mas quinque aut sex annos natus superuenit ineunte vere. Alij aliter. Mas coit quinquẽnis, femina decennis, Plinius narrat. Coire incipiunt in trimatu cameli, mense trigesimo ætatis asini, octauo sues, sexto canes & cuniculi; sed canes magnâ ex parte anniculi, nonnumquam etiam mense octauo. Hircus septimo ætatis die, capræ adhuc lactentes. Coëunt tam oues quàm capræ. Item vaccæ quamdiu viuunt. Rarus coitus est ceruis, vaccis, elephantis: quam enim elephas mas impleuerit, eam rursus non tangit. Ceruæ, vaccæ, testudines coitum propter dolorem auersantur. Frequẽtior coitus est asinis, equis, leonibus. Coitus totâ die camelis solis ex omnibus quibus solida vngula, testatur Plinius. Coëunt & pariunt quoquo tempore lepores & cuniculi. Quadrupedum prægnantes venerem arcent, præter equam & suem. Aristoteles de muliere & equâ solis animalium id affirmat. Vere coëunt lacerti, elephanti, equi, glires, sciurus, canes. Mense Septembri cameli: hiemis initio vrsi, apri. Lupi toto anno non coëunt dies ampliùs duodecim: sues agrestes semel quotannis coëunt, domestici sæpè. Canes ineuntur à partu sexto mense. Cameli vno interposito anno

anno. Libidinosæ præ ceteris sunt vaccæ, equæ, caprigenum pecus, omne genus simiarum, sues, cerui, cameli, mures, canes, vrsi, leones, lepores, cuniculi, testudo terrestris mas, & feminæ ex onagris. Lepus incerti sexus est, modò mas modò femina. Sexus discrimen iuxta Oppianum rhinocerotes non habent, sed omnes eius generis mares apparent, feminæ numquam; iam tamen clarius constat legitima generatio huius bestiæ. Vulgus falsò credidit hyenas alternis annis feminas & mares fieri. Salamandræ nec masculinum nec femininũ genus esse, falsò putat Georgius Agricola. Sexu tantùm differunt capra & hircus, aries & ouis, pardus & panthera, secundùm Plinium.

CAPVT II.

De conceptu animalium.

DE conceptu pauca addenda. Oues & capræ terno & quaterno coitu implentur, iuxta Aristotelem. Cerui non concipiũt ante Arcturi sidus, Solino & Aristotele testibus. Equæ ab asino citiùs implẽtur, quàm ab equo. Aquilonis flatu mares concipi dicunt; Austri feminas, scribunt Aristoteles & Plinius. Equos à vento concipere in quibusdam regionibus, auctores sunt Columella, Plinius, Virgilius, Solinus, sed fabula est. Mures salis gustatu prægnantes fieri æstimantur, iuxta Plinium & Aristotelem. Superfœtant lynces, vrsi, lepores, cuniculi, porcelli Indici. Equa peperit in Hispaniâ mulam aliâ mulâ grauidam. Bigenera plerumque sterilia. Mula femina non concipit; mas potest implere & generare, iuxta Aristotelem. Idem scribit, mulas suo in genere procreare in Syriâ. Burdo quoque sterilis est vt mulus.

CAPVT III.

De fœturâ animalium.

ELephantem decem annos in vtero gestare vulgus credit: alij annum & sex menses, alij biennium, alij triennium gestare scribunt, sed quod fœturæ tempus incertum sit, causa est quòd nõ pateat coitus. Annuam fœturã equis, asinis, camelis adscribit Aristoteles. Camelis alibi decem tantùm menses assignat. Cerui & vaccæ fœtæ sunt decem menses (cerui tamen secundùm Plinium & Aristotelem octonos menses) oues & capræ quinque menses, sues quatuor, leænæ menses duos, secũdùm alios sex; canes dies sexaginta & vnum, aut duos, aut ad summũ tres, iuxta Aristotelem & Plinium. Lupus fert & parit vt canis. Cati dies quinquaginta sex, viuerra quadraginta, histrix & vrsa triginta. Aiunt porcellos Indicos ante sexagesimum à conceptu diem non parere. Crocodili sexaginta dies ventrem ferunt, & totidem oua pariunt, totidemque dies fouent. Oua testudinis dicta ventri subdita sunt. Triennium dicuntur ferre vultures. Cyprini quinquies aut sexies in anno pariunt, ter chalcis.

CAPVT IV.

De fœtu.

IMperfectos fœtus edunt omnia multipara, præter suem. Vrsæ informem carnis massam edunt, quam lambendo figurant. Cæcos pariũt omnia multifida. Vrsa fœtum minimũ pro magnitudine sui corporis edit. Ranarum fœtus primò sunt carnes paruę, rotundæ, nigrę, deinde oculis tantùm & caudâ insignes. Canes, capræ, & oues, & reliquæ paruę quadrupedes, monstra pariunt frequentiùs, quã maiores, obseruauit Aristoteles. Elephãti, cameli, equi, vaccę, cerui (quibus interdum tamen geminus partus, sed rarò) omnia solipeda, singulos pariũt. Vipera & salamandra viuipara sunt, vti pænè omnia quadrupeda, exceptis chamæleonte, crocodilo, vtroque lacertarum, ranarum, & testudinũ generibus, quæ ouipara sunt. Salamandra viuipara in vtero primùm oua concipit. Bisulca pauca generant, præterquam sues. Multifida & parua eiusdem generis multa pariunt, vt canes, feles, oues, lepores, lupi, viuerræ, tigres, leones, lutræ, &c. Supra cuncta muriũ fœtus: ex vnâ genitos centum viginti, tradiderunt Aristoteles & Plinius. Inter ouipara crocodili & testudines numerositate ouorum præstãt. Ægyptiæ capræ fœtus quinos parere ferũtur, quòd fecundissimas Nili aquas bibant, notat Ælianus. In regno Var, (sic fertur) quotquot equæ pepererint, edunt fœtus deformes siue retortis pedibus, siue alio defectu, vt nullius sint vsus.

CAPVT V.

De partu.

CEruas parere solere iuxta vias maximè, ob metum aliarũ belluarum, prodit Aristoteles. Asina parturiens tenebras quærit. Elephas parturiens ingreditur aquas vsque ad vbera, metu draconis. Soricem in iuuencâ pinguefactâ, nec non in suis erosâ cute nidum fecisse, & mures peperisse, idoneis Auctoribus constat. Amphibia in sicco pariunt, & educant. Animalia quorum acuti sunt vngues, frequenter parere nequeunt.

Equa

Equa ſtans parit, aliæ quadrupedes iacentes, iuxta Ariſtotelem. Muſtelam ore parere fabulantur. Partus aſinarum & camelorum à trimatu legitimus. Totâ ętate aſinæ & equæ parere poſſunt. Canes à duodecim ferè annis generare deſinunt, oues & vaccę plerumque à decem. Generare incipiunt cuniculi cùm ſex menſes ætatis lunares habēt, ſecundùm alios anniculæ. Sues mares non vltra trimatum generant, ſcrophæ annos octo aut etiam quindecim. Annuus partus canibus, lupis, ſuibus, feris, lanigero pecori; in locis tamen nonnullis propter cæli clementiam oues bis pariunt. Idem vaccæ faciunt, vbi pabuli copia: alioquin alternis annis pariunt. Suibus domeſticis partus bis in anno. Omnes lupæ intra duodecim dies pariunt, nimirum quòd toto anno non ampliùs quā duodecim dies coëant. Parit aſinus eodem tempore quo coierit. Vere pariunt elephanti, cameli, ſues, feræ, ineunte ætate lupus: vrſa eodem tempore quo latet.

CAPVT VI.

De propagine animalium per coitum ſine deciſione ſeminis.

Ceterùm propago nuptialis animalium, hoc eſt ex mare & feminâ, non vno tantùm modo fit ex deciſione maſculini. Fit quoque ſine iſtâ cærimoniâ, fœcundante ſolùm genitali maris virtute feminâ, nullâ ſui abſciſſâ particulâ, nec in femineam vuluam intruſâ. Quidam iuniores hoc fieri putant, communicatâ à mare feminæ incorporeâ quadam efficaciâ, vt progeneret, & ſuâ fœcundet materiam. Alij malunt fieri agente virtute genitali maris in feminæ ſemen, ſed non deciſâ. Hoc ritu generantur phalangia, verticilla, ſcarabei, muſcæ, & illa inſectorum animalia, quorum feminæ pudendū in marem inferunt longiore coitu ſcilicet, vt competens ſpatium ſuperſit actioni fœcundanti. Ariſtotelicum iſtud placitum hac ſententiâ explicatur lib. 5. de Hiſtoriâ animalium. Inſecta auerſa coëunt, deinde quod minus eſt ſuperuenit maius, hoc eſt mas feminam, nec mas in feminam genitale vllū inſerit membrum, more animalium ceterorum; ſed femina ſurſum, in maris receptum, caudæ vltimum ſuæ meatum quemdam præducens reflectit, qui in nonnullis maior quàm pro ratione totius corporis eſſe videtur, cùm ipſa parua admodum ſint. Sed ſunt etiam in quibus minùs inconueniens æſtimetur. Planum hoc fuerit, ſi muſcas coitu venereo copulatas videris. Tardo etiam, quę coiuerunt, ſeiunguntur digreſſu: diu namque eorum copulatio durat, quod in ijs quæ in noſtro conſpectu verſantur facilè patet, verbi causâ in muſcis, in ſcarabeis; omnia enim ad hunc modum coëunt, videlicet muſcæ, ſcarabei, verticilla, phalangia, & ſi quid aliud generis eiuſdem coire ſolet. Phalangij quæ texunt, coitus agitur hoc modo. Cùm femina deductam araneam traxerit, mas eamdē mutuò trahit; quod vbi ſæpiùs fecerint, coëunt, & auerſis clunibus copulantur; nam propter aluum orbiculatam, modus hic coniungendi ijs congruit.

CAPVT VII.

De propagine & fecunditate animalium ſine coitu, nec vi maſculinâ.

Alio quoque puriori modo, virgineo ſcilicet, propagantur aliqua animalia, ſine nuptijs, ſine coitu, ſine mare, ſine femine, abſque virtute aduentitiâ in corpus generantis & parientis transfuſâ aut communicatâ. Sic multiplicari feruntur ex piſcibus qui dicuntur rubelliones & channæ: hos propterea feminas eſſe volunt omnes. Libentiùs putarem eſſe indiſtincti ſexus, ex ſeſe plantarum more propagantes, licet Ariſtoteles dixerit feminas, cuius ſententiam de hac geniturâ non grauabor tranſſcribere. *Si quod autem genus eſt*, inquit, *quod femina ſit, & marem diſtinctum non habeat, id ex ſeipſo animal generare poteſt. Quod etſi nondum fide dignâ exploratum habemus, tamen facit vt in genere piſcium dubitetur: eorum enim quos rubros ſiue rubelliones vocant, mas nullus adhuc viſus eſt, ſed feminæ omnes fœtu plenæ reperiuntur. Verùm de his nondum compertum habemus, quod fidem faciat ſatis. Quòd autem nec mas, neque femina ſit in genere quoque piſcium, eſt, vt anguilla & genus mugilum quoddam in fluuijs lutulentis. At verò in quibus ſexus maris & feminæ diſtinctus habetur, fieri non poteſt vt femina ipſa per ſe generet perfectè. Ita enim mas fruſtrà eſſet, quamobrem in ijs mas ſemper perficit generationem, hic enim ſenſualem dat animam aut per ſe aut per genituram.* Similis fœcunditatis ritus vulturibus tribuitur, de quibus Theophylactus Simocata hæc ſcribit. Multa inter aues genera. Non opus habent maſculorum copulatione ad conceptionem: ſed alia quidem, quæ ventoſa ſunt, non pariunt; vultures autem, vt ſine marium coniunctione pariant, naturæ ferunt leges. Vulturem itaque videre non eſt maſculum, ſed omnem ſexum ijs intercluſit natura feminæ: quod cùm ſciant vultures, orbitatem veriti, liberorum in conceptionem omne genus incumbit, quemadmodum Lemniades mulieres Heroum videntes appellantem claſſem. Multiplices deinde

inde nectunt vultures astutias: aduersus Notum ventum volitant. quòd si Notus non sit, ad affinem ei Eurum expandunt alas, posteà hiant, ac ita vento influente replentur, & pariunt, non oua ventosa, sed fœtus viuos. Idcircò plurimo tépore naturá opus habet vt animal perficiat: difficile namque & operosum nimis est naturæ, animali dare essentiam, & ad animalis perfectionem perducere id quod est tenuissimum. dicuntur enim vultures triennium ferre. Perdices quoque scribit Antigonus, si ad ventum à maribus stent, femellas concipere. Phœnicis regeneratio, auis virginis ad spontaneā originem remittenda est. Sed vt hoc fabulosum, ita alia satis certa non sunt.

CAPVT VIII.

De spontaneâ genesi animalium.

FRequentissima alia animalium generatio sine propagatione est, per spótaneum exortum. Quando nullo enascuntur certo, nullo conspicuo sata extrinseco progenitore, hæc sponte genita dicuntur, quasi per se nata, vt inquit Plinius, vel ex seipsis nata: quēadmodum angues & ranæ è limo, talpæ & mures è fimo, apes ex bouillo cadauere. Multiplex est ista genesis spuria. Quędam ex alijs animalibus prorumpunt non modò cadaueribus, sed viuentibus, quædam ex plantis, quædam ex mineralibus, quædam ex alijs mixtis, quædam ex elementis.

CAPVT IX.

Ex animalibus viuis sponte nascuntur alia animalia.

IN Hispaniâ, vt alibi commemoro, equa peperit mulam alio fœtu grauidā. Mures progignuntur ex muribus: implentur enim sine coitu, si salem, vt fertur, lambant. Non semel mure feminâ recisâ fœtus pręgnantes inuenti. De parte Persicæ terræ id testatur Aristoteles. Humano in sanguine, arbitro Plinio, animalia nascuntur exesura corpus. Sub initium Marsici belli ancilla peperit serpentem. Gigni ranas, vermes, & alia monstra in muliebri vtero, etiam Aristoteles scribit. Andreas Laurentius adijcit talpas, Porta rubetas & lacertos. Viperæ adhuc ex humano corpore natæ. Lumbricos per aluum egeri, frequentissimum. Egregiè Quintus Serenus & cecinit, & fleuit:

Quid non aduersus miseris mortalibus addit
Natura? Interno cùm viscere tinea serpens
Et lumbricus edax viuant inimica creanti,
Quod genus assiduo laniat præcordia morsu;
Sæpè etiam scandens oppletis faucibus hæret,
Obsessasq; vias vitæ concludit anhelæ.

Fœtidum animal in Indiâ non aliud excrementum emittit quàm colubros. Vermes in intestinis equorum & ouium, in linguâ canis gignuntur, & in capite cerui: qui si ad ætatem grandæuam veniat, osse capitis sub oculo terebrato, vespas progignit. Alij malunt ex medullâ prodire volantes. Aliquando concreuerunt è naribus cerui. Alia posteà dabimus.

CAPVT X.

Ex animalibus mortuis alia animalia renascuntur.

EX humanâ cadaueris medullâ serpens progignitur. Enascútur quoque ex mortuis hominibus serpentes, anguillæ, muscæ, mures. Transscribam de hoc historiam ex nonnullis Scriptoribus, Guagnino, Munstero, Ianitio, Fortunio, Liceto, in eius fidem conspirantibus. Pompilium seu Popelum Poloniæ Regem, in omni exercitatione dicere solitum, Vtinam me mures vorarent! Filium habuisse qui Pompilius secundus appellatus, relictus post patris obitum in ætate puerili, patruis eius regnum administrãtibus, adultus factus vxorem duxit. Tunc illum conuiuia celebrantem, mero madentem, sertis coronatum, vnguentis delibutum, crapulâ & luxu resolutum inuadunt mures de cadaueribus patruorum, quos ipse & vxor eius Regina veneno interfecerant, ingenti magnitudine egressi, & in conuiuantem tyrannum, consortem eius, & filios rabidis morsibus insiliunt militum catervâ nequaquam abigente, quoniam humano suffragio fatigato mures infatigati perseuerabant die noctuque. Extruũtur ardentes foci, & in medio eorum locatur Pompilius, coniux, & filij: illuc autem & mures per flammas transeuntes, parricidam rodere non cessabant. Ad aliud tandem elementum ventum est: in nauibus adducitur occisor patruorũ Pompilius cum suis in stagni altitudinem; mures tamen incessanter secuti abductos & naues rodebant, in tantum vt aqua perforatis rimis ingressa, submersionem minaretur. Ideò nautæ timentes præfocationem, ab aquis deduxerunt nauem in litus, vnde alia caterua murium occurrens, iuncta prioribus acriùs infestabat. His visis defensores, diuinam vltionem cognoscentes, omnes fugerunt. Pompilius autem protectoribus nudatus, recepit se in turrim altiorem in Grusuicza, vbi mures rapido cursu ascendentes consumpserunt & vorauerunt duos filios, vxorem & facinorosum Pompilium. Hactenus Licetus. Bruchi quoque oriuntur ex hominum morticinijs,

ticinijs, ex cadauere equi crabrones & vespę, locustæ ex mulo, apes ex tauro, fuci & scarabæi ex asino; bufones ex anate; ex cancri exanimati & in sicco sepulti corpore fit scorpio: ex apuarum cadaueribus aliæ exoriuntur apuæ. Similiter ex quodam formicarum Indicarum genere vermiculi nascuntur, mox in formicas facessentes prioribus similes. Renasci verno tempore ranas ex mortuis, pridem Auctores aliqui affirmant. Muscæ quoque humore exanimatæ, si cinere condantur, scribit Plinius recuperare vitā. Apes non vno modo reuiuiscunt; extinctæ oleo rursus fuso aceto reciperant animā: vtcumque mortuæ, si intra tectum hieme seruentur, deinde verno torreantur, Sole & cinere ficulneo toto ferueantur die, reuiuiscunt, iuxta Plinium.

CAPVT XI.

Ex plantis animalia.

SCoticæ aues ex arborum frondibus in aquas delapsis emergunt. Apes sponte proueniunt ex floribus cerinthi, arundinis, oleæ. Teredines fiunt ex larice, bombyces ex mori folijs. Pisces quoque in Iuuerne fluuio ex frondibus arborum erumpunt. Mures nascuntur ex arundine, anguillæ ex algâ, vermes ex fungis & tuberibus. Ex lignis corruptis mytuli enascuntur, blattæ ex marcescentibus plantis. Tabanos ex lignis nasci, scribit Aristoteles. Ex ocymo multis modis scorpio fit: fiunt vermes, fiunt pediculi.

BLANTA.



CAPVT XII.

De blantis.

BLantarum auium generatio mirifica est: eius narrationem ex Turnero exhibeo. Prior anser à nostris, hodie blanta & bernicla vocatur, & ferè ansere minor est, pectore aliquousque nigro, cetero cinereo anserum ferorum more, volat, strepit, paludes frequentat, & segetes depopulatur. Caro huius paullò insuauior est, & diuitibus minùs appetita. Nidum berniclæ aut ouum nemo vidit. nec mirum, cùm sine parentis operâ berniclæ ad hunc modū spontaneam habeant generationem. Cùm ad certum tempus malus nauis in mari computruit, aut tabulæ, aut antennæ abiegnę, inde in principio veluti fungi erumpunt, in quibus temporis progressu manifestas auium figuras cernere licebit, deinde plumâ vestitas, postremò viuas & volantes. Hoc ne cui fabulosum esse videatur, præter commune omniū gentium littoralium, Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ testimonium. Gyraldus, qui multò felicius quàm pro suo tempore Hiberniæ historiam conscripsit, non aliam esse berniclarum generationem testatur. Sed cùm vulgo non satis tutum videretur fidere, & Gyraldo ob rei rationem non satis crederem, dum hæc quæ nunc scribo meditarer, virum quemdam, cuius mihi perfectissima integritas fidem merebatur, professione Theologū, natione Hibernum, nomine Octauianum, consului, num Gyraldum hac in re fide dignum censeret: qui per ipsum iurans, quod profiteba-

tur Euangelium, respondit verissimum esse, quod de generatione huius auis Gyraldus tradidit, seq; rudes adhuc aues oculis vidisse, & manibus tractasse, breuique, si Londini mensem vnum aut alterum manere contingeret, aliquot rudes auiculas mihi aduectas curaturum. Berniclas igitur siue brantas ex putridis nauium malis fungorũ more nasci, minimè fabulosum esse, doctorum & honestorum virorum oculata fides mihi persuasit. In VValliâ, quæ pars est Angliæ versus Hiberniã & Scotiã, aues istæ adhuc rudes & implumes in littore, sed non sine formâ certâ & propriâ auis, passim inueniuntur. Alexander autem ab Alexandro ex Iunio Dentato Parthenopœo refert, in penitissimis oris Britanniæ, sinu intimo, vbi æstus effusi Oceani secundi & reciproci ad Lunæ augmenta, & damna ac frequentes fluxus maris & refluxus haud secus quàm tempestates statis vicibus littora infestant, sæpè malos, & nauium carinas, vetustate tabescentes, ad littora expositas, & diutinâ aquâ madefactas, quosdam veluti fungos breui pediculo iuxta aquas gignere, paulatimque adolescere inter fluctus, elapsisque certis diebus etiam moueri, sed tamen à trunco minimè diuelli. Interiecto deinde tempore, velut ad iustam magnitudinem peruenerint (mirum dictu) tradit quod omnem superat fidem, fungos eiusmodi ita genitos ab eo trunco sponte auelli, mox alis emissis, & penniculis enatis euolare, & marinas aues existere, vescique pisciculis littoralibus, perque maria passim enatare. pariterque apud incolas mirum non haberi, sed quia passim id euenire soleat, quotidiano vsu miraculum esse desinere. Nec supprimendus est Hector Boëtius, cuius ista est narratio. *Præstat iam*, inquit, *de anseribus, quos vulgò perperàm in arboribus nasci in Insulis Hibridibus credunt, ea quæ huius rei cognoscendæ multo iam tempore studiosi, re diligenter exploratâ perspectaq; cognouimus, disserere. Mari enim illis interiecto, mihi magis eorum procreandi vis quædam inesse videtur, quàm alicui alij vi: varijs enim modis, verùm in mari semper, prouenire conspeximus. Etenim si id lignum in mare proijcias, temporis tractu primùm in eo vermes excauato ligno nascuntur; qui sensim enato capite pedibusq; atque alis, plumas postremò edunt; demum anseribus magnitudine æquales, cùm ad iustam peruenerint quantitatem, cælum petunt reliquarum auium more, remigio alarum per aëra delati, id quod luce clariùs anno à partu Virginis millesimo quadringentesimo nonagesimo pluribus spectantibus in Buchananiâ visum est. Nam cùm in eam ad Pethslege castellum fluctibus huiuscemodi lignum quoddam ingens delatum esset, rei nouitatem, qui primi conspexerant, admirantibus, ad loci illius Dominum accurrentes, rem nouam nuntiant. Is adueniens, trabem serrâ diuidi iubet: quo facto, ingens cõfestim apparet multitudo, partim vermiũ, alijs adhuc rudibus, alijs quædam membra formata habentibus, partim etiam formatarum perfectè auium, inter quas quædam plumas habebant, aliæ implumes erant. Itaque in miraculo stupentes, iubente Domino in templum D. Andreæ Teræ (aliàs Tyræ, & meliùs, id pago cuidam est nomen) lignum comportant, vbi & hodie manet, vndique sicut erat à vermibus perforatum. Huius simile duobus subinde annis in Taum æstu appulsum ad Bruthe castellum multis accurrentibus ostensum est. Nec diuersum est, quod exinde duobus rursum annis Lethe portu Edimburgensi vniuersum populum spectare contigit. Ingens enim nauis, cui insigne ac nomen Christophori erat, vbi tres perpetuos annos ad vnam Hibridum in anchoris constitisset, huc reducta, atque in terram subducta, plena omnia exesis trabibus, quà mari semper mersa fuerat, vermium huiuscemodi rudium partim aut perfectam nondum auis formam habentium, partim iam absolutorum ostendit. Ceterùm cauillari id quispiam possit, arborum truncis ac ramis illis in insulis natarum virtutem hanc inesse, Christophorum quoque illam ex trabibus Nebridianis contextam asserens. Itaque quod ipse quoque abhinc septem annis vidi, haud grauabor in medium adducere. Alexander Gallouidianus Kilkendensis Ecclesiæ Pastor, vir præter insignem probitatem rerum admirandarum studio incomparabili, cùm extractâ algâ marinâ inter caulem & ramos à radice statim pariter, & vsque ad cacumen enatos, quà coniunguntur, conchas adnatas videret; rei nouitate attonitus, mox cognoscendi cupidus eas aperit, vbi magis multò quàm anteà obstupefactus constitit; non enim piscem in testis conclusum comperit, sed (dictu mirabile) auem, ac pro illius magnitudine testas quoque inauctas. Quibus enim paruæ inerant, & ipsæ quoque apertæ, eas pro quantitate complectebantur. Itaque ad me extemplò, quem eiusmodi rerum cognoscendarum iam olim magnâ cupiditate detentum nouerat, celeriter accurrit, remq; omnem monstrat, non magis rei miraculo obstupefacto, quàm re tantâ ac tam inauditâ conspectâ læto: hac enim re satis constare arbitror, non hæc procreandarum auium semina, aut truncis, aut arborum inesse fructibus, sed ipsi Oceano, quem Maro & Homerus patrem rerum appellauit. Verùm quoniam id fieri videbant, cadentibus in aquam arborum ad litus positarum pomis, vt temporis tractu ex illis eæ apparent volucres, in eam sententiam abducti sunt, vt poma illa in ipsas alites commutari opinarentur. Sed falsò: nam tempore adnatis exui maris primùm vermibus,*

atque ijs sensim excrescentibus, vicissimq́; pomis illis ex humiditate corruptis disparentibusq́;, non satis accuratè prospicientibus ex illis in has transmutari formas visæ sunt. Hactenus ille. Plura nos alibi collegimus.

CAPVT XIII.

In mineralibus animalia.

DEscendo ad subterranea. Bufones & serpentes in solidissimorum lapidum meditullio inuenti. Fertur in Anconitano littore ac mari compertos esse lapides omni ex parte integros ac solidos, in quorum medio pisces latebant, quorum egressûs ingressúsve nullum vestigium fuit aut potuit esse. Disiectis tamen lapidibus illis, erumpunt ad hominum esum percommodi. Igitur pisces vixisse ibi, & adoleuisse putantur innato lapidis humore ac frigore. Fulgosius scribit de ingenti bufone in medio saxo inuento in Athonis arce Verdunensis agri: nam in saxo, quod, vt eo vterentur, ædificantes medium secuerunt, nulla ingressûs ad respirandum alimentaque accipienda signa apparebant, animalque illud tamen in eo vixerat, quod à multis perspectum fuit. Culicum quoddam genus Strabo scribit nasci ex flumine & bracteâ metallorum.

CAPVT XIV.

Ex varijs rebus animalia genita.

SErpentes ex capillis muliebribus, iubis equinis, & ex ouis ibidum exoriuntur. Ex cerâ vetustâ acar generatur. In Dariene insulâ ex sudore Indorum bufones nati, scarabæi, & mures ex fimo bubulo. In lignis & lanis multa animalcula gigni solita. Laneæ vestes, textæ ex vellere ouium à lupo occisarum, pediculos præsertim procreant.

CAPVT XV.

Ex elementis animalia.

E Terrâ seu potiùs è limo formatur ostracoderma, vrticæ, purpurę, lepades, pectines, holothuria, buccinę, testata omnia, pisces apuæ, mugiles, cyprini, lumbrici, serpentes, anguillæ, mures, ranæ. Ouidianum est:

Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus. ——

Effodiuntur è terrâ pisces gratissimi nõnulli. Musculi iam parte corporis viuentes, nouissimâ tamen effigie adhuc terrenâ reperiuntur in Ægypto.

Sic vbi deseruit madidus septemfluus agros
Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alueo,
Aethereoq́; recens exarsit sidere limus,
Plurima cultores versis animalia glebis
Inueniunt, & in his quædam modò cœpta per ipsum
Nascendi spatiũ, quædam imperfecta suisq́;
Trunca vident humeris, & eodẽ corpore sæpè
Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus.

Tipulæ, salamandræ, ranæ ex aquâ generantur. Licet non ab aëre & igne, in aëre tamen & igne concreantur aliqua. Corrupto aëre coturnices gigni, Olympiodenus prodit. Erucæ è rore generantur, item & papiliones & pisces: nec semel tantùm per pluêre pisciculi. Scaliger & Olaus mira de lemmer narrant. Huius sententia hæc est. Non solùm, inquit, in Nortuegiâ, verùm etiam in Hislingiâ, & in multis alijs prouincijs Diœcesis Vpsalẽsis, quædam bestiolæ quadrupedes, lemnar aut lenius appellatæ, magnitudine muris, pelle variegatâ, cum imbre de cælo cadunt, & vnde veniant adhuc est incompertum, an abinsulis propinquis, an à remotis ibi à ventis delatæ, an potiùs in nubibus natæ sint: hoc tamen compertum est, eas statim ad terram delapsas dissectas, inuentas fuisse habentes in stomacho herbas crudas nondũ digestas. Hæ cadentes locustarum instar in maximâ copiâ vniuersam destruunt stirpium viriditatem, inficiuntque quidquid ore contingunt, viuuntque vsque dum gustant herbam renascentem, & simul eunt hirundinum volantium more, sed statuto tempore moriuntur magnâ multitudine, maiori terræ infectione, & maximâ aëris contagione, qui pestilens fit. Vnde homines vertigine ac ictericiâ corripiuntur.

Quo pacto aliqua nascantur in igne, suprà examinauimus. Plures Auctores contestantur. Aristoteles, In Cypro, inquit, ærarijs fornacibus chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur. Bestiolę in medio igne nascuntur pennatæ, paullò muscis grandibus maiores, quæ per ignem saliant atque ambulent. Emoritur hoc genus, cùm ab igne dimotum est. Aristoteli assentitur Diogenes Laërtius in Vitâ Pyrrhonis Heliensis, testatus, animalium alia absque coitu gigni, vt sunt quæ in igne viuunt, quæ πυῤῥίβια vocantur. Plinius etiam Aristoteli subscribens, eamdem sententiam protulit dicens: Gignit aliqua, & contrarium naturæ elementum, siquidem in Cypri ærarijs fornacibus ex medio igni maioris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes, appellatur *pyralis*, à quibusdam *pyrausta*. Quamdiu est in igne, viuit; cùm euasit, longiore paullò volatu emoritur. Seneca itidem, Ignis, ait, qui omnia consumit, quædam etiam creat: & quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est, animalia igne generantur. Agricola quoque idem placitũ recipiens, Ignis, inquit,

cùm nactus fuerit materiam ad id aptam, gignit bestiolas quæ apparent in ardentibus fornacibus volitare. Deinde verò Solinus, Minima etiam fuerit,inquit,auicula illa,cui nomen carystia,quæ in Cretâ insulâ viuit,ac etiam impunè in flammas inuolat.Hæc collegit Licetus. Montanas terendas in niue generari,Strabo &Theophanes scribunt: animalia quædam paruula lumbricis, & hirtos rubrosq; vermes, Aristoteles,Plinius,Olaus, & Agricola contestantur. In niue recenti candescunt hi vermes, in vetustâ rubent.

CAPVT XVI.

De generatione per diuisionem.

Restant alij ritus multiplicandi animalia. Auulsione siue dissectione gignuntur aliqua,quorum animæ ad subiecti partitionem scinduntur, vt lumbrici, lauertulæ. Contigit ex vno diuiso fieri multa,quemadmodum ex vnâ arbore decisis ramis multæ possunt propagari, ex vnâ vite multæ fiunt.

CAPVT XVII.

De generatione per fauaginem.

Distinctam animalium generationem fauaginem censuere nonnulli. Dicuntur generari fauo adnascentia quædam. Accidit enim oriri sine semine stirpes,speciatim cæpe,& inter animalia mytuli,buccinę,purpuræ, quæ minores iuxta principium adnascuntur. Hanc genesim & nostram sententiam ex Aristotele conspicua habemus. Purpuræ verno tempore eumdem in locum sese colligentes condunt, quam fauaginem nominant, quæ velut fauus est apum, verùm non ita elegans, sed quasi è putaminibus cicerum alborum multa inter se composita, struem vnam suâ cohæsione coagmentarint. Nullum ijs patet foramen,neque ex ijs purpuræ enascuntur, sed cùm purpuræ tum etiam reliqua testis inclusa, è limo ferè & materiâ putrescente oriuntur. Illa verò coagmentatio fauo similis tamquam purgamentum tam ijs quàm buccinis euenit:nam buccinis quoque fauificare in more est. Itaque ne ea quidem,quæ ex testaceis fauos saliuant, alio modo quàm cetera testis inclusa generantur, verùm meliùs atque vberiùs quoties præsunt quæ eiusdem sunt generis: emittunt enim, cùm suos ordiuntur fauos, mucorem quemdá, ex quo putamineæ cellulæ illæ consistunt. Hæc ergo rupta diffusaque omnia humorem,quem continebant, in terram dimittunt. Mox eo quo effuderint loco, gignuntur purpurulæ exordio admodum exiguo consistentes, quas sibi annexas gerunt, quæ grandes capiuntur. Nonnullæ etiam formâ nondum distinctâ cernuntur, si forte priùs quàm repererint capiatur. Fœtus interdum per crates & tegetes non qualibet elidunt,sed congregatæ eodem, vt facere in mari solent. Itaque per angustiam veluti vuæ specie fœtus conformatur.

CAPVT XVIII.

De generatione per degenerationem.

Alius generationis ritus per degenerationem,cùm scilicet animal non generat sui simile, sed alterâ deteriorem speciem. Hoc solemne esse aliquibus, Aristoteles obseruauit in apibus & pediculis,quarum illæ fucos, isti lendes generant. Philosophicè admonuit Licetus, sponte genitorum maxima cùm sit latitudo, alia quidem adeò imperfecta esse, vt nihil omnino generent ex se. Huiusmodi censeas culices vinarios, & aliorum generum, vermesque vilissimos, ac potissimùm in ventre puellorum exortos. Plinius addebat salamandram, sed Dalechampius in Plinianis adnotationibus eam grauidam dissecuisse testatur. Alia verò animalia sponte nata his paullò perfectiora generant quidem, sed tamen procreant viuens non suæ speciei,vt muscæ,quę vermiculos procreant, numquam adolescentes in muscas; & pediculi, qui lendes gignunt in pediculos non euadentes, vt docuit Aristoteles, à quo Plinius, vt alia multa, hoc quoque dogma suscepit. Alia demum inter sponte genita summum perfectionis gradû attingentia prolem sibi consimilem in specie generāt, vt mures: hi autem sponte orti, ob suæ naturæ imperfectionem fœtus imperfectos edunt, eosque sobolis adhuc imperfectioris genitores, adeò vt sensim fatiscente vi generatiuâ perennem indiuiduorum generationē, ac speciei æternitatem continuatam non habeant, sed in tertiâ vel quartâ generatione deficiant. Differunt autem hæc non essentiali, sed accidentariâ imperfectione, maiori ac minori, in eadem specie. Sic Aristoteles aliquando, reges apũ & reges alios gignere, & apes hasque fucos infecundos procreare statuit. Sunt autem fuci apibus imperfectiores, apes Regibus qui possunt sponte prouenire.

CAPVT XIX.

De generatione zoophytorum seu plant-animalium.

Zoophyta Græcè, Latinè dici possunt plant-animalia. Sunt ea quæ naturam ancipitem sortiuntur inter plantas & animalia,

malia, vitam nacta mediam, per extremorum participationé, hebeti aliquo sensu donata. Præterea plantarum ritus colunt, adhæsione contenta. Horũ plant-animalium genitura erat indicanda; licet ad spontaneam spectare putem, & sponte natorum leges seruare. Sunt autem zoophyta, spongia, vrticæ marinæ, quæ edules sunt, & carunculæ illæ molles, & rubentes, quas quidam cum Plinio cruorem dicunt: tum etiã quas glandulas Athenæus appellauit. Muliebrem molam adijcit Fortunius, quę plantarum instar immobilis adhæret vtero, & animalium more carnea moles est, obtusum licet sensum, tamen aliquem obtinés zoophytorum proprium. Nec Plinio damus, molem istam esse inanimem: caro nulla inanimis est Aristoteleo monitu, sed anima cùm vegetali tum sensuali poller, præsertim caro quæ alatur & augeatur, vt mola. Imperatus adiungit inter zoophyta velam marinam appellatam. Dandinus ostrea, conchyliaque omnia. Non omnibus probatur: nam vela marina, ostreum & conchyle multiplex, nulli semper corpori aut corpori firmo adhærent vt planta; ab omni sede stabili plerumque absoluta, per se in mari vagantur animalium more, vt monet Aristoteles, & docet experientia, licet motu indeterminato. Ipsemet Imperatus paullò pòst, ceu veritate coactus, velam marinam inter animalia censet: & verè animal est infimi gradus vela marina, ostreum & conchyle, habetque motũ progressiuum imperfectũ & indeterminatum, non autem determinatum & perfectum, vt obseruat Aristoteles. Nec defuère, qui plantam agniferam, de quâ superiùs, & in nostrâ prolusione agimus, in zoophytis censuere, & carnem dubh animalis Lybici, quod est simile tarantulæ. Hoc post tres dies interfectum, igni admotum moueri, perinde ac si tunc recens iugulatum fuisset, scribit Ioannes Leo. Zoophyta ex igni siue in igni generari, non considerate dixit Empyricus.

CAPVT XX.

De generatione basilisci.

NVnc inquiramus, an aliqua sit generatio anomala, qualis basilisci fertur, de quâ opportunè agemus. Etenim non ineruditi asserunt, ex decrepiti galli ouo pestilens illud monstrum excludi. Christophorus Encelius in tertio Operis de Re metallicâ Libro addit, basiliscos etiam siluest res ex siluestrium quoque gallorum nasci ouis. *Hæ* (inquit in quarto supra quinquagesimum capite) *species gallinarum siluestrium, quæ à corylis & vitibus nomen habent, item quæ ab agris requiescentibus nomen inuenère in Marchiâ, coloris cyanei, optimi saporis, boni chymi, coëunt ore circa Aequinoctium vernum, osculatione factâ, vt solent columbæ. Gallus enim istarum specierum rostrum inserit in os femellæ, & ita sperma infundit more viperarum in femellam. Hinc credibile est, quod ferunt aucupes & venatores, gallos de siluestribus gallinis, quæ à corylis nomen inuenère (quas aliàs, nescio an benè, bonasas vocant) senio confectos oua more femellæ ponere, quæ excludant bufones, & ex illis nasci basiliscos siluestres; sicut ex ouo galli gallinacei domestici post nouem annos excluditur basiliscus per rubetam domesticus: id quod testatur experientia. Sunt enim isti serpentes verè basilisci siluestres descriptione Nicandri, qui basiliscum siluestrem describit. Neque est genus per se, & rarißimè reperitur. In Marchiâ, & in ditione Abbatis Zinnensis, propè vrbem Luckenvvaldã, contigit mihi videre talem serpentem, interfectum à pastore. Et profectò magna in siluis ibi est copia talium gallinarum. Serpens erat capitis acuminati, flaui coloris, & fermè crocei, longitudine ad tres palmos & vltra, immensæ craßitudinis: cauda turbinata in latus, multis notis candidis aluo insignitus, tergore tendente ad colorem cyaneũ, oris immensi pro proportione corporis. Pastor qui eum interfecerat acuminatâ securi, narrabat mihi, illum vesci ranis, serpentibus, & omnium generum animantibus, præter bonasis, vt de quarum prosapiâ sit genitus. Habitationem eius esse ad paludes, præcipuè vbi coryli sint: mirum in modum delectari lacte, propterea interficere eum vaccas venenato ictu, & propterea ipsum quoque eò magis peti à pastoribus, & interfici. Retulit idem mihi pastor, eius vocem esse veluti anseris defendentis pullos, & hanc vocem Nicander vocat iygen.* Hæc ille: in Nicandro tamen non reperiuntur quæ citat, neque cetera quæ hîc asserit maiorem fidem merebuntur; alioqui non ineptè philosophatur. Alij eruditi Scriptores sine mentione gallinaceæ sobolis, testantur, etiam in Saxoniâ basilisci quoddam genus siluestre passim conspici, capite acuminato, colore flauo, longitudine dodrantali, hoc est triũ palmorum, inusitatâ crassitudine, ventre maculoso, multisque candidis punctis insignito, tergo cæruleo, caudâ turbinatâ atque incuruâ, hiatu rictuque oris pro corporis proportione immenso. Qui serpentes an inter basiliscos referri debeant, non ausim certò pronuntiare; neque enim impunè se illis opponerent agricolæ, qui intrepidè fustibus ac tridenti vel furcâ illos adoriuntur, nulloque percepto incommodo, aut halitûs contagione, conficiunt. Est fortè aliqua basilisci species, sed quæ non tam exitiali ac pestifero veneno im-

imbuta sit, quàm qui in Africâ torridisque regionibus nidulantur ac stabulant.

Dicam nunc aliqua, quæ faciunt pro domestici basilisci prodigioso ortu ex senescentis galli ouo. In primis Cardanus id putauit, qui ait: *Circulator quidam serpentem habebat inuentum in maceriis domus dirutæ Mediolani. Caput oui magnitudine, ac pro corporis ratione prægrande. Os ex illo mihi retinui. Dentes in vtraque mandibulâ, vt viperis: corpore stellionis magnitudine, & formâ simili; sed pedes tantùm duo, cruraq; breuia, vt constet non satis commodè à naturâ fabricatum, cùm tantæ longitudini quatuor pedes fuissent necessarij: sed tamen grandes erant, & vngulis magnis, vt felium. Cauda totius animalis longitudinem æquabat: in cuius extremo tuber capiti Italici stellionis magnitudine æquale, ac quasi rotundum aderat. Crediderim ego hunc è basilisci genere fuisse. Nam cùm staret, gallo similis videri potuit, nisi quòd corio, non plumis tectus esset, careretq; alis.* Deinde Carolus Sigonius & Iulius Scaliger testantur, Leone IV. Pontifice Maximo Romæ iuxta ædem S. Luciæ sub fornice stabulatum basiliscum, dirum serpentis genus, cuius afflatu magnâ lue affecta Roma fuerit, eumque illius Pontificis precibus extinctum. Hunc basiliscum non ex Africâ conuolasse, sed Romæ genitum, dicendum videtur. Faciunt quoque pro eadem re quæ Leuinus ait: *Vbi decrepitus* gallus *esse incipit, ac senectute confici, quod nonnullis septimo, nono, aut ad summum decimo quarto euenit, pro virium robore vel imbecillitate, aut etiam concumbendi assuetudine, quâ nulli non animantium naturæ vis deijcitur atque eneruatur, ouum profert æstiuis mensibus, ac caniculæ sideris exortu, ex putrefacto, opinor, seminis excremento, aut humorum colluuie conflatum, formâ non oblongâ vel ouali, vt gallinis assolet, sed rotundâ atque orbiculatâ, colore modò luteo, buxeo, flauescenti, versicolore, lurido, ex quo produci basiliscũ, Latinè regulum, nonnulli opinantur, venenatam bestiam, sesquipedali magnitudine, triplici frontis apice tamquã Regio diademate insignitam, erecto infestoq; corpore, atque oculis vibrantibus, quibus obuios halitus cõtagione conficit. Vulgus in totâ Europâ eâ opinione est imbutum, vt ex hoc ouo basiliscum prodire statuat, si quando à rubetâ seu bufone fotum sit: quod an fabulosum & commentitium, non ausim certò pronuntiare; hoc tamen experientiâ comprobatum habeo, gallum incubatu idipsum perficere. Ita nostrâ memoriâ in ciuitate Ziriz æa, atque insulæ huius ambitu duo annosi galli ægrè etiam fustibus abacti, ab oui incubatione abigi depelliq; potuerunt: ita, quoniam ciues eam persuasionẽ concepissent, ex huiusmodi ouo basiliscum emergere, ouum conterere, ac gallum strangulare visum est. Quòd autẽ gallus ouum concipiat, suoq; tempore, hoc est, vndeuigesimo die ruptâ testâ excludat, inquisitione dignum.* Auctor de Naturâ rerum clarè testatur. Basiliscus interdum ex gallo nascitur, quia gallus in ætate decrepitâ facit ouum ex se, vnde basiliscus procreatur. Sed in generatione hac oportet vt multa concurrant. In fimo namque calido & multo ponit ouũ, ibique fouetur vice patris, & post multum temporis exit pullus, & inualescit, sicut solent anatum pulli. Habet autem caudam vt coluber, residuum verò corpus vt gallus. Dicunt autem hi qui creationem eius se vidisse testantur, quòd nulla sit oui testa, sed validissima pellis, in tantum vt resistere possit ictibus validissimis. Opinio quoque quorumdam est, quòd ouum illud galli coluber aut bufo foueat; sed hoc incertum est. Hoc tamen in antiquorum scriptis habemus, quòd basilisci quoddã genus sit, quod ex ouo galli decrepiti generetur. Videtur fauere Isaias c. 59, 5. vbi ait: *Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.*

Ego tamen in nullo classico antiquitatis Auctore hanc basilisci genesim comprobatam, sed nec commemoratam inuenio. Quare quæ prisci mirabilia, veriora tamen, de hac peste prodiderunt, miris vulgus ampliauit & superauit commentis. Fundamentum aliquod fuit ad hanc fabellam de progenie reguli ex galli ouo, tum quòd Hermes dixerit, basiliscum generari in vtero siue fimo, quod non intellexit de vero basilisco, sed de elixir chimico, quo metalla conuertantur. tum etiam quòd aliquando visi senes galli ouis incubare, & ex putrefactis ouis pestilens aliquod venenatum edi. Fieri enim potest, cùm galli à concumbendi vsu desuescunt, excrementum intus cohibitũ coagulari in ouum, conglobatâ intus putri concretione, atque inde vermis aut aliud animalculum pestilens generari, quemadmodum vermes, bufones, & alij angues in corporibus humanis reperti sunt ex pestilentibus humoribus geniti; hic tamen fœtus non est verus regulus: verus enim basiliscus serpens Africanus est virulentissimus, quem sic Greuinus describit: *Serpens est longitudine trium palmorum, corpore flauo, capite acuto, in quo tres habet eminentias maculis subalbidis insignitas, ad diadematis formam, ob quam etiam causam Rex serpentum fuit dictus. Cùm progreditur, anteriorem corporis partem in altum attollit, & erectus incedit, & in eundo posteriore tantùm parte adiuuatur. Quã ob causam Aegyptij in Hieroglyphicis, cùm æternitatem denotare vellent, basiliscum in columnâ, eleua-*

to extremè capite, collocare consueuerant. Tantâ prætereà veneni vi pollet, vt mortuum etiam, bestiæ, aut auiculæ, vbi fœdum cadaueris odorem perceperunt, attingere non audeant. Quòd si fortè aliquid de eo comederint, subitò moriuntur: imò idem contingit (quemadmodum aliqui litteris mandarunt) si de corpore, quod ex ipsius morsu perijt, aliquid aßumant. Aërem prætereà circumuicinum ita inficit (si quidem vera sunt quæ de eo scribuntur) vt inde & arbores & herbæ emoriantur: tam perniciosus est & pestifer. Refert Solinus, Pergamenses magnam pecuniæ summam pro basilisci cadauere numerasse, quod de summâ Apollinis templi parte suspenderunt, ne vel aues vel araneæ eò appropinquare possent. Scribunt quidam eum sibilo solo animantia interficere. Hinc Ægyptij in Hieroglyphicis eum depingere solebant, vt maledicum significarent. Quemadmodum enim basiliscus solo sibilo, ita maledicus solâ voce interimit. quam ob causam Lucanus ita scripsit:

Sibilaq; effundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens, latè sibi submouet omne
Vulgus, & in vacuâ regnat basiliscus arenâ.

Aliqui porrò è Scriptoribus non contenti scripsisse basiliscum solo oculorum radio interimere, paulò vlteriùs sunt progressi, & affirmarunt, si quis eum baculo tantùm contrectet, veneni vim tam subitò, ita vt visum quoque effugiat, secundùm longitudinem ad manum vsque delabi, vt statim eam corrumpat & putrefaciat. Hinc Lucanus scripsit:

Quid prodest miseri basiliscus cuspide Mauri
Transactus? velox currit per tela venenum,
Inuaditq; manum. ———

Scribunt nonnulli, si equum basiliscus attingat, non equum mori tantùm, sed & eum qui insidet, atque id tam facilè à basilisco fieri posse, quàm manuum & brachiorum torpor à torpedine induci. Atqui sagax natura, ne eiusmodi pestem absque capitali inimico relinqueret, mustelam creauit, quæ tantâ vi aduersus basiliscum pollet, quantâ ipse contra homines. Quod verò consentaneum esse potest: experientiâ quippe constat, leonem, quamuis vnus ex omni animantium genere maximè sit audax & furiosus, timere tamen sibi à gallo, qui tamen respectu illius imbecillis prorsus est, & resistere minimè potest. Ælianus addit, cantu gallorum exanimari basiliscos. At Ferdinandus Ponzetus basiliscum connumerat inter serpentes surdos, quia priuantur auditu. *Nam aër*, inquit, *qui subseruit virtuti auditiuæ, resoluitur ab intensâ eius caliditate.* Sed hanc rationem non satis probo. Belluacensis prodit, vbicumque cinis eius fuerit delinitus, nec araneas posse intexere, nec venenifera quælibet attrectare. Dicitur quoque, argentũ eius cinere delinitum, imitari colorem aureum. Multa figmenta inseruntur inter reguli vires & virus. Illud prorsus fabulosum, quod Iacobus Aconensis & Belluacensis scribunt, hominem si primus viderit, solo visu eum interficere, quòd radij oculorum eius spiritum hominis visibilem corrumpant, quo corrupto, ceteri quoque spiritus corrumpantur, qui à cerebro & vitâ cordis descendunt, & sic hominem mori. Serpentem verò si primus homo viderit, serpentem extingui. Quod aliqui dicunt, dependere basilisco ante oculos membranulas quasdam obstantes visui, à nullo probato Auctore video comprobatum, imò nec relatum. Ex hoc angue Africano multa imputãtur fœtui (si quis sit) ex gallinacei ouo, & ipsum nomen basilisci seu reguli, commune quidem alijs naturis: nam ex auibus, & ex piscibus, & ex plantis sunt quæ similem nomenclaturã vsurpent. In Hispaniâ nobilis est Blascorum familia, quasi Basiliscorum dicta, ob virtutem suorum gentilium, tamquam qui solo conspectu hostes prosternerent.

CAPVT XXI.

De generatione plantarum.

GEnerationes autem plantarum hæ censentur: aut sponte, aut semine, aut radice, aut auulsione, aut ramo, aut surculo, aut ipso trunco factitantur, aut etiam ligno minutatim conciso; nam eo quoq; modo planta exoritur: sed principatũ in his spontanea obtinent. Quæ verò semine radiceque fieri solent, naturales maximè inter reliquas esse apparet: nam & ipsę quoque spontaneę quodammodò sunt, & siluestrium ob id generi accommodantur. Reliquę autem hominum arte aut instituto proueniunt. Hæc Theophrastus initio secundi libri Historiæ plantarum. Cui adijcere possumus, iuxta præstitutos animalium generandorum ritus, generationem per degenerationem. Vix vlla natura minus sui generis, siue, vt propriùs dicam, speciei siue naturæ suæ tenax est, quàm vegetabilis: neque latuit ipsum Theophrastum, fortuitam mutationem fieri interdum fructuum, nonnumquam arborũ ipsarum. Exempli gratiâ, punicum acidum edere dulce, & dulce acidum. Rursus arbores ipsas, vt ex acidâ dulcis, & ex dulci acida veniat; sed deteriùs in acidam, quàm in dulcem mutari. Item ex caprifico ficum, & ex fico caprificum: sed de fico in caprificum deteriùs. Et ex oleâ oleastrum, & ex oleastro inuicem oleam, quod rarò euenit. Rursus ficum ex candidâ nigram, & ex nigrâ candidam. Pari

etiam modo & ex vite. Ergo hæc tamquam prodigia,& præter naturæ normam accidere arbitrantur. Solita verò nullo pacto in admiratione habentur, vt quod in vite, quam capniam vocant,cernitur : nam ex nigro racemo candidum,& ex candido nigrum hæc præstat. Neque enim aruspices ista interpretari solebant,quoniam ne illa quidem , quæ ratione regionis mutari solent; quemadmodum Punica in Ægypto mutantur. Sed hic ita fieri, mirum : quoniam vna tantùm, aut duæ:& hęc rarò per vniuersum tempus mutantur. Et si aliquando ita fit, in fructibus potiùs discrimen, quàm in totis arboribus percipitur: nam talis quoque rei temeritas fructibus nonnumquam contigit, vt ficus poma auersa ramulis ferat, & Punica vitisq; caudice suo fructificent. Ad hæc vitis fructum absq; folijs produxit: olea folijs amissis fructificauit. Quod & Thessalo Pisistrati filio accidisse proditum est. Ex reliquis autem plantis sisymbrium, nisi culturâ coërceatur, in mentham mutari videtur; quamobrem sæpiùs id transferre consueuerunt. Triticum in lolium transit.Sed hæc in arborum genere, si ita fit,sponte fortuitoque eueniunt: annuis autem paratu quodã & operâ contingunt, vt tipha semenque mutari in triticum solent, si pista ferantur; idque non protinus,sed anno tertio. Quod similiter ferè fit, cùm semina ratione locorum permutantur: nam ea quoque singulis in locis ac temporibus, spatioque pari ferè atque tipha mutantur.Triticum quoque siluestre & hordeum culta & mitigata , per temporis tantumdem mutantur: & hæc fieri mutatione loci culturaque videntur, nonnulla etiam vtroque modo, quædam culturâ tantùm.Vt legumina,ne incoctibilia fiant, nitro pridie macerata serere in siccâ tellure præcipiunt: lentem,vt crassescat, paxillo demittunt: cicer,vt grandescat,cum putaminibus madefactum obseritur.Temporum quoque ratione semina immutantur, vt leuiora facilioraque reddantur: vt si eruum quis vere ferat, facile gratumque exit, non graue, quemadmodum si autumno seratur. Fit & in oleribus culturæ causâ mutatio: sicut apium, si satum conculcetur, cylindroque spissetur coæqueturque, crispum inquiunt prouenire. Mutantur item,regione tellureque mutatâ, vt etiam cetera.

CAPVT XXII.

De causis cur plantæ generentur dissimiles & diuersæ.

MIris natura gestibus ludit in agris. Licenter spatiata per vegetabilia, nulli alij gradui magis infida, inconstans, & sui dissimilis. Arbores in frutices degenerant, assurgunt frutices in arborem.Multa semina mentiuntur suam originem, cùm generent dissimilia à quō sunt genita. Vix membrum idem omnibus commune,adhuc radix multis negata. Quin & eadem species non semper sibi similis est: diuersa videtur, quæ eadem est. Hoc infamauit priscos Auctores, quorum delineationes haud quadrare multis videntur, quod non ignauia aut infidelitas scriptorum est, sed inconstantia naturæ, cuius multæ sunt causæ, quas ex Maranthâ & Recco lubet narrare. Igitur mutant plantæ faciem suam, primò sui ipsius ratione,secundò ratione cæli, tertiò ratione soli,quartò ratione cultûs. Sui ipsius ratione dupliciter: Primò, Vel ratione substantiæ, quæ in cunctis plantarum partibus consideratur,vt si aliquam quandoque in plantâ partem deficere vel superaddi contingat, siue pars illa sit naturalis, seu præter naturam: naturalis quidem, vt capillamenta, quæ triboli aquatici caulibus adnascuntur, quæ nec folia,nec caules Theophrasto auctore esse videntur, sed cauli adnascentia.sic & viscum,& stelis, & hyphear, quæ non nisi in alienâ arbore nascuntur. ita & ledon cisti species,in cuius folijs pingue quoddam verno tempore contrahitur. Ad substantiam etiam gummi,lacrymæ,lac,succi,& id genus alia referri possunt; quæ quandoque sunt, aliquando cùm esse deberent deficiunt, vt mastices iuxta chamæleontis albi radices. Sic & quæ deficiunt, vt chondrillæ alterum genus, quod folia fert circumrosa, vt & othonna, & chamæleontis nigri radix, quæ interdum exesa est. Quæ præter naturam sunt, huiusmodi esse solent, vt cùm ficui scabies nascitur, ærugo oliuis, atque eadem in frugibus ex serenitatibus, flatibus Austrinis, aquâ & rore in spicis insidente,quibus ex sole feruefactis ærugo creatur: sic & cùm præter naturam aliqua deficiunt,vt in myrtho,quæ iuxta balneum sine nucleis exijt. Secundo modo planta sui ipsius ratione faciem mutat ex ætate, quæ in eius pueritiâ, adolescentiâ & senectute consistit: etsi aliqui, senectutem diuidentes in marcorem & senectutem, considerent senectutem in plantâ dupliciter,primo modo antequam planta à terrâ euellatur, secundo postquã lecta est. Nos tamen, hac subdiuisione omissâ, dicimus, plantas ætatis ratione mutare faciem, quia non eodem modo in pueritiâ,adolescentiâ & senectute erit, vt in tussilagine apparet, quæ luteum florem primâ germinatione vere emittit, quo vnà cum caule confestim exuitur. inde nonnulli his vacare existimarunt. Ex Dioscoride 3. lib.cap. proprio. Ac ex hisce Auctoribus suam de tussilagine historiam sum-

ſumpſiſſe Plinium credendum eſt, qui neque florem, neque caulem, neque ſemẽ proferre hanc plantam, tradidit. Sic & in alijs quibuſdam herbis idem Dioſcorides in ſui Operis præfatione his verbis confirmat: *Quæ cauſa etiam nonnullis ſcriptoribus impoſuit, qui herbas quaſdã, verbi gratiâ gramen, quinquefolium, & tußilaginem emittere florem, fructum & caulem negant.* & hoc non ob aliud, niſi quia non omni ætate herbas inſpexerunt. Ac propterea Dioſcorides loco præallegato hæc verba prius ſcripta reliquit: *Quare cui in animo eſt horum peritiam aſſequi, neceſſe eſt eum primâ germinatione ſolo emergentibus, adultis, & ſeneſcentibus adeſſe: nam qui pullulanti herbæ dumtaxat adſtiterit, adultam cognoſcere non poteſt; neque qui adultam tantùm inſpexerit, nuper erumpentem noſcet. Quo fit, vt propter mutatam foliorum faciem, caulium proceritates, florum ſeminisq́ magnitudinem, & id genus alias peculiares notas, nonnulli, qui olim has rerum varietates non perſpexerunt, magno in errore verſentur.* Et paulò pòſt ſubdebat: *Ergo qui ſæpiùs ad viſendas herbas, & earum natales ſe contulerit, earum cognitionem maximè conſequetur.* At ſi mutatio cæli ratione contigerit, hæc ob annorum varias conſtitutiones erit: prout enim cælum varias reddit anni conſtitutiones, annus clementior quandoque aut horridior fit, & ita plantas varias producit; aëris namque inæqualitas maximè ſpectanda eſt, vt Theophraſtus docet. Alijs enim imbres conueniunt, quibuſdam repugnant. Ita & flatus, & frigora, & calor. Ex quo fit, vt ſi his adſint, illis deſint, non paucæ varietates efficiantur. Vel enim figuram mutant, vel minores ſolito maioreſque redduntur. Non ſolùm vniuerſæ plantæ, ſed flores, frondes, radices, aliæque illarum partes, vel tempeſtiuiùs vel tardiùs proueniunt, vel etiam omnino marceſcunt. Vnde rectè in prouerbio eſt, vt Theophraſtus inquit, *Annus fructificat, & non tellus.*

CAPVT XXIII.

Quomodo diuerſæ generentur plantæ ratione ſoli.

SEd nec ſolum parum mutat ſtirpiũ vultum. Perinde vt locus varias temperaturas in primis qualitatibus ſortitur, ita multas diuerſitates in plantis procreare poteſt. At dupliciter locus intelligi poteſt, vel pro vniuerſâ regione, vel pro particulari alicuius regionis loco. Si primo ſumatur modo, quàm plurimas in plantis mutationes efficere ſolet, ita vt & ſtirpium indagatoribus, & Medicis, ac Philoſophis in earum cauſis inueſtigandis maximum faceſſerit negotium: quantum enim naturæ ob regiones varientur, ex Hippocratis de Aëre, aquis & locis libro, ac Galeni Opuſculo, cui titulus eſt, *Quòd animi mores temperaturam corporis ſequantur*, percipi facilè poteſt. Ex regione homines timidiores, vel audaciores, petulantioreſque effici videmus. In vnâ magnanimi, ac ad viriliter agendum, & ad labores quoſcumque perferendos aptiſſimi fiunt: in aliâ debiles, inertes, infirmique. In hac manſueti & mites, & in illâ feri & immanes naſcuntur. Sunt & regionum omnium venti peculiares, & aquæ: Sol etiam vel rectè reſpicit, vel obliquè, vel medio modo. Sic etiam maiorem aut minorem, aut mediocrem moram trahit, & ob hoc hominum natura, mores, colores, & corporis habitus diuerſiſſimi euadunt. Sic & ceteris animalibus, multoque magis in plantis contingere poſſe, rationi conſonum eſt, cùm hæ leui quauis ex causâ præ illis mutationem ſuſcipere aptæ ſint. Magnæ igitur ac plurimæ regionum ratione diuerſitates in plantis eſſe poſſunt: amant enim plantæ has vel illas regiones, ita vt quædam quorumdam locorum vernaculæ ſint; alię in quibuſdam naſci nullo modo poſſint, Theophraſto teſte, qui thus, myrrham, laſer, cinnamomum, & caſſiam, plagis ad Exortum Meridiemque vergentibus veluti peculiaria, minimè autem Septemtrionem verſus, prouenire recenſet. Quaſdam frigida loca amare, vt pinum, robur, abietem, taxum, caſtaneam, tiliam, & reliquas ſimiles: & ex plantis humilibus nonnullas algentia loca quærere, vt febrifugam, & abſinthium; itemque radice ſuccóve medentur, vt veratrum agitatorium, ſcammonium, & cunctas ferè quarum radix expetitur. Propterea ſubſtantiæ varietatem ex regione ſpectantes, inueniemus multas plantas omnes partes non poſſe perficere. Plinius loci vitio quædam fieri infructuoſa tradit, ſicuti cædua, quæ in Paro ſiluâ nihil fert. Perſicę arbores in Rhodo florent tantùm. Galenus in regionibus non admodum calidis palmas non perfectè maturare aſſerit. Theophraſtus verò inquit, quòd ſi quis palmam noſtratem in Babylone ſerat, loci illius domeſticis ſimilem reddi fructiferam. Quin & vitia morbique regionis ratione plantis euenire ſolent. Nam apud Tarentum (vt Theophraſtus refert) oleæ, cùm florent, quandoque penuriâ flatus ærugine infeſtantur; nonnumquam, ſitu quodam ex mari caliginoſo craſſoque floribus inſidente, odorem amittunt. Quare etſi arbores maximæ & pulcherrimæ illic ſint, fructum tamen minimum reddunt. Idque etiam manifeſtum apparet in ari ſpecie illâ, quam eruditiores Ægypticum arum appellant;

lant; quámve quamplures medicæ materiæ professores colocassiam esse autumant: quæ quamuis in Ægypto, necnon in Siciliâ omnes sui partes compleat, in Italiâ tamen & Hispaniâ neque semen, neque florem, neque caulem vmquam, vel certè rarò, proferre visa est. Idem etiam in dictamno Cretensi apparet; quod (vt Dioscorides ait) neque florem neque semen proferre deberet, in Italiâ verò florem, in Cretâ semen producere compertum est. At id mendosi codicis ratione euenisse, potiùs censendum est. Qui autem mira circa varietatem in substantiâ ex regionum naturâ scire cupit, legat quartum librum de Historiâ plantarum Theophrasti, plerisque in locis, ac præsertim cap. 5. & 9.

Nascendi tempus etiam à regione variatur, cuius rei multa leguntur exempla apud Theophrastum: inter quæ mirabile illud sanè videtur, quod in Melio contingere in frumentorum ortu asserit. Ceterùm quòd magnitudinem variare possit regio, facilè sciet is, qui fructus ex Indiâ ad nos allatos inspexerit: sunt enim nostratibus decuplo maiores. quod cùm animaduertisset Plinius, inquit: ***In Indiâ arbores tantæ proceritatis traduntur, vt sagittis superari nequeant.*** subdit deinde: *Hæc facit vbertas soli, temperies cæli, & aquarum abundantia.* Theophrastus asserit, quodam in loco Asię vltra Batra frumentum adeò grande fieri, vt oliuæ nucleos æquet. Alibi arbores in Corsicâ magnitudine amplissimâ, magnoque discrimine ceteras superare refert: & circa Memphim arborem tantæ magnitudinis esse, vt tres homines eius nequeant amplecti caudicem, idem Theophrastus asseuerat.

Qualitates etiam variari ex regione, sæpè contingit, vt odorem, colorem, saporem, & omnes alias differentias ad tactum pertinentes, vt duritiem, læuitatem, lentorem, atque his contraria mollitiem, hirsutiem, & ariditatem. Vt in Ægypto, vbi flores non sunt odorati, ob causam à Theophrasto narratam. Saporem in plantis variari ex regione, colligi potest ex Dioscoride lib. 2. vbi de brassicâ asserit, quòd in Ægypto propter amaritudinem non comedatur, quæ tamen in Hispaniâ, ac Italiâ, alijsque regionibus suauissimi est saporis. De aro loquens Galenus, inquit, ari radicem ad Cyrenem minimè esse medicamentosam, & acrem, vt rapis etiam sit vtilior, & eodem quo rapa modo mandi, in Asiâ magnâ ex parte esse acriorem, & in quibusdam regionibus ita acrem, vt ad dracontij radicem accedat. Sic de cappari, de lupino, de minori chelidonio, & de batrachio sæpè obseruatur. Color quandoque ex regione variatur. Taxus enim in Arcadiâ nascens, folio nigro est aut puniceo, vt constat ex Theophrasto; in Idâ flauo & cedro simili. Quod ad tangendi qualitates attinet, alterationes in plantis fieri, vno ore omnes affirmant: & Theophrastus alicubi frumentum adeò firmum nasci tradit, vt siquis plus comederit, disrumpatur necesse sit, & plerosque Macedonum ita interijsse. Cuius causam reddens, agri proprietatem esse asserit: nam si aliò transponatur, commutabile fieri.

At si locus secundo modo sumatur, nempe pro particulari alicuius regionis parte, duplicem adhuc habet considerationem. Nam vel ita est, vt eius ratione figuræ variatio vel magnitudinis, vel saporis consilium contingat; vel quòd alijs locis oriri plantæ inueniantur ab illis quos Dioscorides vel alij Auctores recensent, nihil immutatâ facie: vtroque enim modo deceptiones cõtingere possunt. Quædam namque loca sunt pinguia, quædã macra; quædam arida, quædam vliginosa, quędam sabulosa; quædã fertilia, quædam sterilia; suntque montes & valles, plana, promontoria, lacus, flumina, loca maritima, prærupta, culta, & harum partium particulæ, vt semitæ, limites, sepes, segetes, & id genus alia. Auctores ergo quandoque in his, aliquando in illis locis herbas oriri tradunt, ac quosdam locos quibusdam plantis peculiares esse. Id verò non perpetuò verum esse, sciendum est, sed magnâ ex parte. Cumque in loco ei minùs proprio (vt sæpè contingit) planta aliqua reperiatur, faciem adeò mutare solet, vt circa eius cognitionem dubium non contemnendum relinquatur. Singulis itaque locis suam esse in producendis plantis proprietatem, scriptum reliquit Theophrastus. Idemque alibi inquit: *Mutationes verò (vt suprà diximus) in sapore, odore & magnitudine, tam ipsarum plantarum, quàm fructuum foliorumq; fieri solet: folia enim angustiora latioraq; redduntur, & ad summa plantæ ipsæ ad hunc modum diuersæ efficiuntur. Quapropter locum vnumquodque sibi conuenientem quæritat. Conuenit autem is, in quo vigere maximè valeat. Quamobrem non omnibus solum idem aptissimum est, sed aliæ gracile macrumq; amant, aliæ arenaceum, quædam etiam sabulosum, vt brassica; ea enim quæ sicca sunt, siccum quæritant agrum; quæ humida, humidum; & sic alimentum pro suæ naturæ ratione quæq; attrahunt.*

CAPVT XXIV.

Quomodo generentur plantæ diuersæ ratione culturæ, & de erroribus descriptionum.

CEterùm & culturæ ratio magnopere immutat plantas. Dupliciter hoc accidit,nimirum cùm cui debetur cultus non adhibetur,vel econtrà. Vterque modus magnam in plantis varietatem efficit: quâ fit quòd minùs cognoscantur. Variant enim magnitudinem, tactilem qualitatem, colorem,saporem,odorem,formam:atque hanc non solùm quia ex culturâ diuersæ formæ in fructus, folia,plantas integras imprimantur, sed etiam quia quandoque vna species in aliam mutatur. Nonnumquam & substantiam ipsam variant, addendo vel diminuendo in plantâ: vt cùm ex fructiferis infructiferæ fiunt,& econtrà. Tandem obseruare oportet, in delineandis plantis duplex mutationum genus contingere posse:vnum, quod ex ipsis plantis ortum ducit, cùm hæ ob mutatam faciem cum descriptionibus non conueniunt; alterum, cùm descriptiones plantis auctorum culpâ accommodantur: propterea habito sermone de primo,restat de altero verba facere; descriptiones namque non accommodantur plantis vel ob ineptam comparationem & similitudinem,vel ob multorum signorum defectum, vel nullâ appositâ plantarum notâ, vel ob mendosum codicem: nam inter alias difficultates, quæ auctores omnes de materiâ Medicâ scribentes summopere fatigarunt, maximè ferè est plantæ delineatio. Vnde cùm alicuius plantæ notas, vt posteris cognoscendam relinquerent, describere vellent, nullâ meliori viâ id assequi potuerunt, quàm plantas plantis comparando. Quòd si ex plantis non possunt, ad animalia sæpiùs, iterumque ad multa alia confugiunt. Quare si Dioscorides Aberidem describens, eius folia lilij foliis similia dixisset, mala esset comparatio, & erroris causam præbuisset. Sic si acori folia narcisci folijs similia fecisset, & athamantici folia ferulæ folijs comparasset. Pariter si quis ahuiapatlim describens, eius folia lauri folijs similia fecerit; aut si ayotectlis folia, personatæ folijs comparauerit; vel si toapatlis folia, mali medicæ folijs similia dixerit, deceptionis causam præberet. Et sic in alijs comparationibus, quas breuitatis causâ omittimus. Contingit quandoque ob multorum signorum defectum deceptio, vt in acacali, arisaro, amoni, paliuro,nonnullisque alijs,in quorum descriptione paucas notas Dioscorides posuit, & multas omisit. Ob hoc deceptiones in his dignoscendis multæ contingere possunt,nisi quis diceret, Dioscoridem posuisse perpaucas notas, ita tamen præcipuas, vt rectè intuenti non sit admodum difficile prædicta dignoscere simplicia. Sic in thilxochitl seu flore nigro describendo, si notæ ex siliquis desumptæ omitterentur,deceptio contingeret. Pariter & cozolmecatl,seu cunarum fune, si notæ ex fructu sumptæ non ponerentur: sunt enim nonnullæ plantæ his similes, sed hisce notis viribusque satis differunt. Ita etiâ in hoitziloxitl, seu arbore balsami Indici, signa ex floribus sumpta, si in descriptione omitterentur, errandi occasio præberetur. Interdum in plantarum descriptione nulla à descriptoribus ponitur nota, vt Dioscorides in bulbo esculento, structio, siligine,scandice,crocodilio, spinâ Arabicâ, pulegio,caro,stœbe,lagopo,epipactide,chameleucâ, empetro,& alijs fecit, quas tamquam suo tempore vulgo notas, suis signis describere omisit. Temporis posteà diuturnitate, & Medicæ professorum materiæ incuriâ,harum memoria perijt:& hinc erroris ac controuersiarum posteris occasio orta est. Ob mendosum codicem errores quamplurimi quandoque contingunt, multæque reperiuntur in Dioscoride mendæ, quæ plantarum cognitioni sunt impedimento, quod librarijs aut versoribus potiùs quàm auctoribus adscribendum est,vt in dictamni Cretensis descriptione traditâ,in quâ neque florem, neque semen proferre Dioscorides asserit, quod penitus falsum est: contrarium namque ab omnibus obseruatur. quem locum perbellè Bartholomæus Marantha suâ de dignoscendis simplicibus Methodo restituit, à quo nonnulla eorum quæ diximus mutuauimus. Sic in brassicæ marinæ, tum etiam lithospermatis, nymphææ ac semperuiui tertij folijs à Dioscoride descriptis apparet: eodemque modo in agallochi descriptione textus deprauatio timetur, dum Dioscorides maculatum esse inquit; qui textus à Matthiolo ex Orisbasio,à quo nulla fit macularum mentio, emendantur.

CAPVT XXV.

De artificiosâ arborum generatione.

ARtificiosissimus generandarum degenerandarumque & nobilitandarum arborum ritus, insitio est, cuius tria genera Græci nouerunt, vnum sub cortice,alterum in trunco, tertium per inoculationem,quod emplastro fit: de quibus diserte Florentinus, Didymus, & Diophanes. Latini verò professores colendi agri addiderunt quartum

genus

genus per terebrationẽ, seu perforationem, inter quos Princeps Columella contra veteres probat, omne genus surculorum in omnem arborem inseri posse. *Cùm antiqui,* inquit, *negauerint, posse omne genus surculorum in omnem arborem inseri, & illam quasi finitionem, quâ nos paulò antè vsi sumus, velut quamdam quasi legem sanxerint, eos tantùm surculos posse coalescere, qui sint cortice ac libro & fructu consimiles iis arboribus quibus inseruntur, existimauimus errorem huius opinionis discutiendum, tradendamq; posteris rationem, quâ possit omne genus surculi omni generi arboris inseri. Quod ne longiore exordio legentem fatigemus, vnũ quasi exemplum subiiciemus, quo possit omne genus surculi omnibus arboribus inseri. Scrobem quoquo versus pedum quatuor ab arbore oliuæ tam longè fodito, vt extremi rami olei possint eam contingere, in scrobem deinde fici arbusculam deponito, diligentiamq; adhibeto, vt robusta & nitida fiat. Post triennium, aut quinquennium, cùm iam satis amplum incrementum ceperit, ramum oliuæ, qui videbitur nitidissimus, deflecte, & ad crus arboris ficulneæ religa, atque ita amputatis ceteris ramulis, ea tantùm cacumina, quæ inserere voles, relinquito, tum arborem fici detruncato, plagamq; leuato, & mediam cuneo findito: cacumina deinde oliuæ, sicuti matri cohærent, ex vtraque parte abradito, & ita fissuræ fici aptato, cuneumq; eximito, & diligenter ramulos colligato, ne quâ vi reuellantur. Sic interposito triennio coalescet ficus cum oleâ, & tum demũ quarto anno, cùm bene coierint, velut propagines, ramulos oliuæ à matre resecabis. Hoc modo omne genus in omnem arborem inseritur.* Hactenus Columella. Nec pigebit excerpere nonnulla quæ Crescentius scripsit ad huius artis ampliationem spectantia. *Oportet,* inquit, *scire quòd insitionum multi sunt modi. Primus quidem est, quòd fraga eiusdem arboris omnia vltra medium medullæ ex transuerso incidantur, & tunc alligetur quod incisum est, sicut vulnera ligari consueuerunt, & circumponatur cera vel lutum, ad pluuiæ & extrinsecorum nocumentorum defensionem; & ne rumpi, aut eorum plagæ aperiri agitatione ventorum possint, conuenientibus perticis muniantur: statim enim consolidato vulnere superior pars emundatum in sapore profert fructum, propter digestionem succi in nodo factam. Et hoc propriè dicitur insitio: quæ quidem plantam in alteram non transmutat speciem seu genus, sed eam de siluestri domesticam facit. Secundus modus est, quòd vna & eadem arbor abscindatur in trunco, & fragum superius in eadem arbore acceptum, trunco suo inseratur: tunc enim conualescens insita profert fructum alterius generis in sapore, & quantitate, & figurâ quam priùs protulerat. Et iste modus fecit diuersitatem omnem, quæ est in malis, & pyris, & ceteris fructibus. Tanta enim est vis nodi, & conuersionis pororum, qui priùs ascenderunt, quòd succum ex nodis retentum dirigunt ad aliam formam plantalem, quæ monstratur in quantitate & sapore fructus. Tertius modus inuentus est in vite, & quibusdam aliis, quæ ex medullâ crescunt; videlicet quòd gemma vnius vitis excidatur vsque ad medullam profundè, vulnere transuerso & obliquato, & tantumdem de gemmâ vitis alterius eruitur, & loco alterius ponitur, & fit colligatio sicut in aliis, & tunc conualescit, & fructificat. Fieret fortè in aliis arboribus, sed in vite expertum est. Quartus insitionis modus est, quo fragum arboris vnius in aliam inseritur arborem, conualescitq; & fructificat in eâ per modum qui sæpè dictus est. Et iste modus regulariter, cùm fuerit magis similium, erit melior, & citiùs conualescens: & fit propriè in illis arboribus, quæ rectos habent poros, & per tunicas ligatas à radice accipiunt nutrimentum. Sed iste modus, & similiter secundus, in plures subdiuiduntur modos. Vnus quidem est, quo surculus inserendus inter corticem & lignum nouæ matris imprimitur: secundus, cùm surculus scisso ligno infigitur: tertius fit more emplastri: quartus dicitur ad buccellum: quintus verò salicis perticâ perforatâ.*

CAPVT XXVI.

Mira inserendi industria.

NOlo hîc præterire quantum amet natura ingenium, quantum iuuet solertia naturam,

Quantum ars ipsa valet, quantumq; industria pollet,
Et quantũ insitio fœcundos adiuuat hortos,
Cui fauet impatiens otii labor, optimus artis
Cuiuscumque dator. ——

Præsentabo ex teste oculato Portâ Neapolitano miraculum artis. *Vnam,* inquit, *nouimus arborem, delicias horti nuncupatam, crassitudinis & proceritatis non ingratæ, quæ prapingui, riguo, & superfœtante solo consita erat: vt tum vigore, tum humi vbertate, insitis alimentum suppeditaret. Erat trifurca, in vno ramo vuam vnam, & item alteram vinaceis vacuam, discolorem, & medicatam gerens: quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Secundus ramus persicum adferebat, ex persico & nuci-persico interuallis pluribus æquè distinctum, absque vllo osse. Quod si cui inerat, nucleum dulcem vti amygdala dabat: & nunc hominum, nunc animalium faciem ementiebatur, pomum diuersa lineamenta demonstrabat. Tertius cerasia exossa, acida ac* dulcia

dulcia emittebat, adhac mala aurea. Cortex floribus rosisq; consitus erat, fructusq; ipsi debitam magnitudinem superabant, & alijs dulciores ac odoratiores erant. Verno tempore efflorescebat arbor, & vltra debitum tempus suos fœtus producebat, qui diu in arbore morabantur, & continuæ fecunditatis orbem toto anno ministrabant. Nam per quosdam gradus poma sibi succedebant, & fœtura interpolabatur. Brachia ponderibus inclinata procumbebant: denique sic cælum fauebat, vt pulchriorem arborem non conspexerim. Hactenus ille. Audiamus quoque Plinium, alterum contestantem miraculum. *Vidimus*, inquit, *insitam arborem iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus: sed huic breuis fuit vita.*

CAPVT XXVII.

De generatione mineralium, an fieri possint.

EVoluimus omnẽ naturæ supellectilem: restant metalla & lapides, nam istis seminalis aliqua generatio erit. Hác quæstionem libet attingere, prætermissâ solemni mineralium generatione, de quâ alij locupletissimè & feliciter, quæ inter spontanea conscribenda. Nunc quærimus, an plantarum ritu progigni queant, plantatione scilicet: Aristoteles enim hoc censere videtur. Ipse ait in Cypro iuxta Tirrham nuncupatam æs fieri, quod in parua frusta dissecatum seminetur, atque imbribus factis augeatur, & exeat, posteaque colligatur. Idem ex aliorum fide testatur, circa Philippos Macedoniæ metalla esse, quorum frusta etiam augeantur, aurumque producant, idque esse omnibus perspicuum. Tum etiam in Pieriâ Macedoniæ incertam quamdam auri copiam ab antiquis Regibus fuisse defossam, atque quatuor existentibus foueis, ex vnâ ad palmi magnitudinem concreuisse. Verùm omnia ista testatur siue Aristoteles, siue Theophrastus, in libello de Admirandis naturæ, vbi potiùs congesta sunt quæ fama incerta effutiebat, quàm quæ rigor Philosophiæ seriò admittebat. In metallorum lapidumque vitâ hîc morari nolumus, de quâ nonnihil in Quæstionibus nostris naturalibus. Sed neque implicandi sumus in artificiali generatione metallorum, Chimici in hoc laborent.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De formâ animalium, & generibus diuersis.



E argillâ, vt ita dixerim, hoc est materiâ, atque de efficacibus animaliũ causis diximus; nunc de formâ & specie indicandum nonnihil, mox de fine, vt per omne causarum genus properemus, & aliquam obiter lucremur generaliorem notitiam eorũ quæ specialiter narrare non est animus neque opus, cùm potiùs rariorum animalium historias mihi sit præstitutum dicere. Singula sua sentiens anima gubernat, pro diuersitate suâ in varia dirimens genera, in quæ alia digerantur redigánturque animalia. Quæ saltem nominibus distincta reperiuntur, hæc sunt: auis, piscis, cetus, quæ quidem omnia habent sanguinem: & terrestre, quod sanguinem habet & pedibus caret, genus serpentum est. Ad hæc genus testâ intectum est; ὀςρακόδερμον Græci vocant & ὄςρεον, nos ostreum siue concham: & crustâ inclusum aliud, μαλακόςρακον vocant, nec aliud nomen habet commune, vt locustarum & cancrorum genera. Aliud item μαλάκιον, id est molle, vt loligines, sepiæ. Adde ijs insectorum genus, quæ omnia genera sanguine carent. Reliquorum animantium genera nulla prætereà ampliora numerantur: vnum enim quod plura genera contineat nullum est, sed aut simplex est, nullis specificis euarians discriminibus, vt homo: aut diuidi quidem in alia genera potest, sed nullis nominibus distincta. Quæ enim in genere quadrupede non pennato continentur, sanguinem quidem omnia habent, sed alia animal pariunt, alia ouum. Dixerim hæc ὠοτόκα, id est ouipara, illa ζωοτόκα, id est viuipara. Multiplex adhuc intra idem genus dissidium: incipiam ab adspectabili membrorum specie. Solùm nonnulla notabilia dabo. Iuuabor Aristotele, & egregiâ operâ VVettoni atque Fabricij, additis quæ è meo censu collegi.

CAPVT II.

De partibus animalium externis, de capite & cornibus.

NOn eosdem artus omnia animalia habent: carent aliquibus, dissidẽt in alijs. Piscis orbis acephalus est; sic multa ostreorum, & aliorum aquatilium. Sunt aliqua marina cum cornibus: sunt & vnicornes pisces; sed quæ iure cornua intelligantur, quadrupedi tantùm generi dedit Plinius. Bisulcis plerisque natura cornua affixit. Solipeda cornibus carent, præter onagrum Indicum, qui singulare cornu gerit. Nullis, qui supernè primores habent dentes, cornua sunt: cornutos tamen asinos apud Afros reperiri, Herodotus; apud Scythas, Ælianus testes sunt. Plinius apros Indorum cornutos esse scribit, Agatharsides sues in Æthiopiâ. Boues Scythici propter maximum frigus cornibus carent: Caspias etiam capras cornibus esse mutilas, Ælianus prodit. Ceruæ & capræ feminæ cornibus carent. Elephantorum dentes multi inter cornua numerant. Ex simiarum genere cornigeri sunt Panes & Satyri. Cornua in capite gerunt omnia, præter monocerotem, onagrum, & orygem. Cornu rhinoceroti è naribus prominet. Ælianus Aonios boues cornu in mediâ fronte gerere scribit. Cornuum, vnguium, & vngularum colores, cutis pilorumque colorem sequuntur, iuxta Aristotelem. Cornibus robustis tauri, oryges, ibices, & omne bubulum genus, maximè siluestre. Cornua rugosa habent ibices, rupicapræ, strepsicerotes, angli, damæ. Rugarum ambitu, id est spiris contorta, habent monoceros, strepsiceros Creticus, capreolus: cetera læuia habent. Ramosa habẽt cerui & congenera, capreoli, alces. Solida cornua ceruis tantùm esse, reliquis omnibus caua, & in mucrone tantùm concreta, Aristoteles & Plinius scribunt. Sed experientia ipsa diuersum docet; sunt enim capreolis, alcibus, orygi, platyceroti, & rhinoceroti etiam solida. Monocerotis cornu alij solidum esse scribunt, alij concauum pedem vnum, vbi capiti committitur. Cetera vacua & concaua

caua cornua habent. Mobilia cornua habēt Æthiopici, Erythręi & Phrygij boues, item eale, caduca habent cerui, capreoli, camelopardalis, caprę platycerotes. Plinius cornua capreis decidua esse negat, at Cœlius ex Pausaniâ, vt ceruorum, sic dorcadum quoque cornua decidere & renasci scribit. Elephanti dentes, qui cornua à nonnullis dicuntur, caduci & recidiui sunt. Non decidunt castratis cornua, nec renascūtur, scribit Plinius, at venatores id nō castratione, sed vitio accidere affirmant. Cornua antrorsum vel in aduersum adunca, damis, bobus Indicis, & Garamanticis opistonomis, item Scotico boui fero. Obliquè antrorsum spectant cornua bonasi, in dorsum adunca rupicapris, ibici, hirco, capris, camelopardali: modicè adunca gazellæ. Cornua in anfractum conuoluta (μηνοειδῆ) arieti tragelapho, ei scilicet qui caprarum generis, musmoni. Cornua arcuata instar lunæ crescētis, mucronibus introrsum versis, bubalus habet. Cornua sinuosa vel tortuosa bubulo generi, erecta strepsiceroti. In Africâ arietes statim cornigeri generantur. Ceruis bina cornua oriuntur simplicia & recta, & tunc subulones dicuntur. Vnicorne bisulcum oryx. Oryx quem Plinius & Aristoteles cornutum faciunt, diuersus videtur ab Oppiani. Singulare cornu prætereà habent monocerotes & boues Indiæ. item Aonij tauri, iuxta Ælianum & Oppianum. Ludouicus Romanus scribit, se in Zeilâ vrbe Æthiopiæ vaccas vidisse, cornu vnicum in mediâ fronte habentes. Bisulcis bina cornua natura tribuit, scribit Plinius. At veruces quatuor cornibus insignes reperiuntur. Quadricornes etiā oryges reperiri, Ælianus prodit. Apud Rhætos arietibus sex aut octo annorū ad priora cornua producuntur alia, veluti adnata, parua bina vel terna, vel etiam plura. Cornua lata habēt dorcas, platyceros, ceruus palmatus, tarādus, alce. Cornua quaternorum pedum in latitudinem bobus Indicis tribuuntur. Cornua longissima habent monoceros (huius cornu aliquando longitudine hominis proceri) oryx & ceruinum genus (cuius cornua vasta simul & ramosa sunt) & strepsiceros, non illa tamen Bellonij Cretica. Paruis cornibus & breuibus, rupicapræ, rhinoceros, κόλος caprarum & ouium genera: ibex tamen proportione longissimis est. Ceteris proportione mediocria, vt bubulo generi. Vartomanus scribit vidisse boues ceruorum cornibus. Inuenti quoque qui cornua moueant vt aures. In prouinciâ Aden verueces auribus omnino carent, quarum loco cornua parua eminent. Lepus & canis cornuti visi sunt. & in hac Aulâ Philippicâ equum vidimus cum cornu.

CAPVT III.

De capite & sensibus.

CAput vrso & pecori inualidissimum, leoni & tauro robustissimum. Capite rotundo mus agrestis, paruo castor, lynces, ibices; magno elephas, salamādra, mus agrestis; oblongo ichneumon, & quibus rostrum. Frons torua leonibus, tauris; lata tauris, angusta suibus. Supercilium prægrande leoni. Oculorum cilia non habent lepores. Palpebræ nulli animantium, nisi cui in reliquo corpore pili. Cilium tamen in vtrisque palpebris habent simię. Quadrupeda ouipara palpebras inferiores tantùm habent sine vllâ nictatione, lacertus tamen palpebras vtrimque habet. Quadrupedi in superioribus tantùm genæ. Oculis profundis & cauis sues, simiæ, chamæleontes; nonnihil cauis leones. Oculis prominentibus lynces, mures Alpini, & mures auellanarū. Chamæleontis oculos circumagitatos tradunt. Pilis in palpebris inferioribus carent equi, & quadrupeda viuipara. Visus acutissimus lyncibus, capris, capreolis, leonibus, & quibus flammantes oculi; hebetissimus muri araneo, nullus talpæ. Oculi quoque vrsorum & leporum crebrò hebetantur. Visus crocodilo in aquâ hebes, extra acerrimus. Ratti obuium lumen non fugiunt. Oculi bini singulis quadrupedibus. Boues & oues, aliaque simplicis ingenij, oculos patulos; insidiosa verò, & malignè astuta, exiguos habent, vt castor, simiæ. Elephāti tamen oculis sunt minoribus quàm pro tantæ molis portione. Oculis prægrandibus serpentes in prouinciâ Caraiam, ex lacertorum genere, M. Paulus Venetus prodit. Muri araneo post talpam minimi omnium in quadrupedum genere oculi contigerunt. Libella oculos habet in lateribus. Vranoscopos sursum semper aspicit. Auribus carent talpa & mus citellus. Branchias habet cordula. Aures in omni iumentorum genere indicia animi præ se ferunt. Fessis marcidæ, nutantes pauidis, subrectæ furentibus, resolutæ ægris. Auriculis rotundis pantheræ, castor, ichneumon, sciurus, getulus, cameli, mures, vrsi, tigrides, genethæ, leænæ, ciuettæ, taxi: mutilis mus Alpinus, glabris mus auellanarum, pilosis sorices, hirtis boues. Quibus aures acutæ, auriculas ferè erigunt; acutæ plerumq; sunt timidis. Ex canum genere plures auriculis pendentibus. Aures ceruis tantùm scissæ, aut velut diuisæ, vt scribit Plinius. Id Ælianus tantùm de Hellespontìcis prodit, Aristoteles verò de Asiaticis. Aures mobiles habent quadrupeda. Auditu acutissimo & acerrimo sunt lepores, vulpes, capre. Talpa etiam terris

obruta audit. Aurita ferè sunt timida, vt asinus, lepus, mulus, onager, &c. Capræ in Syriâ sunt auriculis mensurâ dodrantali ac palmari. Iuxta Aristotelem in murium genere auriculis proportione sunt magnis mus auellanarum, rattus, & sciurus. Elephas minoribus auriculis, quàm pro tantæ molis proportione. Nares non alij animalium, quàm homini & cercopitheco eminent. Nare anteriore diffissâ feles, castores. Simis naribus simiæ, capellæ, vri. Rostratâ sus, cepus, canis, cynocephalus, porcus, mus araneus, vrsus, talpa, taxus, felis, ciuetta, ceruus. Nasus crassus leoni, vro. Sagacissimè odorantur canes, elephanti, alces, leones. Labrū superius scissum in camelo & lepore. Labra crassa suibus, asinis, simijs. Alce propter superius labrū crassum ex opistonomis est. Proboscis in elephante, & alio animali Occidentalis Indiæ. Rictu ampliore sunt omnia carniuora. Hianti semper ore chamæleon. Tantâ oris duritiâ testudines, vt lapides comminuant. Maxilla inferior soli ruminantium crocodilo immobilis est. Linguas habent omnes, præter testudinem marinam & crocodilos. Lingua crocodilis tota adhæret. Ranis prima cohæret, intimâ absolutâ à gutture, quâ vocem emittunt. Lingua imbricatæ asperitatis leonibus, pardis, felibus. Linguam spinosam esse orygi & monoceroti, Paulus Venetus notat. Lingua bifida lacertis, perexigua elephantis. Gustus ceteris in linguâ, homini potiùs in palato. Dentes habent omnes: tantùm in chamæleonte dentium & gingiuarum loco os continuum supra infraq; labra ambiens serratum. Testudo quoque marina dentibus caret. Dentium superiore ordine carent (id est primoribus quatuor) quæ cornigera sunt, & ruminant. Camelus vna ex ijs quæ cornigera non sunt, in superiore maxillâ primores dentes non habet. Vtrimque dentati canes, equi, solipeda, & digitata pleraque, ex bisulcis verò sus & ceruus. Dentibus exertis mures, sciuri, fiber, lutra, glires, & murium generis omnia, moschi, capreolus, verres, aper, elephantus, crocodilus, histrix. Dentes bini prominentes porcello Indico. Nulli cui cornua, dentes exerti; nullis item exerti, quibus serrati. Terrestrium minimis quadrupedibus dentes primores bini, vtrimque longissimi. Mustelæ non habent primores longos, sed breues. Dentes exerti talpæ & elephanto à superiore deorsum. Continui aut vtraque parte oris sunt, vt equis; aut superiore primores non sunt, vt bubus, ouibus, & ceteris quæ ruminant. Dentium genera tria sunt, serrati, continui, & exerti. Serrati dentes pectinatim coëuntes, canibus, vrsis, catis, hyænæ, lupo, crocodilo, pantheræ, leoni. Color dentium plerumque albus, in castore verò ex flauo rufus. Robustis & validissimis dentibus elephanti, castores, crocodili, hyænæ, & congeneres. Dentes mutantur homini, leoni, iumento, cani, & ruminātibus, iuxta Plinium, sed leoni & cani non nisi canini appellati. Maxillares qui sunt à caninis, nullum animal mutat. Bobus dentes bis mutantur. Morsus venenatus leonis, interdum taxi, lyncis, cati, muris aranei, canis rabidi, ichneumonis, pantheræ, vrsi, simiæ. Caprarum morsus arbori exitialis. Equo dentes quadraginta numero sunt, iuxta Aristotelem & Plinium: maribus in summâ triginta duo: elephanto, præter eos qui præminent, quatuor: muribus araneis vtrimque octoni: reliquis muribus quaterni tantùm. Octo molares ore intimo habet in vtraque maxillâ castor. Dentes ceruo sunt quatuor vtrimque, & alij insuper duo molares. Maximis dentibus elephas, exilissimis lacertus aquaticus, & ranæ. Triplici dentium ordine vtrimque mantichora esse perhibetur. Statim cùm natus est elephantus, dentes habet.

CAPVT IV.

De collo.

SVnt aliqui canes in Americâ sine vllo collo. Collo longo & procero, camelus, camelopardalis, gazellæ, rupicapræ, simiæ. Angusta colla leonibus, vrsis, tigribus, qui ora in terram non deiiciunt pascendi gratiâ, vt notauit Ambrosius. Leporū quoque colla angusta sunt. Collum breuissimum & prope nullum talpæ. Quibus longa crura, ijsdem quoque longa colla. Ceruice torosâ boues, tarandi, cerui: moderatè crassâ leones, crassissimâ sues. Ceruice rigidâ & ex vno osse constante, leones, lupi, hyænæ.

CAPVT V.

De mammis.

MAmmæ datæ sunt ijs quæ animal & intra se concipiunt, & in lucem edūt. Quæ mammas habent, habent etiam lac. Ouipara mammis & lacte carent. Equi mares etiam mammas habent, nonnulli tamen carent. Sub communi vētre simi-vulpa Indica instar marsupij habet alium ventrem. Folliculus in quo continetur moschus, est iuxta aliquos vmbilicus dorcadis peregrinæ, siue circa vmbilicum vesica. Mammas inter armos habet elephas, in pectore simiæ, lynces. Libycorum capræ ex pectore vbera appensa habent, vt notat Ælianus. Mammę inter femina ouibus, bobus, capris, equis, ceruis, camelis. Animal cui pedes in digitos discreti

creti sunt, mammas inter femora non habet, iuxta Aristotelem. Mammas in ventre habent canes, sues, leænæ, pantheræ, & quæ numeroso sunt partu, & digitata. Hæc quæ numeroso sunt partu & digitata, habent mammas duplici ordine toto ventre. Sues generosæ mammas duodenas, vulgares denas tantùm habent. Pantheræ habent quaternas. Ceruа quaterna vbera habet vt vacca, quod notat Aristoteles: sed vaccæ tantùm quaternas papillas habent. Mammas binas habent vaccæ, oues, capræ, equę, asinæ, cameli, elephanti, simię, leænę, & ferè quæ singula pariunt.

CAPVT VI.

De dorso.

VAccas & canes gibbosas America noscit. Tergo gibboso bison, rubetę terrestres, cameli. Bactrianis bina, Arabicis singula sunt tubera. Dorso gemino, id est prępingui, oryx: corpore lõgo proportione martes, putorius, viuerra, & propriè dicta mustela, leo, & canum quidam.

CAPVT VII.

De lumbis, testibus & cruribus.

NOn habent elephantes crura sine articulis, vt posteà narrabimus, & obseruauit Aristoteles. Crura à latere adiuncta habent quadrupeda ouipara quę cauernas subeunt. Testes intus lumbis annexos habent sues, erinacei, elephãti, crocodili, testudines, & omnia ouipara. Testes pecori armẽtoque ad crura decidui. Auersa genitalia habent cuniculi, leones, lepores, lynces, tigrides, cameli, elephanti, & omnia quibus auersus coitus. Crura gracilia ceruo, capris, capreis, ibicibus. Cruribus longis camelus, camelopardalis, lepus, lupus, canis, mulus, equus: breuibus crocodilus, salamãdra, & omnes lacertę, porcelli Indici, zobella, martes, thoës, mus Alpinus, taxus, monoceros, ericetus, talpa, lutrę, histrix: breuibus & cõpactis bubalus, elephas, rhinoceros, vrsus, bubulum genus. Crura priora posterioribus longiora elephas & camelopardalis habent, contrà sunt gazellæ, lepores, ranæ.

CAPVT VIII.

De genitalibus.

GEnitalia ossea sunt lupis, vulpibus, mustelis, canibus, sciuro. Ictidis genitale aiunt totum ossis instar semper rigere. Genitalia neruosa camelis, ceruis. Genitale cameli ita neruosum est, vt vel neruus ex eo confici possit, quo arcus intendantur, vt notat Aristoteles. Elephantis genitale paruum, cynocephali circumcisum est. Genitale vrsi, simul vt expirauit, cornescere aiunt.

CAPVT IX.

De genubus.

GEnua singula in singulis cruribus camelis. Genua & cubita contraria vrsis, & simiarum generi. Crura anteriora in talpâ ossibus tantummodò geminis constãt. Crura obliqua lacertis humani poplitis modo. Iisdem priora genua pòst curuantur, posteriora in priorem partem.

CAPVT X.

De pedibus & vnguibus.

SOlipeda equus, asinus, mulus, onager, Plinio item & Aeliano monoceros, & Aonij tauri Aeliano & Oppiano. Solidis vngulis boues India generat, iuxta Plinium. Sues solipedes etiam reperti sunt, & apri posteriùs solipedes anteriùs bisulci. Vngulas solidas habent Illyricæ capræ, vt Aelianus scribit. Bisulca sunt eadem cornigera, vt boum, caprarum, & ceruorum genera: item leucrocuta, hippardium fera apud Aristotelem, monoceros Leodouici Romani. Suillum pecus quidam inter bisulca & solipeda numerant, quemadmodum & camelũ & camelopardalim. Multifida sunt reliqua, pedesque digitis discretos habent, sed numero imparibus. Digitis vtrimque quinis elephanti, testudines, talpæ, &c. Castor & lutra posteriores pedes membranis connexos habent; ranæ tam anteriores quàm posteriores. Vngues vnci rapacibus, ceteris recti. Sunt etiam canibus recti, & chamęleonti vnci, simijs vngues imbricati, Plinius scribit. Vngues in talpis proportione maximi, in lacertis & scinco minimi. Vestigio pedis imo piloso lepores & cuniculi, carnoso cetera, ex bisulcis carnoso est camelus. Vngulas habẽt equi, asini, onagri, muli, oues. Sed quæ vngulas aut digitos habeãt, ne toties omnia repetere sit molestũ, pulchrè ex loco adiunctorũ licebit colligere: ibi enim quæ solipeda, quæ item bisulca sunt, ostendemus; quibus præceptis, quæcumque erunt reliqua inter digitata, nullo labore referẽtur. Vngues habẽt digitata omnia, excepto elephanto, cui digiti indiuisi, & leuiter formati. Ex ouiparis rana & lacertus carent. Talos solipedum vnus asinus Indicus habet. Talos solipeda & digitata non habẽt, iuxta Aristotelem habere dicuntur cameli.

Bisulca animalia in posterioribus pedibus talos habent. Leo tortuosum quiddam pro talo habet. Lynx tantùm digitos habētium simile quiddam talo habet. Sus etiam talo caret probiore. Vnguium mucrones in digitorum vaginas condunt leones, pardi, pantheræ, cati, felis, ciuetti. Quibus ex rapinâ victus quadrupedum, quini digiti in prioribus pedibus, reliquis terni. Pauca quoque in posterioribus quinos vngues habēt, vno iuxta cruris articulum dependente. Quaternos digitos antè, quinos pòst habēt lacerti aquatici, mus auellanarum. Digiti seni anteriùs, quini posteriùs porcellis Indicis. Camelo tali similes bubulis, sed minores. Fertur ægithus auis clauda, de quo hæc Antigonus: *Aegithum auem aduolare ad capram, & lac eius sugere, inde ei nomen hoc factum, mammam autem quam sugit obturari. Clauda est hæc auis. Itaque Callimachus Aegyptius, vt admodum disertus videretur, factâ alterius auis mentione ita scripsit: Α᾽ιγιθ@ ἀμφιγυήεις. Et partes claudus in ambas ægithus. Verùm non stat hæc eius sententia, non est enim vtrimque claudus, quod vox Græca ἀμφιγυήεις vult, quâ vsus est, quæ Vulcano tribuitur claudo vtrumque pedem.*

CAPVT XI.

De caudâ.

Caudæ, præter hominem & simias, omnibus ferè animalibus, iuxta Plinium: in simijs tamen caudæ sunt initia; sed & ranæ caudis carent. Quædam simiarum genera caudata sunt, vt cepi, cercopitheci, satyri. Natibus carent quadrupedes. Caudâ villosâ sunt lupus, & lupus Scythicus, taxus, lupus marinus, mus alpinus, vulpes, martes, glires, mustelæ, sciuri, mures Pontici. Caudâ setosâ equus, poëphagus, monoceros. Poëphagus setas habet subtilissimas. Imâ parte setosâ boues, leones. Caudâ conuolutâ & intortâ sues, ichneumones, canes, chamęleontes. Super dorsum reflexâ sciurus. Pilosâ pantheræ, mures auellanarum: squamosâ castor, glabrâ sues & mures, longâ crocodilus. Caudam habent eadem ferè quâ reliquum corpus longitudine, chamæleon, lacerti, pantheræ, ichneumones, feles, lutræ, genethæ, mures, leones, cercopitheci, cepi, equi, asini, boues, hinni, axis, gazellæ, mures Indici, hyæna, lupi, vulpes, martes, sciuri, simiæ Prasianæ. In lacertis inueniuntur & geminæ caudę. Scinci cauda ex acutissimâ in crassiusculam exit. Caudâ mutilâ sunt, capræ, lepores, cuniculi, mures Norici, caprearum & ceruorum genera omnia, taxi, talpæ, musimones, camelopardalis. Villosis animalibus caudę paruæ sunt, vt vrsis. In reliquis mediocris longitudo, vt in mure Alpino, & mure araneo. Caudâ latâ castor, laxâ & latâ cordula. Prope Reane Arabiæ felicis vrbem, veruecum genera reperiuntur, quorum caudas Vartomanus animaduertit pondo esse librarum quadraginta quatuor. Venenum in cerui caudâ reperiri traditur, sed verisimile est fellis esse substantiam.

CAPVT XII.

De tegumento.

Cortice teguntur lacerti, crocodili, chamæleontes, catus: testâ testudines; cute teguntur pænè reliqua. Aculeos & spinas habent histrices & erinacei, quas Aristoteles loco pilorum existimandas esse scribit. Omnia ferè quadrupeda, eademque viuipara, sunt pilosa, vt notat Aristoteles. Sunt in Indiâ Occidentali aliquæ aues non plumis sed villis inductæ. Squamas castor, sed tantùm in caudâ, lamia toto corpore habet. Cutis mollis est ranis. Tergora silicis duritiâ habent boues Æthiopici. Pellis perdensa velut crusta quibusdam; squamatim compacta rhinoceroti. Tergoris maximâ duritiâ sunt tarandus, taxi, bubali, elephanti. Hyænę pelles fulmine non tangi creduntur. Corticata omnia durâ cute sunt. Senectutem exuūtvere & autumno lacerti, & quę cortice teguntur omnia. Testudines terrenas apud Indos aiunt testâ exui. Spinæ in echinis & histrice acutæ; in histrice tamen longiores multò, albo nigroque distinctæ. Lamia draconum squamis est obsita.

CAPVT XIII.

De pilis.

Pilis inæqualibus sunt castor, putorius. Pilo in contrarium ad caput verso, oryges. Legimus idem de Aethiopico tauro. Pili suū, ericeti, & ouium tenaces sunt. In canibus, equis, bobus, catis, decidui. Felis pili venenosi. Pilo dēso, & multos vrsi, simiæ, oues, ibices, cameli, sphinges, lupi, moschi, capreolus, gulo, vulpes, hyænæ. Villosissimus animalium lepus, iuxta Pliniū. Pilos ferè molles habent timida animalia, vt ceruus, lepus, ouis, castor, lutra: & duriore pilo sunt caprę, atque adeò omne genus caprorū & ouium siluestriū, taxus, ciuetta, mus Alpinus, latax, bos, camelus, elephas. Durissimo pilo sunt hirci, sues, ichneumones, histrices, hyænæ: hæc enim omnia sunt setigera. Hyæna setis longioribus per totum dorsum riget.

CAPVT XIV.

De colore.

PIlis nitidis caſtor, lutra, bubalus, gazella, talpa. Pilis albis mus Ponticus, biſon albus Scoticus, ſimiæ Praſianæ, muſtelæ, in terris frigidis hieme, & tūc armelini propriè vocari poſſunt, feminę platycerotes, & rupicapræ, ſed rariſſimè lepores, etiam in Alpibus. Ceruus aliquando albus inuentus eſt, iuxta Ariſtotelem. In Indiis Occidentalibus nunc reperiuntur. Myſia albos vrſos gignit, amphibios. Oryx colore lacteo (excepto ore.) Corpore albo onager Indicus, qui tamen capite eſt purpureo. Alij onagro eumdem colorem tribuūt quem aſino. Capiuntur interdum ratti albiſſimi: minores etiam mures albi conſpecti. Vulpis color rarò candidus. Cano colore ſunt lupus, gulo, taxus. Pilos in cinere candidos caſtor habet, item mus laſſicius. Muli ex candido in cinerem caneſcunt. Nigro pænè colore, vrſi, talpæ, vri. Cinereo ſilueſtres cati, mures, citelli. Varius monoceros; quem tamen alij album, alij fuluum faciunt. Pullo colore cameli; ſubnigro vel fuſco murium genera ferè omnia. Color murinus in aſino vulgaris. In fuluo ſubnigri martes. Sunt quædam bicolora, quæ dorſo fuſco ſunt, & ventre albo, ex quo genere ſunt glires, mures auellanarum. Putorius pilos habet inæquales, ex quibus breues ſubfului ſunt, longiores nigri. Rufo colore & ſubrufo ſunt mures agreſtes, hinni, cerui, ſtrepſiceros Anglicana, vulpes plerumque, ſciurus, & mus aquaticus. Colore nonnihil ad caſtaneum accedit lutra. Rupicapris color inter fuſcum & rufum. Pilus gazellæ rufus ad pallidum vergens. Muſtelæ domeſticæ plerumque in dorſo & lateribus rutilę. Fuluo colore leones, bonaſi. Subus colore flaueſcit ſplendido. Albo mularum colore nitent ſcinci. Colore nigro ſunt lacerti aquatici, quibus vtrimque in lateribus puncta alba. Viridi colore nōnulli lacerti. Lucentibus guttis diſtincti ſtelliones. Nigro & flauo colore ſalamandra. Lacerta Chalcidica virgis quibuſdam æneі coloris diſtinguitur. Teſta varai luteo & nigro diſtincta teſtudini terreſtri. Licentiam naturæ & otium in depingendis auibus, in earum narratione demonſtrabimus. Sunt animalia, in quibus magna colorum diuerſitas eſt. Albi, nigri, & rufi, ſues, boues, cuniculi, cati domeſtici. Nigri, rubei, & cinerei, aſini. Vulpes rarò candidus, rarius niger. Pecudes pro regione cælique ſtatu & habitum corporis & pili colorem mutant, iuxta Columellā: idem tu intellige de ceteris animalibus. Lepores, vt dixi, in aliquibus toti candidi reperiuntur. Muſtelæ in nonnullis frigidis regionibus, quæ montanæ ſunt, æſtate fuſcę, hieme ſunt candidæ. Sciurus in Franconiâ frequentiùs eſt niger quàm rufus. Indici elephanti nigri & murini coloris reperiuntur; Æthiopici albi. Leones Aethiopici ab Oppiano, Syriaci à Plinio colore nigro eſſe perhibentur. Paulus Venetus in Tartariâ leones & nigros & rubeos eſſe ſcribit; vulpes, cerui, & vrſi, candidi in Sueciâ. Tarandus quoque colorem ſecundùm anni tempus & locorum varietatem commutat. Chamæleon mutat colorem ſubinde, redditque ſemper eum, quem proximè attingit; præter rubrum candidumque, vt notat Ariſtoteles. Thoës per tempora immutantur; & colorem diuerſum hieme æſtatéve trahunt. Mures quidem ſilueſtres in Pannoniâ ceu virides conſpiciuntur. Varijs & maculoſis pellibus ſunt lynces, leopardi, capreoli, camelopardalis, mus Ponticus (propterea varius dictus) vormella, tigres, genetha, axis, hyæna, ciuettus, cepus, cricetus, & leem beſtiola Noruegiæ. Ex cerui & cuniculi pellibus quædam etiam maculoſæ ſunt. Cutis colore igneo in ranâ venenatâ foſſili, viridi in ranâ viridi maiore aquaticâ, & minore terreſtri, quæ calamites dicitur. Colore lurido & ſublucido rubetæ terreſtris, quæ & rufis maculis habet diſtincta latera. Nigro colore cutis elephanti eſt. In Regno Coilum inuenti leones nigri, pſittaci albi cum pedibus & roſtro rubeis. Tarandus, polypus, chamæleon colorem variant pro adiuncti corporis ſpecie. Sic riſit adulatores natura fœdâ & ignobili imagine, aut iraſcitur damnata ſtatua.

CAPVT XV.

De oculorum colore.

OCulorum color equis ſolis animatium, præterquam homini, variat, iuxta Ariſtotelem. Vitulo marino & hyænæ oculi in mille colores tranſeunt ſubinde. Oculis nigris onagri Indici, ignitis & ſplendentibus pantheræ, leones, cati, ibices, ciuetta, lynces, hyænæ, lupi, capræ, capreoli. Hæc omnia etiam noctu vident: item equi præterea, & lepores, & quæ ex feris noctu paſcuntur. Leporum alij charopis, alij glaucis ſunt oculis. Lineam ſupra oculos nigram habent rupicapræ, & gazellæ. Aureus orbis ranarum oculos circuit. Pellucidas oculorum genas habent ranæ.

CAPVT XVI.

De carne.

INterna quoque animalium ſcrutemur. Niſi in capite & maxillis, caret chamæleon carne. Caro dulcis & ſuauis eſt cuniculis, bonaſis, ſciuris, tarandis, gliribus, camelis: amariſſimæ carnes onagris Indicis. Ingrati ſaporis carnes bubali. Succi peſſimi carnes camelorum, caprarum, & hircorum cùm conſenuerint, equorum, aſinorum, ſimiarũ, ceruorum, vrſorum, ouium. Difficiles concoctu ex ijſdem, & prætereà bubulæ, ouillæ: item muri Alpino, taxo, onagro, vulpi. Galenus agnorum eſum propter inſignem humiditatem fugiendum ſuadet. Rapacium omnium carnes declinant ad ſiccitatem, & facile in corporibus generant bilem atram. Carnes bubulæ nimiũ melancholicæ. Solius hœdi innoxiũ carnis vſum notat Galenus. *Dama*, inquit Platina, *bonum alimentum præſtat*. Cameli tum lac tum caro ſuauiſſima omnium eſt, iuxta Ariſtotelem. Vitulina caro bubulæ præſtat, faciliuſque concoquitur. Caro leporũ melioris ſucci eſt quàm bubula & ouilla. *Inter quadrupedes gloria prima lepus*, canit Martialis. Hœdinę carnes hieme improbantur, conueniunt æſtate, iuxta Raſin. Dorcadis carnem melioris ſucci eſſe quàm ceterorum agreſtium, ſcribit Simeon Sethi. Tigrium caro nihilo deterior bubulâ perhibetur.

CAPVT XVII.

De qualitatibus carnium.

IVuat hîc ſubiicere ex Theodori Diætâ carnium cenſuras. Omnia animalia diuerſa, agreſtia & ſilueſtria, ſicciora ſunt his quæ in domibus nutriũtur. Cetera verò quæ vino condiuntur, & ſiccant, & nutriunt, & calefaciunt. Oxyzoma verò nutriunt competenter, ſed minùs calefaciunt. Carnes ſale conditę, & coctæ, minùs corpora nutriunt, & deſiccant, & tenuant, ventrem ſufficienter procurant. Bubula fortis eſt, & nimiùm ventrem ſtringit, & ſtomachi humores ſuperfluos abſtergit & conſumit fortitudine & grauedine ſuâ. Vitulina minùs quidem, ſed tamen ſimiliter. Caprina leuior eſt, & minùs ventrem procurat. Porcina plus nutrit, & minùs ventrem procurat. Porcellina minùs nutrit, & plus ventrem procurat. Veruecina, ſuillina, & agnina digeſtibiles ſunt, plus ventrem procurant. Hœdina ſimiliter vt caprina. Porcellina garimatia minùs nutrit, & ventrem & vrinam prouocat. Caprearum agreſtium caro ſiccior eſt domeſticis, & ventrem ſtringit. Ceruina ſimiliter, ſed vẽtrem ſtringit. Aprina plus nutrit, & plus ſiccat. Leporina plus ſtringit ventrem, membra deſiccat, & vrinam mouet.

CAPVT XVIII.

De carnibus volucrum.

OMnia volatilia naturâ ſicciora ſunt quadrupedibus, eò quòd neque veſicas ad vrinas ſegregandas conceſſas habeant, neque ſaliuas emittant. Phaſianus ſiccæ naturæ eſt, ventrem ſtringit. Parix ſimiliter. Perdix & turtur ſicciores ſunt, vrinam mouent. Palumbus manſuetus ventrem ſtringit, plus nutrit. Galli, gallinæ, pulli minùs ſunt ſicci, ventrem procurant, nutriunt competenter. Gallinæ ruſticæ & anſeres humidiores ſunt, & ventrem procurant. Turdus ſimiliter vt perdix. Ficedula minùs ſiccat, ventrem procurat. Anates, circicula, fulica, vel butiones humidæ ſunt, & ventrem procurant. Struthio minùs infundit, & ventrem procurat.

CAPVT XIX.

De carnibus piſcium.

PIſces aliqui naturâ ſicciores ſunt, vt eſt ſcorpius, conchylia, draco glaucus. Omnes aſperi ſemper leuiores ſunt & delicati, quia occiſi ſunt. Omnes qui fluctibus & tẽpeſtatibus cæduntur, ſolidiores carnes habent, & ſunt digeſtibiles. Pulpus & ſepia videntur eſſe leues, neque nutriunt, neque ventrem procurant, & oculis obſcuritatem adijciunt, ſed iuſcella eorũ ventrem deducunt. Anguilla grauior eſt multis. Thynnus ſiccat mediocriter, ventrem deducit. Lupus ventrem & vrinam procurat. Mugila & ſolia ſimiliter. Mullus ſiccior eſt, & vrinam procurat. Aſellus leuior eſt, & ventrem deducit. Aurata ſiccior eſt, & ventrem ſtringit, ſed interiora eius ventrem deducunt. Muræna humidior eſt, & ventrem procurat. Locuſta & rhombus ſicci ſunt. Sardina corpus & dentes ſiccat, & vrinam prouocat. Vmbra humectat, & ventrem procurat. Hyginus ſimiliter ventrem ſoluit. Acerna ſiccior eſt, & vrinam procurat. Scaurus & torpedo ſimiliter. Cancri ſiccant, & vrinam procurant. Oſtrea humida ſunt, leniter ventrem & vrinam procurant.

CAPVT XX.

De adipe.

SEuum propriè ruminantia habent, cetera adipem. Equus seuum non habet, sed pinguedinem, iuxta Hieroclem. Axungia & laridum sunt in animalibus non cornigeris, quorum quatuor dentes vt plurimum prominent, vt vrsis, canibus, gliribus. Adeps leonis calidior quàm vllius quadrupedis: hœdorum minùs tum calidus tum siccus est quàm caprarum, & hircorum minùs quàm leonum, secundùm Galenum. Adeps caprinus humidior est quàm suum, taxi calidior quàm tauri. Adipem plurimum generant quę cornigera, ob siccitatem, notat Galenus. Plerisque animantibus pinguedo sine sensu, quamobtem sues viuæ à muribus dicuntur arrosæ.

CAPVT XXI.

De sanguine.

LEgitimus stellio cruore caret. Nonnulli nisi in oculis negant ranas sanguinem habere. In illis quoque chamæleon habet: in corde etiam, & quibusdam venulis ex eo nascentibus, cetera exanguis est. Sanguis tauro & asino inter ea quæ animal generant crassissimus, iuxta Aristotelem: timidis sanguis est dilutior, & sine fibris, vt lepori, damæ. Sanguis aprorum crassus, quantumuis non spissetur; tauri contrà celerrimè coit, ideò calidus in potu sumptus, venenum est. Apeithi & acanthidis sanguis ægrè miscetur.

CAPVT XXII.

De lacte.

LAc crassum vaccinum, leporinum, caninum, ouillum, suillum, asininum. Caprinum lac non admodum pingue crassumque est. Tenuius equis, tenuissimum camelis. Lac temperatissimum caprillum, mox asininum ouillumque, postremò vaccinum. Dulcissimum ab hominis lacte camelinum, efficacissimũ ex asinis, iuxta Plinium. Ouillum & caprinum multò minus habent pinguedinis quàm bubulum. Adijcio quæ Theodorus censuit. Lac omne quidem nutritorium est, excepto bubulo, quoniam graue est ad digestionem, & ventrem stringit fortiter. Lac caprinum recens leue est, & ventrem procurat. Ouillinum similiter & equinum vtilius. Lac asinæ plus ceteris nutrit, ventrem purgat, vires multum acquirit. Lac caninum infantibus magnum est tutamentum, maximè si ab infante canis ipsa fugatur.

CAPVT XXIII.

De ossibus.

OSsa leones mares duriora habent quàm feminę, adeò vt ijs percussis ignis quasi ex silice excutiatur. Ossa duriora ceteris habent carniuora, leones tamen omnium durissima. Costæ homini tantùm octonæ, suibus denæ, cornigeris tredecim, serpentibus triginta, iuxta Plinium. Mirificum est quod Antigonus tradit de ossibus ceruinis, nullum sonum edentibus, si cacto saucietur ceruus, vt infrà Cap. XXXII. ipsius verbis narramus.

CAPVT XXIV.

De medullâ.

VRsi carent medullâ. Medulla seuosa cornigeris, pinguis ijs quibus adeps. Medulla arietis non castrati inter venena numeratur. Leonum & suum ossibus parum medullæ inest. Medulla laudatissima est ceruina, inquit Plinius, mox vitulina, dein hircina, & caprina, quæ à Dioscoride quarto loco post ceruinam, vitulinam & taurinam laudatur, postrema est ouilla.

CAPVT XXV.

De cerebro.

CErebrum humidissimum capræ, venenosum cati. Incrementis & iacturis Lunæ crescit & decrescit cerebrum: suis tamen, lupi, & canis euidentiùs quàm aliorum animalium.

CAPVT XXVI.

De corde.

COrda inarticulatiora suum, neruosa boum, maximè taurorum. Proportione maximâ asino, hyęnę, muribus, lepori, ceruo, mustelis, & in summâ omnibus timidis, aut propter metum maleficis. Duplici corde inuenti elephanti, secundùm Galenũ; & perdices Paphlagoniæ, secũdùm Theophrastum.

CAPVT XXVII.

De iecore.

NOn nisi sanguinem habentibus iecur inest. Iecur luporum equinæ vngulæ simile esse, ex traditione notat Plinius. Iecur ele-

elephanti quadruplo maius bubulo est, iuxta Aristotelem. Id Plinius asserit de pulmone. Iecusculũ muris brumâ dicitur augeri & increscere. Iecur testudinis vitiatum est vt reliquum corpus. Iecur geminum esse dicunt ranis & leporibus in quibusdam locis. Iecinora murium Lunam sequi, scribit Carystius. Minuuntur augescuntque cum sidere.

CAPVT XXVIII.

De felle.

FElle carent omnia solipeda, excepto asino Indico. carent etiã ex bisulcis cerui, capræ, apri, damę, cameli. Oues etiam in quibusdã regionibus, vt in Ponto & alibi, felle carent: in regionibus perfrigidis hieme carent, ineunte vere felle implentur. Inter digitata verò, murium alij fel habent, alij carent. Elephanto iecur esse sine felle, nonnulli putant, nec in iecore fel equis esse, sed in aluo. Fel venenatum pantheræ, equis, mustelæ siluestri. Felli leonis etiam venenosa vis tribuitur, sed plerique non leonis, sed leopardi felli id attribuunt. Facilè ex colore, quódnam fel vehementius sit, quod remissius, discernetur.

CAPVT XXIX.

De pulmone.

EX aquaticis pauca pulmonem habent. Ouipara alia exiguum pulmonem. Exiguum & siccum habent quadrupeda ouipara, vt lacerti, & testudines, iuxta Aristotelem. Plinius contrà chamęleoni & testudini pulmonem prægrandem tribuit. Pulmo maximus elephanto.

CAPVT XXX.

De stomacho.

PIsces stomacho carent, ideò magnorum ventriculus, cùm minores insectantur, in os prolabitur.

CAPVT XXXI.

De extis.

EXta cuniculorum in Bæticâ sæpè gemina reperiuntur. Hominibus ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur. Veros glires & sciuros cęcum intestinum tantùm nactos scimus, Vesalius ait.

CAPVT XXXII.

De intestinis.

INtestinum rectum nulli est, cui non sint parte vtraq; dentes. Elephanto intestinum ita est sinuosum, vt aluos habere quatuor videatur. In hoc etiam cibus recipitur: nullum enim conceptaculũ cibi aliud separatim adest. Antigonus Carystius scribit. Ἴδιον δὲ καὶ τὸ περὶ τὰ ἔντερα τῶν προβάτων· τὰ μὲν γὰρ τῶν κριῶν, ἐστὶν ἄφωνα, τὰ δὲ τῶν θηλειῶν εὔφωνα. Ὅθεν καὶ τὸν ποιητὴν ὑπολάβοι τις εἰρηκέναι, πολυπράγμονα πανταχοῦ καὶ περιττὸν ὄντα.

Ἑπτὰ δὲ θηλυτέρων οἴων ἐτανύσατο χορδάς.

Peculiare hoc est intestinis ouiũ, quòd arietum non edant sonum, sed femellarum tantùm sint vocalia. Quò respexisse etiam Poëtam aliquis posset censere, vtpote curiosum vbique, & exactæ diligentiæ, dum ita canit:

Septem femineos neruos intendit ouillos.

Appendo quod subdit de ceruinis ossibus, vt augeat admirationem naturæ. Οὐχ ἧττον δὲ τούτου θαυμαστὸν, καθωμιλημένον δὲ μᾶλλον, τὸ περὶ τὴν ἐν τῇ Σικελίᾳ ἄκανθαν τὴν καλουμένην κάκτον, εἰς ἣν ὅταν ἔλαφος ἐμβῇ, καὶ τραυματισθῇ, τὰ ὀστᾶ ἄφωνα, καὶ ἄχρηστα πρὸς αὐλοὺς ἔχει. ὅθεν καὶ ὁ Φιλήτας ἐξηγήσατο περὶ αὐτοῦ, εἴπας·

Γηρύσαιτο δὲ νεβρὸς ἀπὸ ζωὴν ὀλέσασα,
Ὀξείης κάκτου τύμμα φυλαξαμένη.

Non minùs admirabile, magis etiam vulgatum est, spinæ genus in Siciliâ esse, quod appellatur cactus, quam si ceruus calcet, & saucietur, ossa eius nullum sonum edere posse, ideoq; ad fistulam inutilia fieri. Vnde etiam Philetas de eâ hæc exposuit:

Atque euitato cacti mihi vulnere acutæ,
Argutum carmen mortua cerua canat.

CAPVT XXXIII.

De ventre.

VEnter ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus, iuxta Plinium. Ex his quæ ruminant, & coagulum habent, ventrem simplicem habet lepus, &, vt facilè conijcitur, congener cuniculus. Ventres elephanto esse quatuor, Plinius scribit. Ventriculus amplus vrsis & suibus, arctus canibus & leonibus.

CAPVT XXXIV.

De liene.

CAret liene conspicuo chamæleon. Lienem perexiguum habent quadrupeda ouipara. Bisulcis cornigeris lien rotundus, canibus & porcis sicut homini longus.

CA-

CAPVT XXXV.

De coagulo.

COagulum soli lepori ex ijs quæ vnum ventrem habent, aliàs coagulum habent omnia ruminantia.

CAPVT XXXVI.

De renibus.

REnes habent omnia quadrupedũ, quæ animal generant: oua parientium testudo sola, quæ & omnia alia viscera. Testudo tamen quam lutariam vocant, & vesicâ & renibus caret. Renes ouium ceterarumque quadrupedum æquabiles sunt, non sicut boum, qui tamquam ex multis exiguis renibus compositi videntur Aristoteli.

CAPVT XXXVII.

De vesicâ.

QVæ gignunt oua, vesicâ carent, nisi testudo vt plurimùm, nam testudo lutaria etiam vesicâ orba est.

CAPVT XXXVIII.

De excrementis.

FImum siccũ egerunt canes, lupi, leones, liquidum boues. Asini plus excrementi sicci egerũt quàm humidi. Stercus bubulum facultatis est exiccatoriæ, iuxta Galenũ. Odoratum fimũ mustelę, martis, fœtidum leonis, feruidissimum bonasi. Vrina graueolens leonis. Rattorum vrina libidine accensorum venenosa. Stercus asinorum optimũ, posteà ouillum & caprinum, item iumentorum. Stercus ex porcis pessimum. Vrina feminarum omnium tenuior est cùm fœtæ sunt. Oues & capræ crassiorem reddunt vrinam, quàm sui sexus mares: feminæ asinorum tenuiorem.

CAPVT XXXIX.

De magnitudine.

ALbani & Indici canes inusitatæ sunt magnitudinis. Tigres in Indiâ maximi equi magnitudine. In Oriente mures sunt vulpium magnitudine. Elephantis Indicis magnitudo maior est quàm Afris. Oues Indiæ & capras ad maximorũ magnitudinem asinorum accedere, Ælianus narrat. In Calechut Indiæ regione lacertorum genus inuenitur aprorum magnitudine. In Galliæ quibusdam partibus lacertos catulorum canis magnitudine reperiri, fama est: maximorum equorum magnitudine Caspiæ capræ, iuxta Ælianũ. Idem capras feras in Libycis montibus ad boum magnitudinem accedere scribit. In Tartariæ regione arietes non minores asinis sunt, vt scribit Paulus Venetus. Sunt apud Indos boues, qui maximos hircos magnitudine non superare videntur. Bubus alijs Indicis camelorum altitudo, & iuxta Plinium mulæ maiores quàm mares. Rana aquatica innoxia, femina mare maior. Inter ouipara sæpè feminæ maiores sunt maribus; inter viuipara contrà.

CAPVT XL.

De motu.

GRadiuntur animalia, volant, natant, saltitant, repunt, labuntur, trahuntur, iactantur, alia consistunt semper. Bipedes & erecto corpore non rarò incedunt vrsi, mures Alpini, ericetus. Sunt mures qui bipedes ambulant, iuxta Aristotelem. Lacertus aquaticus irâ incitatus, rectis pedibus insistit. Simiarum genera omnia stant, sedent, incedunt vt homines. Arborem auersi derepunt vrsi; imitantur in eo homines. Pedatim (κατάσκελοι) incedunt leones, cameli. Saliunt magis quàm currant lepores, ranæ, ibices, rupicapræ. Elephas poplites intus flectit, hominis modo; cetera animalia diuersùm, iuxta Aristotelem. Sed & lacertis priora genua pòst curuantur, posteriora antrorsum. Vrsis præterea & simiarum generi contraria sunt genua. Tardus incessus & piger bobus, asinis, lacertis aquaticis, crocodilis, testudinum generibus, chamæleonti, salamandræ, & omnibus quibus breuia & compacta crura, aut genua contraria. Natatilia sunt amphibia omnia, reliqua se in aquas non nisi refrigerandi gratiâ immittunt. Testudines supinæ sese inuertere nequeunt. Timida pleraque velocitate valent, & quibus longa & gracilia crura. Velocissimo cursu valẽt snackij (animal apud Moscouitas) tigres, tarandi, asini Reatini, adeò vt volare videantur, onagri, cerui, musmones, tauri Æthiopici, & omnes tauri feri, ibices, rupicaprę, cynocephali, satyri, monocerotes, capreæ, leucrocuta, alces, cameli, κόλος, pantheræ, thoës, canes, equi, hyænæ, lynces, leones, elephanti, lupi, lepores. Ea que sede stabili degũt, in humore sunt. Terrestriũ nulla statu immutabili viuunt, vt quietem formicarum miretur Carystius. Nam Hellanicus Lesbius narrat, Thebis Ægyptijs esse specum in vrbe, in quo trigesimo quoque mensium die nullus ventus fit, reliquis diebus

bus ventosis: viderique eum delectum aliquid inscrutabile & obseruatu difficile habere, sicut & hoc quòd Euripus septimo quoque die non reciprocet, & formicæ nouilunio quiescant.

CAPVT XLI.

De temperamento.

Temperamento calido & sicco canes, leones, vulpes, mustelæ, cerui, cati, apri qui igneæ sunt naturæ, onagri, asini, leopardi, cameli, equi. Leporem alij calido & sicco, alij sicco & frigido faciunt. Calido & humido temperamento, sus, mus; frigido & sicco, boues, elephanti, canes, lutræ. Frigido simiæ: frigido & humido, vrsus, salamandra. Temperamento prauo testudines. Siluestria eadem quâ vrbana temperie sunt, sed ficciora & calidiora. Rapacium omnium carnes declinant ad siccitatem. Frigoris præ ceteris patientes vrsi, vaccæ, salamandræ, ibices. Leonina caro ceteris calidior. Bos temperamento quàm sus multò sicciore. Canis animal est temperamenti calidi & sicci, si ipsum per se consideres: si ad hominẽ conferas, siccus est; si ad formicam, humidus. Rursus hominis respectu calidus est. Leo frigidus est, iuxta Galenum.

CAPVT XLII.

De odore.

Solas animaliũ pantheras odoratas esse, apud veteres legitur, sed hodie ciuetti & moschi animalia odorata reperiũtur, at pantheræ non homini, sed animalibus ceteris benè olent. Olida & fœtida sunt lamiæ. Mustelarum genus omne irâ incitatum graue quiddam olet, maximè tamen putorius, histrix, cuniculi, lutra, castor, hirci, vulpes, cati, mus Alpinus, & mus araneus.

CAPVT XLIII.

De aliis qualitatibus.

Lacertus dissectus partibus suis iterùm coit. Homo, quem lupi Italici priores viderint, vocem amittit. Bitis si à muliere aspiciatur, extemplò eam in morbum adducit. Hyænæ vmbræ contactu canes obmutescere tradunt. Vncia animal sæuissimum, cùm libidine feruens aliquem sauciauerit, mures ad saucium conueniunt, & permingunt, & ita saucius moritur.

CAPVT XLIV.

De voce.

In Indiâ Occidentali & Africâ muti canes inueniuntur. Muta sunt talpa, rubetæ genus terrestre, crocodilus. Ranas in Cyrenâ planè mutas esse, scribit Aristoteles; idemq; de Seriphijs Plinius: cetera sunt vocalia. Ranas mutas dumtaxat ex accidenti esse causâ, censet elegantissimus Simocatta. Quærit in Quæstionibus physicis, cur Seriphiæ ranæ mutæ sint. Respondet ita: *Quòd mutæ sint eæ, in causâ est aquarum natura ob nimiam humiditatem. Vnde si quis transferat hoc animal, loquax statim fecerit, & ad propriam naturam reduxerit, quasi liberatum Circæ vinculis.* Cyrenæa autem rana quòd non sit loquax, amaror aquarum efficit. Cicada femina muta etiam fertur. De eadem idem Simocatta lepidè quærit, cur cicada femina sit muta facta: & respondet id fieri quasi per modestiam pudeat loquacitatis. *Non vides*, inquit, *compositè hanc istam cicadam insidentem ramo, nimis taciturnam, tamquam si Pythagoræ instituta dogmatis?* Frigidâ natura sunt cicadæ, ea propter circa æstiuam tropam incipiunt canere, & Sole recedente à suaui minuritione istâ desinunt, temporeque meridiei sunt vocaliores. Cicada igitur femina humore multùm superat masculum, & natura ei silentium indixit, intendens humiditatem. Ideò garrula cicada, non est femina, sed Theano veluti quæpiâ secreta reticens, Homero quasi, qui sermonem viris curę esse præcipit, obedit ac obtemperat. Fortia animalia vocem grauem edunt, vt leo, bos. Timidis vox plerumque acuta, vt lepori, murium generi, mustelis, canibus. Mures Alpini vocem argutæ fistulæ similem edunt. Voce argutissimâ præditum est rubetæ genus paruum. Sibila emittunt, vt dracones, lamiæ: sibilum perexiguum & abruptum, testudines. Ganniunt vulpes, & blandè immurmurant; latrando & vlulando canes etiam imitantur. Vox terribilis neadibus, obscœna & dira catis & monoceroti. Voces catis pro vario animi affectu variæ. Ouium vox mollis & remissa, μαλακή, ἄτονος. Hyænam tradunt inter pastorum stabula, nomen alicuius assiduo auditu addiscere. Crocutæ quoque, & leucrocutæ, mantichoræ, & sphinges hominum sermones imitari traduntur. Cynocephalos vlulare tantùm, Aelianus scribit. De minoribus feris, vt sunt vulpes, choës, & lupi, ὑλακτεῖν καὶ ὠρύεσθαι dicitur, vt notat Pollux. Sunt singulis animantium voces propriæ ad venereum coitum. De varijs animantium vocibus lege Auctorem Philomelæ,

lomelæ, quæ proprij quasi effectus appellari possunt, vt mugire boum, hinnire equorum.

CAPVT XLV.

De cibo.

COrdulus solus, vt multis videtur, ex ijs quæ humorem recipiunt, pastũ aggreditur. Herbarũ pastu viuunt ex carniuoris, præter vrsum, nisi medicinæ gratiâ, nulla: ex amphibijs, genus alterum vrsorum aquaticum, & mures aquatici; ex ceteris solipeda & bisulca, item lepores. Vnum animal digitos habentium herbâ alitur lepus, iuxta Pliniũ. Sed & alia quædam digitata herbis vescuntur. Ranæ quoque terrestres herbis & terrâ pascuntur. Sunt quæ fructibus arborum viuunt, vt simiæ, sciuri, taxus, tatus. Sunt qui fructibus arborum, herbis, & radicibus promiscuè vescuntur. Herbis odoratis pascitur moschi capreolus, odoratis floribus scincus. Mellis auida meles, ictis, salamandræ, steliones, scinci, vrsi. Ad Chalibas aurum à muribus vorari aiunt; in Cypro, Paro, Gyaro insulis ferrum erodi. Lupus peculiare esse terram quamdam in fame edere, scribunt Plinius & Aristoteles. Non alio quàm aëris alimento chamæleon viuit, iuxta Plinium & Solinum: sed alij chamæleontem rore & muscis ali scribunt. Venenis capræ & coturnices pinguescunt. Stellio araneis viuit, & rore, & melle. Sues deuorant serpentes, limaces, & salamandras. Ichneumon serpentes in cibo appetit. Mortiferis herbis pascitur catoblepa, & taxus. Omniuora sunt vrsus, sues, vulpes, lacerti, mures Alpini, ichneumõ, feles. Carniuora sunt digitata viuipara omnia, præter leporũ genera. Quadrupeda viuipara, quæ serratis sunt dentibus, carne omnia vescuntur, iuxta Aristotelem. Ex his cadaueribus vescuntur, quæ ex prædâ viuunt: sues etiam famis tempore cadaueribus non parcunt, quin etiã proprios fœtus præ fame absumũt. Boues quosdã luporum instar carniuoros esse, Rhasis scribit. Apud Garamantas ouillum pecus carne & lacte ali, Ælianus narrat. Ranæ mortuã talpam deuorant. Ἰχθυόφαγα omnia amphibia, & præterea cati. Cynocephali genus quoddã piscationis peritissimum. In vico quodam Indiæ pisces ab indigenis capris pro cibo obiici, Aelianus testis est. Agricola affirmat, iltissos, more fibri, in riparũ cauernis pisces captos comedere. Noërza quoq; mustelarum generis victum ex aquâ petit. Pediculis delectãtur simię, vermibus talpæ & testudines terrestres. Turdorum fimus bobus in pabulo datur. Aues & gallinas venantur vulpes, ichneumon, cati, putorius, & alia quædã mustelarum generis. Opistonoma boues Indici, & Garamãtici: alce prętereà propter crassitudinem superioris labri. Prioribus pedibus pro manibus vtũtur sciuri, & cetera murium genera, vrsi. Elephas promuscide loco manuum vtitur. Carpunt pascendo gramen oues & capræ. Sũt qui capras à carpendo dictas autument. Sunt quibus somnus pro cibo est, de quibus posteà. Famis patientes sunt asini & leones. Vescuntur leones alternis diebus, iuxta Aristotelem & Pliniũ. Echinum aiunt ad annum vsque sine cibo durare posse. Ruminant cornigera, & prætereà camelus, lepus, cuniculus, mures etiam vulgares, non tantùm Pontici. Noctu pascuntur lepores, cuniculi, vulpes, capreoli, lupus, hyęna, mures: testudines noctu è mari pastũ egrediuntur, interdiu viuũt conchyliis.

CAPVT XLVI.

De potu.

VEnustè morem elephantis commendat Theophylactus Scholasticus. *Exhorret*, inquit, *vmbrã sui in aquâ visam elephas: quapropter & Indos obseruare illunem noctem dicunt, quando transfretare volunt hoc animal. Narcisso isti, quem fabulæ celebrant, exemplo est elephas, vt suâ ipsius vmbrâ declinatâ, amores auersetur à naturâ alienos.* Hæc ille. Aquã turbulentã suauiùs bibunt cameli, elephanti, equi, & muli, iuxta Aristotelem; sed Camerarius equis limpidam & recentem aquam vult administrari. A potu abstinent asini pastorales apud Afros, item histrices, secũdùm quosdam, sed Georgius Agricola histrices bibere docet. Glires an bibãt, non satis compertum. Cuniculi à potu menses aliquot abstinent. De mure quoque an bibat, non satis constat. Aristoteles murem bibentem facit: idem mures, cùm biberint, emori scribit. Hoc Michaël Ephesius vniuersale existimat omnibus muribus. Leo quoq; rarus in potu est. Cameli quatriduo sitim tolerãt. Aquas in Angliâ ouibus exitiales esse, Cardanus scribit. Vino delectantur pardalis & papiones. Elephanti & equi vino sumpto ad pugnam animosiores reddũtur. Sues inebriantur vini fæcibus. Simiæ quoque inebriatæ capiuntur. Vrsi bibendo aquã morsũ vorant. Sorbendo bibunt, quibus continui dentes; reliqua lambendo. Corui æstate non bibunt. Nec minùs mirificum, quod Carystius scribit: *Phyllis ferunt greges quinto demũ die potari.* Prodigiosius eo est, quod in Zacyntho fit. Nam quo tempore spirant Etesię, capri hiantes stant versus Boream, eoque contenti, aquam non requirunt, neque bibunt.

CAPVT XLVII.

De morbis.

PEſtis accedit lanigero maximè pecori. Scabies equis mortifera. Tuſſis ſues, equos & oues angit. Angina morbus iuuencas necat, & ſues. Alopecia morbus vulpium. Aſthma in equis incurabile. Comitiali morbo infeſtantur capræ, oues, equi, cati, alce. Viculæ (alij viuulæ) equos occidunt. Tres acutiſſimi morbi equis, & aliis quibus ſolidæ ſunt vngulæ, accidunt, veſica, conuerſio inteſtinorũ quæ *ileos* vocatur, & cardiacus, iuxta Hieroclem. Oues & capræ numquam ſanæ ſunt, ſemperq; febri obnoxiæ. Elephantiaſis morbus boum & equorum. Febri tẽtãtur equi, leones, boues, oues, & capræ ſemper, mulus rarò. Patuit ceruos numquam febreſcere, ſcribit Solinus. Ficus & frenes morbi equorum, quorum hic intra duas horas aliquando eos occidit. Hernia ex calcitratu equos occidit: ignis ſacer oues. Mulis peſtis, cuius multæ ſpecies à Vegetio numerantur, bobus, equis & aſinis exitialis. Criſtiaſis morbus equorum, Latinè hordeatio. Coriago peſtis bubuli generis, & equorũ. Dracunculus vermis equos vexat, item dyſuria. Hyoſciamo poto ſues inſaniunt. Potomageton herba crocodiliscontraria. Rhododaphnes flores & folia mulis, aſinis, capris, canibus, & quadrupedũ plurimis; ſalina capris & ouibus; ſcrophularia ſuillo generi, mandragoræ mala vrſis venena ſunt. Adamantis herba leonibus eſt aduerſa. Aconitum lycoctonon omne animal occidit: alij addunt, omne animal quod cæcum naſcitur. Apocymum canes & omnes quadrupedes necat in cibo datum. Allium muſtelæ & pantheræ aduerſum. Herba quam noſtri *anſerinum pedem* vocãt, ſuibus venenoſa eſt. Squillæ contactu lupus torpet. Vulpes aiunt, ſi ederint amygdalas amaras, nec ſuperbiberint, mori. Fimum gallinæ à boue inter pabula ſumptum, bouem necare dicitur. Cicuta herba ab aſinis depaſta in Tuſciâ, grauiſſimum illis ſoporem inducit, adeò vt mortui videantur. Conyzam edentes capræ moriuntur. Crocodilus terreſtris crocum timet, vnde quidam eum dictum exiſtimant. Chamæleon albus canes, ſues, mures; helleborus niger equos, boues, ſues occidit.

CAPVT XLVIII.

De remediis.

AEgroto leoni ſimia pro remedio eſt, vrſis formicæ, ſuibus & ceruis cancri; illis à ſerpentibus, his à phalangio, vel alio quouis venenato genere. Ictis hyoſciamo deuorato, ſues etiam ſibi cancris medentur. Plura alibi collegi.

CAPVT XLIX.

Cur animalia ægrotent.

HIc commemorare iuuat, cur animalia, incapacia culpæ, pœnam ſæpè tolerent. Sciſcitata iſtud fuit beata Birgitta, cui ita Chriſtus reſpondit: *Quæris cur animalia patiuntur infirmitates. Hoc ideò eſt; quia in eis, ſicut in ceteris, omnia ſunt inordinata. Nam ego ſum omnium naturarum conditor, & dedi vnicuique naturæ temperamentum ſuum, & ordinem in quo vnumquodque moueretur, & viueret. Verùm poſtquam homo propter quem omnia facta ſunt, dilectori ſuo, id eſt mihi Deo ſuo ſe oppoſuit, cœperunt & omnia alia inordinationem ſuam ſuſcipere, & omnia quæcumque ei reuereri deberent, cœperunt ſe ei opponere & aduerſari. Propterea ex huius inordinationis vitio, ſicut homini, ſic & animalibus plurima contingunt moleſta, & aduerſa. Ceterùm animalia etiam quandoque patiuntur propter intemperantiam naturæ ſuæ: quandoque propter mitigationem feritatis ſuæ, & purgationem ipſius naturæ: quandoque propter peccata hominum, vt cùm illa plagantur, & ſubtrahuntur, quæ diligit homo; attendat ipſe homo quantâ pœnâ dignus ſit, qui maiore vtitur ratione. Etenim niſi exigerent peccata hominum, non ita ſingulariter animalia, quæ ad manum hominis ſunt, affligerentur. Sed nec ipſa ſine magnâ iuſtitiâ patiuntur. Nam aut erit eis ad celeriorem vitæ finem, aut ad minorem miſeriæ laborem, & naturæ fortis conſumptionem; aut propter mutationem temporum, aut ex incuriâ hominis labore proueniente. Timeat ergo homo præ ceteris me Deum ſuum, & tantò mitior ſit circa creaturas meas, & animalia, quibus & propter me earum creatori miſereri debet. Ideò enim ego Deus præcepi homini de ſabbato, quia cura eſt mihi de omni creaturâ meâ.* Adijciam quæ de dolore partûs ſubdit oraculum. *Ad ſecundam quæſtionem, cur omnia naſcuntur cum dolore, reſpondeo: Homo quando contempſit delectationem pulcherrimam, ſtatim incurrit vitam laborioſam, & quia inordinatio cœpit in homine & per hominem; Iuſtitia mea eſt, vt etiam alijs creaturis, quæ ſunt propter hominem, aliqua amaritudo ſit propter temperamentum delectamenti ſui, & fomentum nutrimenti ſui. Ergo naſcitur homo cum dolore, & progreditur cum labore,*

vt

vt ad quietem veram festinare studeat: moritur verò nudus & pauper, vt refrænet inordinatum modum suum, & timeat futuram discussionem. Animalia etiam ideò pariunt cum dolore, vt excessum temperet amaritudo, & participes sint hominis in labore & dolore; propterea homo quantò nobilior est animalibus, tantò feruentiùs diligat me Dominum Deum creatorem suum.

CAPVT L.

De vitâ.

NVnc dicamus de vitâ. Hesiodus cornici nouem nostras tribuit ætates, quadruplum ceruis. Camelos viuere quinquagenis annis, quosdam & centenis, Plinius & Aristoteles tradunt. Elephantem alij annos ducentos, alij trecentos viuere aiunt: Aristoteles, Ælianus, Solinus, Strabo. Ad senos annos viuunt ichneumon, hircus, catus: sed cati annos ferè decem etiã viuunt. Ranæ tẽporariæ ex puluere & imbribus ortæ breuissimę sũt vitæ. Hemerobius diarius est. Aetate differunt capræ & capreolus. Discernũtur in primâ ætate vitulus & vitula, in secundâ iuuencus & iuuẽca, vt notat Varro. Longum tempus viuũt lupus, leones, mures; vulpes etiam iustam satis ætatem consequuntur. Vita aliquibus mulis ad octogesimum annum, asinis ad trigesimũ. Vita equorum plurimis ad decimum octauum atque vigesimum, longissima ad trigesimum annum. Nonnullæ feminæ quadraginta vixerunt annos. Viuunt etiam annis quinquagenis, iuxta Plinium, qui & proditum fuisse ait, septuaginta annos equũ vixisse. Quindecim annos, aut ad summum viginti, viuunt boues, sues, canes: sed Laconici canes denos, feminę duodenos tantùm, vt scribit Plinius. Vita ouibus ad denos aut duodenos interdum, capris ad octonos complurimùm annos, in Aethiopiâ verò ad vndenos etiam. Animalia quæ frequenter coëunt, breuioris sunt vitæ. Mulæ & asinæ maribus sunt viuaciores. In plerisque sanguineis viuiparis mares sunt viuaciores quàm feminæ, iuxta Aristotelem. Magna animalia plerumque viuaciora sunt paruis. Mares equi minus temporis viuunt quàm feminæ, propter coitum, secundùm Aristotelem. Plinius contrà maribus plures tribuit annos. In calidis regionibus animalia sunt viuaciora quàm in frigidis. Ea quæ felle carent, longioris sunt vitæ, quàm cetera quæ fel habent.

CAPVT LI.

De somno.

ERecto corpore somnũ capere elephantes, dixerunt aliqui. Aries ad vtrumque Aequinoctium cubandi rationem mutat, vt scribunt Aelianus & Macrobius; id alij fieri negant. Oculis apertis dormiunt leones, lepores. Sunt qui leonem insomnem esse existiment. Testudo marina in aquis stertendo dormit. Somniant ferè omnia quæ animal pariunt. Hibernis mensibus somno sepulti latent vrsi mares quadragenis diebus, feminę quaternis mensibus; glires item, testudines, mus auellanarum, crocodili, ericeti, mures Pontici, sciuri, lacertarum & ranarum genera omnia, chamæleon, mus Alpinus, histrices, erinacei, taxi, & mustelæ non totâ hieme dormiunt. Ex his quædam veterno pinguescunt, vt vrsi, glires, ericeti. Plurimum dormiunt sues & mustelæ. Dies in terrâ, noctes in aquâ degit crocodilus. Noctu vigilat, interdiu dormit histrix.

CAPVT LII.

De respiratione.

APes & alia insecta per poros saltem totius corporis respirant. Apros Indicos, quos vocant *sainos*, placuit nonnullis per dorsum spiritum emittere, veluti alij per nares ibi foramen habere instar vmbilici. Cetacea aquam efflant. Sua quoque aliqualis spiritus emissio est aquatilibus. Cacum spirare ignes, scripsere aliqui.

CAPVT LIII.

De ingenio.

POst artus & corpus obuio demiremur excursu affectus & animum brutorum. Non idem omnibus: diuersus est, imò auersus. Lupus, camelus, vrsus, & suilla omnia, naturali odio aduersantur equis. Quidam his struthio-camelũ addunt: Aristoteles & Plinius anthum auem, quæ equorum hinnitus imitatur. Vestigia lupi calcata equis, afferre torporem ferunt. Lupus echinum metuit: eidem maximè aduersus leo, adeò vt corium leonis cum corio lupi positum, ipsum depilet. Basilisco serpentium venenatissimo mustelarum virus exitio est. Lepus omnium prædæ nascitur. Crocodilus infestos habet ichneumonem, delphinum genus in Nilo, cercopithecum, accipitres, bubalum. Ichneumon cum aspide inimicitias gerit, cerco-

cercopithecus cum simiâ, simia cum testudine vel limace; testudo cum perdice, viperâ, & serpente; serpens cum buteone, ceruis, rubetâ, mustelis, suibus, muribus, & lacertis; lacerti cum rubetâ & cochleis; mustelæ cum cornice & suibus; mures cum felibus, mustelis, viperis, vulpe, accipitre, & nocturnis auibus. Leoni dissidium est cum scorpione, quem mirè fugit; item cum leontophono, muribus, thoë, monocerote, & gallis, qui leonibus maximo dicũtur esse terrori. Scorpio stellionẽ hostiliter odit. Capitale odium muribus, & catis. Hyæna, mus araneus, hominis cranium, & gallinaceus aduersantur. Si hyænæ & pardalis pelles commiscentur, pardalina pilos amittit. Chamæleonti cum serpentibus, ceruis, & accipitre pugna est. Circus, accipiter, æsalo, Nili angues, miluus, lupus, vulpi aduersantur; lupus ouibus & tarandis. Oues etiam mortuæ, mortuum lupum expauescunt: nam ouina tympana coram lupinis pænè obmutescunt, & ouina pellis cum lupinâ iuncta pilos amittit. Elephanti formidant hircum, porcum, mures, & dracones. Coruus infestus est tauro & asino. Asinus etiam colotam inimicam habet. Sorices & ardeolæ fœtibus inuicem aduersantur.

CAPVT LIV.

De industriis.

INdustrias nunc admiremur, quas sæpè, quia libenter, intrudimus. Lupus contra magna armenta dimicaturus, ventrem terrâ explere dicitur, vt ponderosus non facilè excutiatur: visus est etiam frondes, quas ore gestauit, capris porrexisse, hocque modo enecasse. Idem minores pecudes auriculâ comprehensâ secum currendo abducit, & renitentium clunes caudâ ferit. Fertur de muribus Alpinis, quòd alijs pabulandi gratiâ ex cauernâ egressis, vnus ante aditum custos in speculis excubet, qui hominũ ferarumque aduentum ceteris clamore denuntiet. Vnus ex muribus Alpinis pedibus supinis fœnum à reliquis congestum ceu plaustrum accipit, & sic onustus, caudaque mordicus apprehensus, inspecum trahitur. Eodẽ modo castores ligna aduehere, & taxos effossam terram ex domicilijs euehere, apud recentiores legitur. Castores ex lignis quoque casas artificiosè extruunt. Crocodilus cùm fame stimulatur, haustas vndas in semitas euomit, vt homines aquatum egredientes, in lubricâ viâ labantur, & faciliùs abs se corripiantur. Iam prouerbiales sunt *crocodili lacrymæ*. Vulpes in terram abiecta, mortuamque se simulans, aduolantes aues hianti rictu captat. Eadem erinaceum conuolutum vrinâ suâ suffocat. Pisces quoque astutè ex ripis caudâ illaqueat. Vespas prætereà caudæ villo implicatas, ad obuias arbores aut muros excussas obterit, & deuorat. Echinus vindemiæ tempore vites subit, pedibusque botrorum acinos in terram decutit, quos ibidem volutatus vndique spinis confixos excipit, iuxta Plutarchum. Pantheram, cùm venatur, sese abscondere ferunt, & odore suo belluas illectas inuadere. Hyæna vomitionem hominis imitãdo, canes capit, iuxta Aristotelem. Malignè astuta sunt, quæ sunt angustis oculis vel pupillis, vt mustelæ, ichneumon, catus, simiæ, vulpes, stellio, lutra, crocodilus, mures, lupi, lynces, castor, vrsi, ericetus, erinacei, hyænæ, chamæleon: hæc omnia sunt etiam mordacia: simplicia & stolida, bos, alce, ceruus, ouis, asinus, sues.

CAPVT LV.

De disciplinâ.

HYæna vocem humanam imitari fertur. Ptolemæus secundus ceruum ad Græcum sermonem assuefecerat. Susiæ boues numerandi scientiam tenuisse existimantur. Indicum sermonem intelligunt cynocephali. Ad omnia sunt dociles elephanti, simiæ, canes. Elephanti genibus summissis, Regibus aliquando supplices fuerunt. Est illis quoque religio siderum, iuxta Plinium. Equos & boues saltationes didicisse constat. Plura alibi dedimus.

CAPVT LVI.

De stratagematibus.

AStutias brutorum libentissimè mirati, iterùm introducimus, mutato titulo. Sic placet ratio, vt inane eius simulachrum nos delectet, toties detineat. Imitamur quidẽ naturæ gustum, quę imaginem mentis libentissimè & vbiq; pingit, & placens sibi, in eius occupatur pulcherrimâ effigie. De alce ferũt quòd à venatoribus agitata ad aquas confugiat, easque frigidas ore haustas, feruidas denuò in canes eructet. Castorem in fugâ genitalia mordicus euellere, alij negant, alij affirmant. Leo cùm à venatoribus quæritur, sua vestigia caudâ obducit. Canem insectantem vulpes caudâ hac & illac per ipsius rictum ductâ eludit. Elephanti à venatoribus fossis aut foueis dolo intercepti, ab alijs, congestis siluis, & iniectis saxis foueâ expletâ, liberantur. Ijdem cùm fugiunt, aut pugnant cum venatoribus, infirmos aut fessos in medium agmen

agmen recipiunt. Mures mutuas caudas mordicus tenentes in aquas lapsos subtrahunt. Sciurus fluuium traiiciens, assere vel cortice pro naui vtitur,& caudâ pro velo. Visa est mustela continuatis saltibus fluuium Limagum transisse,& non esse demersa. Lupi caudis mordicus mutuò comprehensis, fluuios tranant. Faciunt idem mures Caspij, ne impetu fluminum abripiantur. Elephanti minimos præmittunt, ne maiorū ingressu atterente alueum, gurgitis altitudo crescat, vtque contra insequentes hostes à tergo sese muniant: matres verò lactentes pullos promuscide aut dentibus ferunt. Ijdem cùm fossā transilire nequeūt, qui ceteris robustior est, in fossam se demittit, & per tergū transuersus gradientes pontis loco suffert, ceteri deinde seruati, pro muscide & sarmentis eum qui in fossâ seruierat, extrahūt. Vulpem frigore concreta flumina transeuntem, obseruatum est aure ad glaciem appositâ, coniectasse crassitudinē glaciei. Asini pontes non transeunt, per raritatem eorum translucentibus fluuijs. Ceruorum astutiā, fugientium ad consueta loca cùm cornua deiecerint, sic commendat Simocata. *Nouit sepia atramenti sui dolum, quo se piscatoribus facit inuisibilem: sicut animalia, quæ curuis vnguibus sunt, suas vires. Scit lepus cursu pedumq; velocitate venatoris insidias euitare: scit etiam ceruus detonsus cornua, quòd ij qui vim faciunt, inuadant naturam se imbecilliorem, quocircà absconditur, veluti miles aliquis exarmatus aciem veritus, ac procul alibi à pugnâ abesse cupiens.*

CAPVT LVII.

De præsagio.

QVam sagacitatem demirabimur brutorum, si præsagia damus? Erinacei mutationem Aquilonis in Austrū, condentes se in cubile, præsagiunt. Mures quoque Alpini tempestates designant: pluuiâ impendente somnum petunt, serenitate instante ludis indulgēt. Cynocephali Lunæ eclipsin præsentiunt. Idem animal Solis & Lunæ coniunctionis tempus cognoscit, & tunc mirè afficitur. Tempestatum præscia sunt bos, lepus, sciurus. Ranæ aquaticæ & terrestres pluuiam denuntiant. Testudines, cancri, & crocodili futuram Nili inundationem præsentiunt: fibri etiam fluminum, in quibus posuere cubilia. Mustelæ & mures domum ruituram præsentientes, paulò antè migrant. Canes, boues, sues & capræ impendentem pestem, terræmotum, & frugum fertilitatem præsentiunt. Oryx caniculæ stellæ exortum præscire ab Ægyptijs creditur: idem de Lybicis capris perhibetur.

CAPVT LVIII.

De conditionibus & affectibus.

CAndidâ veste elephanti efferantur: eadem suibus feris & domesticis est aduersa. Veste rubeâ boues efferantur. Pennæ rubrę aspectu terrētur cerui. Vrsos & leones mappa proritat. Ignem formidant elephanti, leones, lupi, asini. Leonem etiam rotarum orbes circumacti terrent. Mures aranei orbitam si transiere, moriuntur, iuxta Plinium. Ichneumon à vento admodum sibi timet. Tympani sonitu vrsi & lupi fugantur. Lupi etiam lapidum collisionem timent. Tigrem dicunt si tympanorum sono obstrepatur, insanire, seque ipsam discerpere. Gregalia sunt timida ferè omnia, cerui, oues, onagri, equi, sues, apri, elephanti. Castores gregatim lignatum exeunt: gulo gregatim exit ad prædam. Reliqua quæ ex prædâ viuunt, pleraque solivaga sunt, vt vrsi, leones. Armenta mille tarandorum simul in siluis conspiciuntur. Ex ouiparis congregabiles sunt ranæ, crocodili, lacerti aquatici, rubetæ aquaticæ. Lacerti compares incedunt, iuxta Plinium. Timida sunt cuniculus, lepus, axis, pæphagus, chamæleon, oues, capræ, onagri, damæ, capreæ, rupicaprę, equus, sus, dorcus, platyceros, mustelæ, & in summâ quæcumque malefica, vt mures cum suis singula generibus. Aurita animalia omnia sunt timida. Crocodilus fugax animal, audacissimum timido. Fortia & animosa sunt animalia, quorū sanguis crassus & fibris refertus est, contrà quorum sanguis dilutior, & sine fibris, timida sunt. Mares in omni genere animantium fortiores sunt, præterquam in pantheris & vrsis, iuxta Aristotelem. Perpetuò mansueta sunt *συναν-θρωπίζοντα*, vt ouis, bos, equus, canis. Perpetuò fera hyæna, & quædam congenera, catoblepa, bison albus Scoticus, castor, monoceros, gulo, quædam murium genera, lamia, aper, lauzanū, vncia, crocodilus, chamæleon. Mediæ naturæ inter fera & mansueta sunt cuniculi, lepores, mustelę, putorius, genetha, bubalus vulgaris, sciurus, simię Prasianę, erinacei. Plinius etiam glires inter semifera numerat. Ex feris & semiferis cicurantur mus Alpinus, mus Noricus, alpheth, ceruus, elephanti, ita vt mansuetissimi fiant, boues feri, præter bisontem, equi feri, viuerræ, zibetus, lutra, tarandus, martes, putorius, camelopardalis, moschi, capreolus, onagri, meles, simiæ, sciuri, lepores, ichneumō, ibices, capreoli prętereà & capræ quædam siluestres. Rarò & difficillimè cicurantur monocerotes: non nisi adhuc pulli, vrsi, pantheræ, leones, tygrides, lupi, lynces, quæ tamen feritatem num-

quam prorsus exuunt. Rabie efferantur canes, cameli, lupi, & quibus dentes serrati. Inuida sunt illa quæ perdũt quod prodesse poterat. Galeota cùm exuit senium, conuersus id deglutit, est enim, vt Aristoteles recenset, medicamentum contra epilepsiam: similiter phoca postquam peperit genituram, nam id eiusdem morbi est remedium. Feruntur & equę vorare hippomanes, quod pullis recèns natis in fronte nascitur, & ad varios vsus quæritur; & ceruæ dextrum cornu defodere, vtile ad multa.

CAPVT LIX.

De fine.

Finis causa capitalis est. Hæc primo & vltimo loco pertractanda. Cur edita animalia? Ad notitiam Dei, ad eruditionem nostram, ad vsum. Satis de inuestigatione diuinitatis ex animaliũ naturâ in Libro primo egimus, nec opus est id repetere: solùm rememorare, continuis hymnis extollendum Deum, cuius maiestatis, sapientiæ & bonitatis vmbræ & lituræ in naturâ clarissimæ & perspicuę in omnem admirationem raptant.

CAPVT LX.

De eruditione ex brutis.

De eruditione & exemplo brutorum ad omnem nos instituentium frugem, egimus non semel: pauca adijcere liceat. Parentes suos ætate grandes nutriunt elephãti, glires, leones, rupicaprę, & aliæ caprę siluestres, taxi, ciconię. Semiuulpa vtero exteriore magnæ crumenę similem habet loculũ, quo recèns natos filios circumfert, donec sibi victum per se quærere didicerint. Iustitia, liberalitas, & clementia tribuuntur leoni & elephanti, vltima etiam cani. Φιλάνθρωπα sunt equus & elephantus, qui lacrymis dolorem in dominorum suorum funere sunt testati. Elephantos mulieris formâ captos, constat. Canum in dominos fidei multa sunt exempla. Lacerti quoque virides homini sunt beneuoli. Vnicornum aiunt ipsas puellas adeò venerari, vt ipsis visis mansuescat, alioquin ferus & indomitus. Thoës hominem diligunt, neque offendunt, iuxta Aristotelem. Elephanti & vrsi cadauera sui generis sepeliunt, vt Tzetzes commendauit. Elephanti iussa faciunt: eosdem nutricis omnia munia circa puerum obijsse, compertum est; litteras verò Gręcas & Latinas didicisse, & in tabulâ scripsisse, auctores sunt Plinius & Ælianus. Ab ijsdem hominũ adulteria punita esse cõstat. Saltationes discunt, & funibus inambulant: mirâ sagacitate vestigia hominũ explorant: à patrio solo abstracti, vberrimis lacrymis dolorem suum testantur. Asini ad natos per ignem tendunt. De temperantiâ coruorum, qui æstate non bibant, eleganter Theophylactus Scholasticus philosophatur. *Patiuntur morbum aliquem æstate corui, solutionem nimirum alui, ô Polycrates; vnde fit, vt fluuij, & fontes, & paludes nihil prosint æstate coruis, ne humore fluxus alui augeatur. Sciũt igitur artem dietæ corui, cùm neque Hippocratem didicerint, neque Machaonis aut Chironis pharmacis instructi fuerint. Vident quidem Arethusam æstate corui, vident etiam Istri fluenta, & sanè Nilum quoque Aegyptũ inundantem, sed simul ijs non licet bibere. Verùm, ac si Tantali essent, castigati acerbissimam hanc pœnam luunt.*

CAPVT LXI.

De vsu animalium in alimento.

Qvoad vsum, satis sit cõmemorare commoda quæ nobis adferunt alendo nostram vitam, protegendo corpus, adiuuando operas, medicando ægritudines. Caro vesca, bubula, leporina, suilla, ceruina, item muris Alpini, muris Norici, sciuri, capręæ, rupicapræ, gliris, ouium & caprarum, echini suilli, cuniculi, lutræ, castoris, tarandi, taxi, testudinum, ranę aquaticæ. Ex tantâ elephãti mole nihil esculentũ esse nisi promuscidem, & labra, & cornuum medullã, Aelianus scribit. Vartomannus renes addit. Indi comedunt clunes tigrium. Ariophagi populi Aethiopię pantherarum & leonum carnibus vescuntur: Afri lacertis virentibus, & simijs, Borussi equis siluestribus. Hippophagi Scythiæ populi fuere. Fertur in Italiâ lupos ab Insubribus aliquando edi. Vulpes etiam, feles, pardales & pantheres quibusdã pro cibo sunt. Pullos asinarum epulari, Mecænas instituit. Asinorum etiam vetulorum, vt & equorum & camelorum quoque carnibus nonnulli vescuntur. Ἄνθρωποι τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ὀνώδεις τε καὶ καμηλώδεις, Galenus ait. Ouillum lac caprinumque, item bubulum, commodum est ad conficiendum reponendumque caseum. Caseus non fit ex vtrimque dentatis, quoniam lac eorum non coit, iuxta Plinium. Equorũ lacte & caseo Scythiæ populos ali solitos, Strabo testatur. VVestphalos fertur hodie hippace in cibo vti. Nomades etiam cynocephalorum lacte viuere, scribunt Plinius & Solinus. In insulâ Madaigascar non alia caro comedebatur quàm camelina. Indis Occidentalibus serpentes, viperæ, bufones, cœnum vsque, vesca fuerunt.

CAPVT LXII.

De vestitu.

PEllificio inseruiunt & in vestimentorum vsum veniunt pelles lutræ, castoris, lupi, lyncis, martis, omnium in summâ mustelarum, vulpis, hyænæ, gulonis, leopardi, ericeti, muris Pontici, muris Norici, cati silueſtris, ouium, cuniculorum, sciuri, talpæ, rupicapræ. Nobiliores pelles ferè primo loco posui. Vestes camelotæ, ex pilis camelorum seu caprarum. Nec silentio opprimendus vsus passerum insulæ Corui, quam dicimus *del cuerno*, siue *de las flores*, apta & idonea omnia ibi pannis conficiendis, oleum dumtaxat desiderabatur. Emendauit hoc natura: tam liberaliter enim pinguefacit passerculos eius insulę, vt inde ex eorum frixorũ pinguedine suppeditet oleum pannis & ellychnijs.

CAPVT LXIII.

De seruitio.

POrtandis oneribus dossuaria sunt & clitellaria, asini, cameli, muli. In Scythiâ ceruis cicuratis vt equis insident. Plaustraria sunt equi, boues, bubali vulgares: tarandus etiam ad conficienda itinera domatur. Aratoria sunt boues, equi, & minores elephanti apud Indos, quos nothos appellant. Arant etiam asini, vbi leuis est terra. Tarandus quoque domatur ad opera rustica ab agricolis. Venatica canes. Ex feris ad venationem instituuntur bonasi, pardi, alphet animal. Leones quoque venatoribus prodesse ad capiendos vrsos, onagros & boues feros in Tartariâ, Paulus Venetus auctor est. Rex Tartarorum habet leopardos cicures, qui mirum in modum venationi inseruiunt. Etiam lynces non minùs ad venandum industrios esse, scribit Paulus Venetus. Magna, propter venatum cuniculorum, viuerræ gratia est. Cicuratur lutra aliquando, ita vt pisces circuitu suo in retia compellat, magno piscatoris emolumento. Sunt canes venatici, villatici, pastorales vel pecuarij. Militaria, equus, elephanti, cameli. Mithridates Ponticus dormiens excubias tauro, equo, & ceruo committebat.

CAPVT LXIV.

De medicamentis.

LIberalissimè Deus humanis ægritudinibus prouidet: præparata in animalibus locupletissima est pharmacorũ taberna. Suppetũt satis, ignoramus multa: nec quidquam frustrà fecit. Nihil in illis non vtile est, vt pænè eorũ stercora pretiosa sint. Quantum aliæ partes nobiliores iuuabunt, si sordidiora, si turpiora medicantur? Immensum esset recensere omnia, audiamus Medicos aliquos, quomodo vilissimorum commẽdent vsum. Scribit Dioscorides: *Fimus caprarum siluestrium cum vino bibitus ictericos sanat, cum folio spica nardi bibitus menstruis imperat. Reliquos sanguinis fluxus cum aceto impositus abstinet. Combustus & tritus cum aceto & oximelle, alopeceias sanat. Axungiæ mixtus podagricis medetur.* Auicenna ait: *Vrina cameli confert hydropisi, & vehemẽter fætori narium, & aperit opilationes colatorij, cum virtute vehementi ablutione ex eâ facta confert.* Plinius scribit: *Stercus cameli mundificat, & destruit verrucas: abscindit fluxum sanguinis ex naribus, & quando bibitur cum medicinis, epilepsiæ confert. Item resoluit bothor & vlcera, scrophulas quoq; fortiter.* Haly inquit: *Coagulũ pulli bubali contra potũ cicutæ prodest ei qui comedit fungos. Vrina bubali si cõtrita misceatur myrrhâ aut oleo, & in aure ponatur, dolorem eius ex frigido mitigat.* Dioscorides: *Fimus bubali patienti impositus, tumores vulnerum tollit, & sciaticæ paßioni conuenit. In cataplasmatibus positus, duritias ac scrophas purgat, & pustulas soluit.* Aesculapius docet: *Stercus catti vel cattæ, cum sinapi & aceto alopeciam curat.* Dioscorides: *Lac primi partus canis capillorum ortus amputat, & in vtero infantes excludit. Lotium caninum, addito nitro, & medicamen factum, lepras & prurigines tollit. Fimus caninus in canicularibus diebus collectus, & siccus bibitus, ventrem abstinet cum vino. Albus verò fimus eiusdem arcuato morbo medetur.* Haly: *Fel bouis, tinnitibus & auris sonitui medetur, si bombace supponatur: si cum oleo mixto instilletur auri, mitigat dolorem ex frigido. In lotio quoque boum si infundat se homo, optimum est stomacho dolenti ex frigido.* Prodest etiam hæmorrhoidis. Fimus boũ cataplasmatus super apostemata grossa, dissoluit ea, si verò comburatur, & naribus insuffletur, sanguinis fluxũ ab eis sedat. Præterea si cataplasmetur eo modico cum butyro, vẽtri hydropici manifestissimè medetur. Quid iam opus esset addere, si excrementum balęnarum ambra fuisset? Alia subsidia medicinalia ex brutis non est opus enarrare; sat sit commemorare castoreũ, lapidem bezoar, vngulâ alces, cornu monocerotis. Beatissima virgo Hildegardis locupletissimè collegit in suâ Physicâ vtilitates animalium.

CAPVT LXV.

De generibus plantarum.

INfinita plantarum silua est, quarum tamen non minora humanis vsibus commoda, & victui, & indumentis, & medicinæ,

quæ nec narrandi eſt animus, nec facultas. Satis erit pingui percurrere Mineruâ earum genera & partes, atque ipſarum cum animalium membris æmulationẽ. Vniuerſaliſſima vegetabilis naturæ partitio eſt in arborem, fruticem, ſuffruticem, herbã. Non ita legitima & ſtabilis horum omnium definitio eſt, vt non eadem planta ab vnâ claſſi in aliam commigret. Nam frutex quandoq; faceſſit in arborem, & arbor in fruticem. Audiamus Theophraſti definitiones. Arbor eſt, quod ab radice, caudice ſimplici, ramosũ, nodoſum, ſurculoſũ, aut facilè diſſolubile aſſurgat, ceu olea, ficus, vitis. Frutex, quod ab radice caudice multiplici ramoſumque ſe attollit, vt rubus, paliurus. Herba, quod ab radice foliatum ſine caudice prouenit, ſemenq; caule fert, vt frumenta & olera. Sed definitiones iam accipi probarique debent, vt notis ac lineamentis quibuſdam quaſi in vniuerſum à nobis ſubſignantur. Etenim diſcrepare nonnulla ſuapte naturâ fortaſſe appareant: quædam etiam ob culturam diuerſa effici, atque à ſuâ naturâ deficere, vt malua in altum ſe attollens, atque in arborem trãſiens. Quippe ita fit: neque tempore longo, ſed menſibus ſenis aut ſeptenis, ita vt longitudine craſſitudineque inſtar haſtæ poſſit grandeſcere; quapropter cõmodè ad vſum baculi venit: tempore verò lõgiore exacto, pro ratione magis quoque incrementa capeſſit. Simili modo & beta: nam ea quoque ampliorem magnitudinem capit. Sed longè magis amerina, paliurus, hedera, vt procul-dubio arbores hæ efficiantur, quamquam frutices ſint. At myrtus, niſi ſæpiùs purgetur, in fruticem tranſit. Quin & nux auellana, quæ quidem & fructum meliorem copioſioremque feret, ſi quis plures virgas reliquerit, vt quæ ſcilicet ſuâ naturâ potiùs fruticoſa ſit. Neque malus verò, neque punica, neque pyrus, neque denique vlla quæ ab imis plãtigera ſit, caudice vno eſſe appareat, ſed culturâ, ceteris abſciſſis, vtique tales redduntur. Nonnullas etiam caudice diffuſas multiplici, causâ exilitatis relinquimus, vt punicam, vt malum. Oleas quoque & ficos multifidas dimittere aſſolent. Quin etiam magnitudine paruitateq; omnino diuidenda nonnulla quiſpiam fortaſſe cenſuerit, quædam etiam robore imbecillitateque, & diuturnitate ac temporis breuitate: quippe cùm virgultorum olerumque nonnulla caudice vno conſiſtant, & arboris quaſi naturam adipiſci ſpectentur, vt radix, vt ruta; quamobrem eiuſmodi olera nõnulli oler-arbores vocant. Et quidem omnia olerum genera certè, aut plurima, cùm permanſerint, quaſi ramos quoſdam capeſſunt; totaque in arboris figuram mutantur, diu tamen durare nequeunt. Plurimas alias plantarum claſſes & differentias idem Philoſophus tradit, quibus non eſt operæpretium diu immorari.

CAPVT LXVI.

De partibus plantarum.

NVllibi fortaſſe natura licentior, nullibi laſciuior, quàm in plantarum fabricâ. Luſiſſe potiùs quàm ordinaſſe videtur. Vix eſt dos quam omnibus communem dederit, ſicut animalibus os, & ventrem, & alia, proportione eadem. Nam neque radicẽ, inquit Antonius Reccus, neque caulem, neque germen, neque foliũ, neque florem, neque fructum plantæ omnes habere videtur. Cortex rurſus, aut medulla, aut neruus, aut vena, minimè omnibus ineſt, vt in fungorum & tuberum genere patet, quibus rebus, hiſque ſimilibus, natura vtique plantarum conſiſtit. Sunt equidem arboribus & fruticibus partes plurimæ, ſuffruticibus pauciores, quibuſdam herbis pauciſſimæ; quarum quædam primæ maximeque communes plurimorum ſunt, calore & humore partibus primis ac ſimpliciſſimis cunctiſque plantis communibus omiſſis, tamquam earum deſcriptioni cognitionique ac noſtro inſtituto minùs opportunis, vt radix, caulis, ramus, ſurculus, ex Theophraſto. Quædã perpetuò ſuis adſunt ſtipitibus, aliæ non ſemper adhærent, ſed pereunt ac decidunt, quas idcircò nonnulli partes eſſe negant, alij annuas appellant. Perpetuæ partes ſunt radices, caudices, rami, cortices, ligni materies, matrix, medulla, & aliæ: annuæ verò, & non perpetuò præſentes: flores, calices, iuli, fructus, ſemina, capitula, ſiliquæ, valuulæ inuolucra, vmbellę, pappi; & multis folia etiam, ſed non omnibus tamen. Radix igitur eſt id quo terræ planta inſeritur, atque cohęret, & alimentum allicit. Cunctis plantis hæc ineſt, paucas ſi excipias, quæ ſine radicibus viuunt & augẽtur, vt viſcum, ſtelis, hyphear, arborumq; fungi. Caulis id quòd ab radice ſimplex ſupra terram aſſurgit, & in quod alimentum defertur, ſcapuſque Latinis nominari conſueuit: ac in arboribus quidem & fruticibus caudex, in herbis verò caulis dicitur. Soboles illa coliculorum, inutiliſque è radicibus fructificatio, ſtolones appellantur, qui iuxta arborũ ac fruticum caudices erũpunt, quique euulſi atque plantati viuunt & adoleſcunt. Truncus inferior caudicis pars, radicique vicinior eſt, aliaſque truncatis ſupereſt ramis. Rami ſunt, qui in caudice aut caule fiſſi multiplices ſparguntur, & veluti brachia quædam ſe expandunt, quos Theophraſtus nodos appellat, licet minùs rectè; ex nodis namque emergunt, vt ex articulis brachia crurave in homine. Quamquã non vbique

vbique vbi nodi in stirpe sunt, ibi nascuntur rami: sunt enim nodi quidam verrucæ instar, qui non germinant, cæci ob id appellati. Surculus, quod ex ramis simplex ac indiuiduum oritur, quale potissimùm germen annotinum apparet. At quia prędictæ partes cortice, ligno, & medullâ, quæ & matrix dicitur, constant, meritò de his dicendum. Est ergo cortex pars vltima ac extima, à subiecto corpore separabilis, veluti crusta quædam ad tegendum data, quæ si velut ambiens membrana cingat, tunica à tuendo corpore dicta est; pars tamen corticis interior, quæ ligno pressiùs adhæret, propriè liber erit, is qui quos scribimus libris nomen dedit. Corium tamen à doctis non tam facies summa, quàm statumen quoddã crassiùs, cui & aliud subesse potest, nominatur. Sunt verò & partes quędam quæ per se nomine carent, similitudine autem ex animalium partibus appellationem sibi mutuantur: quare appellant neruum id, quod cõtinuum, fissile, prælongumque spectatur, sed insociabile, ac germinis infecundum, & venas non habens. Venæ ipsæ cetera neruo similes, sed maiores crassioresque sunt, & ramulos & humorem habentes. Item lignum alia sibi vendicarunt. Lignum interior pars, cortice circumdata, fissilis, ac dura, ac veluti corpus arborũ & fructificum. Cuius exterior & cortici vicinior pars mollior est ac albidior (alburnum àquibusdã dicitur) quæ & facilè putrescit, & teredinibus crebrò obnoxia est. Caro est id quod omnibus dimensionibus diuidi potest, quomodo terrea quæque ex terrâ cõstant. Vnde fit, vt inter neruum & venam ipsa media intercedat, ex Theophrasto; etsi corticem fortasse rectiùs medium inter neruum & venã, quàm carnem dici posse censendum sit. Matrix, quod in medio ligni residet, & tertiũ à cortice continetur, velut medulla in ossibus: hoc nonnulli cor, alij medullã appellare malunt. Medulla etiam est id, quod in medio ligni fungosum continetur, veluti sambucci medulla, salicis, virgę sanguineę, rubi. Sciẽdum etiam, quòd herbarum caules, si exigui sunt, cauliculi aut coliculi dicantur, quandoque & scapi, aut culmi, vt fabarum scapus, frumentorum & paruarum arundinum culmi. Folium est propriè quod ex carne, cortice, & neruis constat, plantasque vestit atque exornat, quo cùm spoliantur, plantæ nudę apparent. Flos gaudium est arborũ herbarumque: concipiunt enim plantę varijs diebus, & pro suâ quæque naturâ grauidæ partus gerunt, quod germinatio ideò vocatur. Pariunt cùm florent, flosque ruptis constat vtriculis, tuncque futuri fructus spes est. Sunt etiam quædam alia peculiaria parturientis arboris indicia, quæ neque fructum neque florem propriè dixeris (Cachryas Græci vocant) suntque sublonga pennicularum modo nucamenta, quæ squamatim compacta prodeunt è ramis, vt videre est in larice, piceâ, platano, iuglande, tiliâ, abiete, & alijs permultis. Verùm quod in auellanâ nuce, corylóve, compactili callo racematim cohęret, & veluti prælongus vermis singulari pediculo pensile nititur, Iulũ tam Gręci quàm Latini vocant. Flores etiam suas partes habent, nempe calycem, stamina, apices, & vngues. Calyx est, quo flos primũ continetur, deinde fœtus clauditur. Stamina, quæ veluti filamẽta è calyce erumpunt ab intimo floris sinu. Apices sunt crassiuscula quædã dependentia, in staminum summo inhęrentia. Vngues in rosis, ceterisque foliatis floribus veteres intellexerunt imas foliorum partes, quibus calyci cohærẽt, decolores magnâ ex parte, ideò Medicinæ damnatæ. Fructus, quod carne & semine compactum est, frequenter tamen pro eo quod inuolucro perinde quasi carne & seminio coactum est: accipi solet non rarò pro ipso semine, vbi nudum & nulli alteri inclusum nascitur. Sunt etiam herbarum permultæ partes, quæ ab humanarum similitudine nomen traxerunt, vt coma, caput, alæ, sinus, genicula, latera, capillamẽta, fibræ, vertex, cacumen, & aliæ. Coma, quidquid hilari venustate crinium modo summũ ramorum vel coliculorum exornat, vt frondes, cùm foliatum est cacumen: sæpè corymbi & flores comare dicuntur. Id quod in globum extuberat, aut in orbem glomeratur, caput dici consueuit; si magnitudine cesserit, capitulũ, à quo multa herbarum capitulata visuntur fastigia, vt papaueris, nymphææ. Cauus inter caulem & ramulos anfractus, vnde sinuatim noua proles egreditur. Alæ dicuntur, factâ ab humanis alis translatione, velut in vtrorumque complexu angulus, in quem coierunt, sinus nuncupatur. Sic alarum caua sinusque idem sibi velle fatebitur, qui rectè inspexerit. Atqui partes, quæ in quosdam nodos intumescunt, tam articuli quàm genicula nominãtur; à quibus persæpe vel geniculatim vel articulatim ramuli prodire dicuntur. Quod inter artus vel genicula medium intercedit, internodiũ dici consueuit. Geniculatæ quoque radices nominantur, que nodis quibusdam interstinctæ protuberant, rotũdę, & leuiter capitulatæ. Partes crassiores, nodis conglobatæ, in quas internodiorum extrema coëunt, vertebræ nominantur. Lateribus etiam præditæ sunt herbæ, quibus laterales funduntur rami, aut vtrimq; in ordinem digesti prodeunt. Ad hæc particulæ teretes & oblongę, in capilli modum extenuatæ, capillamenta dici consueuerunt: quæ si contorta crispentur, cirri mutuantur appellationem.

Dissi-

Diffident cirri ab acetabulis: illi enim tota polyporum flagella sunt, hæc in flagellis cirrisque rotundæ cauitates ac cauernositates sunt. Capillamẽtis germanæ sunt fibræ, quæ plantarum minutiores sunt radiculę, in quas veluti extremas crassiores effusæ sparguntur, sic radices multæ fibris capillatæ, nec non etiam capillamentis fibratæ pinguntur, quæ veluti crinibus quibusdã cirratæ comantur. Vertex, fastigiũ, cacumen, id esse constabit, quod longissimo ab radice distiterit interuallo; vt crux, quod proximum sit pedi oculus dicitur, quòd persæpe in huiusmodi alarum sinu videantur oculi: is inoculationi nomen fecit. Ceruix pars illa est, quæ à capitatis radicibus prodiens, pręlonga, teres in colli speciem figuretur, vt in cepis, & porris, & id genus similibus. Vmbella est, quæ in plantis summatim insidet, estque floris seminisve pedamentum in plures digestum longiores pediculos, qui simul ex fastigio eodem orti, in latius continuò radiantur, singulique florem vel semen sustinent in orbem circumactum, vt in sambucco, fœniculo, aniso, dauco, & nonnullis alijs. In orbem quoq; radiatas herbarum comas, cacuminaque in fasces coacta, Latini muscaria vocarunt, à flabri similitudine, cuius ventilatu muscæ conuiuij abiguntur. Cymę sunt scaporum delicatiores tenerioresque coliculi, quos à primâ pullulatione præstant. Pappus lanosus villus est, qui deflorescentibus aliquot herbis remanet, & posteà in auras euanescit, vt in carduis, senecione, soncho, & plerisque alijs fit. Herbæ quędam arboresve quadã lanugine pubent, quæ est lanata quædã hirsuties, quâ stirpium aliquot folia, coliculi termitesve canescunt. Aculei sunt, quæcumque duriuscula in cuspidem turbinata punctionem infligunt, spiculorum modo. Echinus est, quidquid numerosâ congerie aculeorum stipatur, siue tegmen, siue caput, siue cacumen: sic dictus, quòd globoso spinarũ agmine herinaceum mentiatur, vt in castaneis, dipsaco, & spinâ albâ apparet. Semina multis, varijs conceptaculis recipiuntur, nempe siliquis, valuulis, folliculis, loculis, vasculis. Folliculus est theca cuiuslibet rei, quę granum vel semen continet inuolutum. Siliqua tegumentũ est, quo vel grana leguminum, vel herbarum semina concluduntur: nam non legumina modò, sed & complures quoque herbæ & frutices siliquantur. Valuuli, cùm ceterorum leguminum folliculi, tum præsertim fabarum appellati sunt, quia vallo quasi vulliuoli grana excutiantur. Vascula, reliqua seminũ inuolucra: quæ si veluti paruæ capsulæ ea recludant, loculamenta dicuntur; si pecuniarij sacculi follicularem formam refert, vulgæ sibi nomen adsciscit. Circinatus florum vel foliorũ ambitus, qui coliculos aut ramulos herbarum coronat, verticillũ est, ab instrumenti muliebris similitudine dictum, quod fuso vertendi gratiâ solitum est adhiberi.

CAPVT LXVII.

Arborum dissectio.

Appendam quoq; pro arboreę fabricæ declaratione eiusdem dissectionem ex Monluciensi Doctore. Vniuerso stirpium generi radices Deus velut fundamẽta quędam iecit, vt ijs quasi pedibus (sic enim loquitur Plinius) subsisterent ac firmarentur. Quibus caudicem, vel, si mauis, truncũ superposuit, ramisq; quasi brachijs rursus illum diffudit: & ex his caules ac surculos elicuit, veluti manus & digitos, eorumque alios fructu donauit, alios fronde solâ & folijs vestiuit; quibusdam genitalia mẽbra dedit, conceptu & fœtu suo tempore grauida, plerisque verò alijs vmbracula dumtaxat & tegmina præscripsit ad tutandos protegendosque artus, & ob id fructibus priuauit. Arboreis itaq; surculis & cauliculis genitalis sedes assignatur. Quòd si nonnumquam à partu cessent, non tamen vt orbi & steriles à fertilium choro sunt explodendi. His omnibus corticem ceu cutem quamdã apposuit, cui humor subest, qui sanguis intelligi debet, omnia alens, vegetans, & sustinens. vnde etiam arboris caro coalescit, cortici proxima; cui venæ insunt, per caules & surculos ad folia vsque perreptantes. Subest itaque humor quidam nutritius, seu sanguis quispiã & saliua, non solùm arborum cortici, verùm etiam partibus reliquis: sed nõ idem omnibus. Lacteus etenim ficis inest, ad coagulandos caseos non inutilis; cerasis gummosus, vlmis saliuosus, malis lentus ac pinguis; vitibus, pyris, aquosus; & ita de alijs. Sed viuaciores sunt arbores, quibus lentior subest humor. Insunt & succis arborum quarumdam adipes, qui à colore albo alburnum vocantur; mollis ac pessima pars arboreæ carnis; nam facilè putrescit, & teredinibus obnoxia esse solet: ex quo velut marcori patens, in lignis ad ædificandum repositis excludi & resecari debet, ne pars sincera trahatur in vitium & corruptelam. Arboribus nonnullis pulpa tenui constat stamine, absque venis; & huiusmodi arbores fissiles maximè traduntur: quibus non adest, frangi quàm scindi aptiores sunt, vt in oleâ & vite experimur. Quæ recto neruorum stamine seu filamẽto coaluerunt, quòd frangentem præ ceteris violentiam respuant, vinculis fasciũ dicari solent. Hinc nimirum genistæ, coryli, vlmi, betulæ, & populi rami, aliarumque arborum quarumdam, ad id præ-

prçcipua dos. Subtument & glandia nonnullarum arborum carni, perinde atque in corporibus humanis, quodam callo carnis in se conuoluto.

Nunc de medullâ paucis agendum, quç latet in singularum arboris partium meditullio, vt in solidis animantium partibus. Sed inter se discrepant arbores in hac medullâ: quibusdam enim carnosa subest, vt fico, sambuco, & alijs, quæ ob id fungosi generis existimantur: alijs lignosa sentitur, vt larici, abieti, pino, & similibus.

His vtcumque elucidatis, nunc demum ad nutritionem calamum in hunc conuerto modum. Si omne quod adolescit augeturq;, alimentum capit, & illud caloris attrahentis & concoquẽtis beneficio sibi comparat, necessum est, arbores caloris principiũ aliquod habere, quo suis radicibus alimentum ex nutritio terrç sinu, ceu ab altricis vberibus confectũ, sugant & hauriant; nam terrâ perinde atque vbere vtũtur: vnde succus alendis partibus dispensatur, qui seminibus ad educandam nouam sobolem conspirat. Sic autem procedit educatio. Radices maiores & crassiores proximo & illibato terræ succo primùm aluntur, tum demum minores, ceu capillares quędam venæ ex maioribus obortæ; deinde residuum ad truncum & illius partes excurrit ac trãsmittitur, donec ad summum & vltimum vsque surculum ac folium iugi transmeatione & ministratione peruentum sit. Naturali enim vi ac facultate nutrimentum per trunci medullam, ceu per canalem & syphunculum, cęcis quibusdam meatibus ad summum vsque & extremum germen, flosculum, fructum, ramulum & foliolum vndequaq; distribuitur. Quò cùm peruenerit, ibi cõsistit & absumitur; vnde tam multa in ramorum capitibus germina. Quòd si, veluti redundans, ad crura radicibus vicina reflectatur & remigret alimentum ipsum, multos ibidem stolones edit, humore nutritio illuc conuerso, & à partibus superioribus remisso. In his paucis præcipua consistit arborei corporis anatome, & explicata in suas partes dissectio à capite ad calcem, vel, si mauis, à cacumine summo ad imas radices, tam maiores quàm minores.

CAPVT LXVIII.

An partibus heterogeneis constent mineralia.

EX mineralium quoque censu locupletissimũ Medicina penus nacta est: scrutari tamẽ non vacat. Sat sit, appositè meminisse, num partibus constent diuersis, maximè lapides & metalla. Qui vitam his elargiuntur, possunt vtique componere illa, atque diuersis cõpingere particulis aut venulis, vt aliquâ coquant officinâ, & deriuent alimentum si glutiant. Quidquid hoc sit (hanc controuersiam alibi differui) diuersitatem partium habent aliqui lapides & metalla, si non mole, saltem virtute. Magnes non est homogeneæ virtutis: fixas statasque partes habet, quibus ferrum trahat aut trudat. Ferrũ quoque suam habet faciem, suum os, quibus conspectat & osculatur petram: suum quoque tergus & calces, quibus fugit & recalcitrat. Longa opera hæc esset, nolo tamen immorari. Mitto curiosos ad Tractatum nostrum de Magnete in quinto libro Curiosæ Philosophiæ. Hîc solùm adijcere operæpretium erit, vim magneticam humano corpori inesse. Nam præterquam quòd sint magnetes quos humana caro rapiat teneatque, in ipso humano corpore virtutem conuersiuam ad Septemtrionem iam notarunt nonnulli; nec nauiculam, in quâ homo decumbat, conquiescere, nisi caput humanum cynosuram respiciat. Narro aliorum sententiam, nondum hanc expertus Philosophiam. Sunt etiã qui aliquot lapides sexu distinguant. Numeraui quondam nonnullos. Propero ad alia.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

De varijs hominum figuris.



SATIS iam prolusum de causis; pergo ad narrationes animalium. Exotica procurabo multa. Noua natura iam patuit, noua miracula, nouus orbis; inde multa narrare animus est, etiam intactas nonnullas, ignotasq; eruditissimis locupletũ Commentariorum scriptoribus pandere naturas. Dupliciter pretium operæ facturum me puto, & iucundæ veritatis, & sincerę nouitatis. Suppetit multa, sine iniuriâ fidei, imò sine periculo, admiranda, id est noua & alium mundum præsentare curiosis. Accepi, quæ ex propriâ sententiâ dixero, bonâ & exploratâ fide, nonnulla ab oculatis testibus, nonnulla à probatis Auctoribus, & manuscriptis varijs omnem fidem merentibus. Seruantur in Bibliothecâ Regiâ S. Laurētij in Escuriali Volumina Doctoris Francisci Hernandi, qui iussu Philippi II. nouum peragrauit orbem, vt exploraret eius conditionem. Huius Auctoris autographa penes me sunt. Sunt & alij manuscripti codices de rebus Indicis ad Reges Hispaniæ & Regium Senatum missi: ex hoc thesauro licet proferre noua. Sæpè vtar verbis Francisci Hernandi. Latino quidem, sed humili sermone scripsit; cuius nihilominùs non temerabo stilum, vt saltem discolor oratio publicet aliena quæ accepi. Vtar quoque editis clariorum Auctorum commentarijs, vt locupletior historia sit, quam ab homine iam auspicor.

Varium apud Indos hominum genus staturâ, indole, formâ, deformitate, quæ sępiùs in Plinio cēsui vana. Fidem iam nonnullam impetrarunt, postquam aliqua monstra similia nouus orbis ostendit. Fides sit penes Auctores, quos tamen in multis fide dignos reperi. Antonius Daça, & Petrus Simon auctores sunt, & eiusdem miraculi fidem nauigationes Hollandorum & Anglorum faciunt, homines inueniri Tutanuchas dictos (aurem significat hoc nomen, quemadmodum similia spectacula in vetusto orbe, ab stupendis auribus, appellarunt Enotocitos) quibus adeò prolixæ aures sunt, vt vsque ad terram dependeant, & sex homines sub vnâ condi possent. Hos reperiri versus Californiam. Non procul ab hac prouinciâ aliá esse Honopuestam nomine, cuius incolas ad oras magni lacus habitare, & sub aquis mersos dormire aiunt. Alias gētes in Xamocohuycâ esse dicunt, quæ membris purgationi excrementorũ destinatis careant, ali propterea solùm odore fructuum, florum, herbarũ, quas olfactui & naribus, non stomacho condiunt. Idem prodit Gregorius Garzia de quibusdam Peruēsibus: quos & propterea ait semper secum deferre fructus & herbas odoriferas, eoque solùm commeatu vti. Homines omnino gibbosos & incuruos memorat Frāciscus Hernandus in manuscriptis. Argensola scribit, Petrum Sarmientum, cùm Magellanicos sinus exploraret, incidisse in homines, quibus pro vocibus vlulatus fuit, instar marinorum luporum, & pro indumento argilla rubra, quâ totos se vngunt. Eumdem occurrisse gigantibus, cepisse vnum, fugasse aliquos. Est etiam Petrus Simon auctor in Expeditione quã Ioannes Aluarez Maldonatus ab Cuzco instituit, vt nouas exploraret terras, inuentos gigantes quinque vlnarum mole, pænè canino vultu (ne cynoprosopi absint) rostro & dentibus acuminatis & productis, occisum vnum vtroque sexu monstrosum, tectum fuluo, raro, nec prolixo pilo. Idem scribit, cùm villa quædam Patrum Societatis Iesu ædificaretur quatuor à Mexico leucis, in cęmentis reperta gigantũ ossa, & dentem molarem parem humanæ manui contractæ, siue pugno. Torquemada pondo duarum librarum inuentum scribit. Hæc pignora immanitatis omitto, plurima enim sunt: de recentibus monstris nūc est sermo. Pergo ad Pygmæos, quos Ioannes Aluarez Maldonatus anno 1560. vltra montanas Andes reperit, non excedentes cubitum. Pila plumbea emissa à milite, fugacem feminam occidit. Captum marem intra sex dies tristitia viduitatis & seruitutis confecit. Femina moribunda, cùm accederet percussor, manum opponebat oculis, ne videret, ad tempera-

peramentum impotentis odij. Aliud hominum pusillum genus, non vltra quatuor dodrantes, in Orientis quadam insulâ, quę tota aurifodina est, statuit Argensola, & veros pygmæos affirmat. Nec prætermittenda est natio Papuarum nigerrima, inter quos aliquos dicitur nasci non minùs candidos & rufos, quàm Septemtrionales nostri. Hos obcæcari statim præsentiâ Solis, licet non aspiciant illum, sufficit adspici: adeò fascinat has gentes pulcherrimus naturæ oculus. Hispani hos vocant Albinos. Porrò homines canino capite, dentibus & oculis deformes, in insulâ Anganiâ reperiri scribit Marcus P. Venetus.

CAPVT II.

De varijs monstrorum nationibus.

NOn omnem penitus fidem similibus monstris oppignero, sed Auctores eam vindicent, maximè in his quæ sequuntur. Nec tamen prætermittenda duxi, non quia certò putem, nationes illas tantæ deformitatis esse, sed quoniam probabile existimem, singularia saltem nonnulla monstra occasionem fabulæ dedisse. Exhibebo quę Lycosthenes in Appendice collegit. Non ita pridem à Lusitanorum nauibus reperti sunt in quadam insulâ in medio ad Colocutum itinere, vbi Cynosura videri non potest, homines cum duobus in latere dextro brachijs duabusq; manibus, auriculas asininas, faciem humanam, dextrum crus equinum, aliud humanum habentes. Abundant pilis circa pudenda, reliqua glabri. Ceruorum instar currunt & saliunt, crudeles admodum sunt, & amentes. Eorum mulieres illis assimilantur, sed minores habent aures, pulchræque sunt feminæ, ac magistræ in setæ atque auri artificio muliebri: bis in anno pariunt. Quibusdam in Arabiæ locis hæc monstra sunt. Tres habent oculos, nasum & os magna, aures binas amplissimas & rotundas, singula brachia, duas manus: mares etiam binas tam magnas habent mammas, vt eas commodè tegere nequeant. Belluinas induunt pelles, sine caligis & calceis incedunt, neque digitos in pedibus habent. Vocantur sterlochi. Non frustrà ore magno sunt præditi, nam comedones & voraces sunt. Carnibus vescũtur semicoctis, vinum aut aquam non bibunt. Magni sunt bellatores, & perpetuò cum vicinis ac conterminis locis bella gerunt. Eorum Rex vectigal pendit Magno Camo. In Æthiopiæ partibus, quæ Occasum spectant, sunt homines benè formati, præterquam quòd vnicam vno cum pede maximo habent tibiam, cuius pedis vmbra, cùm Sol ad meridiem surgit, in terram prostrati ab æstu se tuentur. Cùm illis ambulandum est (neque enim aliter possunt) saltãt. Loquuntur vt nos in suâ linguâ. Gemmarij sunt pręcipui, quas Armenis mercatoribus, grano ad victũ accepto, vendunt. Sunt magni roboris viri, & annos ducentos viuunt. Eorum feminę pulcherrimę sunt, & omnibus communes: quæ cùm prægnantes sunt, non ampliùs vllâ ratione coitum admittunt. In Ægypti alpibus sunt hæ deformes creaturæ: faciem, brachia, & pedes humanis similes possident, cum duabus longis mammillis, reliqua similes camelis. Cum natos pepererunt, in dorso aut lumbis eos portant, & siluas peragrantes victitant. Viuunt ad summum annos triginta, nec plus quàm semel aut bis pariunt. Velociter currunt. Eorũ mares sunt piscatores strenui, & suis vxoribus crudelissimi & ferocissimi. Regem proprium in humeris semper ferũt super ligneâ lecticâ, & eum summè venerantur. Æthiopiæ in partibus Septemtrionem versus tales inueniuntur, qui humanũ corpus pulchrum habent, duo brachia, duo crura, & pedes humanos, sed in humeris habent prominens caninum caput, cum duobus brachijs humanis. Vitam degunt humanam, & affabrè laborant cum sericeis & aureis filis res varias, quas ad Magnum Camum mittunt. Non vident, neque plorant. Magnas exercent mercaturas margaritarum siue vnionum, castunculorum, & aliarum gemmarum pulchrarum. Eorum Rex tributarius est Magni Cami. Tributum penditur ex rebus sericeis & auratis. In Oceano Orientali reperiuntur feminæ crassissimæ, quæ collum longius habent, & præter naturam brachia seu lacertos coniunctos cruribus: retrò asininas habent tibias, sed pedes alterius formæ, caudam item asininam: altiores antè sunt quàm retrò: quatuor vno ventre gerunt filios, è quibus duos necant, alios educant: lac copiosum producunt, è quo caseos pro suo victu conficiunt. Mares feminis sunt similes, minoribus tantùm ventre ac mammis. Nonnullis in Tartarorum Vallibus talia reperta sunt monstra: collum habent longum supra thoracem, & caput in modum gryphi, in pectore duos oculos, nasum & os, duas alas in illis diuersorum colorum, brachia & tibias humanas: in locis habitant aquis scatentibus, quoniam ex piscibus victitant. Grauiter vt anseres volant. Pennæ alarum ipsorum vsui sunt magnis dominis in sagittis aptandis, maximè apud Magnum Camum, & Pretolanum. Animalia sunt ferocissima, & homini-

minibus inimicissima: ex ore venenum proijciunt, cùm prope sunt vt capiantur. In noui orbis eâ parte nouiter à Lusitano Rege repertâ, sub Aquilone vbi ad sanctam Crucem est inditum nomen, hoc hominum genus repertum est. Caput habent caninum, pilosum, cum auriculis longis: media corporis pars & brachia sunt humanis similia, crura equina, vngues bubali: induunt pelles: non loquuntur, sed fortiter latrant: magni sunt prædones, & ex raptu viuunt: *Baratriæ* vocantur: continuò cum vicinis insulis belligerantur, & homines vorant cùm habere possunt, cùm non habent, ceteris vescuntur animalibus. In regionibus Magni quondam Tamberlani reperire est huius formæ centauros. A medio supra humanum corpus & faciem gerunt, nisi quòd brachiorum loco duo habêt breuia brachia bufonis instar: in capite sunt caninæ aures, cum tribus in vultu barbis; in illis sunt brachia humana cum manibus ac digitis: reliqua sunt equi. Celeriter currunt. Si quem amplectantur, tam arctè stringunt, vt rumpi cogatur. Solis vescuntur elephantibus. Amici sunt hominum & mulierum, quia illis nullam inferunt molestiam. In Taprobanâ insulâ tales repertæ sunt humanæ creaturæ malè formatæ. Crura habêt breuia, humeros eleuatos, collum subtile, caput maximum, cum vnico in fronte oculo. Rimantur gemmas, & similia pulchra. Truces ac ferini sunt homines, nec femellas à maribus quis dignoscit, nisi cùm grauidæ sunt. Nudi incedunt, & ex rebus siluestribus vitam degunt. Ros illis potus est. Auribus carent, & acutè audiunt. Quoddam fucorum genus, quos Itali *tabanos* vocant, illos valdè molestat, ob eam causam sabulo se condût, quoad insulam fuci præteruolent. In vltimis Syricanæ partibus sunt talis figuræ homines. Præter gruinum collum, ac ferinum caput, cum oculis ac naso humanis, rostrum & barbulas habent vt galli. Vestiuntur pellibus. Agricultores sunt. Magnum illis est bellum cum gryphis, ita vt vtrimque ingens numerus pereat. Eorum mulieres sunt illis similes, sed barbulas non habent, & rostrum latius gerunt. Vinum non bibunt. Qui in bello cadunt, habentur vt sancti, & eorû vxores non ampliùs sunt alijs viris conspicabiles. Super insulis quibusdam Caspij maris tales reperiuntur leones. Humanâ sunt facie, sed siluestres & feroces, ex raptu viuunt, & supra atque sub aquis æquè natant vt pisces. Horum plerique Historici meminere, ac Solinus præsertim de Mundi mirabilibus. In Libyæ desertis repertæ sunt mulieres quæ ad genua vsque promissas habent mammillas: vsu carent loquendi, sed tamen vehementer clamant, vel stridêt. Domesticè versantur cum viris. Velociter currunt, ita vt cursu siluestria capiant animalia, quibus vescantur. Inter album & nigrum colorem sunt, nempe fusci coloris, vel subnigri. Carent pilis, nisi quòd à genubus infrà Satyris similes sint. Vnguibus manuum fortes ac rapaces sunt: caput crinibus abundat: deformi sunt corpore ac facie. Rident libenter, præsertim in virorum præsentiâ. In Asiæ siluis sunt tales appellati *Monopoli*. Capite carent, sed faciem habent in pectore: incedunt nudi, solis pudendis velo tectis. Caput integunt maximo pileo, propter ingentem Solis calorem. Colligunt hi piper, & illud Mechæ mercatoribus ex variarum mercium permutatione diuendunt, quas deinde merces ipsi antipodibus distribuunt. Sunt valdè continentes & modesti homines, neque vmquam verbum malum proferre audiuntur. Sincerissimi sunt, & bonâ præditi conscientiâ iuxta suam legem. In Libyæ Alpibus hæc monstrosa animalia reperiuntur. Ex toto flaua seu gilua sunt, facies humana in pectore: crura sunt bouina, pedes humani, cauda vulpina, mammæ caprinæ, dorsum instar camelorum, collum longum, in cuius summitate non caput, sed tumorem in modum nattæ cum duabus porcinis auribus habent. Hircinâ sunt barbâ: viuunt ex herbis & radicibus, & admodum siluestres sunt. Dum parui sunt, his commodè vescuntur homines, quibus Magnus Camus vtitur: at cùm grandæui, durissimæ sunt concoctionis, ideò iuuenculi sunt vescendi. Illic hi meliores sunt, quàm apud nos hœdi. Omnia hæc Lycosthenes; plurima vana. Illud quod in Quæstionibus naturalibus obseruo, nunc inculco, plerisque monstris fabulam dedisse dæmones deformi apparentes specie, quemadmodum D. Antonio sub satyri & centauri vultu visi in deserto. Sed & Apostolico viro Balthasari Barrerio, ex nostrâ Societate Iesu, in reditu è Benâ apparuerunt varia monstra. Putabat is initio, cùm procul esset, nigritas esse patriæ incolas: sed locus desertus omnino erat, & spiritus cognouit esse humanam figuram æmulantes. Accidit interdum, monstrosos homines ex incestis aut dæmoniacis congressibus edi. In Brasiliâ è barbaræ mulieris cum incubo congressu horrendum monstrum prognatum fertur, & in sedecim palmorum altitudinem excreuisse, dorso lacertæ pelle contecto, turgidis mammis, brachijs leoninis, oculis rigentibus, & instar ignis scintillantibus, ceterisque membris fœdissimis adspectu.

CA-

CAPVT III.

De insulanis meridionalibus.

APpendo quod Bohemus ex Diodoro affert, licet vanum mihi de habitatoribus insulæ Iamboli. Sunt eius insulæ homines corpore ac moribus haud nostris similes, eâdem tamẽ corporisformâ,sed quę magnitudine quatuor cubitos excedat. Horum ossa veluti nerui, quo velis flectuntur reflectũturque. Corpore sunt plus quàm nos agili ac robusto. Nam si quid manibus ceperint, nemo eripere ex digitis potest. Pellis corporis adeò perpolita, vt ne pauca quidem lanugo appareat. Pulchri sunt, decori, & corpore cõposito. Aurium foramina multò nostris patentiora, quemadmodum linguâ à nobis differunt. Habet enim eorum lingua priuatum quid tum à naturâ tum ab ingenio datum: diuisam enim linguam natura dedit, quæ scinditur in inferiori parte, vt ab radice duplex esse videatur. Ita variâ vtuntur loquelâ, vt non solùm voce hominũ loquantur, sed auium diuersarum imitentur cantus. Et quod mirabilius videtur, vnà cum duobus hominibus perfectè simul respondendo tum dispũtãdo loquuntur: vnâ enim linguæ parte vni loquuntur, reliquâ alteri. Longissimæ sunt ætatis, vt qui annis centum quinquaginta vitam agant, & absque alio (vt plurimum) morbo. Si quis febricitet, aut corpore æger fuerit, mori statutâ lege compellunt. Non scribunt per latus, vt nos, sed à superiori parte rectâ lineâ ad inferiorem. Mos est eis ad certã vsque ætatem viuere, quâ perfectâ, variam sibi mortem sponte constituunt. Gemina est apud eos herba, supra quam si quis iacet, in suauem deductus somnum moritur. Mulieres minimè nubunt, sed omnibus sunt communes. Simili modo & filij educantur, communique amore sunt omnibus. Abducunt sæpiùs à nutrientibus infantes, ne matres filium recognoscant: quo fit vt, cùm nulla sit apud eos ambitio aut præcipua affectio, concordes absque seditione viuant.

CAPVT IV.

De hominibus caudatis.

INter tot fabulas illa quoque fortasse admittenda, de quâ Petrus Martyr ita scribit: Est alia regio, dicta Inzignanin. Ad hanc autem incolæ referunt ex maiorum relatu quondam pelago aduectas gentes caudatas ad spithamæ longitudinem, & lacerti proceritatem, caudâ non mobili, vt in quadrupedibus, sed solidâ in turbinem, vt in piscibus & crocodilis videmus, & in osseam duriciem protenta. Vnde quando sedere cupiebant, sedilibus perforatis vtebantur, & illis deficientibus, effossâ tellure ad spithamalem & paulò ampliùs scrobem, caudâ immissâ opus erat quiescere. Digitos habuisse gentem illam latos non minùs ac longos, pellem asperam, pænè squameam, fabulantur. Solo crudorum piscium esu vesci solitam, quibus deficientibus aiunt ad vnum interijsse, neque de se prolem reliquisse vllam. Hæc ille. Certius est in regno Lambri caudatos esse homines. Scribit Marcus Paulus Venetus, caudam vnius palmi esse. Eadem infamiâ alij homines Europæi laborant.

CAPVT V.

De Amazonibus.

AMazonas aliquas fuisse in nouo orbe, fabula multis fuit, semifabula quondam Petro Martyri. In Decade septimâ maiorem præstitit fidem, allegatione fide dignorum, contestantium vera esse quæ de insulâ solis feminis arcuarijs, & suorum littorum acribus tutricibus referta narrantur; certisque anni temporibus ad eas traijcere Canibales generationis causâ, neque virum vltrà pati ab vtero grauido, & remittere mares, feminasque retinere. Appendo Gualteri Rallegh narrationem. Ego sanè diligentissimè ex senibus, & illis qui multum experti erant, quæsiui de omnibus aquis fluminibusque quæ circa Orenoque, & an Amazones reperiantur, & admodum cupidus eram veritatem de hisce bellicosis mulieribus cognoscendi, cùm quæ de illis dicuntur, à quibusdam credantur, ab alijs verò pro figmentis habeantur. Et obiter quidem hîc, licet à proposito paulatim discedam, commemorare volui, quid mihi pro certo & vero de hisce mulieribus narratum sit à Cassiqui siue Duce aliquo istius regionis. Mulieres hę in Australi plagâ prouinciæ suæ regionis Topago habitant, & dominium suum habent in insulis Australibus sexaginta milliaribus ab ostio fluminis distantibus. In anno semel tantùm viros suos admittunt, & per vnum saltem mensem cum illis viuunt, idque, vt ex narratione eius colligere potui, in Aprili. Aliena dedi, incertâ mihi fide: fortasse veritati superstruxit fama. Seriò iam agimus.

CAPVT VI.

De hermaphroditis.

FRequentes hermaphroditæ inter nonnullos barbaros. Gigas ille cynoprosopus à Maldonato inuentus, hermaphrodita erat. In Virginiâ plures, ipsis etiã Indis exosi. Eorum operâ, quòd robusti sint ad onera perferenda, iumentorum loco vtuntur. Deportant hermaphroditæ annonam Regum cùm proficiscuntur ad bella. Defunctos gestant, contagioso morbo affectos ad loca destinata deferunt, & medicantur.

CAPVT VII.

De Penecaijs & feminis Arupinis.

ILlud fortasse non naturæ sed miraculo imputandum, quòd inter Malabaros peculiaris natio sit, quæ à loco sancti Thomæ nomen habet, dicta *Penecays*. Illis proprium, tam viris quàm feminis, altero crure adeò tumescente nasci, vt eo nomine à reliquis Indis pro maledictis habeantur. Concolores sunt Malabaris, & in ceteris per omnia ijsdem similes. Feminæ quoque Arupini ferè omnes claudicant. Hoc tamen naturæ arcanum arbitror.

CAPVT VIII.

De longæuis.

QVidam è Gangaridum gente, hodie *Bengala* dicitur, Prætorem Nunnium Acuñam adijt. Natus erat annos trecentos triginta quinque. Seniores enim qui tum erant, de hoc eodem grandæuo se accepisse aiebant à maioribus. Ipse filium nonagenarium habebat: & cùm litterã nosset nullam, quæ referebantur ab eo de veterum gestis rebus, ad fidem Annalium congruebant. Aliquoties illi deciderant dentes, alijs continuò subnascentibus. Barba vbi sæpiùs incanuisset, in atrum denuò colorem, idque paulatim, semetipsa vertebat. Ante centesimum annum idola coluerat, inde æquè miserabili errore ad nefariam Mahometis transierat sectam. Is propter miraculi nouitatem, Sultani, nempe Regis Cambaiæ stipendijs ali consueuit. Idem vitæ subsidium à Nunnio petit. Nunnius haud grauatè assignauit. In montanis Iucatan longæuitas communior est: plurimi ibi senes. Nec mirum, ibi Ioannem Na centum & quadraginta annorum superesse. Inuentus est qui trecentesimum vsque vixerat. Adijciam quæ in Phlegone Trulliano repperi, & Apollonius Grammaticus prodidit, prope Athenas insulã fuisse quamdam, quam Athenienses cùm vellent muris munire, dum foderent fundamenta, inuenerint sepulcrum longitudine centum cubitorum, atque intus cadauer ad ossa vsque absumptum, cum hac inscriptione:

Sepultus ego Macrosiris in longâ insulâ,
Vitæ peractis annis mille quinquies.

Quot & qualibus mensibus constarent illi anni, an merum commentum, incredulus aut prudentissimus quisque diiudicet. Celebris computatio fuit annorum quatuor mensium.

CAPVT IX.

De repuerascentibus.

NAturę miracula si ingenio nostro examinentur, fide carent. Maiestatem suæ causæ decet incredibilitas, vt dissimulatione veritatis admirationem irritet. Plura sunt vera in naturę censu, quàm digna fide, nisi maiestatem suam, imò eius causã incredibilitatem alleget. Pręter iteratam iuuentutem eius Barbari trisæculi, cuius nuper meminimus, Petrus Martyr scribit, Indum senem cuiusdam fontis lotione & potione omnino adoleuisse repetitâ iuuentute. Tarenti fuit centenarius senex capularis, qui pilis, cute, vnguibus, & situ & squallore ætatis decidentibus, de sene iuuenis factus sit, & quinquaginta pòst annis superuixerit. Apud nos quoque in Rioxa cartillę par fors alteri viro accidit: vulgi famâ id notũ, & ab Castellæ Ammiralio exploratum. Valesius Tarentasius scribit, se viuo Monuiedri (oppidũ est Valentini regni, olim *Saguntus*) fuisse Monialium Abbatissam vetulam, cui subitò menstruis floribus reuocatis, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & sulci cutis adæquati, & mammæ pendulæ & pannosæ instar virgunculæ sororiarunt: sic denique vultu, facie, toto corporis habitu iuuenculam se exhibuit, sed præ verecundiâ insolentis euentus, omnium oculis se subtrahebat.

CAPVT X.

De anthropophagis.

ANte politiam Ingarum rupices illi Barbari, omni crudelitate famosi, Nobiles captos ad palum alligabant, viuos deuorabant: è brachijs, cruribus, suris secabant frusta carnis. Recenti cruore deglutiebant lætissimi. Id nimirum illis religio erat, gratumque putabant Numini suo sacrificium. Ipsa victima superstes videbat se ventri-

tribus ſepeliri hoſtilibus. Alij è recentibus hoſtium vulneribus ſugebant cruorem,quo etiam feminæ vbera inungebant,vt iam infantium inſtrueretur crudelitas. Alijs tanta gula, vt homines ad palatum nutrirent, & darent operam generationi,quò plures ventri ſupereſſent hoſtiæ; mirum dictu & horribile. Captas feminas ſeruabant, vt ex illis procreatam ſobolem, cùm iam pubeſceret, epularentur. Eadem fortuna matrum,cùm ſterileſcerent:nulla ſanguinis reuerentia erat, neque ſine hoc vſu capti homines. Eoſdem item ſeruabant,vt è feminis ſuis procrearent gulæ ſuæ.Eoſdem ſeneſcentes edebant. Alicubi ipſi filij patres iam ſenio infecundos helluabantur.

CAPVT XI.

Leges politicæ aliquorum Barbarorum.

INfinitum eſſet ingenia,mores,leges,facta hominum barbarorũ narrare. Ex ijs quæ ſtatim occurrunt,nonnihil carpam,maximè Perüanorum, quorũ politia cultior, in multis maior noſtris: ne diuerſa memoraturi ingenia brutorum, humana omnino contemnamus. Reges Perüani ad publicã rem commodiſſimè gerendam quoſdam Decurionum gradus ſtatuerunt, ne quis ignarus iuſtitiæ eſſet. Decuria infima decem cõtinebat vicinos. Vnus præerat reliquis nouem. Deinde quinque iſtæ decuriæ cum ſuis Decurionibus,id eſt quinquaginta vicini, parebant alij Decurioni maiori. Rurſus duæ decuriæ quinquaginta vicinorum ſuberant alij Decurioni,cuius curæ centũ erant patresfamilias. Quinq;eiuſmodi decurijs,ideſt quingentis vicinis,alius erat Decurio præpoſitus. Tum duę decuriæ quingẽtorum vicinorũ ſub alio chiliarcho erant. Non amplius prorogâbatur iuriſdictio,ne incõmodè gereretur adminiſtratio plurium. Decurionum minorum munus duplex: prouidere ne quid ſubditis deeſſet, alterum, nequid malè agerent: ſi id eueniret, admonere ſuperiores Iudices. Qui tacebat, dupliciter reus; & quia iniquè atque infideliter publicum munus geſſerat, & quia delinquentis culpam in ſe tranſmittebat: perinde plectebatur ac ſi ipſe patraſſet.Superiores Decuriones cùm ſimilem curam haberent, & etiam iuriſdictionem in minorem Decurionem, nulla huius negligentia, nulla ſubditi culpa,aut ignorata, aut impunis manebat: ita omnes mirificè in officio continebantur. Idem mos in militiâ ſeruatus.Ijdem Decuriones ſingulis annis renuntiabant Regi, quot illo anno in regno nati, quot vitâ functi: ita pro ratione natorum mortuorumque diſtribuebant iuſtiſſimè per prouincias & ciuitates onera. Leges illorum, leges ſanctiſſimæ cuiuſdam fraternitatis diceres. Iubebat alia,cuiuſque oppidi vicinos mutuò iuuari, ſine vllâ mercede, in colendis agris,ſegetibus metendis, ædificandis domibus. Alia lex interdicebat ſumptus in veſtibus,conuiuijs,& delicijs. Bis tamen aut ter in anno iubebat epulari omnes ſimul coram Curacis, id eſt præfectis & ſuperioribus; tum in ludis feſtiuè exerceri ad nutrimentum charitatis, & recreationem operariorum. Alia lex pro pauperibus iubebat claudos,cęcos,mutos,ſenes,ęgrotos,publico cenſu ali. Alia pro hoſpitibus iubebat item ex communibus ærarijs exteros & aduenas hoſpitari, conſtructis ad hæc officia domibus, & per vias diuerſorijs: itèm ad conuiuia publica, mutos,claudos, cæcos,ſenes, & alios miſeros conuocari, vt ſic leuarent conditionem ſuam. Alia lex, domeſtica dicta,interdicebat otium, vt adhuc quinquennes pueros occuparet,& mutos,& ſurdos,& cęcos,& ſenes, pro cuiuſque facultate & viribus. Maximum inter illos dedecus & infamia, puniri otij causâ. Tum lege cautum, reſeratis foribus menſæ accumbere, vt à miniſtris publicis viſitari commodiùs poſſent. Deſtinati erant miniſtri iuſtitiæ qui domos priuatas crebrò viſitarent. Militibus capitalis pœna erat, ſi quid ſurriperent à villis, ſi quam noxam vel leuem intuliſſent. Subactis nouis prouincijs, ad ponenda odia, victos duces cum victoribus ſplendidè & latè conuiuari legitimum fuit. Solemne erat inter Caziques Cumanæ, minorem natu in hereditate & principatu paterno ſuccedere. Inter Perüanos ad fratres tranſmittebatur hereditas,non ad liberos. Extinctis omnibus fratribus,reuocabatur hereditas ad liberos fratris maioris, rurſus ad natos ſecundi, & ſic deinceps.

CAPVT XII.

Mores nonnullarum Gentium.

CVmanenſes Indi tutiſſimo pacto Medicis,quos dicebant *Piaches*, vtebantur. Videret Medicus, cuius ægroti curationem admitteret:nam ſi reſtitueret ſanitati, liberali præmio donabatur; ſi tamen obiret languens, nullâ mercede redditâ occidebatur Medicus. Virgo ante nuptias adulterio diſſoluendas biennio clauſa ſeruabatur. Dona recuſans, pro inimico erat. Coriani pollutos nefando ſcelere damnabant conditione muliebri ad colum, ad coquinã: nullus illis vſus permiſſus vitę,niſi femineus. Hoſpitibus Hiſpanis aliqui Indi lauabant pedes. Alicubi nubiles puellas cognati manu rumpebant

coram sponso ad virginitatis argumentum: alicubi ij ipsi cognati incesto auspicio libabant virginem. Apud Perüanos Reges ditissimi largiebantur subditis omnibus vestitum, prouidebantque necessaria vitæ, ita cùm nihil haberent, nihil deerat eorum quæ ad vitę necessitatem opus erát. Nullus publicus, nec communis artifex; quisque sibi parabat, & nouerat conficere. Quæ ad delicias aut pompam, hæc occupabant artifices aliquos. Nemo insignibus dignitatis alicuius, aut nobilitatis militaribusque armis donabatur. Omnes in Perüano & Mexicano regno fidi Principibus subditi, supremam Regum auctoritatem reueriti, & inexcusabili agnoscentes onere. Pauperes qui nullum aliunde tributum Regi Mexicano poterant pendere, ex pediculis soluebant: plures propterea pediculorum sacculi deferebantur ad aulam ex tributis. Scutum Principum Cumanæ humanum erat: præcedebant quatuor Indi, inter quos destinabat sua spicula & sagittas: ipsi autem opponebantur hostium iaculis, ne Principem violarent. Si aliquis caderet, substituebatur statim alius. Apud Indos Coybæ & Chamæ mendacium capitale: qui falsò dixisse aliquid conuinceretur, morte damnabatur.

CAPVT XIII.

Religio Perüanorum.

A Feritate & rusticitate cœperunt auertere Barbaros Perüanos Marcus Capac & vxor eius (soror etiam dicitur) Mama Oello Huaco: nouam ij & mitiorem religionem instituerunt. Palantes homines ad societatem & rempublicam coëgerunt, fundatâ ciuitate Cuzco. Agriculturam & lanificium docuerunt, imperij fines ampliarunt. Deinceps reliqui ex eius stirpe Reges Ingæ interdixere humanas hostias, adhuc pro salute Regis, quem pænè vt Numen reuerebantur. Nec etiam licebat cruorem infantũ litare: imò libentissimè amplexabantur Reges ægritudines, nuntios cæli illas vocabant, quibus se dicebant ad Deos acciri. Cultores erant præcipuè Solis, cuius progenie gloriabantur: non tamen illũ summum Deum censuere, sed Pachatamac (hoc sonat *animam mundi*) hunc credebant vniuersi factorem, maiori religione prosequebantur, sed corde & opinione tenus. Nullum templum illi: dicebant inuisibilem & ignotum sibi, nomen non ausi pronuntiare. Si quando ad id compulsi, summâ reuerentiâ, osculato sæpius aëre, & ferè tremuli id faciebant. Fertur nonnullos pridem adorasse idolũ Tangatanga, quem Deum dicebant vnum in tribus esse, & tres in vno: alios confessionem peccatorum coluisse, ratos hac humilitate expiasse conscientiam. Visibili ritu Sol ab ijs adorabatur, cui victima agnus, cuius cor holocaustum. Animæ immortalitatem Ingæ nouerunt. Corpus vocabant alpacamasca, hoc est terram animatam. Credebant resurrecturum: idcircò detonsos capillos, sectosque vngues diligentissimè seruabant, ne magno labore aut morâ opus tunc esset recipiendis partibus. In Sausâ (iam corrupto nomine Xauxa) canis olim adorationem impetrauit gula: summæ enim illis gentibus deliciæ canina caro. In Huamachucu iaspis lapis Deus credebatur, cuius colorum varietas diuinitatem persuadebat.

In Cuzco ciuitate maximus virginitatis perpetuæ fuit cultus. Templũ ibi erat Solis, vbi clausæ asseruantur multæ virgines Soli eiusque religioni dicatæ. Lasciua adhuc viua humabatur: complici, qui violaret puellam, pœna statuta viuicomburium, & occisio totius familię, vxorum, liberorum, parentum, cognatorum, imò omniũ conciuium, totiusque patriæ desolatio; numquam tamen temerata vlla. Eadem lex lata adulteranti cum Reginâ, vel id tentanti. Virgines illæ numquam domo prodibant, nec virum videbãt, nec à viro vel ipso Rege visæ. Id Reginæ soli liberum. Ignem sacrum seruabant, accensum solaribus radijs in gossipino per quamdã reflexionem illuc directis. Perüensibus inusitatum iusiurandum. Coactus à lictore quidam Nobilis barbarus sententiam suam sacramento firmare, respondit: Nondum Christianus sum, quomodo vis vt firmem meum sensum nomine Dei tui? Lictor retulit, sufficere inuocare nomen Solis aut Lunæ. Tunc Indus: Nos non vtimur diuinò nomine nisi vt adoremus, propterea non licet aliter ore sumere. Quid ergo, lictor inquit, faciemus? Sat sit, Curaca ille dixit, si promittam verum dicere, & cogitare coram Rege Hispano me loqui, cuius nunc ipse vicarius es. Perüenses & ipse Inga Rex exquisitis ornati vestibus, agros Solis colebãt, summâ magnificentiâ hymnos lętissimè decantantes, fallente laborem lætitiâ. Piaches, & alij, melodijs dæmonem aduocant.

CAPVT XIV.

De superstitione Congianorum.

COngiani idololatricę superstitioni dedicati erant, tetra portentosaque animalia vt Numen adorantes, atque inter cetera vnũ, quod horribile & monstruosum est, & apud illos reperiri solitum. Draconi alato hoc aliquatenus simile est, bipes, & caudæ longioris,

ris, capite oblongo: fauces multiplici dentium vtrimque acutorum ordine repletas habet: magnitudine est ouis: pilo caret, sed squamato est corio, eoque viridi. Multi Cõgensium Dynastæ, dum idolorum cultui adhuc dediti essent, huiusmodi domi animal magnis sumptibus alebant, crudâ namque victitat carne; sed magnam quoque inde vtilitatem colligebant: varia enim populus idolo donaria offerebat, quidquid verò offerebatur, in illorum commodum cedebat. Serpentes adhæc & colubros immensæ magnitudinis viuos etiam adorabant, quin & hircos, tigrides, bubones, aliaque animalia feralia, & visu horrenda. quò enim eadem & tetriora & terribiliora, eò maiorem illis cultum deferendum putabant. Quin & vlteriùs eorum processit vesania: cultum enim & honorem soli & vni Deo debitum, arboribus, herbis, alijsque plantis insensibilibus, imò & lapidibus, lignis, alijsque rebus inanimatis deferebant, diuersimodè ea formantes & figurantes, quibus aliquod inesse Numen credebant. Ipsæ quoque mortuorum animalium exuuiæ ac pelles (quod longè vesanius) fœno & stramine infertæ, à misellis & cæcis mortalibus vt Numina colebantur. Cærimoniæ verò & ritus, quos in deorum cultu adhibebant, erant varij, omnes tamen ad hoc spectabant, vt idolis, aut dæmoni in ijs latitanti, aliquod obedientiæ ac submissionis signum adhiberetur. Genu vt plurimum Numini flectebant, faciem solo illidebant, vultum puluere opplebant, aliaque humiliationis submissionisque edebant argumenta: denique quidquid domi aut charum aut rarum erat, idolo offerebant. Persuadebant popello sacrificuli, magnam horum Numinum esse potentiam, precibus supplicantium intendere, & omne quod habebant bonum ab his largientibus descendere. Quòd si quis æger inuocato aliquo Numine sanctitati esset restitutus, deorum id ope, consilioque factum dicebant: si verò morbus ingrauesceret, Numen iratum iactabant; ideoque sacrificijs ac donarijs placandum. Ista ex Iarrico excerpsi.

CAPVT XV.

De scientiâ & Astrologiâ Ingarum.

SCripturæ beneficio carentiâ felicissimorum inter Ingas ingeniorum inuenta perierunt cum Auctoribus, quæ nemo deinde ampliauit. Apud nos scientiæ vigent nouis Doctorum adinuentis, velut si in collectam singuli adijcerent. Ad hoc scriptura iuuit, omnium artium ærarium. Philosophia naturalis optimis apud illos nexa legibus perennauit, & sedulò exculta fuit. Ad Astrologiam eos nonnihil clarissimorũ luminum conspectus prouocauit, sed vix pertraxit. Tres tantùm errones nouêre, Solem, hunc Ynti dixere; Lunam, quam Quilla, & Venerem, quâ Chasca, hoc est, crinitam aut crispam, ob crebritatem radiorum, appellauere. Ex constellationibus Pleiadas sunt admirati, & in Viâ lacteâ comméti ouem lactantem agnũ. Annum solari periodo definierunt. Solstitiorum gnari, ad illa dignoscenda octo turres versus Orientem ædificauere, totidem ad Occidentalem plagam. Obseruabant ortum & occasum Solis, num per designatas turres iactaret radios. Ad examinandum æquinoctium columnas sacras deputarunt: quo die lux Solis vndique tingeret columnam, illam æquinoctialem dicebant, Solemque considêre ibidem: pro cuius maiestate exornabant illam throno superposito. Lunæ maculas, vulpem esse ab ipsâ Lunâ complexâ fabulabantur. Amicum canibus idem astrũ dixere. Ad diuinandum inutilia iudicabant sidera, somniorum interpretatione abusi. In hoc contemptu iudicationis ex astris minùs desipiunt nostris Planetarijs. Recens supplicium prouidentiæ, seriâ animaduersione in hos superstitiosos ludentis, narrabo. Quidam miles fata sua à Planetario sæpiùs prædici postulauit: qui tametsi priùs recusauit, victus importunitate, prænuntiauit intra triduum moriturum. Excanduit miles inopino & sinistro vaticinio, atque correptus militari furore licentiaque, arripuit pugionem, & confodit Mathematicum; sed comprehensus, ob patratum homicidium intra triduum suspendio necatus vitam clausit. Iustitia diuina fecit fidem falsæ alioqui prædictioni: nam si astrorum legibus & indicibus fata certa militis potuisset Astrologus vaticinari, præuium quoque facinus coniecisset; & si causam suspendij nouisset propriam necem, subticuisset, aut fefellisset rogantem. Redeo iam ad Perüanorum Philosophiam. Terram innatare Oceano rati, Solem dicũt quotidie mergi, & veluti strenuum vrinatorem exilire vltra. Geometriæ, peregrino tamen ritu, doctissimi fuêre, satis etiam in Geographiâ instructi. Arithmeticam quoque eximiè docti; at, quia ignari litterarum, quibusdam funiculis discoloribus per quosdã nodos numerabant, multiplicabant, partiebant, prout vnus positus color antè aut pòst.

CAPVT XVI.

Admiranda.

ROmanam magnitudinem noster orbis miratus est; fortasse illã superauit Barbara. Catenam auream fecit Huayna Capac

Peruanorum Rex, longam septingentis pedibus, anulis connexam, quorum crassities brachiale siue carpum adæquabat. Ducenti iuuenes mouere illam non poterant. Delubrum Solis in aulâ Ingarum vndique auri tabulatione opertum micabat: nulla supellex ibi non pretiosa, vsque ad ligones & vilissima quæque vascula. Similis maiestas sacellis Lunæ, Veneris, Fulguris, Iridis, & cœnaculo Sacerdotum. Cadauera Regum in sellis aureis summâ maiestate considebant ante ingentem vultum Solis etiam aureum. Hortus ibi sacer totus aureus & argenteus. Ex his metallis quadam naturæ imitatione effictæ fuerunt frutices, arbores, ferę, reptilia. Ingarum quoque insanæ ædes auro intus opertæ: supellectilia omnia aurea vel argentea, vsque ad instrumenta coquinæ. Eadem maiestas in Prætorijs & hospitijs Regis crebrioribus. Muri palatini exteriùs mille arbustis manufactis, & animalculis reptantibus variegati, & pulcherrimi horti cũm fructibus, arboribus, auibus, animalibusque ex auro argentoque. Ex eadem materiâ fontes. In aliquibus domibus Regijs cœnacula capiebant tria millia hominum. Duæ viæ regiæ à Cuzco vsque Quitùm, vna per planiciem, alia per montana, manufactæ protendebantur per quingentas leucas, vt Huayna Rex, iter instituturus, per illas iret & rediret. Incredibilis laboris opera, adæquatis profundis vallibus, editissimis humiliatis rupibus. Vigintiquinque pedes latas aliqui putant, ad minus quindecim. Adeò barbaries excedit Ægyptia & Romana miracula. Annibalis via, quâ per Alpes in Italiam irrupit, harum comparatione ignobilis est. Incredibilia in Thiahunacu prouinciâ Collai ædificia priscorum. Antepagmenta plura ex integro lapide dicunt ante Ingarum imperium facta vnâ nocte, & quasdam giganteas statuas. Iam non vnica superbia sexti Marij, vno die insanam ædificij molem exstruentis. Ceterùm tanta celeritas barbarorum non magnã fidem meretur, vt magnitudo operis certissima. Illud quoque admirandum supra Romanam amplitudinem, in eadem regione esse atrium satis spatiosum, & quadratum, vndique cinctum muris, ad duo stadia elatis, tres dodrantes latis. In quodam atrij latere cœnaculum quadragintaquinque pedes longum, & viginti duos latũ. Tectum extrinsecus velut paleis opertum videbatur, mirâ quadam simulatione artis. Omnia hæc ex vnico & integro lapide in rupe excisa. Templum hoc putabatur, sacrumque vniuersi conditori. Non procul multi saxei viri, & feminæ, diuerso gestu: quidam stantes, alij sedentes: alij simulabãt bibere, alij transmeare torrentem: aliæ statuæ complexu fouebant natos, aliæ ad tergus comportabant, aliæ aliter. Sententia Indorum fuit, in saxa conuersam turbam illam ob maxima flagitia, quorum vltimum fuisset, quòd aduenam lapidibus iniectis acceperint. Inter admiranda censeri prodigia possunt. illud dumtaxat memoro. Yahuar Huacac septimus Ingarum, fertur guttas fleuisse sanguinis, siue puer tunc, siue recèns natus.

CAPVT XVII.

De Sacerdotibus Tibetensium.

Lambæ dicuntur Sacerdotes Tibetensium in Cathayo latissimo Regno, qui partim in communibus collegijs vitã agunt, quemadmodum Religiosi nostri, partim in priuatis ædibus, velut Clerici sæculares, sed omnes paupertatem colunt, eleẽmosynis aluntur, cælibes perseuerant. Sic ferè orationi vacant per integrum diem, ad minus per duas horas matutinas, & alias duas vespertinas: reliquum vitæ modum modestiâ ornant, nec indecens aliquid verbo tenus videntur committere. Incumbunt etiam lectioni sacræ, quam exæquant orationi, & per eam remitti peccata putant. Aliquando seuerè ieiunant, & omnes oris officio supersedent, seruantes silentium, nutibus contenti. Quibusdam temporibus compressis dentibus fundunt preces suas. Pater qui duos liberos habet, cum Deo diuidit, & alterum constituit Lambam, cultui illum diuino mancipans. Idque obseruatur etiam in Regiâ prole. Delubra habent limpidissima, accurantes in re sacrâ exquisitam munditiam, tametsi in seipsis minùs curent, cùm pœnitentium habitum sordes aliquæ non dedeceant. Templa clausa habent, nisi bis in anno. Simulacra sunt aurea, & alicubi femineam effigiem colunt, quę in altum manus attollit instar orantis, quam dicunt esse Dei matrem. Scilicet officium eius Barbari adhuc cognoscunt, idcircò hac illam insigniunt notâ, quasi tessera genitricis Dei sit intercessio iugis pro peccatoribus. Deum trinum & vnum fatentur. Secundam personam Trinitatis *librum magnum* vocant. Lambarum cœtum Rex veneratur triplici inclinatione capitis, non seorsim. In plerisque etiam nostris annuunt mysterijs. Illud non sine superstitione: primâ die cuiusque mensis solemnem pompam ordinantes extra ciuitatem, producunt tres horrendas effigies diaboli; hac cærimoniâ ciuitatem purgant eo mense à laruis & dæmonibus, quos ritu illo putant ablegare. Pecora armentaque nigra benedictionibus armant, ne à dæmone inuadantur, quem putant illo colore

lore lætari. Funus virorum proborum celebrantes, proiiciunt illos auibus quibusdam edendos, iniquorum cadauera canibus.

CAPVT XVIII.

Pudor & charitas adumbrata in Cuianorum superstitionibus.

HÆc dæmonis industria, fallere lucem rationis, sub vmbrâ virtutis vnâ vel alterâ mille caligines miscendo, & offuscando; vt in superstitionibus Cuianorum in Valle adamantis (sic nominant) illud pudoris vestigium seruatum. In septa virorum saltantium nulla femina intrò permittitur ire, aut intueri; & si fortè fortunâ per ostium transire contingat, aliò oporteat vultum auertere, quod inuiolabiliter & capitaliter obseruatur. Est alia amatorij officij & charitatis vmbra. Solemnia sua mutuis muneribus celebrant, inuicem collatis donis, & vestibus commutatis, quem amicitiæ ritum Dauid & Ionathas coluerunt. alioqui valdè superstitiosi sunt. Ritus inuocandi dæmones, saltationes sunt, & pulsationes tympani. Senes puerorũ carnes vnguibus findunt, & pungunt capita lapidibus idoneis ad id officij: mox collecto sanguine, perfundunt aërem, & denique concludunt pueros per duos vel tres menses, ibi continuò ieiunant. Id dicunt fieri vt fortes euadant.

CAPVT XIX.

A quibus Pilatus adoretur. Castitas dæmonibus iactata. Vis ligni sanctæ Crucis.

QVas non admittat humana malitia mendacissimas dæmonis suggestiones? Induxit Andaguailas adorare Pilatũ, ipsumque verum deum appellare, quia potuit occidere Christum Deum Christianorum. Erant quoque apud eosdem duo lapides per quos loquebatur dæmon, & apparenti hac ratione in sui fidem trahebat, iactans cultores & adoratores suos plus castos & pudicos futuros quã Christianos. Est ibi oratorium perniciosissimum, quò cùm contenderent, vt pestem illam vitarent, quidam Patres nostri Ordinis accusabantur temeritatis ab Indis, quibus fides & vox communis erat, cælitus dirè puniendos immissis fulminibus, qui illuc accederet curiositatis aut aliâ causâ quàm venerationis. Patres non propterea cœptis destitere: at cùm iam propiùs essent, ingruit extemplò tempestas, vt ferè pluuiæ loco fulmina caderent. Omnes stupuere attoniti, præter illos Patres in Deo confidentes, qui demum obiectarunt nubibus particulam ligni sanctissimę Crucis, dicendo ecce lignum Crucis; quò repentè tota tempestas euanuit; cum stupore omnium, & fructu illarum animarum.

CAPVT XX.

De ventriloquâ feminâ, & fulmine adorato.

CRebrò in priscis Auctoribus, interdum in sacrâ paginâ mẽtio ventriloquarum occurrit; quid autem sit, non liquidò constat. Nescio an nouam lucem hîc addemus. In Peruano regno celebris venefica fuit, quę cùm quęri se videret, inter rupes abscondit se, rata tutiorem ibi se futuram: sed cùm mox inde etiam timeret detrahi, minata est persequentibus, dicens, se fulminis filiam esse (fulmen enim adoratur à quibusdam Indis, Numen creditum) patremque suum vindictam sumpturũ. Illicò ingruit nimbus densus cum tonitru, fulgure & fulmine, magnâ omnium consternatione. Ausus nihilominùs fuit quidam pius Indus adhuc progredi & accedere ad illam, apprehendensque vetulam, detraxit ad Patres quosdam nostræ Societatis: qui cùm quęrerent, num venefica gestaret secum in aliquâ crumenâ, seu alibi, signa malefica, quibus vsa esset; nuntiatum fuit, illam gestasse, & ita inuentum est: nam pendebat illi è ventre eius marsupiũ ex ipsâ carne & cute factum, vnde ipsam alloquebatur dæmon, & oracula dabat. Alebat etiam hæc anus suâ ipsa manu serpentem quemdam, in quo etiam loquebatur dæmon: qui cùm prospiciebat nutricẽ, è latebrâ suâ prodibat velut catellus, mille beneuolentiæ gestus formans, adulans, & blandiens, circumplicans se illi, velut eam amplexans. Et fere semper ferebat venefica colubrum istum circumuolutum.

CAPVT XXI.

Qui alantur viperis, & pictis contenti vestibus nudi incedant: & alia de Guaycuris.

GVaycuri, gens barbara, documentum Philosophię in nonnullis dabunt, in alijs nec vestigium humanitatis. In diem viuunt, nulla bona possidere volunt, nec radicem, nec sementem, imò nec solum; incertâ semper sede obuia quæque edunt, nec alium coquum desiderant quàm catum, nec venenatis abstinent: vel si vipera occurrat, deuorant, dempto capite. Nudi incedunt. Id faciunt vt securiùs viuant. Sic, inquiunt, non erit quod auferat Hispanus, nec quod timeatur. Nescio an

an nos quoque irrideat, cùm nudi incedentes, pingãt sibi in cute vestes Hispanicas formâ propriâ, femoralia, tibialia, thoraces, vt procul vestiti putentur. Credo elegantiã nostratum vestium meritò videri, cùm perinde sit vestimento forma & nitor, qui maximè curatur, ac si pictum gestaretur; æquè enim à frigore defenderet. Alij se pingunt adeò deformiter, vt non minùs horreas quàm ad occursum dæmonis. Vnicâ vxore contenti sunt. Ad militiam inaugurantur magnis constantiæ (forcasse crudelitatis) experimentis, plus quàm Sacerdotes Cybeles brachia exquisitis torturis cruentantes. Præcipuus ritus auctoramenti dolor est, & celebrior cerimonia, cruor. At quod admiratione dignum, & propè dignum fide, pueruli duorũ vel trium annorum postulant, quasi lusum, pungi, atque eas cruentationes sibi fieri, & ferũt: adeò vincit vsus, & ex exemplo maiorum præconcepta opinio, naturam ipsam & sensum corrumpit. Inaudita ibi virorum desidia, quippe nihil agunt, nec vmquam laborant, vt nullibi gens magis pigritię vacet. Pensatur tamen hæc virorum ignauia feminarum solertiâ & industriâ, cùm nullibi magis laborent, nec vllibi magis officiosæ sint viris suis, quippe quibus omnia præstant, adeò vt vel barbas eorum tondeant. Id præcipuum in militari disciplinâ: numquam decernunt confligere, nisi certi vincere. Ceterùm illud stupiditatis habent, quòd Deum nullum agnoscant, nec etiam nominent: vt verò res inaudita sit, seueram naturam adeò in hac gente communes mentis dotes ac luces obnubilasse. Sed & nec dæmones vllos agnoscunt, nec alios spiritus: solùm putant animas, postquam è corpore egressæ fuerint, vagabundas palari.

CAPVT XXII.

De septuaginta & octo partibus maximi templi Mexicani.

VIx de Mexicanâ religione & magnitudine aliqua libauimus, cùm dignissima narratione sint omnia: plura alij dederunt. Ego præsentabo historiam nouam ex Francisco Hernando, cuius operâ valdè adiutus sum in hoc Volumine. Nec laudare piget, per quem profecerim. Dabo igitur quæ scripsit de partibus septuaginta octo maximi templi Mexicani, fartis effuso sanguine, alijs ministerijs, generibus officiorum, votis, iureiurando, hymnis, ac feminis quæ templo inseruiebant.

Erat, inquit, templi maximi Mexicani epistylium quadratâ formâ, saxeis laminis stratum, ac ducentas vlnas vndequaque lõgum. Cõplectebatur intra se varia membra, multasque turres, quarũ aliæ alijs altiores assurgebant, ac certis dicabantur dijs. Omnium maxima, & illustrior ceteris consecrata erat Hoitzilopochtli seu Tlacahuepan cuexcotzin, diuisaque iuxta cacumen in duas alias, atque ita duas quoque complectebatur ædiculas seu altaria, circa summum tecta binis pinnaculis, non sine certis insignibus. In alterâ earum, quæ amplior erat, collocata imago Hoitzilopochtli, qui etiam Ilhuicatlxoxouhqui vocabatur; in alterâ verò idolum Tlaloc. Ante has mensæ aderant lapideæ, orbiculari formâ, quibus texcatl nomen, vbi serui, aut in prælio capti, in horum deorum honorem mactabantur, è quibus lapidibus in pauimentum vsque infernum riui sanguinei conspiciebantur vestigia, quod etiam videbatur in ceteris turribus. Hæ omnes vergebant in Occidentem, eratque ad eas gradibus satis angustis & erectis ascensus.

Secunda pars principalis spectabat ad deos imbrium, quos vocabant Tlallocos; vbi in deorum honorem ieiunabant, criminum pœnitentiâ ducti, quatuor dies ante festum eorum: quibus transactis, puniebant horum idolorum ministros, qui totius anni procursu aliquando officio, peculiarive ministerio defuissent, demergentes eos palustribus cœnosisque quibusdam locis. Verùm puniti emergentes sese lauabant, acducebant choreas, gerentes manibus muizu, culmos instar scipionum. Ciues quoque saltantes per vias publicas incedebant. Vocabatur festum hoc Etzalli. Quo finito, in honorem horum deorum captiuos trucidabant.

Tertia pars vocabatur Macuilcalli, seu Macuilquiahuitl, vbi hostium speculatores in bello captos, & eos qui Mexicanam vrbem exploraturi accedebant, occidere ac membratim dissecare erat consuetum.

Quarta pars, Teccizcalli dicta, varia idola continebat. In eam se recipiebat vrbis Dominus per festa solemnia, ibique pœnitens ieiunabat quatuor dies, & copalli vaporem in honorem deorum effundebat; vbi & captiuos nonnullos deinde trucidabant.

Quinta fabrica Poyauhtla vocabatur. Ibi ieiunabant duo maximi Sacerdotes, quorum alteri nomen Totectlamacazque, & alteri Tlalocantlenamacac. Ieiunabant verò ac pœnitebant quatuor dies, & deos ibi constitutos odoribus placabant (quod quotannis fieri mos erat quatuor dierum spatio circa festum Etzalqualiztli) captiuosque aliquos in eorum honorem trucidabant.

Sexta vocabatur Mixcoapantzompantli, vbi capita occisorũ in honorem Mixcoatl, lignis acutis transfixa pendebant. Erant autem tzompantli ligna infossa terræ, duas vlnas

Vlnas eminentia, per quorum foramina perticæ transibant septenæ octonæve, quibus transfigebantur prædictorum capita, faciebus in Austrum conuersis.

Apud septimam, Tlalxico nuncupatam, noctu occidebat quotannis, in mense vocato Tititl, in honorem dei tartarei, quem Plutonem appellare possis, captiuum quemdam Sacerdos vocatus Tlilantlenamacac, ac deinde prædictum deum nidoribus suffimentisque placabat.

Octaua pars, Quauhxilco nuncupata, ædicula erat, in quam Rex pœnitentiâ ductus sese recipiebat, celebraturus ieiunium vocatum Netonatiuh Caoalo, quatuor dierum interuallo in honorem Solis, quod ieiunium ducenis quibusque trecentenisve diebus transactis consueuerant exercere. Mactabãtur etiam ibi quatuor captiui, quorum duos Chachame nuncupabant, duos verò alios Solis ac Lunæ simulacra; cum multis alijs, quos deinde in eiusdem Solis honorem interficiebant.

Nona erat quadrata, omnique ex parte circumdata gradibus, vbi quotannis mactabant simulacrum Ometochtli, quo tempore vigebat hoc signum. Erat autem ea imago quidam captiuus, eius dei indutus ornamentis.

Decima erat nemus paruum, vbi conspiciebantur iuga arte fastigiata, & in eis arbusta, quæ in huiusmodi locis sponte prouenire solent. Hinc per mensem Quecholli, postquam ordine processerant, profecti Sacerdotes in decliuia montis Cacatepici, venari nitebantur omnis generis animalia.

Vndecima erat fons latus, cuius aqua ob eius altitudinem videbatur cærulea, vnde sumpsit Tillapæ nomen. Ibi balneabantur noctu sacrifici per eos dies quibus ieiunabãt, parantes se ad colenda festa, quaternis cuiusuis mensis diebus solita celebrari, qui erant veluti festi huius vocatæ vigiliæ: deinde verò nidoribus templum Mizcoatl perfundebant, atque ita in sua discedebant cœnobia.

Duodecima vocata Tlillan Calmecac, ædicula erat dicata deæ Cioacoatl, quam tres Sacerdotes illi ministrantes incolebant. Hæc dea passim sese conspiciendam familiariter præbebat, atque inde quò libitum erat proficiscebatur: & eumdem dæmonem eâ figurâ conspicuum fuisse, non est ambigendum.

Tertiadecima, vocata Mexico Calmecac, cœnobium erat vbi habitabant Sacerdotes, passim ministrantes Oeditlallocum.

Quartadecima, vocata Coacalco, aula erat carceris modo clathrata, vbi dij alienigenæ in prælijs capti tenebantur inclusi.

Tertiadecima, dicta Quauhxicalco, templum erat modicum atque rotundum, tres vlnas tantùm latum, ac consistens sub dio, vbi Sacerdos odoros vapores versus quatuor mundi partes quotidie effundebat. In hoc quoque ædificium conscendebat iuuenis ille, qui indulgenter anni vnius spatio educatus, demum occidebatur iuxta festum huius dei. Ibi fistulâ, quoties veniebat in mentem, noctu aut interdiu canebat; cumq; id peregisset, odoribus placatis dijs sese in suam recipiebat domum.

Decima sexta, Quauhxicalco secunda dicta, præcedenti similis erat. Ante eam infodiebant lignum vocatum xocotl, erigebantque multiplicibus ornatum papyris, supra quod congerro aliquis saltabat, compositus in formam sciuri, quem Mexicani vocant techallotl.

Decima septima, Teancalco nuncupata, templum erat, vbi quotannis multos captiuos, in magnam quemdam pyram proiectos, comburebant circa festum Teuhtleci, moliebanturque Sacerdotes solemnitatem vocatam Amatlauitzoa.

Decima octaua, Tzompantli vocata, erant tria ligna defixa solo, quę perticæ aliquot per interualla perforabant, quibus erant transfixa tempora capitum eorum qui occidebantur in deorum honorem.

In decimanonâ, Hoitznahoac teucalli dictâ, mactabãt imagines deorum, quos Centzonuitznahoac appellabant, in honorem Hoitzilopochtli; nec non plures alios captiuos. quod singulis peragebatur annis circa festum Panquetzaliztli.

Vigesima, Tezcacalco dicta, ædicula erat, vbi seruabantur simulacra Omacame, in quorum honorem captiui occidebantur, quamquam id non fieret singulis quibusque annis.

In vigesima primâ, dictâ Tlacohcalco acatliyacapan, magna iaculorum seruabatur congeries, velut in armamentario. Interficiebantur ibidem aliquot captiui noctu, cùm libebat, nullo ad id sacrificium peragendum tempore designato.

Vigesima secunda ædicula etiam erat Teeizcalco, vbi erant simulacra dei Vmacatl, aliorumque diuorum, vt & mactabant, quoties veniebat in mentem, aliquot captiuos, nullo quoque ad id præscripto tempore.

Vigesima tertia, Vitztepecalco vero, locus in quem Sacerdotes proijciebant mucrones metl, vbi se eisdem pupugissent, nec non virentes arundines, vbi eas proprio sanguine madentes obtulissent deis.

Vigesimaquarta, Atuitznaoac Calmecac, erat cœnobium, quod incolebant Sacerdotes huic inseruientes deo, odores & vapores effundentes, ac solita alia præstantes obsequia.

Vige-

Vigesima quinta, Occeni vero Quauhxicalco, cœnobium simile prædicto, ante quod erectum visebatur tzompantli, cui affigebantur occisorum capita. Huius templi cacumini insidebat simulacrum dei Vmacatl, ligneâ materie effictum, in cuius honorem aliquot captiuos mactabant, vt eorum sanguine os labráque eius delinirent.

Vigesima sexta, Macuilcipactli yjeupan vocata, erat magnum templum, erectum in huius dei honorem, cui captiuos noctu circa Cipactli peculiare eius signum consuetum erat immolari.

Vigesima septima, Tetlacman Calmecac nuncupata, cœnobium Sacerdotibus habitatum, dicatumque deæ Chantico, vbi noctu diuque ministrabatur ei.

Vigesimaoctaua, Yztac cintcutl Yteupan nuncupata, templum etiam erat prædictæ dicatum deæ, vbi homines leprosos immolabant circa ieiunium Solis, ab eorum tamen carnium esu abstinentes.

Vigesimanona, Tetlanman vocata, ædes erant dicata deæ Quaxolotl chantico, vbi captiuos sponte mactabant, dominante signo Cexochitl.

Trigesima dicata erat Chicumecatl Yteupan, vbi seruos etiam solebant occidere noctu, incipiente dominari signo Cexochitl.

Trigesimaprima, dicta Tezcaapan, fons erat latus, vbi balneabantur pœnitentes ex voto. Erant enim qui deuouerent carnem suam aliquot menses afflicturos, annúmve, inseruientes templis, aut dijs in quos erant propensiores.

Vigesimasecunda Tezcatlacho, locus erat vbi ludebatur pilâ exgumi olli, inter templa: & aliquot captiuos, quando in animum veniebat, consuetum erat trucidare dominante signo Omacatl.

Trigesimatertia, Tzompantli vocata, erat locus vbi capita eorum qui occidebantur in honorem deorum quos vocabant Omacame, seruabantur transfixa. Fiebat autem hoc sacrificium ducentesimâ secundâ cuiusuis anni luce.

Trigesimumquartum membrum, Tlamacatzinco vocatum, templum erat dicatum deo Tlamaltzincatl, in cuius honorem quotannis captiuos occidebant iuxta finem festi vocati Quecholi.

Trigesimusquintus locus, dictus Tlamazinco Calmecac, monasterium erat, vbi morabantur Sacerdotes, qui præcedentis templi dijs ministrabant.

Trigesimasexta, Quauhxicalco nuncupata, templum erat paruum, latum tamen, & nonnihil profundum, vbi exurebantur papyri quas deuouerant obtulerantque dijs, inflammabaturque anguis quidam.

Trigesimaseptima, Mixcoa teupan dicta, templum erat dicatum Mizcoatl, vbi peragebantur quæ dicta sunt in festo Quecollitlami.

Trigesimaoctaua, seu Netlatiloian, templum erat, ad cuius radices patebat antrum, vbi recondebant excoriatorum pelles, vt in Tlacaxipehualitztli dictum est.

Trigesimusnonus, Teutlachco dictus, locus erat, vbi ludebatur pilâ, trucidabanturq; captiui, Apanme vocati, in festo Panquetzalitzli.

Quadragesima, Ilhuicatitlan vocata, columna crassa & excelsa erat, vbi depicta Veneris stella visebatur, cuius cacumini impositum erat pinnaculum consarcinatum ex stramento. Coram hac columnâ atque stellâ mactabant captiuos singulis annis, cùm primùm apparere incipiebat.

Quadragesimaprima, dicta Veitzompantli, machina erat ante templũ Vitzilopochtli, vbi occisorum in honorem huius dei quotannis in festo Pantquetzaliztli transfixa seruabantur capita.

Quadragesimasecunda, dicta Mecatlan, domus erat, in quâ ministri deorum tubis docebantur canere.

Quadragesimatertia, Cinteupan nuncupata, templum erat dicatum deæ Chicomecatl, vbi mactabatur & excoriabatur quotannis mulier, quam eius deæ simulacrum esse ferebant.

Quadragesimaquarta, Centzon todochti inteupan dicta, templum erat dicatum vini deo, in cuius honorem tres captiuos, interdiu tamen & non noctu iugulabát, quorum primum Teputztecatl nuncupabant, secundum Toltecatl, tertium verò Papaztac, quod fiebat quotannis circa festum Tepeilhuitl.

Quadragesimaquinta Ynteupan dicebatur, templum nempe rotundum, vbi erat deus frumenti, quod maizium vocant, & quotannis eius iugulabant imaginem cum alijs seruis.

Quadragesimasexta, dicta Netotiloian, locus erat epistylij, vbi morituri choreas ducebant, & cum eis simulacrum signi Chicumetatl, nocteque intempestâ quotannis immolabantur in festo Xilomanitzli, aut Atlaconli.

Quadragesimaseptima, pars dicta Chililico, templum erat vbi interficiebant seruos in signo Chicu nauiecatl, iuxta intempestam noctem à solis Heroibus oblatos, quod fiebat in festo Atleaoali.

Quadragesimaoctaua, dicta Cooüapan, fons erat, vbi balneabatur solus Sacerdos templi vocati Coatlan, nec vllus alius.

Quadragesimanona, dicta Puchtlan, cœnobium

nobium erat quod incolebant ſacrifici templi, vbi erat ſimulacrum Yacateuhtli mercatorum dei, cui interdiu atque etiam noctu miniſtrabant.

Quinquageſima, Atlauhco vocata, erat quoque cœnobium, quod incolebant Sacerdotes, deæ Vitzilinquatec diu noctuque inſeruientes.

Quinquageſimumprimum membrum, Iopico dictum, templum erat, vbi quotannis ſeruos quamplures, captiuósve interdiu mactabant circa feſtũ Tlacaxipehoaliztli.

Quinquageſimumſecundum, vero Yyacatecutli yteupan dictum, templum erat dei mercatorum, vbi quotannis eius confodiebant vocatam imaginem circa feſtũ Tititli.

Quinquageſimumtertium, Vitzilinquatec yteupan nomine, templum etiam erat, vbi immolabant quotannis iuxta feſtum Tititl in eius deæ honorem feminam, quam illius imaginem nuncupabant.

In ædiculâ verò quinquageſimaquartâ, Iopici Calmecac, multos quotannis iugulabãt captiuos iuxta feſtũ Tlacaxipehoaliztli.

In quinquageſimoquinto, Iopico vero tzompantli, affigebantur capita iugulatorum per feſtum Tlacaxipehoaliztli.

Tzompantli quinquageſimusſextus locus erat, vbi capita mactatorum per feſtum Yacatecutli mercatorum dei primâ die feſti Xocotluetzi palis affixa recondebantur.

Quinquageſimumſeptimum ædificium, vocatum Macuil malinalyteupan, templum erat, vbi ſimulacra duorum deorum colebantur, nempe illud Mucuil malinal, alterum Vero topantlacaqui, in quo ſigno ſolemnia hîc peragebantur cuiuſuis anni tercenteſimâ ternaque luce, nec non in honorem ſigni xochilhuitl.

Quinquageſimumoctauum, dictum Aripac, ædicula erat vbi feſtum celebrabant, multaq́; offerre conſueuerant deabus Cihoapipilti per ſignum Chicumecoa tonalli.

Quinquageſimumnonum, dictum Netlatiloyan, fuit antrũ in quod pelles excoriatorum quotannis Inochpanitzli recondebant.

Sexageſimus locus, quem vocabant Atlauhco, ædicula erat honori cultuique deæ ciuateutl dicatus. In huius honorem interficiebant feminam quotannis circa feſtum Ochpaniztli, quam eius dicebant eſſe imaginem, in templo Coatlani non longè ab hac ædiculâ.

Sexageſimumprimũ membrum, dictum Tzomolco Calmecac, cœnobium erat, vbi habitabãt Sacerdotes Xiuhtecutli, ignis dei, nouumque ignem quotannis excutiebant iuxta feſtum Quauhquiltamal qualiztli, vnde etiam ignem deſumi conſuetudo obtinebat, quoties Sacerdos odoros vapores eſſet in ſimulacra ſparſurus.

Sexageſimumſecundum, Temacatl nuncupatum, ſaxum fuit magnum, rotæ circa medium perforatæ figura, de quâ dictum eſt à nobis latiùs.

Sexageſimumtertiũ, Napatecutli yteupan dictum, templum erat dicatũ huic deo, vbi ſimulacrũ eius nocte intempeſtâ quotannis circa feſtum Tepeilhuitl ſolebat immolari.

Sexageſimumquartum, Tzomolco dictũ, templum erat dicatum ignis deo, vbi ſeruos quaternos trucidabant, velut eius imagines, & alios quamplures captiuos. Hîc eadem die infra gradus erat forum in quod per gradus quoque erat conſcenſus. In eodem foro duas mulieres immolabant ex templo ductis choreis.

Sexageſimaquinta pars, Coatlan vocata, templum erat vbi occidebantur captiui aliquot in honorem deorum quos Cenzon vitznahoa vocabant, tum etiã quoties recentes excitabant ignes per feſtũ Vequecholli.

Sexageſimaſexta, nuncupata Xochicalco, templum erat ædificatum in honorem dei Cinteutl & Tlatlauhqui cinteutl, deæq́; Atlatonam, vbi trucidabant feminam quamdam, velut huius deæ imaginem, cuius corium induebat quiſpiã Sacerdos noctu. Hic idem diluculo ad eum modum veſtitus ſaltabat: quæ ſolemnitas quouis anno celebrari ſolebat in feſto Ochpaniztli.

Sexageſimaſeptima, Yopicalco yeoacalco vocata, domus erat in quam diuertebant Heroës, qui ſe conferebant è longinquis Prouincijs in Mexicanam vrbem gratiâ inuiſendi templum hoc, & præcipuè ab illâ Anaoacenſi.

Sexageſimaoctaua, nuncupata Tozpalatl, fons erat maximo habitus in pretio, circa eumdem locũ ſcaturiens, vnde aquam hauriebant Sacerdotes quo tempore celebrabatur feſtum Hoitzilopochtli, alijque feſtiui dies, & oppidani magno animi in deos affectu potabant.

Sexageſimanona, Tlacochcalco quauhquioac nuncupata, domus erat continens ſimulacrum dei Inacuiltotec, in cuius honorem aliquot captiuos immolabant circa feſtum Panquetzaliztli.

Septuageſima, Tulnahoac dicta, domus erat in quâ iugulabant aliquot captiuos in honorem Tezcatlipucæ, incipiente dominari ſigno Cemiquiztli.

Septuageſimaprima, Tilocan nuncupata, domus erat vbi coquebatur maſſa, ex quâ imago Hoitzilopochtli circa eius feſtum effigienda eſſet.

Septuageſimaſecunda, Ytepeyoc dicta, domus erat vbi imago Hoitzilopochtli Sacerdotes ex maſsâ efformabant.

Septuagesimatertia, Huitznahoac Calpuli dicta, domus erat vbi fabricabatur signum alterius dei socij Hoitzilopochtli, cui nomen Tlacuepan Cuexcotzin.

Septuagesimaquarta, domus erat in quam agebant morituros infantes, ac ceteros lepræ contagione affectos, quos vocabant Xixioti, dijs etiam litandos: quos infantes in hunc locum primùm congregatos, ordine procedentes, lecticis humeris impositis, ornatisq; mille plumarum ac florum generibus, in locum vbi essent morituri ducebant.

Septuagesimaquinta, Tezcacooactlacoh calco nuncupata, domus erat vbi permulta seruabātur iacula atque sagittæ bellis gerēdis idonea, trucidabāturq; aliquot annis bini serui, verùm sponte, & nullis cogētibus legibus.

Septuagesimasexta, Acatlyyacapan huci calpulli nuncupata, domus erat in quā congregabant seruos interficiendos in honorem Tlallocum, quos deinde dissecabāt in frusta, atque deuorandos decoquebant cum floribus cucurbitinis. Non licebat autem hos edere plebeijs, sed tantùm Heroibus.

Septuagesimaseptima, Techielli nuncupata, templum erat paruum, vbi mos erat offerre fruticem vocatum acxoyatl.

Septuagesimaoctaua, vocata Calpulli, ædes erant paruæ, quibus vndique ambiebatur epistylium templi internâ parte. In has sese recipiebant Heroës pœnitentiâ ducti, vt sese ieiunijs distorquerent quatuor dierum interuallo, ac Reipublicæ magistratus, iuxta festorum vigilias vicenâ quaque luce contingentes, quo tempore alij meridie, alij nocte intempestâ cibos sumebant.

CAPVT XXIII.

De cærimoniis Mexicanorum.

ENumeratis tēpli maximi partibus, tempus iam exposcit vt sarta etiam, seu diis offerri solita munera adiiciamus, & nonnullas seruari solitas cærimonias. In domibus ergo vocatis Calpulli, quæ erāt veluti tēpla, vbi congregabātur incolæ vicorum, ad offerenda dijs munera, aliasque cærimonias peragendas, offerebant cibariorum multa genera, aues, spicas metl, chian, phaseolos, flores ac lintea nuptæ, atque innuptæ vicorum virgines. At circa tectorum suorum ædiculas atque altaria, nihil præter cibos offerre erat consuetum, quod fiebat diluculo tam ab heris quàm à ceteris, matrefamilias excitante matutino domesticos, vt dijs laribus quotidie aliquid sacraretur. At Sacerdotes copalli suffitu placabant deos, apposito thuribulis fictilibus, versus quatuor mundi partes, priùs effuso vapore: quod etiam patresfamilias in suis ædibus faciebant, facereque cogebant domesticos; nec non & iudices, priùs quàm sententiam de aliquâ re ferrent; & cantores antequam canerent; quasi in auxiliū ad hæc rectè atque feliciter peragenda inuocantes deos. Cùm verò nouæ Hispaniæ coloni locum quempiā adibant, vbi collocata essent suorum deorum simulacra, terram digito attingebant, atque admouebāt ori linguæve, quasi terram edentes in deorum honorem. Idem facere soliti erant, domum vndecumque reuertētes, aut cùm in vijs publicis deorum occurrerent simulacris, aut iureiurando ad rem quampiam adimplendam operæpretium erat adstringi. Religiosa etiam illis erat proiectio, quam vocabant Caliztli: quandoquidem nemo comedebat, quin priùs offam quampiam modicam proijceret ignis, cui diuinū aliquid inesse suspicabantur, elemento. Nec quisquam patrium vinū potabat, quin priùs nonnihil effunderet iuxta ignis imagines: & cùm primùm cadum quempiam siccare inciperent, in labrum nonnihil contenti vini effundebant, atque ex eo iuxta focū apposito, quatuor ignis partes in quatuor mūdi plagas vergentes rigabant; neque aliter cōuiuas potare erat permissum. Hoc genus cærimoniæ vocabatur ab Indis tlamauan tlatoa oyaliz, quod est libatio, aut gustus.

CAPVT XXIV.

De effusione sanguinis superstitiosâ.

IAm verò narrandum nobis est, quot modis sanguis effunderetur in dæmonum cultu intra atque extra templa. Nam præterquam quòd sanguis, vt sæpè dictum à nobis est (infit Franciscus Hernandus) in templis diu noctuque mittebatur, confossis viris ac feminis coram deorum simulacris; varias quoque corporis partes certis quibusdam diebus sponte suâ secabant, perforantes in vijs publicis aut calpulcis, interdum linguam, interdum verò crura atque brachia, & per foramen ducentes aliquot fœni culmos, aut diuisos, aut inter se connexos, atque ita tinctos sanguine coram idolis relinquentes. Sanguinem præterea mittebant Sacerdotes in antris atque collibus suapte sponte, noctu, virentium arundinum cuspidibus, ac mucronibus metl, quos (cruentatis etiam cruribus montes, in quos propensi, erant adeuntes) sanguine madentes supra foliorum arundinum cumulum relinquebant. Fundebant quoque humanum sanguinem sponte suâ quinque diebus antequam præcipuum Festum adesset, quod vigesima quaque die celebrabatur, scissis auriculis, & educto sanguine, lineas in facie, si viri erant, à ci-

à cilijs vsque ad mandibulas; si verò feminę, in circulum ducebant. Quin feminis ipsis consuetũ erat huiusmodi sanguinem offerre octoginta dierum spatio, scissis tertio aut quarto quoque die varijs partibus corporis: quo tempore sanguinem etiam auicularum litabant, ac præcipuè coram Hoitzilopochtli, per cuius festa emptis coturnicibus capita vellebant, vt abiecto & subuolitante corpore quæsitus sanguis effunderetur. Cùm verò seruum quempiam vel captiuum immolabant, herus sanguinem eius vase excipiebat, papyroque madente eo ora simulacrorum perluebat, quod alij ligno potiùs intincto malebant exercere. Addam hoc Francisco Hernando, vno olim vnius diei sacrificio immolata septuaginta sex millia hominum in templo Tetzcuetzingo. Qui morbum quempiam euadebant, Astronomi alicuius ducti consilio diem fortunatum eligebant, in quo domi multas papyros inflammarent, in quibus Astrologus imagines depinxisset eorum deorum, quos coniectabant sanitati consequendæ fuisse propitios. His donabat Astrologus sanitati restitutũ, exponens quosnam deos expressisset imaginibus: alter verò acceptos in ignem cõiiciebat exurebatque, & cineres circa domi epistylium medium humabat. quod genus cærimoniarum vocabatur meztlatalizlti. Erant etiam, qui sponte suâ in templis circa festorum vigilias sanguinem offerrent: & vt oblatio eorum gratior esset dijs, mucrones metl, tinctos crurium sanguine, aggeribus acxoyatl è siluis delatis imponebant, oblatos ei deo in quem erant propensiores; quod genus sacrificij acxoyatlemaliztli mos erat nuncupare.

CAPVT XXV.

De varijs superstitionibus.

CVm in bellum aliquod essent ituri, milites omnes lignatum sese priùs in siluas conferebant, vt templorũ focis, vbi perpetuus lucebat ignis, lignorum copia suppeteret; reliquis verò temporibus ad templorũ ministros, & eos qui habitabant Calmecac, id ministerium, quod vocabant teuquauh quetzaliztli, solebat spectare. Verrebant etiam non mediocri diligentiâ & curâ diluculo in honorem deorum contentorum domi, penatiúmve, epistylia, atque atria ædium. Patribus item ac matribus familias curæ erat, imperare domesticis, vt huic operi perpetuò incumberent. Deinde verò odora medicamenta vrebant, & suffimentis placabant diuos: atque id genus cultus tlachpahualiztli vocabant. Magnam prętereà noctu Sacerdotes curam ponebant, ne ignis (qui in templi epistylio perpetuò ardens seruabatur, & si vel momento temporis elanguisset, summum scelus habebatur) vnquam extingueretur, vtque exsuscitarent eos, ad quos conchâ canendo pertinebat populum ad sacra celebranda vocare, aut qui suffimentis vel fartis diuos essent oblectaturi; quod genus cultus vocabant tocoaliztli. Consuetum erat plebi pœnitere non semel singulis quibusque annis, nempe abstinendo à capitum lotione, balneisque & venere, non tamen à cibis, vocabaturque id continentiæ genus necaoaliztli.

Cùm celebrabant festum Atamalqualiztli octauo quoque anno, Indi nuncupati Macatecæ, vt audaciam virtutemque animi ostenderent, angues ranasque viuentes saltando paulatim deuorabant, deindeque linteis ab omnibus, ob facinus (vt ipsis videbatur) egregium, donari solebant. Iuuenes verò in festo Etzalqualiztli, auiculas multorum generum filis longiusculis sub fruticum variorum ramis alligabant, easdemque huc & illuc inter frondes volitantes, cùm ordine in eo festo procederent, circumferebant. Erat enim frequens vniuersæ plebi, per festa ordine incedere, ac deorum imagines circa templorum ambitum, aliáve magis distantia loca, lecticis impositas deportare humeris. Solebant etiam feminæ saltare pariter cum viris in solemnibus festis. In festo verò deæ Toci, singuli iuuenes in eius honorem è labro quodam erecto, & pennis referto, singulos pugillos capiebant; seque inuicem insectabantur: adolescens verò, qui pellem imaginis eius deæ nuper interemptæ induerat, cum alijs commilitonibus illos insecuti impetebant lapidibus, fauente multitudine factioni ei qui veniebat in mentem: neque rarò contingebat aliquos concidere in pugnâ. Eleuabãt etiam infantes auriculis arreptos in festo Yzcalli, quod in ignis honorẽ celebrabant, putantes ita fore vt in maiorem assurgerent altitudinem. Eisdem medebantur (si valetudinarij essent) funiculis laxis gossypij circumligatis collo, appensoq; orbiculo copalli; interdum etiam & brachialia talosque similibus funiculis circumligabant. Sed oportebat id auxilij genus ab Astrologo aliquo adhiberi, quotque dies ille iuberet gestari, ac tandem dimoueri ab eodem, exurique in Calpulco: idque fiebat quatuor mensium spatio valetudinis infantium ratione. In festo verò Teuhtleci, ne sibi noceret deus Acoloniztli; pectori dorsoque, brachialibus ac talis variorum colorum pennas resinâ illitas agglutinabant; nec non quarto quoque anno, in festo Izcalli.

Aliud ſpectaculum tlauauanalitzli fiebat in feſto Tlacaxipeoaliztli in Etzalqualiztli. Cùm aliquis ædium ædificium abſoluerat, in honorem Solis atque ignis, dominante ſigno Solis, ſanguinem ex auribus educebant, excipiebantque vngue digiti pollici proximi aut medij, & proiiciebant in ignem atque in Solem, vocabantque eam cultus differentiam Tlacaltiliztli. Quando contingebat tranſire ante alicuius dei ſimulacrum, vellebant fœni manipulum, & coram illo deo reuerenter diffundebant: quod etiam fieri erat conſuetum voti aut cærimoniæ gratiâ. Quibuſque noctibus, non multò ante intempeſtam, Sacerdotes, ad quos id munij ſpectabat, conchis canebant, tubiſque & cornibus: quibus auditis, cuncti aſſurgebant ad offerendum ſanguinem & copalli idolis, tam in templis quàm in ceteris vrbis domicilijs. Cùm verò intempeſta iam accederet nox, Sacerdotes vocati Quæquacuiltin tympana pulſabant, excitandi gratiâ eos, qui altiori ſomno grauarentur, puniebantque eos, qui in id vſque tempus non ſurrexiſſent, feruenti aquâ deſuper ſparsâ carbonibúſve. Perforabant etiam aures & labia, infuſuri aurum ac gemmas cærimoniæ cultuſque gratiâ; vocabantque nenacazxapotlaliztli aut netéxapotlaliztli.

CAPVT XXVI.

De miniſtris deorum.

IAm ad miniſtros deorum, inquit idem Auctor, deueniamus recenſendos, quorum vnus erat, Mexicoul tehuoatzin vocatus, Patriarchæ ſimilis, electuſque duorum Pontificum ſuffragijs, & Præfectus alijs ſacrificis inferioribus, qui erant velut Epiſcopi. Ad eum ſpectabat curare, vt quæ ad cultum deorum pertinerent, in quibuſque oppidis atque Prouincijs Mexicano parentibus imperio, diligenter atque exquiſitè peragerentur ſecundùm leges ac ritus antiquorum Pontificum & Sacerdotum, ac præcipuè quæ ad educationem iuuenum inſtituendorum in cœnobijs collegiiſve vocatis Calmecac. Puniebat idem ſubditos Sacerdotes, ſi pœnâ digni viderentur. Huius ornamenta erant thorax goſſypinus, thuribulumque fictile, & ſaccus plenus copalli, cuius nidore placaret deos. In munere eum iuuabat quidam alius, vocatus Vitznahoac tehuoatzin, nec non alius Tepantehuoatzin, cui præcipua cura erat, vt qui in cunctis Calmecac Prouinciarum, quæ ſubiectæ erant Mexico, educabantur, aptè commodeque gubernarentur atque inſtituerentur.

At qui vocabatur Vmetochtzin, erat velut magiſter cantorum templi, cogebatque omnes in templo ad munus ſuum exercendum. Quotidie verò vtebantur prædicti cantores, poſtquam penſum ſuum vnoquoque die abſoluiſſent, vino vocato Teuhoctli. Nam cùm Paateclatl (qui erat huic cærimoniæ Præfectus) vaſa attuliſſet, atque impleuiſſet mero, appoſuiſſetque ducentas ac tres arundines, quarum vnica erat perforata, ſinguli cantores ſingulas capiebant, tantumque potiebatur mero, atque potabat, qui in perforatam incidiſſet.

Epocaquacuiltzin curæ erant feſta catalogi, cærimoniæque exercendæ in eis, vt in nihil negligenter perageretur; erat enim veluti Cærimoniarum magiſter: Molonæ verò Teuhoæ, parare quæcumque neceſſaria eſſent ad peragenda ſacrificia, aut offerenda dijs munera in feſto Chicunauecatl, velut papyrum & copalli.

Teutitzin eadem cura vexabat in feſto Xilonen, ſzatempan, teuhoatzin, congerendi pennas molles, aliaque in feſto matris deorum, congregandique iuuenes vocatos Cuecuexteca, vt in vico Atempari vacarent ieiunio.

Tlapitzcatzin erat veluti cantorum Præfectus, curabatque docere, regere, & caſtigare canentes, per ſingula feſta in honorem deorum modulaturos.

Tzaputlaleoatzin parabat neceſſaria feſto deæ Tzapotlatenæ, velut papyrum, vlli & copalli, herbamque quamdam odoram, cuius vapor gratus erat dijs.

Tecamateuhoa verò quæcumque neceſſaria eſſent ad faces conficiendas, nec non rubricam fabrilem, atramentum, ac calceos quos vocabant cutaras, thoraces, & cochleas marinas: quæ omnia neceſſaria erant ad ſolemnia ignis dei celebranda.

Ad Tetzcatzoncatl pertinebat prædicta omnia rurſus parare in diem feſti dei vini in menſe vocato Tepeilhuitl: Adumetochtli verò, cùm celebrabatur feſtum dei vini vocati Vmetochtli, in menſe Tepeilhuitl: Adumetochtli tomi iahuh; quãdo celebrabatur feſtum Vmetochtli tomi iauh circa prædictum menſem: ad Acaloa vmetochtli in feſto dei vini, vocati Tlapanqui: ad tlilhoa humetochtli in feſto dei vini vocati Tlilhoaumetochtli, in menſe Tepeilhuitl: ad vmetochtli Napatecutli in feſto Tepeilhuitl: ad vmetochtli Papaztac pertinebat parare vinum vocatum tizaoctli, potandum circa Regias ædes, & in feſto Tocotzli, vbi vino vti fas erat viris ac feminis, puerìſque & puellis, nec non quæ ſuperiùs dicta ſunt in feſto Atlcacaoalo.

Mulier, vocata Cioa Quacuilli, parabat quæ-

quæcumque offerenda erant circa festum deæ Toci, velut flores, tabacos, & huiusmodi alia.

Cioaquacuilli iz taccioatl verò præerat in templo Atenchicalcan, eis qui verrebant, admouebantque ignes eis qui deuouebant aliquod obsequium dijs in hoc templo se præstaturos.

Ixcocauhquitzonmolco teuhoa curabat ligna deportari, vrenda in cœnobio Tzonmolco Calmecac vocato, quæ iuuenes deferebant, atque in prædicto cœnobio collocabant.

Tlacolquacuilli assidebat templo vocato Mecatlan, indutus vestibus Sacerdotum, hoc est, thorace, quem xicolli vocabant, ferebatque pyxidem refertam picietl, diligenterque cauebat; ne quisquam irreuerenter accederet in hoc templum, aut quidquam sordidum in eo offenderetur; cuius rei gratiâ acerbè puniebantur, quicumque iuxta eum aut vrinam redderent, aut aluum exonerarent.

Tepatzinco teuhoæ curæ erat, ne quisquam in templo huius nominis quidquam irreuerenter tractaret, vtque oblationum maiores prouentus accederent.

Epeoaqua cuillitepiton hymnos componebat, tam in templis quàm in priuatis ædibus concinendos.

Ixtlilco teuhoa seruabat templum Ixtlilton vocatum, augerique curabat munera offerri solita, cùm primùm infantes loqui incipientes deferebantur in hoc templum, ac statæ peragebantur cærimoniæ.

Aticpac teuhoatzin Xochipilli templi Aticpac vocati curam gerebat, & parabat quæ necessaria esse intelligebat, quando ibi femina quædam trucidabatur, excoriabaturque in honorem deæ Atupac Calquicioatl nuncupatæ: cuius etiam pellem indutus, per vias publicas incedebat, gestans viuam coturnicem dentibus apprehensam.

Atlixeuhqui teuhoa obuchtli parabat omnia necessaria, quo tempore mactabatur imago Obuchtli in festo Tepeilhuitl.

Xippe Iopico verò teuhoa parabat omnia quæ necessaria esse videbantur, quoties erat in hoc templo Iopico imago Tequitzin immolanda.

Pochtlan teuhoa Yiaca Tecutli parabat omnia quæ decebat, cùm confodiebatur Yiacatecutl simulacrum in templo Pochtlan vocato.

Chiconquiauitl Pochtlan adiuuabat præcedentem ad prædictos effectus.

Izquitlan teuhoatzin distribuebat thoraces vocatos xicolli, Sacerdotum ornamentum, cochleas marinas, & cutaras, recipiebatque primos rores metl ad parandum vinum Sacerdotibus Tzapotla.

Teuhoatzin præstò esse curabat papyrum copalli, thuribula, ceteraque interficiendis in festo Tepeilhuitl necessaria.

Chalciutli ycue Acatonal qua cuilli parabat oblationes necessarias confodiendis in festo chalciutl yycue, velut topalli & vlli.

Acol verò Nahuacatl Acolmitzli parabat quæ necessaria fore intelligebat, quando Rex Mexicanus esset ieiunaturus in festo Tlalloc & Solis, atque Quecholli, quæ ieiunia erant solemnia: parabat enim vestimenta, & cutaras quibus esset vsurus.

Tullanteuhoa parabat papyros copalli atque vlli imagini Tultecæ moriturae necessaria atque opportuna, quam iugulabant in mense vocato Quecholli, aut initio mensis vocati Tepeilhuitl. Quotidie offerebatur sanguis ac thus Soli, cùm primùm summo manè oriebatur, sanguis nempe detractus auriculis, aut è coturnicibus confossis destillans, quas vulsis capitibus, ac fluente sanguine versus Solem attollebant, velut hunc sanguinem illi offerentes, atque dicentes ortum iam esse Solem nuncupatum Tonametl xiuhpil tontli, quauhteo amitl: nemini cognitum esse, quemadmodum cursum suum esset eâ die peracturus, aut si discrimen aliquod euenturum esset pertimescendum. Mox verò ipsum Solem adorabant dicentes: Domine noster, perage feliciter munus tuũ. Quod fiebat quotidie iuxta Solis exortum. Quater quotidie thus illi offerebant, quinquies verò noctu. In die, semel ipso oriente, rursus ad nonam horam vocatam diei, tertiò meridie, quartò occidente iam Sole: noctu verò, primò cùm iam tenebræ terras obscurabant; secundò, cùm iam omnes cubitum se recipiebant; tertiò, cùm canebát cochleis ij quibus curæ erat ceteros ad laudes dijs concinendas excitare; quartò, non multò post noctem intempestam; quintò verò paulè ante diluculum. Cùm verò thus offerebant inchoante iam nocte, eam salutabant, dicentes: Iam progressus est noctis dominus vocatus Iohalteuhtli, nescimus quo pacto cursum suum peraget. Festum huius Yoaltecutli celebrabatur in signo nuncupato Nahuiollin, ducentesimo tertio die rationis tonal amatl: ieiunabant quatuor dies ante illud. Circa meridiem verò huius festi canebant conchis, tubisque, & alijs consuetis instrumentis, viminaque per linguæ foramen ducebant, offerentes ei eum sanguinem; quem etiam ab auriculis puerorum in cunis vagientium mos erat tunc temporis extrahere, offerreque dijs, non solùm à ceteris natu maioribus. Hoc fiebat, nihil coram Solis imagine eis dicentibus, quæ erat in templo Quauhxicalco, aut picta, aut insculpta,

humanâ facie, velut & hodie à nostris exprimi solet, adiectis radijs in rotæ speciem vndequaque prodeuntibus. In festo verò Solis quotannis seruos & captiuos plures in eius honorem circa eiusdem templum interficiebant, certumque habebant, cunctos prælio interemptos in domo Solis hospitari.

Sacerdoti cuidam in templo assidentium curæ erat, instituere ceteros in eo dijs inseruientes, quos iam institutos tradebat ceteris ministris, vt munia quæ didicerant exercerent. Hic idem ad bonam exhortabatur vitam, probatosque mores, & ab improbatis deterrebat, imperabatque pueris quos educabat, templi loca verrere, & scopis detergere, si quæ aderant sordes, & curabat ne ignis vmquam deesset focis templi.

Quidam iuuenes, qui suapte sponte templo assidentes ieiunabant, atque pœnitebāt, noctu vigilabant, cauentes ne quidquam eo tempore ibi indecens gereretur.

Pueri, qui educabantur in cœnobio Calmecac, ligna in templo comburenda è propinquis siluis deportabant; qui verò denuò in cœnobium venerant, ferebant mucrones metl, qui essent necessarij sacrificijs peragendis.

Adolescentes, quos vocabant Tlamacazque, laurinos congerebant ramos, quos necessarios in templo esse admonebantur, pulsabantque cochleas, tibias, atque tubas pueri: & adolescentes, qui educabantur in Calmecac, idem atramentum parabant, quo se Sacerdotes totos tingebant quotidie tempore matutino; parabant autem illud in Monoxilo huic rei dicato.

CAPVT XXVII.

De votis, iuramentis, & nuptiis.

QVod spectat ad vota atque iuramenta, deuouere consueuerant Mexicani, inseruituros se dijs aliquibus, sacrificijs atque oblationibus, quando quispiam ex domesticis in morbum incidebat; nec non iurare quidpiam, quod pollicebantur, adimpleturos, præcipuè cùm id exigeret securitas eorum ad quos pertinebat promissio. Afferebant verò tunc in testem Solem, nec non & terram deam, dicentes, ad maiorem faciendam fidem, terram edere, attingentes pariter illam digitis, orique admotos lambentes. Antiquus mox prætereà perpetuò dæmonum fuit, absconditis laqueis homines irretire, atque ita hymnos instituit, quos vix vllus hodie, etiam ex ipsis Indis intelligat, nisi idem ipse hodie dæmonijs inseruire perseueret. Hos ego modò pertranseo, vel quòd in dæmonum honorem inuenti sint, vel quòd à nemine penè exquisitè percipiantur. Illud narrare satius duxi, fuisse feminas ab ineunte ætate deorum ministerio consecratas, quæ in templo à matribus familias studiosè educarentur, diuisque inseruirent, donec peruenirent in maturam ætatem, nubilesque essent & maturæ viris. Quo tempore si ab aliquo in vxores poscerentur, conueniretur que inter consocros affines, præcipui vici viri parabant munera, nempe coturnices, topalli, flores & tabacos, ac thuribulum fictile, nec non multa genera esculentorum, delataque puellâ in templum conspectumque Sacerdotum, ac strato in solo linteo, dona desuper apponebant, præterque linteum vocatum tlicaquechtli, cui humana permulta capita intexta erant: ac demum habitis vltrò citroque permultis sermonibus, parentes natam locandam viro in domum reducebant. Hactenus Franciscus Hernandus.

CAPVT XXVIII.

De noui Mexici moribus.

SEd nec prætereunda est noui Mexici Septemtrionalis plaga, quæ nuper Christi iugum subijt. Leuior his gentibus idololatria, nisi quòd minutiores actiones superstitione aliquâ fœdent. Præliaturi, farinam offerunt capillis & cæsariei occisorum hostium nationis inuadendæ. Venaturi pariter farinam offerunt ceruorum aut leporum capitibus. Feminæ validæ & pingues prodeunt in agros, & electo colle lapidem aut paxillum terræ figunt, cui posteà farinam offerunt. Manent ibi plus minúsve octo dies: interim se macerant verberibus, ieiunio & incommodis, cibisque infirmantibus stomachum. Iam marcidæ & exhaustæ discedunt, & à primùm obuio mercedem austeritatis sperant. Non tamen adorantur hi paxilli, nec cultu nec ratione aliquâ habentur; pessum potiùs dantur. Mirus ad inaugurandos duces ritus. Circumligāt eligendum columnâ, & atrocissimâ lacerant verberatione, deinde mille gestis & iocis prouocant ad risum. Qui si vtroque periculo sensum temperet, nec fletu nec cachinno inconstans, tunc probatur. Maximi Imperatoris munus est, præconio promulgare quæ seniorum cœtus decernit.

CAPVT XXIX.

De fortitudine Christianâ.

BArbaros gentium mores narrauimus, nunc aliquos Christianos imò diuinos exhibebimus, vt videas, nulla esse tam effera inge-

ingenia, quæ gratiæ vis non erudiat, excolat & reformet. Colligam propterea nonnulla Heroicæ & Christianę virtutis facinora, cum quibus laudata Romanorum gesta componi nequeunt; quæq; minimè superantur priscorum Ecclesiæ militum constantiâ. Xeizayemon Simon vocabatur senex septuagintaduos annos natus, seruus & miles veteranus Christi. Is adductus ante tyrannum in Iaponicâ persecutione, quæ anno 1627. renouata fuit, constantissimè confessus est fidem Iesu, nullis persuasionibus nec minis flexus, donec iratus Præsul alterutrum imperauit, aut negare Christum, aut in pyram incensam, & cumulum ingentem ardentium anthracum se immergere. Prius illud recusans, spoliare se, abijcere vestes, & nudus penitus insilire in ignes iussus est, quos inter medius cōstitit immobilis, ac si alienum corpus torrere videret. Septies præterea aut octies se circumegit, vt meliùs vreretur, & prout tyrannus imperabat, illò se vertebat, iam in hoc iam in aliud latus, ne inæquales flammarum morsus alicunde sentiret. Nullum puto maioris fortitudinis exemplum in Annalibus antiquis reperiri.

Neque parum admiranda erit pueri cuiusdam virtus, etiamsi comparetur cum sene. Eodem anno Iaponici tyranni excruciabant tædis ardentibus Quichisuque Gasparem, & coniugem Luciam dictam, vt Christi legem abiurarent. Crudeliùs sæuierunt in charam eorum sobolem Petrum nomine, tredecim annos natum, & alium puerum famulum vndecim dumtaxat annorum, quos arbori religatos incensis facibus adurebunt. At cùm puerorum constantia superaret omnem sæuitiam, vasculum benè tostum & ignitum obtulerunt puero vt manibus sustentaret, hoc pacto, quòd si excideret, aut ipse abijceret, idem foret ac Christum detestari, & à fide parentum deficere. Accepit illud puer, & nudis sustinuit manibus, donec penitus frigefieret, absque vllo motu & doloris significatione. Alium puerum sedecim annorum iussit Præsul aut negare Christum, aut in ardentium prunarum cumulum immitti. Mox ille (neque enim expectauit vt alius impelleret) spiritu ductus insiluit in pyram, & immobilis constitit medius inter ignes. Idē imperauit idololatra alijs duobus Christianis, adiectâ tamen hac conditione, accepturum se quemlibet motum in signum detestati Christi: at illi immoti perdurarunt duas horas partim tosti, partim adusti ignibus.

CAPVT XXX.

De virtute Christianâ Indi cuiusdam.

NOn tantùm bellis prouocatā virtutem, sed in pace non ignauam spectemus, vt honorificentiùs claudamus Librum istum octauum humano ingenio dicatū. Michaël Ayatumus, inter Indos Pictos in Boholanâ Philippinarum insulâ anno sæculari puer septenis aquis Baptismi tinctus est: inde omnium virtutum maximis incrementis profecit. Atque vt inde ordiar vnde vis omnis emanat, orandi studio apprimè deditus fuit, vt diu quotidie nouies recitarit B. Virginis Corollam. Dein vbi commentari didicit, in dies horam & ampliùs in rerum piarum meditatione posuit. Patronorum suorū B. Virginis, Iosephi, Michaëlis festa ieiunijs, vigilijs, verberibus corpori inflictis pręuertebat. Iesu & Mariæ memoriam animo semper circumferebat, vt ab eorum laudibus nec inter alios, atque adeò nec inter ludendum abstineret, ea verba, *Laudetur vbique Iesus Christus, eiusq; mater sanctißima Maria*, idemtidem vsurpans. Ad eam refricandam, eorumdem effigies capsulâ conclusas, quoquò iter erat, circūgestabat. Corporis atque sensuum omnium mira moderatio. Feriam sextam & sabbatum ieiunus transmittebat. Solo pane & aquâ vitā tolerare procliue illi fuit; sine omni cibo ac potu aliquoties diem traducebat. Quot diebus, vt primùm cubitu se leuabat, flagra tergo increpabant. Oculos ille vix in viro figebat, nedum vt feminam adspiceret: imò studiosè cauebat, ne quam corporis sui partem nudam adspiceret. vnde lecto consurgens, primò pedes talari veste obtegebat. Aures, ne quid indecens hauriret, sedulò obsepiebat, si posset; saltem fugâ aut toruâ fronte sonos inuerecūdos excutiebat. His facilè factum est, vt florem pudicitiæ illibatum conseruarit, quem Deo anno tertiodecimo deuouerat. Animi dimissionem pręcipuè colebat. Vidit illum P. Petrus Annonius (à quo hæc habemus) nocte quadam, dum Seminarium inuiseret, sub lectulo in terrâ cubantem. Quem cùm reprehenderet, Atqui, audijt ab eo Pater, ego istud humilitate magistrâ didici, quæ docet terrā in terrâ sternendam esse. Vestitu paupere & mundo vtebatur: & quamuis pretiosis non careret, induci tamen vix potuit, vt quo die Christi Corpus sumpturus erat, elegātiùs se vestiret. Vltimum in sedendo locum vbique sibi capiebat. Designatus reliquorum in eodem contubernio superior, tantā animo tristitiam concepit, vt morbum inde contraxerit, quo priùs liberari non potuit, quàm in ordinem

redigeretur. Cùm eum alij passim sanctum vocitarent, ille B. Virginis patronæ suæ exẽplo seruum se nominare consueuit. Paupertatis atque obedientiæ studijs inter primos addictus fuit, vt ne pomum quidem Superioribus inscijs ex horto tulerit, vt ne minima quæque imperia neglexerit, nec maxima detrectarit. In Religioso perfectionem maiorem non exigeres. Constantiam ac fortitudinem animi per omnem vitam tenuit, atque S. Iobi & B. Virginis sub cruce stantis recordatione subinde acuit atque confirmauit, vt ne suorum morti impatientius illacrymaret. Commodis aliorum impensè se dabat. Culinam verrere, vasa tergere, ollas eluere, lances expurgare solebat. Vitam denique suam præ aliorum negligebat, sed salutis omnium inprimis cupidus studiosusque fuit. Excurrebat cum Patribus ad ethnicos docendos, instituebat, monebat, terrebat, nihil omittebat, vt ad Christi ouile errantes reduceret. Atque his omnibus virtutibus terminum immotum constituit perseuerantiam, quâ ex incœpto semel pietatis officio neque ipse quidquam egressus, neque ab alijs deduci se vmquam passus est. Multa parentes, multa cognati attentarunt, vt eum à castitatis proposito ad coniugium adducerent; sed irrito omnia conatu Baylanus quidam superstitionum doctor, vniuersos fermè Indos ad mare elicuerat, vt ibi maiores suos in aureâ naui aduentantes conspicerent. Solus Michaël tunc puerulus risit insana promissa, & ludibrium solus euitauit. Hunc talem adolescentem aduersus casus afflixit, & è viuis abstulit. Dum enim ad litus negotij cuiuspiam causâ excurrit, fallente gradu è ripâ in aquas perlapsus, cymbæ isthic religatæ pectus illisit, ac paulò pòst ritè inunctus, Iesum, Mariam, Iosephum inuocans mortuus est XIII. Kal. Decemb. cIↃ.IↃC.IX. Pridie quàm moreretur, & pœnitentiæ & sacræ Eucharistiæ Sacramentis ad abitum se instruxerat. Præsagum enim vicinæ mortis suæ eum fuisse, plura indicant: nam germano fratri dixisse eum memorant, velle se sibi à Patribus chirographo caueri, ne ex oppido in maritimam aliquam expeditionem mitteretur, cùm morte instante non satis tutum sit à Sacerdote longiùs abire. Pridie rogauit Patrem, vt sibi sequenti die liceret per vrbem flagris corpus cædentem incedere; extremo enim vitæ tempore magna pro salute conari, opportunissimum videri. Cùm negaretur, crebriùs institit, mortis incertitudinem prætendens, donec concederetur. Elatus est magnifico funere, tanto luctu & comploratione, vt Concionatori ac Musicis ferè silentium defuerit. Deplorabant videlicet omnes fortunas suas tam tristi funere mersas, parentes filium dulcissimum, Patres comitem fidelissimum, Basayenses popularem vtilissimum, pueri ac puellæ Catechisten gratissimum, contubernales socium charissimum, Parthenij sodalem optimum, omnes virtutum omnium exemplum. Quid nos? Nondum similia fecisse. Hæc ex probatis testibus accepi, & ex probatis Auctoribus exscripsi.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII
EX SOCIETATE IESV
HISTORIÆ NATVRÆ
LIBER NONVS.

PINVVM DASYPVS.




CAPVT PRIMVM.

De pinuum Dasypode, siue Ocotochtlo.

DESCENDO iam ad rationis expertia, è quibus patefaciam rariora aliqua naturæ miracula. Iam laudaui Auctores quorũ operâ vsus sum in his Commentarijs, quorum sæpè intermiscebo ijsdem suis verbis narrationes, licet incomptas & simplices: sed maior mihi ratio eorum auctoritatis est quàm elegantiæ, & saltem variegatione (sic dixerim) styli notabo aliena, vtcumque ex dignis fide Commentarijs excerpta. Pestilens, sed mirandum monstrũ hîc narrabo, singularis quidem charitatis, & in paruo corpusculo vires & virus ingens, solertiâ tamen bestiolæ non omnibus noxiũ. Dasypodem pinuum vocant Hispani, *ocotochtli* appellant Indi. Vertagi est magnitudine, tereti, humili, & crasso corpore, auriculis paruis, facie leoninâ siue felinâ, viuidis oculis & rubrâ iride, crassis cruribus, aduncis vnguibus, fusco circa dorsum pilo, circa ventrem candido, reliquum corpus cinereo, nigris vbique conspersum maculis; rostro ac caudâ breuibus, asperâ linguâ, vlulatu exili, & incredibili pernicitate. Viuit Tetzococamis montibus, venatur ceruos, & alia eiusdem molis animalia, interdum etiam homines. Linguæ eius tanta inest vis veneni, vt si prędæ oculos vel allambuerit vel attigerit, eam confestim excæcet, imò interimat. Occisorum cadauera herbis, fœno, cespitibus tegit; deinde conscendens propinquas arbores, vlulat. Tunc

Tunc feræ circumiacentes, arcano naturæ documento conscię inuitationis, ad epulum ocyùs aduolant, prædâ ex signo inuentâ satiantur: postremus ipse ocotochtlus descendit, vt innocuè pascantur conuiuæ; nam si ille prior vesceretur, corruptis veneno suo reliquijs, ceteræ perirent feræ, quotquot deinde gustarent. Tantâ vrbanitate charitati fauit, tam comi prouidentiâ saluti alienæ. Scilicet nemo est qui prodesse nequeat, si velit. Non ita viribus & opibus beneficentia, quàm voluntate & studio constat. Plurimi opulenti inutiles sunt, vtinam non etiam noxij; at nemo beneuolus non beneficus.

HOITZLAQVATZIN.



CAPVT II.

De animalibus spinosis.

ADmirandum genus bruti sagittatoris nouus orbis alit. Animal spinosum, mediocris canis exæquans magnitudinem. Ab Indis hoitztlaquatzin dicitur, siue spinosus tlacuatzin. Nomen forma meruit. Simile est illi, quod tlacuatzin vocant, de quo suo loco sermo erit. Vestitur cauis & acuminatis spinis, tres vncias productis pilis quoque nonnullis (si caput excipias) mollibus insertis, siue atrâ lanugine, & circa exortum candenti: venter tamen, crura, & brachia aculeis omnino carent. Spicula tenuia sunt, candentia, & lutea: vbi desinunt nigricant; mucrones peracuti. Cauda breuior est quàm tlacuatzin, crassitie tamen maiori compensatur. Inops aculeorum est à mediâ parte vsque ad extremitatem. Pedes similes habet quauhpecotli; sed latiores (misceo sæpè verba & sententias Francisci Hernandi, nec meo cerebro & stilo loquor semper) rostrum pænè caninum, nisi quòd resimum. Dentes suprà infraq; bini, quemadmodum tuccæ. Iaculatur spinas suas in canes insectantes, nullâ excutiendas industriâ, nullo conatu: sensim magis magisque vi quadam arcanâ subeunt, & iactatione plus figuntur, donec viscera perfodiant. Alliciunt & ebibunt innatum humorem, donec transfixum & perforatum canem tabefaciant. Quærunt Indi aculeos illos dolori capitis placando. Admoti verò fronti & temporibus, sponte adhærent, nec priùs delabuntur, quàm hirudinum more hauserint noxium sanguinem, quo suam farciunt cauitatem. Causâ languoris remotâ, ægrotans valet. Cuicumque rei cuspis eius admisceatur, etiam postquam ab animantis cute est diuulsa, occultâ virtute, etiam cùm à nemine vrgeatur, sponte penetrat carnem. Feminis eius vsus perforandis auriculis ad inaurium suspensionem. Perforatio prorsus fit nemine impellente, quasi exuat setas. Experimento compertum, vnius noctis interuallo crassissimo corio admotam, sponte coriū totum, perinde atque acus hominis impulsa manu transmittitur, penetrasse. Eorumdem aculeorum puluis dragmæ vnius penderes sumptus, dysenterijs medetur, vrinam euocat. Gaudet hoc animal montosis & calidis locis Xonoltz & Yzotzocolci. Fortasse ad Bæticam nostram deportatus, non iniquum sibi cælum toleraret. Vescitur fructibus: cicurari potest. Aliqui putarunt hystricem aut mantychoræ speciem, cùm multis differat, & in nonnullis admirabilior fortasse sit, vt ex collatione

latione videre licet. De mantichorâ hęc narrat Aristoteles lib. 2. de Historiâ animal. c. 1. *Apud Indos (si Ctesiæ credendum est) bellua gignitur (vt ille scribit) cui nomen manticho ræ, dentes triplici vtrimq; ordine, magnitudo, hirtitudo, & pedes leonis, facies & aures hominis, oculi cæsij, color rubricæ, cauda scorpionis modo terrestris aculeo armata, spiculaq; agnata iaculans, vox fistulæ tubæve non absimilis: cursus non minoris pernicitatis quàm ceruis: feritas tanta, vt numquam possit mitescere: appetitus præcipuè carnis humanæ.* Histrix autem in Æthiopiâ frequentissima; eam generat & India & Africa: reperiri quoque in Tartariâ, Paulus Venetus scribit; Cardanus addit, in Italiâ & Galliâ. Ego in Hispaniâ quoque, licet raro, vidi tamen ipse. Est autem ex erinaceorum genere, & erinaceis similis: spinis tergum hispida (aculeos namque pilorum vice gerit vt erinacei, sed longiores) quas plerumque, cùm intendit cutem, laxatas, iaculatione emittit voluntariâ, vt assiduis aculeorum nimbis canes vulneret ingruentes. Magnitudine paulò minor lupo est, quâ haud facilè inter feras aspectu magis horribiles inuenias multas. Quæ verò de medicinis produntur, quęcũque de erinaceis dicuntur, omnia tantò magis valebunt in histrice.

Sunt alia spinosa animalia, quæ non emittunt aculeos, inter quæ accenseri potest lacertæ genus, quod Indi *tapayxain* vocât: caput durissimum habet, eleuatum, horrensq; aculeis, de quo commodiùs alio loco dicemus, sicut & de histrice pisce.

Ad spinosa quoq; fortasse & ad histricem spectat illa bellua de quâ Cardanus. *Varij generis,* inquit, *incertæq; naturæ fuit animal; quod præsenti anno nimirũ* 1550. *decimo nono Ianuarij Papiæ vidimus. Vulpis magnitudo, aliquantò longiùs, ore & rictu leporino cum pilis longis, duobusq; dentibus prælongis: siquidem digiti humani longitudine prominentibus ad modum sciuri dentium, oculis serpentinis, quippe qui angulis carerent, & nigri essent. Pileus inerat capiti hircinæ barbæ simillimus, sed non aliter quàm crista pauoni. Pilus mustelinus ac pulcher, nisi quòd super collum velut lana candida videbatur. Anteriores pedes, vt taxi: aures & posteriores pedes nihilo differentes ab humanis, nisi quòd pedibus vngula vrsi pro humanâ erat. In dorso, postremaq; parte, spinæ circiter centum histricis instar, quarum quædam in apice curuabantur, & prominebant, alioquin immobiles, nec, vt de histrice ferunt, emissariæ. Cùm moueretur, strepitum, dum se colliderent, edebant. Cauda anserina, sed in spinas plumæ finiebantur. Si reliqua non videas, anserem dices, candidis ac cinereis plumarum sedibus, latoq; lumine anserem æmulantibus. Vox subobscura, rauca, quasi latrantis canis. Iracundum animal, sed tamen quod facilè à circulatore tractaretur. Canes odio prosequebatur maximo sexus feminei, ætatis iuuenilis. Potus nullus: cibus, panis aquâ madefactus. Animal hoc sui generis vix esse credam, sed ex histrice alioq; velut vrso natum. Histricem enim constat esse suem, spinas illas habentem in dorso, quas possit eiaculari. Africam mittere, proditum est; sed nunc & Gallia habet, & Italia. Spinæ palmi longitudine praacutæ, leues, albo nigroq; distinctæ. Sunt erinaceo spinæ similes, sed longè minores, & quæ emitti nequeant.* Hactenus Cardanus. Erinaceos quoque gerere aculeos, pilorum vice, omnibus notum est. Scit natura fœtus suos mulcere spinis. Parcissima materfamilias multa officia vno beneficio complectitur, vno tegumento armat.

CAPVT III.

De animali Sionio siue Cabim.

MEntio aculeorum hacuatziri elicientium sanguinem, suggerit memoriæ contrariam alterius animalculi virtutem, continentis cruorem non minori miraculo. Animal Sionium dixit illud Maphæus, & apud incolas *cabim* vocari, *cabal* Antonius à S. Romano appellauit. Nascitur in Iauâ. Huius animalis vnam virtutem scio, sed mirificam. Si eius oscilli extremitatem aliquis gestet, quantumuis mille transuerberatus vulneribus, ne guttam sanguinis dabit. Experimentis pluribus probatum est: sed illud celebre & notissimum, quòd cùm Naodabeguea Malacensis infensus Lusitanis, & aduersus illos egregiè dimicans, tandem oppressus, multisq; confossus ictibus corrueret, ex patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox inter spoliandum, vt primùm detracta eius brachio est aurea armilla (mirum dictu) tamquam vase confracto, ita sese cum animâ vniuersus repentè sanguis effudit. Cuius rei stupore defixi Lusitani, cùm de alijs captiuis causam quæsissent, cognouere inclusum esse in armillâ os eius animalis, cuius in sistendo sanguine tam efficax esset vis.

TLAQVATZIN.



CAPVT IV.

De animalibus manticatis, siue Tlaquatzinis.

NOn minùs admirãda fera, quam Indi vocant *tlaquatzin*. Antonius Herrera *taquatzin* dixit: recentes Hispani Scriptores corrupto nonnihil nomine *tlaquacum*, Cardanus *chiurcam*, siue *chuciam*, Stadenius *Seruoy*, Nomenclator *semi-vulpam*, seu *lopecopithecum*: Raphe Hamor in descriptione Virginiæ *apoßumen* dixit; alij *aucham*, alij *sasapim*, alij *cerigonem* dixere, quia sic vocatur species vulpeculæ apud Brasiliam & Malucas, sed ea, de quâ exordium sermonis instituimus, etiam in Dariene & Floridâ reperitur. Animal est parui canis formâ & magnitudine, binos dodrantes longum, rostro tenui, prolixo atque depili, exili capite, tenuissimis mollissimisq; auriculis, ac pænè translucentibus, pilo longo & candido, sed circa extrema fusco aut nigro. Caudâ tereti, duos dodrantes longâ, & persimili colubrinæ, fuscâ, sed postremò candidâ, quâ mordicus

&

& firmiter, quidquid semel apprehenderit, retinet. Corpore verò ac pedibus melis. Quaternos aut quinos parit catulos, quandoque septenos & plures, quos vtero cõceptos, editósque in lucem, alui cauitate quadam, dum adhuc paruuli sunt, concludit & seruat; intra scilicet locũ, à naturâ huius rei gratiâ fabricatum, dilatatâ ac spõte velut excoriatâ iuxta mammarum sedem externâ pelle, tantâ ęqualitate, vt coaluisse cutem omnino putes: miro profectò naturę artificio. Oculi ei sunt nigri, parui, viuidi, atque erecti. Scandit arbores incredibili pernicitate: interdiu in cauernis latitat: vescitur cohortalibus, quas vulpecularum & mustelarum siluestriũ more iugulat, illarum sanguinem absorbens. Cetera innoxium ac simplicissimum animal, quamquam versutiâ quadam congenitâ se interdum mortuum simulet, cùm aliter venatoris manus effugere nequit, aut delusos apprehensores mordere gestit. Cauda huius animalis est depilis, & egregium medicinæ adiumentum: tusa enim drachmæ vnius mensura atq; cum aquâ aliquoties, bis terve, aut quoties opus fuerit, intra corpus sumpta, si eo quis die à cibo abstinuerit, vrinæ meatus mirificè extergit, ipsam vrinam euocat, calculosque, & quæcumque alia vrinæ meatus obstruũt extrahit. Venerem excitat, generat lac, & medetur fractis & colicis. Partum accelerat, menses elicit. Tusa & imposita, extrahit aculeos infixos, ventremq; emollit. Et fortassis nullum medicamentum ad omnia hæc præstantius. Antonius Herrera scribit etiam prodesse parturientibus, & tostam tusamque febricitantibus. Viuit bestiola in calidis, ac pascitur carne, fructibus, pane, oleribus, frumẽtaceisq; alijs generibus.

Huius animalis ita meminit Petrus Martyr: *Arbores in Parianâ regione ingentes sunt, inter quas repertum est animal monstrosum vulpino rostro, cercopitheci caudâ, vespertilionis auribus, manibus humanis, pedibus simiam æmulans, quod natos sibi catulos circumfert quocumq, proficiscatur, vtero exteriore in modum magnæ crumenæ dependente. Id, licet mortuum, ipse vidi conuolui, crumenamq; illam nouum vterum, nouum naturæ remedium, quo à venatoribus, aut aliàs à ceteris violentis ac rapacibus animalibus natos liberet, illos secum asportãdo, admiratus sum. Numquam autem illos emittere dicitur, nisi aut recreandi aut lactandi gratiâ, donec sibi victum per se quæritare didicerint. Cum catulis animal ipsum deprehenderant, sed ipsa tandem aëris & ciborum mutationem ferre nequiuit.* Raphe Hamor hæc habet: *Apossumes, magnitudine ac formâ corporis porcello menstruo non absimile, animal est robustæ atque adeò incredibilis naturæ: septem plus minúsve vt plurimùm vno partu excludit fœtus. quos donec menstruam ætatem attingant, pro libito nunc aluo recondit, nunc iterùm promit.* Testatur ipse Raphe comedisse hoc animal, & esse grati & salubris nutrimenti.

Simile huic animal, quod Brasilia nutrit, *cerigonem* appellant, buxeo colore est, & vulpeculæ magnitudine: ex eius aluo duæ dependent veluti manticæ, in his catulos circumfert, & quidem adeò pertinaciter suo quemque vberi affixos (Maphæus inquit) vt à perpetuo suctu non auellantur, antequam ad pastũ ipsi per se progredi valeant. Animal quoque crumenatum ab Æthiopiâ mitti scribit Cardanus, & addit: *Mittit & India Occidentalis chiurcam ex mustelino genere, quæ eodem modo filios secum fert.* & rursus in Opere De rerum varietate, *Chiurcam*, inquit, *seu Chuciam noua Hispania mittit. Ea minor vulpe est, collo oblongo, pedibus breuibus, capite vulpino, colore cinereo. Velocissimè currebat, cùm septem filios in crumenâ deferret. Videtur autem hoc animal medium esse inter leporem ac vulpem, sed alterius generis ab vtroque, ob crumenam.* Scaliger sic scribit: *Viuerræ facie ac magnitudine est, capite vulpino, sub terrâ habitat, fecundissima est, duodenos parit exiguos. Cauda ei tenuis, penè glabra. Ipsa pilo atro. Catulos in bursâ sub aluo obtensâ secum fert.* Ioannes Stadenius scribit: *In Americâ vulgò vocatur Seruoy magnitudine felis animal, & caudâ eiusdem, pilis alijs ex albo fuscis, alijs ex nigro. Catulos parit quinos, aut senos. Locum in ventre ad sex digitos ferè scissum gerit, & intra scissuram illam mamillas habet, eidemq; inclusos catulos circũfert.*

Ex his Auctoribus puto non vnum dumtaxat animal cum bursâ esse, sed alia vnam habere manticam, alia duas, seu vnam diuisam: alia catulos lactandi gratiâ è manticâ emittere, alia etiam retinere; alia vbera intra bursam concludere, alia in posteriore ventris parte mamillas in interiore, & circa pectus manticam, alia fortasse non omnino bursam habere, sed scissuram in ventre, vt Stadenius scribit.

Ceterùm in tantâ charitate filiorum non est prætereundum, mustelas fœtus suos & mittere, & rursum in periculis recipere intra seipsos: phocos, balænas, delphines suos recentes catulos & teneros ex aliquâ causâ consternatos, ore excipere, & condere: caniculam piscem in ventre pauidos filios suscipere & complecti, rursus denuò edere in lucem: patitur enim aliquantulùm venter cetaceorum alienas animas. Accidit nonnumquam festiua piscatio albicoris: qui cùm sursum attraheretur, & os fortè aperuisset patentius, vt respiraret, per illud piscis, quem *volucrem* vocant, paulò antè absorptus re-


uolauit. Auis lagana, quam Zebut insula gignit, cornicis magnitudine, insidiatur ori balenæ, à quâ integra deglutitur & viuens, quæ deinde corrodit belluæ cor, vt Pigafeta compertum sibi testatur. Idem testatur & Gomara. Sic patientes pisces sunt alieni spiritus.

CAPVT V.


De animali caudimano seu coyopollin.

VOcant Indi coyopollin paruũ animal, muris mediocris magnitudine, aut paulo maius, caudâ verò, auriculis & rostro tlacuatzin simile: nam caudâ & pro manibus vtitur, & natus matrem, cùm metuit, stringit amplexu. Cauda est crassior murinâ, firmiorque: venter ex albo pallescit: auriculæ sunt translucidę, pedes & crura cãdida. Educat in arboribus sobolem. Posset ad genera tlacuatzin referri, nisi alicui præplaceat pertinere ad mures, aut esse sui generis. Inuenitur in montibus tepostlanicis. Ceterùm crocodilis quoq; cauda pro manu est, illâ nimirum arripiunt prædam, belluas, homines.


ARMADILLO siue AIATOCHTLI.



ARMADILLO CLVSII.



ARMADILLO GENVS ALTERVM CLVSII.



CAPVT VI.

De animalibus loricatis.

CAtaphractum quoddam animal Indiãrum variè appellatum inuenio. Hispani nuncupant *armadillo*, Lusitani *encubertado*, Itali *bardato*, Theuetus Brasilico nomine *tatou*, Maphæus *tatusiam*, Gesnerus *tatum*, noua Hispania *chirquinchũ*, alicubi *caßacain*, aliis Indis *aiatochtli* dicitur, hoc est cuniculus cucurbitalis; specubus enim, quemadmodũ cuniculus conditur. Vnâ nocte spatium leucę excauat; quare nisi ligetur, nullibi se includi patiens, perfodit vsquequò extra domum & oppida emergat. Varię sunt species horum loricatorum: mihi omnium mirabilior aiatochtlus, cuius & rarior mentio & sterilior, quare illum præsertim narrabo. Duris armatur laminis, quas ipse vidi. Canis Melitensis est magnitudine. Pedes ei suis paruuli, rostrũque, sed oblongum & gracile. Armatur vndique crustâ, militari & cataphracto equo persimili, in laminas cõnexas atque mobiles diuisâ, quibus se conuoluit atque vndique tegit. Auriculæ murinæ, sed longiores, nimis graciles. Cauda eius est longa, teres, geniculata, eodemq; modo laminis crustatis circumuallata. Venter candet, ac pelle operitur molli, humanæ haud dissimili, longiusculis, exilibus, ac raris pilis vestitâ. Formicas venatur. Cubat supinus, atque caudâ ori admotâ, quâ rectâ procedentes formicæ incidunt in insidias, & cibum deludenti suggerunt. Antonius Herrera addit, lotio proprio implere lacunam super ventrem inter crustas suas, sic formicas, humore obstante, per caudam procedere vsq; ad os. Cùm fugit in præceps, caput caudamque ventri applicat, ac tuetur crustâ, & sese in spiram conuoluens rotat. Quòd si pertinaciùs quispiã insectari perseueret, semet in venatorẽ contorquet; vt haud rarò, validè tundens dorso suo pectus hominis, exanimat. Versatur in vliginosis lacubus. Lumbricis, piscibus ac vermiculis vescitur, & quibusdam arborũ baccis, & pomis. Caro impensè pinguis, dulcis, ac pituitosi alimenti, & excrementis redundans. Vtebantur antiqui caudâ ad eas, quas zebratanas vocant (quarum apud illos vsus frequens) muniendas. Crusta multis rebus vtilis, tum ad bellicos vsus, tum ad pacẽ opportunis. Aiunt illius crustam tritam, ac drachmę vnius pondere intrà sumptã, euocato sudore magnopere conferre morbo Gallico curando. Inuenitur locis calentibus lacustribus, & vliginosis. Duæ apud Iucatanenses horum animalium sunt differentiæ. Quædam innoxia & gratissimi alimenti sunt; alia noxia & venenata, vt vomitu ac flatu alui citato syncopẽ inducant, tandem interimant. Antidotum est oleum oliuarũ, nisi virus inualuerit, frustranea tunc remedia. Si fortasse aliqua iuuerint, diffluunt superstitibus capilli, languet color, marcent vires. Distinguũtur testarum seu laminarum numero: innoxia octonis, noxia senis constant. Innocua etiam cóxæ osse carent, & maculis rubeis circa ventrem distinguũtur. Est autem hoc animal viperis, quæ sono quodam perstrepunt tam charum & amicum, vt eodem foramine sine alterutrius iniuriâ condantur.


Primum illud genus videtur descripsisse Consaluus, Ferdinandus Ouiedus hac sententiâ: Κατάφρακτος, *siue vndique armis munitus, animal est aspectu admirabili, valdè diuersum ab ijs quæ aut in Hispaniâ, aut in alijs Europæ regionibus conspiciuntur. Quadrupes est animal, totumq; corpus cum caudâ corio tectum habet simili cortici lacerti, de quo infrà sumus dicturi* (crocodilum Americanum intelligit) *coloris inter album & cinericeum mixti, ad album tamen magis accedentis. Eiusdem verò est formæ cum equo vndique armis munito, caniculæ autẽ vulgaris magnitudine. Non est animal noxium; domiciliumq; habet in terrenis tumulis, pedibusq; terram egerendo, sua latibula fodit cuniculorum instar. Capiuntur hæc animalia retibus & balistis, petita occiduntur, magnâ autem ex parte sementis tempore, quando stipulæ aduruntur, aut agri coluntur, vt gramen producant in boum & animantium pabulum. Aliquoties me hoc animali vesci contigit: ac sanè melioris saporis quàm hædos, & salubrem cibum esse comperiebam. Ceterùm si hæc animalia in ijs Prouincijs conspecta fuißent, in quibus equos vndique armaturâ muniendi consuetudo originem sumpsit, ex huius animalis aspectu exemplar desumptum opinari quis poßet.*

Cùm alij Auctores Ouiedo refragentur, aliud genus armatorum, quàm ille, cogitant. Diuersa, quæ de loricato animali seu tato narrantur, de diuersis speciebus, pro diuersitate Prouinciarum accipienda sunt. Sic Monardus prodit numquam visum edere, ideoque sub terrâ dumtaxat & ex ipsâ terrâ ali: Gesnerus contrà, licet perpauca, de illo ait, allatum in Galliam seminibus & fructibus visum vesci. Neutrũ refuto, cùm de diuersis loqui possint. Agnouerunt quoque tria genera horum armatorum Iacobus Plateau & Clusius: vnum breuissimę caudæ, quod sic describit: *Habebat porrò id animal pedis vnius & quatuor vnciarum longitudinem, corporis verò ambitus erat quatuordecim vnciarum, binis videlicet minor longitudine. Eius tegmen durum & testaceum, fuliginosi coloris, quem fortè vetustate & manuum tra-*


ctatione contraxerat, quodammodò teßellatum. A collo ad medium corpus, quasi orbiculatæ figuræ teßellis variè pictis distinctum, medio autem corpore ternis ordinibus quadrangularium teßellarum variè etiam pictarum insignitum. Postrema tegminis pars similibus orbibus distincta erat, qualibus pars anterior. Totum etiam caput ad nares vsq; similibus testis tectum. Aures patentiores, nec adeò mucronatas habebat. Cauda breuis erat, duobus digiti humani extremis articulis non maior, tota etiam orbicularis, teßellis tecta. Vetrem nullâ crustâ tectum fuiße, sed villis dumtaxat obsitum, pictura repræsentabat, quemadmodum etiam crurum posteriorem partem, atque guttur, & nares. Posteriores pedes ternis digitis, & calcari præditos fuiße, pictura fidem faciebat: anteriores verò dumtaxat binis & calcari, nisi à pictore fuerint prætermißi: penè satis longum & exertum habebat. Nescio an huic desit virtus, quam de armadillo, siue tato caudato Monardus dixit, præcipuam eius vim in caudæ oßiculo eße: cuius in tenuißimum puluerem redacti pilula, confecta magnitudine capitis aciculæ, atque auri indita, dolorem eius sedare; & tinnitum etiam cum exiguâ surditate coniunctum curare traditur. Certè dolorem sedare, frequenti experientiâ probatum est.

Adiicio astum chirquinchi, quod audiui ab his, qui primùm fama, deinde visu acceperunt. Testes oculati sic referunt: Pluente cælo supinus iacet; in ventre, qui exermis est, colligit aquam contentam inter crustas laterũ, sic perdurat transacto imbre fermè diem integrum, donec occurrat incautè ceruus sitibundus, qui accedens ad potum, immergit buccam, tunc claudit se chirquinchus, labra & nares comprehendens cerui. Hic discurrit hinc inde: numquam laxat prædam chirquinchus, donec fatigatam interimat angustia spiritus. Astum quoque erinaceorũ habet, in crustis suis se, dum timet, conglobat, nec nisi ad ignes relaxatur. Conchulis huius animalis vtuntur Indi in maleficis, præcipuè ad explorandos & puniendos fures. Tangũt priùs cum conchâ terram à fure calcatam, siue aliud quidquid ille attigerit: implẽt maxillam potione quam chicham vocant: tympanis deinde circumsonant, conchâ interim sponte subsultante & tripudiante. Hoc veneficio notatur vultus furis, pustulâ in genis quæ per vtramque maxillam serperet, nisi maleficium diligenter dissoluatur. Lacertæ quoddam genus loricatum suo loco dabo.

CVNICVLVS INDICVS, fortasse CVITLATEPOLLI.



Expreßiorem hanc effigiem CVNICVLI INDICI accepi ab Excell^mo Principe Schilliacho Prorege Mexici.



CA-

CAPVT VII.

De dasypodibus Nouæ Hispaniæ.


LEgitima nunc percurram genera dasypodum seu cuniculorum nouæ Hispaniæ. Indi tocħtli vocant. Nouem illorũ species narrabo. Prior est pactli, seu Hispanicus, si in pinguibus versetur agris, non minus iucundam præstat quàm apud Hispanos alimoniam. Secundus est eliztactochtli, seu candens pectus. Tertius tuitlatepolli, seu breuis caudę. Quartus pertinet ad Perüinos, vocatur tocanthoctli, talpæ Mexicanæ (quã tucam vocant) figurâ. Quintus quauhtochtli. Sextus metochtli. Septimus cacatochtli. Octauus tuitlatepolli alter. Vltimus verò ac nonus à rubeo fuluoque colore, quo variat, nũcupatur hapaztochtli. Omnes formâ nonnihil inter se distant, ideò diuersis appellantur nominibus. Nutrimentum nostratium alimento est insuauius ac durius. Hæc ex manuscriptis Doctoris Francisci Hernãdi. Lubet adijcere alterius manuscripti sententiã de cuniculis Hispaniolæ. Erant, inquit Anonymus auctor, cuniculi formâ & caudâ murinâ, licet aliquantulùm minores quàm Castellani cuniculi. Caro idonea & iucunda. Degunt inter herbas & in montibus, non sub terrâ. Quatuor eorum species: quidam quemi dicti, hi maiores & duriores; alij vtiæ, alij mohias, alij curies, hi paruuli, delicatiores, & salubriores.

CAPVT VIII.

De leporibus Jndicis.

LEporem citli vocant Barbari nouæ Hispaniæ. Similis nostratibus est formâ atque alimento, sed auriculis pro corporis magnitudine longissimis latissimisque. Intexi solent eius pili ab indigenis vestibus & linteis, quibus vtuntur palliorũ loco; quemadmodum & dasypodum lanugo, & variarum auium plumæ. Brasilienses cotias nominant animalia quędam magnitudine, & formâ, & sapore leporum, rufo colore, paruis auribus, caudâ ferè nullâ. Maiores sunt eiusdem ferè speciei, quas pacas vocant, rostro tereti, ad faciem felis, fusco colore, candidis maculis interstincto: neque carne tantùm, sed & corio ipso prætenero; ideò in delicatiores epulas expetuntur. Similes quoque leporibus, villo, colore, magnitudine aliqui cuniculi sunt, qui se in subterraneis condunt. Vtia est animalculum cuniculis simile. Horum aliqui feruntur inopes omnino caudæ.

VISCACHA.



CAPVT IX.

De Viscachis.

VIscachæ contrà dicuntur cuniculi genus, quod feles imitetur prolixitate caudæ. Amant niues, quos ibi etiam inquirit gula. Pilus olim gratus, in pretio & vsu.

VVLPECVLA INDICA.



CAPVT X.

De vulpibus Indicis.

VOcant Indi *coyotl*, alij *atoc*, quod Hispani nonnulli vulpem, alij œdipum, alij sui generis esse putant. Animal est veteri ignotum orbi, lupino capite, oculis viuidis, magnis ac pallentibus, paruis & acutis auriculis, rostro longo, nigro, nec admodum crasso, cruribus neruosis, vncis, ac crassis vnguibus, caudâ valdè hispidâ crassaque, noxio morsu: valdè enim accedit ad formam nostratis vulpis, ad cuius fortasse genus spectat, mediâ constans magnitudine inter vulpem & lupum; vulpe enim nostrate pænè duplo maius est, & lupo minus. Quamobrem non sues solùm ac similia animalia, sed ceruos quoque inuadit, & occidit interdum homines. Fusco, longo candidoq; promiscuè pilo tegitur. Sagax est venatui, ac vulpinis moribus, atque adeò pertinax iniuriæ vltor, & ereptæ aliquando sibi prædæ memor, vt post dies aliquot agnoscat raptorem, insectetur obuium, & interdum etiam alijs sui generis comitantibus aggrediatur, &, si fieri possit, mordeat & trucidet, cognitisque magno studio & curâ ædibus, ac interemptis quibusque domesticis animalibus, vlciscatur iniuriam, & infesti hominis sumat pœnas. Est etiam erga beneficos tam comis & gratus, vt allatis ante eũ cohortalibus, & ceteræ prædæ parte, animi beneuolentiam testari plerumque soleat. Quod spectat ad vsum Medicum, fertur, dolorem dentium pene eius expurgatorum è vestigio sedari. Incola est frequens nouæ Hispaniæ multis in locis, ac præcipuè frigus & rigorem declinãtibus. Victitat imbecilliorum animalium prædâ, maizio, alijsque frumentaceis ac saccharinis quoque, si quando offenderit, arundinibus. Capitur decipulis laqueisque, & occiditur sagittâ.

Pertinet ad harum vulpium differentias cuitlaxcoyotl. Ijsdem quoque præditus est moribus, & formâ etiam esset eadem, nisi cuetlaztli pilo similis videretur, vnde inuenit nomen: collo crasso, & impensè hirsuto, pectorisque & faciei pilorum longiorum aceruo terrificus.

Ad idem genus spectat azcacoyotl, & eodem præditus est ingenio, sed formicarum assidet cauernis, vnde nomen impetrauit. Cùm noctu vlulat, multiformes edit clamores: necnon & halcoyotl, qui tamen versatur iuxta oppida, & ex cohortalium rapinâ magnâ ex parte viuit. Ilpemaxtla quoque species est vulpis, candido, nigro, & fuluo pilo vestita, capite paruo, auriculis modicis, corpore gracili, ac quatuor ferè dodrantes lõgo, rostroq; prolixo & tenui: moribus verò victuq; & rapinâ ceterarũ vulpium: offenditur vbique, sed præcipuè calidis in locis.

Exoticum etiam quoddam genus vulpis oztoa dicitur, simile nostrati formâ, magnitudine. Tres dodrantes vix superat, nigro candidoque vestita pilo, sed quibusdam partibus fuluo, similibus quoque moribus, & proxima versutiâ. Alitur cohortalibus & alijs imbecillis animalibus. Atrociter mordet, incolit foueas, vnde nomen meruit, & in terræ cauitatibus occultè educat sobolem. Cùm aliter manus venatoris nequit eludere, simulat se mortuam. Apud has gentes in cibi iamdiu venit vsum, quamuis crepitus ventris sit illis fœtidissimus. Ocuitucensibus reperitur in agris.

Alia vulpecula, quia maizium tostum colore imitatur, dicitur Yzquiepotl; technis & artibus vulpeculæ nostrati est similis, ideò illi congener. Duos pænè dodrantes longa, humilisque, rostro tenui, paruis auriculis, pilo-

pilofo & nigro corpore, ac præcipuè iuxta caudam, quæ longa eft, & nigro candidoq; pilo, quemadmodum & dorfum vniuerfum, veftita. Breuibus cruribus nigrifque, & vncis vnguibus. Viuit in antris inter faxa, vbi educat prolem. Vefcitur fcarabeis atque vermiculis; cohortales iugulat, folumque earum deuorat capita. Fundit, cùm pedit, halitum fœtidiffimum: pedit autem, cùm quis infectatur. His fe tuetur armis, cùm ipfa tota teterrimum exhalet odorem. Vrina etiam atque ftercus eius fœtidiffimum eft, atque adeò peftilens, vt nihil fimile in noftro reperias orbe, cui poffit hac in re comparari: quo fit, vt in extremo conftituta periculo, redditâ vrinâ, aut fæcibus deiectis, ad octo pluriúmve paffuum interuallum (tanta vis eft huius excrementi) fefe ab omni vindicet iniuriâ, ac veftes inficiat indelebilibus luteifq; maculis, & numquam fatis perfpirante putore. Aliàs innoxium animal, eduleque, hac folâ ratione horridiffimum. Editur eius caro ftercúfve, faluberrimo euentu, ab his qui patiuntur Hifpanicam luem, aut Indicam potiùs, vnde citra dubium in alias nationes irrepfit, & contra articulorũ dolores. Fit ex eâ oleum vulpinũ, non minus efficax illo, quod ex vulpe noftrate conficitur apud Hifpanos.

Sunt & alia duo vulpeculæ huius genera, eadem pænè formâ & naturâ, quorum alterum izquiepatl vocatum fafcijs multis candentibus diftinguitur; alterum verò conepatl, feu vulpecula puerilis, vnicâ tantùm vtrimque ductâ, perque cau dam ipfam eodem modo delatâ.

Bachiræ quoq; dicũtur animalia vulpibus fimilia: rotundiora funt, & iucundæ carnis.

Annæ etiam appellantur ab Indis, Zorrinæ ab Hifpanis, animalia illa fele domeftico minora, peftilentis odoris, quæ oppida noctu adeunt, fœtor illa prodit, etiamfi diftent centum paffus; nec fores, nec feneftræ claufæ obftant.

CAPVT XI.

De animali rotundæ faciei.

VOcant Indi *tlacaxolotl*, feu animal obrotundæ faciei, beftiam tauro vaftiorem, capite magno, prolixo roftro, latis auriculis, atrocibus dentibus, humanâ pænè facie, vnde fumpfit nomen: craffo collo, manibus pedibufque, & in his taurinis vnguibus, fed maioribus, magnis latifque clunibus, caudâ crafsâ & prolixâ, ac pelle crafsâ, fuluo & hifpido pilo. Rarum animal, faxorumque & folitudinum incola.


Atzaceani, tepozotzontlæ, & tlaquelapani, non procul à regione, quam à fitu profundiore vocant *De honduras*, vefcitur montano cacaoatl, quapachtli, & virenti haoli, vaftatis paffim aruis fatifque: cùm horum non adfuerit copia, folijs arborum & fruticum. Caro edulis eft. Humanum confpectum non reformidat, neque fagittarum ictibus occumbit; tergus enim eft impenetrabile. Quamobrem defofsâ terrâ, ac defuper ramis frondibufque contectâ, & fubaggeratâ capitur, haud aliter ac apud Indos Orientis elephantes.

CAPVT XII.


De animali anonymo.

ALiud in nouâ Hifpaniâ reperitur animal (nomen diligens Indicarum rerum Scriptor Francifcus Hernandus nondum accepiffe fatetur) hifpidum, vulpinâ caudâ, fufcâ, & fubnigrâ, iubatum in fenio, auriculis paruis & anguftis, corpore iridis inftar vario, planâ lataque facie, qualis humana, craffo roftro, halitu lethali, fagaxque & verfutum, imbecilliorum animalium infidiator, & raptor atrociffimus.

PIGRITIA SIVE HAVT.



IGNAVVS, SIVE HAVT, CLVSII.



IGNAVI SIVE HAVT ALTERA EFFIGIES ACCVRATIOR CLVSII.



CAPVT XIII.

De animali Pigritiâ ſiue Haut.

INſigne eſt quadam vitij imagine animal, quod Luſitani ab indole Pigritiam vocant, alij Hiſpani per ἀντίφρασιν catulum agilem, ſeu *Perillo ligero.* Eius meminêre Ouiedus & Mapheus, licet in aliquibus differant. Vtriuſque narrationem dabo. Ille ita habet: *Perillo ligero, ſiue canicula agilis, animal eſt omnium quæ viderim ignauiſſimũ; nam adeò lentè mouetur, vt ad conficiendum iter longum dumtaxat qninquaginta paſſus integro die illi opus ſit. Primi qui illum conſpexere Chriſtiani, in memoriam reuocantes Aethiopem in Hiſpaniâ, Ioannem Album appellari ſolitum, per* ἀντίφρασιν *videlicet, vt oppoſitum intelligeretur. ſic iſtud animal reperientes, & eius naturam conſiderantes, nowen illi indiderunt eius naturæ prorſus contrarium, agile appellantes, cùm adeò tardum & ignauum eſſet. Eſt verò hoc animal ex eorum numero, quæ in continenti maximè admirabilia ſunt, propter diſsimilitudinem quam habet cum reliquis animalibus. Binos palmos longum eſt cùm plenam magnitudinẽ adquiſiuit, aut paulò maius: craſsitudo ferè longitudini reſpondet. Quatuor exiles pedes habet, eoſq́; quatuor vnguibus præditos auium inſtar, ijs tamen ſimul connexis, & minimè aptis ad corpus ſuſtinendum; nam propter pedum exilitatem, & corporis grauitatem, ventrem quaſi rependo per terram trahit: collum in ſublime elatum & ſurrectum geſtat, prorſus æquale ad ſupremum vſque faſtigium, piſtilli inſtar, in quo facies ſita orbiculata, non valdè diſsimilis noctuæ, ipſis pilis circulum formantibus: paulò tamen longior quàm lata. Paruos habet oculos, & rotundos, nares ſimiæ inſtar, os valdè exiguum. Collum nunc in hanc, modò in illam partem torquet, tamquam attonitum. Summum horum animalium deſiderium eſſe videtur, vt vel arbores vel palos conſcendere queant; ideò magnâ ex parte in arboribus, vel etiam in altiſsimis earũ ramis conſpiciuntur, quas longis vngui-*

vnguibus apprehendentes lentè conscendunt. Caudâ caret, pilósq; habet ex albo cinericeos, vt taxus ferè. Eius vox à reliquorum animalium voce valdè differt, quia canendo sex voces per interualla dumtaxat profert, vnam altiore tono quàm alteram, semper diminuendo, videlicet vt prima sit altioris toni quàm reliquæ, deinde aliæ sensim descendendo minuantur. Nam quemadmodum si quis canat la, sol, fa, mi, re, vt, sic hoc animal simili tono pronuntiat ha, ha, ha, ha, ha, ha: & sicut de bardato dicebam, si id animal conspectũ fuißet in illis regionibus, quibus equos armatura muniendi consuetudo originẽ habuit, ab eo animali exemplum desumptum fuiße videtur; sic primus musices inuentor eius initia ab huius animalis cantu formaße dici poßet, potiùs quàm ab vllâ aliâ causâ: nam hoc animal per sex has voces nos idem docet, quod per la, sol, fa, mi, re, vt, vt intelligere licet. Sed vt ad eius historiam reuertamur, noctè dumtaxat hoc animal cantat per modica interualla, sex illas voces repetendo, interdiu numquã cantare auditur; eam ob causam, & propter exiguos illius oculos, nocturnum animal eße arbitror, ac obscuritate & tenebris delectari. In ædes translatum, naturali suâ tarditate mouetur, nec acclamatione vllâ, aut impulsione gradum accelerat. Alui aliquando domi hoc animal, & quantum ego, & alij qui etiam aluerunt, obseruare potuimus, numquam vllâ re vesci deprehendimus, sed ex aëre viuere existimauimus, quia caput & os ad eam partem semper obuertere conspiciebamus, vnde ventus spirabat potiùs quàm ad aliam; ex quo apparebat, aërem illi valdè gratum eße. Noxium animal non est, neque mordet, imò nec etiam mordere potest, propter oris angustiam. Verùm adeò fœdum aut ignauum animal videre non memini. Arborem nactus quam conscendere queat, etiã in altißimos eius, vt dixi, ramos euadit, in quibus octo, decem & viginti dies hærebit, nec sciri potest quâ re vescatur.

Mapheus verò sic narrat: *Valdè etiam inusitatâ & effigie & naturâ est animal, quod ab re ipsâ Lusitani Pigritiam appellant, erigonum ferè magnitudine, sed rostro fœdiore ad aspectum, & vnguibus ad digitorum similitudinem prominẽtibus. Huic ex occipitio existens coma ceruicem velat, lentoq; ipsâ ventris adipe verrit humum, neque vmquam in pedes exurgit: denique tam tardè mouetur, vt quindecim ipsis diebus ad lapidis iactum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum folijs; & in earum cacuminibus degit plerumque, quarum in ascensu biduum circiter, tantùmdem in descensu ponit. Neque verò adhortationibus tantùm aut minis, sed ne plagis quidem, fustibúsve bestiam tantillum de insitâ ignauiâ ac tarditate dimoueas.*

Hanc historiam secuti in quodam Gnomoglyphico ita lusimus:

Te ridet natura, Piger: Brasilica Tempe
Bestia fœda colit nomine dicta tuo.
Tarda gradu reptat, pede non aßurgit inani;
Ventre sed adlambil lęto adipalis humũ.
Ad iactum properat ter quinâ luce lapilli,
Et biduo frondens laßa cubile subit.
Acta minis, plagis, neutris ignauia cedit:
Nec finit inflicto vulnere torpor iners.

Neque Clusij descriptionem ex pelle huiusce bestiæ contemnam. *A collo*, inquit, *ad extremam dorsi partem paullò plus quàm quatuordecim vncias longum erat eius corpus; craßitudo verò siue ambitus pænè totidem continebat. In viuo autem animali longè maiorem fuiße, non est dubium. Collum ipsum sex vncias longum erat, & quatuor craßum, comprehensis etiam ipsis villis. Anteriora crura ad pedum (quos planos habet instar vrsorũ aut simiarum) vsque flexuram septem vnciarum longitudinem superabant: posteriora autem sex cum semiße dumtaxat longa, vt anterioribus ferè integrâ vnciâ eßent breuiora. Anteriores pedes, à flexurâ ad vngues vsque tres vncias erant longi; posteriores autem eiusdem pænè longitudinis, vtrique tamen valdè angusti, licet plani, vt mirum videri non debeat, si cum difficultate subsistere & progredi queat: singuli verò tribus contiguis vnguibus binas vncias cum semiße longis, albis, & valdè mucronatis præditi, pronâ quidem parte arcûs instar elatis, supinâ autem siue infernâ carinatis. Vniuersum corpus à summo capite ad vngues vsque densißimis, ijsq; prolixis villis erat obsitum, coloris partim nigri, partim cinericei, pænè vt moles quem vulgus taßũ siue taxum appellat, mollioribus tamen; atque à collo secundùm dorsi longitudinem, vsque ad posteriora ferè crura, nigrorum pilorum quadam serie erat insignitum. Totum collum à ceruice ad anteriora vsque crura veluti iubâ quadam nigrorum crinium in vtrumque latus propendentium tectum habebat caput exiguum, breuibus pilis subrufis obsitum, cum mento & gutturis parte rostro simiam quodammodò referebat: breue enim, glabrum & obtusum, simisq; naribus erat præditum exiguis etiam dentibus, satis tamen latis: cùm verò rictum amplum non habeat, hoc animal vix mordere poße mihi persuadeo.*

Appendo Doctoris Francisci Hernandi narrationem de hoc animali: *Canis genus est tardißimi, atque eius rei gratiâ* VELOX *nuncupatus, & mirandâ formâ: duos enim dodrantes plus minùs in iuuentâ craßum cùm sit, paulò maiorem longitudinem procedente tempore aßequitur, quaternis valdè exilibus insistens pedibus, quorum singuli totidem vnguibus armantur, illis auium similibus, sed coniun-*

ctis

ctis inter sese. Collum est excelsum, rectumq́; & omni ex parte æquale, cuius postremam partem facies orbicularis occupat, in quâ oculi modici, & rotundi nares cercopitheci. Os valdè paruum, pili verò vniuersi corporis ex albo rubrescentes, & cauda nulla. Tanta verò est eius tarditas, vt vnius diei spatio vix quinquaginta passus pertransire possit. Nocte dumtaxat sonitum edit, posterioribus syllabis sensim magis ac magis gracilescentibus. Arbores libenter scandit, & circa summos ramos considens, viginti interdum commoratur dies, nullo cibo assumpto, quamobrem creditur chamæleonis instar aëre pasci; nam & minimum habet os, & ineptum edendo. Stupidissimum animal est, innocentissimumq́; &, vt creditur, nocturnum, quoniam & noctu dumtaxat canit, & hebeti visu præditum est.

Illud autem quod Ouiedus & Hernandus dicunt, nullâ re nisi aëre vesci, fortasse non absolutè dictum. Folijs arborum potuit rure ali, & domi bestiolis quibusdam secretò, muscis, vespis, vermiculis, scarabeis. Scribit Acosta etiam formicis nutriri, qui & tres dumtaxat vngulas singulis pedibus tribuit. Antonius Herrera addit, ad singulos gressus ingemiscere, sed tres tantùm horas in ascensu arborum durare. Addunt aliqui, tantâ pertinaciâ adhærescere arboribus, vt nisi mortua non auellatur.

Theuetus & Ioannes Lerius alterius monstri huic similis meminerunt, quod ille *hau*, siue *hauthi* appellat, Lerius verò *hay*: vterque enim illi tribuit simiæ faciem, cutem hispidam & villosam, crura hirsuta, ternos in singulis pedibus oblongos & acutos vngues, plerumq; in arboribus versari, captum autem sine difficultate cicurari & domesticum fieri; à nemine conspectum quidpiam edere, eâ de causâ à plerisque ex aëre viuere existimari. Neuter tamen tantâ ignauiâ præditum esse dicit, aut caudâ carere, sed breuem caudam habere vterque scribit. Lector ea quæ apud dictos Auctores extant, cum his quæ ex Ouiedo protuli, conferre poterit.

CAPVT XIV.

De quadrupede candenti.

Inuenitur in Nouâ Hispaniâ non procul ab Australi pelago in prouinciâ Toztlani & Cascapani ferarum genus à capillorum candore vocatum tzon yztac, breuibus cruribus, atro colore, & corpore crasso. Manibus pedibusque & corporis magnitudine tigrinâ, caudâ prolixâ. Animal rarò veniens sub hominum conspectum, & quod transfixum sagittâ quandoque succumbat. Fabulantur Indi, luteo capite visum, celerem prænuntiare mortem; candenti verò, longam vitam polliceri, sed indigam, plenamque ærumnis & laboribus.

CAPVT XV.

De tigribus Indiarum.

Tigris in nouo orbe non vnâ aut mole, aut furore, aut specie. Vulgaris nostris est maior: huic alia similis, quæ, quia minor, ab Indis *tlaco ocelotl*, id est parua tigris nuncupatur, maculis fuscis & nigris conscripta, non pallidis & candentibus, vt alijs communes sunt. Perùani, vt Garcilassus putat, tigridem vocant *vturuncu:* nam, quod Ioseph Acosta dixit, vrsos dici *oboronocos*, corruptâ nonnihil ab Hispanis voce, non ita exploratum censet; vcumari enim vrsus dicitur. Mira tigridi discretio gentium: parcit Hispanis, inuadit Indos, vt inter multos Europæos barbarum internoscens, impetum in illum destinet. Ferociores sunt leonibus: auide Indos quærunt, etiam in domibus & casis; & nisi constanter fores sint clausæ, clanculùm ingrediuntur, & correptum aliquem barbarum mordicus deferunt, non secùs ac felis murem: nec aduersus illas arbores asyla, quas ascendunt vt illinc deijciant fugientem, & lacerent. In expeditione Fedremani quædam tigris cohortem militum aggressa, in medio omnium dilacerauit Hispanũ vnum, tres Indos, tutaque & impunis euasit. Nihilominùs tanta feritas elumbatur: si vel baculo circa renes cædatur, languet, & vincitur; non alia via patet victoriæ. Nulla alia fera magis timetur Indis Occidentalibus, imò in veneratione est. Dæmon illis sæpissimè specie tigridis loquebatur. Vngues venenati creduntur, numquã reparatur plaga ex illis. Iam post introductum Euangelium reuerentiam imò timorem huius ferę amisit barbaries. Capitur laqueis, alicubi muscipulis.

In Bengalâ ferocissima inuenitur, & contumacis odij: vsque ad triginta milliaria insequitur per littora nauim quâ aufugit læsor. Obuijs præterea quibuscumque hominibus & feris atrox. Præuenit natura tantâ pestem. Comitatur tigrim aliud animalculum, quod assiduo latratu illam indicat, quo audito feræ aliæ recedunt, aut conduntur; homines fugiunt. Sunt illę tigrides humanę carnis auidissimę, auariores Nigritarum quos internoscunt: nauem, si quam in orâ perspexerint, per viginti leucas cursitando prosequi solent, vt si quis in terram exscenderit, deuorent. De nocte in naues insiliunt, vt incautos nauicularios opprimant. Referam huius exemplum memoratu dignum, quod accidit interim dum nostri in Bengalâ agerẽt. Æthiops quidam

dam seruus cùm somniasset à tigride se abreptum, sequenti nocte sub nauis, quâ vehebatur, prorâ se abscondit. Rogatus à domino causam, somnium nocturnum enarrat; cuius veritatem illâ ipsâ nocte euentus probauit: omnibus enim dormientibus, tigris in nauim insiliens, ceterisque, qui plùs quàm triginta in naui iacebāt, intactis, desub prorâ miseri Æthiopis apprehendit latus, & abripuit. Felicior alterius sors fuit; sed diuinâ protecti prouidentiâ. Hic cùm haud procul à littore in naui ageret, à tergo hinc eum tigris, ab aquâ è flumine illinc crocodilus inuadit: sed audi casum. Tigris, vt aduersarium præuerteret, prædamque extorqueret, nimiâ velocitate vltra hominem delata, & in nauis latus impacta, in crocodili fauces incidit; ille vtriusque belluæ impetum ac rabiem hoc modo euasit. Dici nequit, quantopere Bengalani tigridum rabiem metuant: hinc varijs eas nominibus nuncupant, veriti ne si proprio dicerent nomine, continuò dilacerentur. In Brasiliâ magna tigrium vis, quæ famelicæ horribili pollent velocitate, tremendis viribus. Eædem pastæ tantâ dicuntur esse ignauiâ, vt à gregarijs etiam canibus confestim in fugam agantur. Non homines tantùm perdit gula.

In nouâ Hispaniâ speculatur ex arboribus ad ripas fluminum crocodilos: inde desilit, & incautos occidit.

Aliquando non minore iacturâ à tigride Indicâ infestata Darien fuit, quàm olim à fero leone Nemea, & à rabido apro Calydonia, vt Petrus Martyr narrat. Integro namque semestri noctem aiunt exactam fuisse nullam indemnem, quin vel iuuencam aut equum, canem aut porcum intra vici ipsius vias interfecerit. Armenta gregesque iam minuebantur: imò & minimè tutò referunt domo exisse quemquam, eo tempore præcipuè quando catulos alebat, tunc namque adoriebatur & homines, fame vrgente catulorum, si homines priùs occurrebant quàm brutū animal. Necessitate cogente tandem ars inuenta est, quâ tanti sanguinis pœnas lueret. Exploratis quippe angustijs semitarum, quibus è cauernarum latebris ad prædam noctu prodire solebat: excauatâ ibi scrobe aliquâ, cratibus & aggestâ terrâ leui superstratis, fallaciam occultarunt Indi. Veniens incautus (mas quidem erat) tigris decidit in foueam, & sudibus acutis in scrobis fundo defixis inhæsit. Rancatu suo vniuersam replebat viciniam, & montes illi stridore eius reboabant. Saxis tum ingentibus ex fossæ margine in eum sudibus infixum deiectis, peremptus est. In mille assulas, & mille frustula fixâ dextrâ directas hastas, & ab alto iaculatas, dirumpebat. Semianimis & exanguis formidine replebat intuentes; quid solutus & incolumis fecisset? Ioannes quidam Ledesma Hispalēsis, Vaschi Nuñes amicus, & laborum socius, de tigride illo se comedisse fassus est, bouinaque carne nihilo deteriorem esse retulit. Vnde tigridem esse dicant, interrogati qui numquam tigridem viderant, respondent, A maculis, à feritate, à dexteritate, signisque alijs ab Auctoribus datis tigrim arbitrari, cùm & pardos & pantheras maculatos ex ipsis plerique se vidisse prædicent. Tigride mare perempto, montes versus vestigia illius secuti, antrum, coniugale ipsius domicilium, adeunt, duos absente genitrice catulos vberibus adhuc matris indigos auferunt. Mutato consilio, quò grandiusculos effectos in Hispaniam post hæc mitterent, ferreis catenis diligenter in colla compositis, ad maternum antrum paruulos reportant à matre lactandos. Post paucos inde dies regressi ad speluncam, nec catulos reperientes, credebāt eos à matre in frusta præ rabie dilaceratos, ablatosque, ne quisquam eis frueretur: asseuerāt namque, solui è catenis nullo pacto potuisse viuos. Pellis peremptæ tigridis ad Hispaniolam, siccis herbis & culmo farta, missa est ad Admirantum & Primores.

CAPVT XVI.

De tigridibus Bambæ.

Regredior ad nostrum orbem, & appendo quæ de tigridibus Bambæ ex fide Eduardi Lopezij Philippus Pigafeta scribit. Cùm in Regno Anzicano multi sint leones, vt & in alijs diuersis mundi partibus, nulli tamen in regno Congiano, & præcipuè in prouinciâ Bambâ reperiuntur: Tigrides verò, quas incolæ engri vocant, ibi sunt plurimæ: de quarum naturâ mirabile quiddam, refert expertus Eduardus, nimirum quod eius quodam ductu nullam vim inferant hominibus albis, cùm nigris econtrà sint infestissimi. Vnde cùm in campo aliquādo cum comitibus cogeretur pernoctare, nigros omnes esse à tigribus occisos, absque vllo alborum detrimento. Tam sunt ibi feroces, vt cogente fame etiam ex ipsis domuum vestibulis pecudes auferant, leonibus feritate, viribus, rugitu, & omnibus ferè similes, excepto tātùm colore, pelle maculis quibusdam distinctâ. Varijs eas capiunt modis, aut mortuas, propositis, quâ pastu venire solent, carnibus venenatis, vel etiam confectas iaculis; aut viuas, laqueis quibusdā, propositâ caprâ aut simili aliquo, ad alliciendam, animali domestico, quibus fera pastum veniens implicata se soluere nequit, sed quantò plus se mouet,

uet, tantò magis adstringitur. Capiuntur etiam aliquando paruæ. Vnde refert Eduardus, vnius sibi factam copiam, quæ quindecim dies nondum excesserat, quam quoque educarit, & canis loco aliquamdiu habuerit; quæ etiam à nullo, nisi à domino, contrectari voluerit; stridens & minitans si alius accederet. Sed cùm tandem videret, innatam feritatem nullo artificio domari posse (canem enim & zebram ipsi charissima occiderat) glande sclopetariâ eam, maius aliquod præueniens malum, traiecit. Cùm animal sit & hominibus & alijs omnibus animalibus infestissimum, præmium à Rege propositum est ijs qui allatâ pelle se occidisse aliquam testari possunt; eâ tamen conditione, vt pellis pilos illos longiores & duriores, qui circa os nascuntur, habeat; aliàs enim loco præmij plectuntur veneficij suspecti: præsentissimum enim ijs inest venenum, & comesti sub alijs cibis, mortem quasi rabiosam inducunt.

CAPVT XVII.

De zebrâ.

PRocedit idem Auctor. Nascitur quoque in hoc tractu, vt & in alijs Barbariæ & Africæ locis, animal aliud zebra dictum: quod cùm mulæ quoad formã & staturam per omnia sit simile, mula tamẽ (parit enim) non est, & colore non tantùm à mulâ, sed etiam ab omnibus alijs animalibus differt. Tribus enim diuersis coloribus, nigro, albo & spadiceo, qui per lineas tres digitos latas corpus à dorso versus ventrem hemicycli in modum ambiunt, per totum corpus distinctum est, caudâ colore rubicundo & lucente. Pes & vngulæ vt mulæ, incessu alioqui leui & alacri similis equo, quem cursus velocitate multùm superat, ita vt Lusitanorum prouerbio ansam præbuerit, qui cùm celerem aliquem dicere volũt, *zebrâ velociorem* dicunt. Parit quotannis, vnde & maxima habetur copia; sed incolis, qui eâ vti nesciũt, est inutilis: equorũ enim loco ipsi tam pace quàm bello esse possent, naturâ eas equorũ loco, quibus hoc Regnum destituitur, subministrante. Incolæ verò ignari, cùm equos non habeât, & boues iugo subdere nesciant, zebras insuper domare & frænare non valeant, varijsque alijs animalibus vti non possint, hominum ad hæc omnia operâ vti coguntur. Atque ita vt omnia hominum super imponuntur humeris, ita quoque ipsi ab hominibus vel in lecticis, aut sedibus portatilibus à Sole coopertis circumferuntur; ad manus semper seruos aut alios ad id conductos habentes. Et si magnum aliquod iter breui tempore est absoluendum, multos tales quasi ἀνθρωποφόρους circumducunt, vt prioribus defessis, alij atque deinceps alij possint substitui; qui etiam ita alternatim subinde mutati, tantæ sunt celeritatis, vt equos cursores anteuertant.

CAPVT XVIII.

De dante Africano.

PErgit Philippus, contestãte nostro Marmole. Est & aliud animal quadrupes, *dante* dictum, boue paulò minus, formâ tamen capitis & corporis reliqui non multùm absimile; colore subrufo, cornua caprina habens in capite, polita tamen & nigra, ex quibus, vt ex bubalorum, varia conficiuntur instrumenta. Pellis ad multa vtilis; vnde in Lusitaniam, & inde in Germaniam defertur. Ea vt bubalorum, ceruorum, aliorumque animalium, ad vsus humanos, præcipuè ad conficiendas vestes durabilis, præparatur. Haberet quidem Rex Congi libenter qui eas præparandi nosset artificium, sed cùm voti non posset fieri compos, crudis vtuntur incolæ, parmas & scuta sua contra telorum vim ijs contegentes. Ferum admodum est animal, & venatorem suum, nisi dexterrimus & celerrimus sit, facilè pessumdat: absque vllo enim timore visum insequitur, & si adipiscitur, cùm cornubus nocere non possit, ore dilacerat, & pedibus vsque ad mortem conculcat. Arcu tamen & sagittis, & nunc scopleto occiditur.

CAPVT XIX.

De empalangâ.

INfit idem Scriptor. Aliud prætereà animal ibi reperitur, quod *empalanga* vocitant, figurâ & magnitudine bouem referens, nisi quòd & caput & ceruicem gerat erectam ceruorum more, cornua quoque habeat in capite recta & longa, nodosa in summitate, interiùs parum inflexa: quod quamuis etiam sit siluestre, nemini tamen est molestum; neque adeò etiam est ferum, quia facili negotio aratro, si adesset incolarum aliquod ingeniũ, accommodari posset.

CAPVT XX.

De lupis Bambæ.

NEc prætermittendum est quod subdit ipse Pigafeta. Lupi quoque eius regionis singulariter oleo palmarum delectantur, quod, cùm vt canes sint sagaces, quamuis remotum indagant, & noctu, nisi in tigurijs accu-

accuratè custodiatur, vel etiam in campis, portitoribus ibi pernoctantibus, & dormientibus, furantur. Oleum quod ex palmarum fructu exprimitur, crassum est, & butyri in modum ductile, quod cucurbitarum corticibus excipitur, ægrè reseruatur. Et mirum est, quàm dextrè hi fures dentibus vasa comprehendant, & humeris, vt lupi nostrates, oues furati iniiciant, vt cursus tantò sit expeditior, & persequentium verbera effugiant.

CAPVT XXI.

De leonibus Indicis.

IGnauior apud Indos noui Orbis natio leonum, *puma* Perüani vocant. Minores quàm Africani sunt, fugaces, aut innocentes, nisi inuadantur; degeneres omnino animo: mole, iubâ, colore fusci sunt potiùs, quàm fului. Ad eos venandos conueniunt Indi. Lapidibus ac fustibus occidunt. Conscendunt ferè aliquando in arbores; eò vsque hastis & sagittis illos infestant barbari. Vescuntur festiuè eorum carne (alba est & crassa) adipem medicamentis reseruant, ossa saltationibus & choreis. Quidam Hispanus deturbauit arbore leænam ingentem, quatuor transuerberatam sagittis. In ventre duo tigridum catuli inuenti, quos per adulterium sui generis conceperat. Paternæ maculæ indicia criminis fuerunt. Leones marinos comederunt Hollandi.

CAPVT XXII.

De leonibus exiguis.

EX insulâ Margaritâ minimum leonum genus missum ad Philippum II. in itinere perijt. Nescio an potiùs ælurorum species fuerit cum leoninâ facie. Ad eumdem ipsum Philippum missus fuit ælurus laniger seu iubatus instar Melitensis canis, colore candidissimus, sed moribus mitissimus, & delicijs idoneus.

CAPVT XXIII.

De leone albo.

ESt in Chiappâ animal cani leporario simile, nigrum, nisi caput & collum, hæc alba sunt, vocant propterea Indi leonem album. Venatu viuit.

CAPVT XXIV.

De animalibus leoni affinibus.

SVnt prætereà aliæ feræ leoni vicinæ: Miztli, quemadmodum à Barbaris appellatur, leoni nostro non iubato aut idem est, aut congener, in infantiâ fuscus, & fuluus in iuuentâ, interdumque rubeus aut subalbidus, in maiorem tamen corporis assurgens molem (quod ob regionis diuersam naturam potest euenire) ac longè minùs ferox. Est quoque quamiztli affinis leoni, vnde nomen mutuatum, sed mitior, agiliorque: quo fit, vt quidam Hispanorum pantheram esse putauerint. Ad eiusdem pertinet differentias macamiztli, qui à ceruo & leone sumpsit nomen, quos quibusdam corporis partibus imitatur: necnon & cuitlamiztli, à leone & lupo indigenâ nomenclatione mutuatâ. Hæc bestia est leone crassior, mitior tamen minorque. Viuit ceruorum, ouium, & crotalium venatione, interimit etiam satur quæcumque offenderit animalia. Cùm famem semel expleuit, binos ternósve dies dormit, abstinens à prædâ, donec rursus esuriat. Est & tlalmiztli fele minor, sed facie leoninâ. Mirabilis est in paruo corpusculo animalis vultus & ferocitas. Cacamiztli vocatur aliud animal, quod ad leonum paruorum feliúmve genus pertineat, & in iuncetis versari soleat. Quadrupes est, quaternas spithamas longus, sed corpore non admodum amplo, fuluo pilo, & aliquantisper prolixo, auriculis breuibus ac penè nullis, ælurino capite, caudâ prolixâ hispidioreque. Adeò est ferox, vt ceruos plerumque aggrediatur, etiam occidat. vnde fortassis ei nomen, nisi à fele potiùs profectum sit. mixtli enim apud Mexicanos interdum ælurum, interdum significat leonem. Viuit apud Panucenses.


CAPVT XXV.

De grato leonis animo.

NOlo ad alia prodire, quin pro ingenio leonis paulisper hîc digrediar, & subijciam quæ Ioannes à IESV MARIA Carmelita Discalceatus libro de Arte amãdi Deum commendauit memoriæ & pietati. In Africâ, quæ, ad distinctionem Libyæ vel Africæ inferioris superior dicitur, quæq; haud procul à freti Herculei angustijs abest, nobilis

quidam Hispanus, illustri satis loco natus (cuius generositatem indicat ad patria & gentilitia familiæ insignia additum posteà serpentis vel draconis caput) quoddã transiens desertum, videt leonem cum dracone (hæc namque animalia regio illa fert) acri certamine nisúque confligentem. Quo conspecto, humana nobilitas ei fauere & opem ferre feræ cœpit, quæ inter ceteras dominatum fert, leoni inquam, adeò vt Nobilis ille hastâ, quam gestabat, draconem aliquoties impetens, eumque mortali saucians plagâ, leonem ab eo in quo versabatur periculo eripuerit. Leo porrò suum liberatorem respiciens, nullo alio edocente vel impellente, ita ad amandũ eum moueri cœpit, vt quocumque is se conferret, pænè ceu canes fidi & domestici, equum sequeretur, idq; amore adeò sincero & vehementi, vt nullâ ratione abigi posset. Adeò autem is affectus increuit, vt cùm Eques nauem conscendere pararet, in Hispaniam traiecturus (iam enim vsque ad littus eum leo secutus erat) videretque leo se eadẽ excludi, rugitu aliisque editis signis, quemdam mortis præferre dolorem cœperit, quibus scilicet ostendebat, quantopere hæc eũ à domino ac benefactore suo dimissio torqueret. Denique cùm nauem magis magisque à littore dimoueri elongariq; cerneret, ac dolorem diutiùs ferre non perualeret, in aquam sese coniecit, vt quem adeò diligebat, abeuntem saltem natatu sequeretur, & mirabili hac gratitudinis & amoris demonstratione vigente, tamdiu cum maris fluctibus luctatus est, donec & defatigatione nandi, & interiori afflictione victus fundum petijt aquis mergendus. Quid tu facis, ô anima, à draconis infernalis faucibus per nobilissimum illum Equitem, qui super candidum purissimæ humanitatis suæ equum vehitur, liberata? Quomodo post hunc liberatorem tuum non curris? quomodo ad eum non euolas, etsi vel cum maris vndis te conflictare oporteat?

ZAINVS.



CAPVT XXVI.

De zainis & apris Indicis.

MOntanam miri ingenij feram vocant Indi *coya metl*, alij *quauhcoyametl*, alij *quauhtlacoyametl*, alij *quapicotl*, alij *faiassou*, alij *saynum*, siue *zahinum*. Similis est nostrati apro, nisi quòd minor sit & deformior, vmbilico eius existente supra dorsum & circa renes. Mirum aspectu: ibi humor aqueus receptus digitis expressus effluit; *nec tamen*, inquit Franciscus Hernandus, *verus est vmbilicus, aut subest quidquam ab eo quod in alijs animalibus reperiri solet diuersum (quod eo dissecto cognouimus) aliúdve quàm glandulosa quædam & mollis pinguedo*. Antonius Herrera putat respirare per supinum hunc vmbilicum. Fœtidus est. Lerius omnino fauet. Scribit aprum Americanũ habere foramen in dorso, quemadmodum in capite sues marini, quo spiritum emittit admittitque: addit frendere terribiliter, & macilentiorem esse nostratibus. Attentior est censura Francisci Hernandi de tumulo dorsi. Iracundi sunt. Venatores conscendunt arbores: accurrit grex zainorũ, mordent & lacerant truncũ, cùm hominem non possint, quos ille supernè tutus venabulo cædit. Gregatim discurrunt; eligunt ducem, &, vt fertur, minorem aut viliorem omnium. Antonius Herrera scribit esse senem & flaccidum, neque nisi duce occiso societatem & cohortem dissoluere:

uere: priùs enim occiderentur, quàm regem desererent, auctor est Petrus Simon. Aliqui Bachiris hoc imputant. Mirum odium in tigridem. Dux zainorũ conuocat quoscumque potest sui generis, vsque ad trecentos aut plures, quemadmodũ Imperator conducit militem. His copijs inuadit tigridem: quæ, licet ferocissima præ omnibus Americanis feris, vincitur multitudine, non sine magnâ zainorum strage. Inuenti innumeri occisi simul cum tigride, vt paucissimi possint epinicium canere. De ingenio huius feræ sic narrat Franciscus Hernandus: *Ferus est ac truculento morsu, cùm primùm est captus.* Sed cùm cicuratur, placidus est domesticis, & habetur in delicijs. Caro est similis suillæ aprugnæve, sed durior atque insuauior. Setæ sunt asperæ, albo ac nigro promiscuè variatæ colore. Vescitur glandibus, radicibus, & alijs montanis fructibus, nec nõ vermiculis, lumbricis, atque alijs huiusmodi animalibus, quæ lacustribus, humidis & vliginosis locis nascuntur. Deuastant etiam sata, cùm ab eis non arcentur. Gregatim ambulant; & redditi mites, aluntur quibuscumque esculentis. Digiti pedum variant: siquidem alij productiores sunt, alij breuiores. Scribunt aliqui, apros Indicos breuissimis esse caudis, vt abscissas putes. Pedibus etiam esse nostratibus dissimiles, & posteriores vno digito non vngulato constare. Carnes multò nostrorum carnibus saporosiores salubrioresque; sed faynis opus est præcidi vmbilicum, alioqui vno die corrumpuntur. Communes sues *guadatinagæ* dicuntur, quas copia siluestres plurimas fecit. Perinde ac apri petuntur venatu. Alijs regionibus maizio saginantur, vt butyrum inopiam olei reparet. Recens illorum caro salubris perinde ac arietina.

Apros insulæ Madaigascar ingentes esse narrat Marcus Paulus Venetus, & dentem apri, relatum esse ad Magnum Cham scribit quatuordecim librarum pendentem; nasci denique in eâ insulâ bubalorũ magnitudine.

CAPVT XXVII.

De suibus Indicis.

SVes in Hispaniolâ lasciuæ naturæ superant vitulum. Ex adipe eius eliquatâ, viginti quinque pondo prodierunt butyri. Testis oculatus est historicus eius insulæ Anonymus, cuius manuscripta apud me sunt. Pellis tympanis seruiebat.

CAPVT XXVIII.

De vrsis Indicis.

INueniuntur in prouinciâ Veræ pacis maximi vrsi, lanigeri satis, nigris pilorũ siue lanæ grumis. Cauda illis palmaris dũtaxat: manus velut humanæ. Simi sunt velut nigritæ, rotundo rostro, depili & rugoso. In Virginiâ eduntur. Meticulosi sunt: fugiunt homines, aufugiunt ad arbores, inde deturbantur, sauciati iaculis.

CAPVT XXIX.

De vnicornibus Indiæ Occidentalis.

BArbari Veræ pacis narrarunt apud se esse animal magnum, equi instar, in fronte gestans crassum cornu.

CAPVT XXX.

De fele siluestri.

VOcant Indi *tepemaxtlaton* genus quoddam felis siluestris aut mustelæ; nam & æluro par ferè est magnitudine. Pilis vestitur nigris, & promiscuè candentibus. Puluis eius dicitur febrientibus conferre. Rostrum est longum, auriculæ paruæ, breuia crura, & cauda eisdem transuersis fascijs nigris candidisque, quibus tepemaxtla Ocoitucensis, cuius videtur species.

CAPVT XXXI.

De mustelâ siluestri.

ALiam speciem mustelarum siluestrium appellant barbari *quauhtentzo*, prælongæ caudæ, fusci pili mollissimique, & punctis nigris distincti. Mitissimum est animal, licet vulpeculæ simile: accedit etiam ad cognitos & domesticos. Parantur è pelle vestes magno habitæ pretio, tum ornamenti gratiâ, tum etiam ad frigoris arcendas iniurias. Manus ac pedes habet quauhpecotl. Alitur platanis & alijs fructibus. Vitam agit in regionibus calidis Xonotlæ.



CAPVT XXXII.

De mustelâ Libycâ.

VEnio ab Oriente ad Meridiem. In nouo orbe minùs notum mustelæ genus ex Clusio dabo, quæ ad Iacobum Plateau deportata ex Africâ fuit. Erat porrò hoc animalculum maioris muris siue gliris non prorsus adulti magnitudine, corporis formâ mustelam & sciurum quodammodò referens: nam capite & caudâ longis pilis præditâ sciurum æmulabatur, illam quidem attollens, minimè tamen supra caput retorquens vt ille, sed in altum nonnumquam valdè explicans. Comedens, clunibus, sciuri instar, insidebat, anterioribus pedibus cibum tenens & versans. In vtraque mandibulâ binis longioribus dentibus in anteriore rictus parte erat præditum: aures ferè orbiculares habebat, & pilorum colorem varium à spadiceo, fusco, & albo, singulis coloribus à capite ad caudam, secundùm corporis longitudinem virgatim & radiatim excurrentibus: summa venustas erat in caudâ, similibus coloribus etiam virgatim distinctâ, cùm, vt dicebam, illam interdum valdè explicaret pauonis caudæ pænè instar. Pedes in quinque digitos erãt diuisi, quaternos antrorsum spectantes, eorumque binos medios longiores, quintum autem breuem calcari non dissimilem, retrorsum spectantem. Omni cibo ipsi obiecto indifferenter vesci intelligebam, præsertim verò pane delectari: ferox non esse, sed facilè cicurari & domesticum fieri, vt liberè, nullo vinculo adstrictũ, quò vellet vagari, permitti posset; nam suâ sponte caueam repetere. Ipse Iacobus sibi relatũ scribebat, in naui, quâ aduecta fuerant, hæc animalcula adeò cicura euasisse, vt nautarum sinum & caligas subirent, nullamq; noxam inferrent.

Huius animalculi meminisse videtur is, qui anno secundo supra millesimum & sexcentesimum nauigationis, quam Bataui in Libyam instituerunt, descriptionem vernaculo sermone euulgauit. Nam trigesimo capite Partis secundæ, in figurâ decimo numero insignitâ, eius iconem, ni fallor, exprimit notatam litterâ L. tametsi nullam eius descriptionem faciat, sed dumtaxat notet mustelæ genus esse. Nomenclator quoque Getuli sciuri meminit.

CAPVT XXXIII.

De vulpeculis Chiappæ.

GEnus vulpecularum Chiappa fert, insidiantium per arbores auiculis.

CAPVT XXXIV.

De sciuris Indicis.

SCiurus animalculum pilosum, cui pro tegumento villosior cauda est, quâ in Solis præsertim æstu se adumbrat. Pro manibus vtitur priorum ministerio pedum, quibus cibos ad os sedens accommodat. Præuidet tempestatem, & aliâ parte aperit fores, obturatis cauernis quà ventus spiraturus est. Præter vetusti orbis species, quinque in nouo differentias sciurorum reperit in manuscriptis Franciscus Hernandus. Sciuros appellant Indi *quauhtechallotl* & *tequillin*.

Prior *quauhtechallotl* species dicitur *tliltic* siue *tlilocotequillin*, cognomine sumpto à corporis & caudæ colore, nempe nigro, & à pinubus quas incolit. Vescitur pomis quæ

ex

ex arboribus decerpit, in earumdem cauitatibus reconditis seruatisque in hiemales alimonias, vbi etiam sobolem educat, & nihil non abrodit. Versutus est, passerum voces sonat, & caudam, quâ se totum operit, lanigeram gestat. Mitescit facili operâ, & quibuslibet alitur nutrimentis. Dum comedit, posterioribus insistit pedibus, ac ori cibos admouet prioribus, attollens maiori ex parte caudam, aut corpus eâdem, nisi in cursu, tegens; tunc enim protendit illam. Iratus, eiusdem pilos erigit. Adiunguntur eorum pelles internis vestium partibus, caloris conciliandi atque ornamenti gratiâ, fugatâ ad eum modum hiemalis rigoris sæuitiâ.

Secundus *quauhtechallotl*, *quapachtli* aut *coztic olotequilin*, aluteo alui colore dictus, in duplam ferè crescit magnitudinem, alboq; nigro & fusco colore promiscuè tegitur, si ventrem excipias, qui pallens est, aut fuluus, quemadmodum attigimus, & caudam gerit prælongam pilosamque, quâ se interdum operit. Viuit in terræ foraminibus & antris inclusus, in quibus etiam educat prolem. Vescitur Indico frumento, quod ab aruis raptum in hiemem recondit. Versutus est velut & reliqui, nec vmquam cicuratur, aut congenitam deponit feritatem.

Tertius *techallotl* dictus, caudam ferè depilem gestat, ac breuiorem, nec dodrantem vincit longitudine. Non cicuratur, sed semper mordet atrociter, & corrodit oblata omnia. Fusco & candenti colore promiscuè tingitur, & posterioribus quoque innixus pedibus, oblatam edit alimoniam, sed præcipuè maizij spicas apprehensas anterioribus. Oculi sunt magni, si illos cum ceteris partibus conferas. Viuit in antris, quæ vnguibus facilè excauat, consternitque lanâ, gossopióve, & quouis alio stramento molli, ac passeres voce imitatur.

Quartus *tlalmototli* dictus, spithameus est, caputque & oculos habet pro corporis amplitudine maximâ: caudam verò longam pilosamve, & lineis, albis, fuscis ac nigris interstinctam, quâ se eodem quo alij modo tegit. Color totius corporis varius est, & aliquando in fuluum inclinans, cetera præcedentibus similis.

Quintus dictus *quimichpatlan*, seu mus volans, fusco pilo nigroque promiscuè tegitur, qui prope brachia ac crura prolixior est, ac paruarum volucrum formâ, cuius gratiâ tantâ celeritate in has & illas arbores sese vibrat, vt volare dicatur. Est autem ceteris minor, paruo & murino capite, magnis auriculis, nec aliâ quàm ceteræ horum animalium differentiæ vtitur alimoniâ. Caudam eius vstam ac redactam in puluerem, & in corpus sumptum, aiunt parientes iuuare.

Est & aliud genus, *yztactechalotl* vocatum, ceteris formâ simile, prolixitateque & lanuginosâ caudâ; capite, collo & clunibus desuper fuluis; caudâ per alterna interualla cyaneâ, subalbidaque, sed fuluis distinctâ lineis, cetero corpore subalbido, vnde nomen habuit.

CAPVT XXXV.

De pecuris.

PEcuris paruuli hinnuli magnitudo, color & celeritas in planicie leporis. Caro suauior.

CAPVT XXXVI.

De canibus Indicis.

GEnus caninum variat in nouo orbe, præter illos quos vetustas nouit. Naturâ & moribus pænè omnia nostris vicina sunt, nec specie valde diuersa. Illud, quod *xoloitzcuintli* vocant Barbari, excedit mole corporis, tres plerumque superat cubitos, nullo pilo protegitur, molli tantùm & depili cute, fuluis & cyaneis maculis aspersum.

Alterum appellant *itzcuin teporzotli*, & à patriâ, vnde datur, *Michuacanem*. Simile est Melitensibus, variegatur candido, atro & fuluo colore, & quadam deformitate, accommodum delicijs, & gratissimum; nec iners blanditijs, gibbo quodam fœdum à capite velut ab humeris eminenti, collo enim pænè caret.

Tertium *techichi* dicitur, cetera nostratibus simile, nisi quòd triste aspectu, Indis edule, quemadmodũ olim Thracibus, quod fortasse in vsu Græcis fuit, si Sexto Empyrico credimus. Certè Diocles Medicus, ex eorum scholâ qui Asclepiadarum tempore fuerant, quibusdam ægrotis catulorum carnes dari præcepit. Sed Indis Cozumellæ canes non tantùm sunt alimentum, sed gula. Nutriebant comedendos quemadmodum Hispani cuniculos: quos ad esum destinant, castrant; ita pinguescunt oppidò. Procreandæ soboli seruant feminarum copiam, ex maribus exiguum numerum, quemadmodum apud nos pecuarij. Ijdem inopiâ puerorum canibus litant.

Alco etiam vocabant barbari quoddam genus canum paruulorum, quorum societate mirè delectantur, & quos mirè diligunt. E suo cibo detrahunt, vt illos alant. Cùm iter agunt, comportant secum aut humero, aut gremio. Cùm ægrotant, consortio inseparabili & familiaritate catelli recreantur.

Sunt quoque canes muti apud Indos, qui non latrant, & vulpino vultu. Cozumella insula hos alit. Quin & percussi nec gemitum, nec clamorē edunt. Hos in Hispaniolâ Ouiedus statuit pro Calamitâ ranâ. His natura est; nec opus sunt membrana ex secundis caninis, nec fimus leporis, nec pilus: superstitiosè ista Plinius obmutescendis canibus quærit. Anonymus manuscripti mei auctor in Hispaniolâ memorat fuisse canes paruulos sine latratu, solùm cum grunnitu, & solùm palato aptos. In Quiuirâ maximi canes onerantur sarcinis.

CAPVT XXXVII.

De cane montano.

VOcatur tepeytzeuintli animal, canis parui magnitudine, audacissimumque: aggreditur ceruos, quandoque etiam occidit. Corpus vniuersum nigrum est, sed caput, pectus, collum candens. Pili longi, longa cauda, & caninum etiam caput, vnde nomen. Vescitur vitellis ouorum, & pane ex aquâ calidâ resoluto, cùm cicuratur.

CAPVT XXXVIII.

De canibus ferocibus.

CEterùm communes canes transuecti ex Hispaniâ in Hispaniolam, aucti numero & magnitudine, cateruatim in siluis discurrere cœperunt, nocentissimi gregibus, quibus & pro lupis sunt; nec aliter præmium constitutum occidentibus illos, quàm apud nos venantibus lupos. Lusitani quidam plagiarij canibus vtuntur in venatione Indorũ. Instruunt, & saginâ humani cruoris alliciũt canes ad capiendos homines: quæ venatio non minimo, sed impio constat lucro. Vendunt barbaros captos. Vasques Nuñes canibus quoque vsus est pro carnificibus loco militum, cùm cuiusdam domum Reguli reperisset nefandâ infectam Venere. Femineo amictu Reguli fratrem, pluresque alios comptos, & vicinorum testimonio pathicôs offendit; iussit canibus circiter quadraginta lacerari. Canum operâ nostri vtebantur in prælijs contra nudas eas gentes, ad quas rabidi insiliunt, haud secùs ac inferos apros, aut fugaces ceruos. Nec minùs fidos Hispani suos inuenerunt in periculis subeundis, quàm Colophonij vel Castabalenses, qui ad bella gerenda canum cohortes instituebant; ita quòd primam aciem in prælio canes seruarent, nec vmquam detrectarent pugnam. Mira de his bellatoribus canibus narrantur. Ad indigenas armatos haud secùs irruunt præcipites, ac in fugaces ceruos, aut feros apros, si digito monstrentur. Accidit interdum, non ensibus, aut sagittis vel telis alijs opus fuisse ad profligandos hostes obuios: datâ quippe tesserâ canibus solutis præeuntibus agmen, toruo molossorum adspectu, atque insueto latratu perterriti, hæsitantes, pugnas ordinesque stupidi prodigioso inuento deserunt. Aliter tamen accidit, quando cum Caramairensibus & Caribibus manus conseruntur; ferociores namque bellisque gerendis aptiores sunt: in ruentes canes citiùs fulgure icto venenatas destinant sagittas, & multos perimunt. Hæc Petrus Martyr. Addit Ouiedus, tantâ solertiâ captiuos Indos sibi commendatos asseruasse, vt qui aufugissent, etiam multitudini admistos internoscentes, trahentesque reduxerint; noctu autem effugientes siue interdiu, tametsi iam ad multa passuum millia dilapsos, nutu dominorum odoreque insequentes inuenisse, dentibus abreptos dexterâ fortissimè retentâ ad reditum compulisse, reluctantes discerpsisse; ideoque intra militum catalogum fuisse conscriptos, duplicique stipendio donatos. Similibus quoque canibus stipendiarijs & excubijs vsi sunt Milites Rhodienses, quia ita instruxere canes, vt cùm noctu vagarentur, Turcos à Christianis odore dignoscerent: illos latratu & mordicus proscindebant, his blandiebantur. In Hispaniâ apud Bastetanos celebris fuit canis Dynastæ oppidi Xodar, Dia Sanches de Carauaxal, vocatus Mahumet, qui stipendium merebatur Celetis contra Mauros in regno Granatẽsi. Canes baiulos, quibus tentoria sua trãsmittunt, Indi Apaches, quos vocant *vaqueros*, habent, illosque mandræ in modum ordinant deportandis sarcinis.

CAPVT XXXIX.

De canibus ingentibus.

CAnes regni Thebeth validissimos narrat Marcus Polus, & vsque ad asini molem, aduersus feras omnes ringere, & pugnare. Eiusdem magnitudinis canes apud Tartaros Septemtrionis iugum binos subire, trahas vehere ritu boum. Hoc verisimile arguit quod Plinius & Solinus narrãt de canibus Albanis, petenti Indiam Alexandro à Rege Albaniæ dono duos missos, quorum alter sues sibi & vrsos oblatos vsque adeò spreuit, vt offensus degeneri prædâ, ignauo similis diu accubaret, quem per ignorantiam velut inertem Alexander extingui imperauit. Alter verò monitu eorum qui donum attulerant, leonem missum necauit. Mox viso elephanto notabiliter exultans, bel-

belluam primùm astu fatigauit, deinde cum summo spectantium horrore terræ affixit. Hoc genus canum crescit ad formam amplissimam, terrificis latratibus, vltra leones rugitibus insonans.

CAPVT XL.

Miranda de canibus.

MEntio canum aliquam celebritatem ingenij meretur. In libro venationis Alfonsi Regis Hispaniæ scribitur, grauidam canem, vocatam Busteram, dum insequeretur ceruum, correptam partu peperisse vnum catulum, quem ore sumens percurrebat aliquod spatium: posteà adlatrabat feram, interim pariens alium, quo cum alio catulo seruato, recurrebat mater, & relatrabat. Hoc pacto reliquos effudit. Occiso demũ ceruo, statim accurrit vbi catulos collegerat. Mirabiliora narrabo. Quemdam nostri Ordinis Procuratorem canis comitabatur. Accidit vt cùm Concham peruenisset, canis pareret quinque catulos. Discessit Procurator repetiturus Domum probationis Villaregensem, relinquens canem Conchæ commissam nostris. At vnâ nocte transtulit canis omnes catulos ex Conchâ in Villaregum. Distant nouem leucas; itaque plusquam octoginta leucas vnâ nocte percurrit. Alia canis puerpera etiam dimissa Vallisoleto, vt nuntium faustum latæ sententiæ pro Naualcarnero oppido deferret, duabus horis peruenit illò, percurrens tam exiguo tempore plusquam triginta leucas.


De grato canum animo recens exemplum nunc miratur Belgium. Mortuo filio Marchionis Cannetensis, canis eius se in sepulturam vnà immisit terra condendum. Violenter extracta, numquam ex loco sepulchri recedere voluit. Ibi hactenus perseuerare, accepi ex testibus oculatis.

CAPVT XLI.

De animali canicidâ.

VVlgaris est nouę Hispaniæ fera canum interfectrix: *ytzecuiucuani* dicitur vernaculis. Improbum est animal, & noxium indigenis. Accedit noctu oppidorum suburbia, vlulatuque euocat ad se canes, trucidat, vorat, atque ita interemptis probis fidisque domiciliorum custodibus, vitæ suæ parato victu prospicit. Sunt qui idem animal cum *cuitlamiztli* esse putent.

MAPACH.



CAPVT XLII.

De animali Mapach.

ANtra & cauitates montium atque collium Tzozocolci hospitatur animal peregrinum, quod cuncta manibus prætentat. *Mapach* ab Indis dicitur, sed non firmo nomine; alij *illamaton* seu *vetulam* appellãt, alij *maxtle* seu *goßypinum cingulum*, alij *cioatlamacazqui* seu *sacerdotißam*. Exæquat magnitudinem quauhpecotli, imò cane Melitensi paulò est maius, humile, teres, pilis vestitum, nigro alboque colore promiscuè variatis, magno capite, paruis auriculis, rostro


canis venatoris,longo ac tenui, ſingulis iuxta oculos faſciis candidis in rectum vtrimque procedentibus, caudâ longâ,humanis manibus ac pedibus, quibus prætentare videtur omnia. Cicuratum altumque domi (miteſcit enim facile, & quibuſuis oblatis veſcitur) numquam non blanditur domeſticis, quos induſtrioſo demulcet amore aut adulatione. Iuxtà iacet, volutatur humi rotatione iucundâ, mille modis laſciuit ac ludit, vulpeculam imitatur aſtu & moribus: lauat inſtar ælurorum faciem manibus, eiſdem cibaria haud aliter ac ſimia ori applicat: ferocem ſe oſtentat exteris & aduenis, notis verò atque domeſticis blandum atque amabile. Verùm non ſemper abſtinet morſu, ſuapte naturâ mordax. Numquam eius innocentiæ certa ac firma fides, non ſecura conſuetudo & familiaritas; perfidum enim eſt, & cùm minùs putes, crura aut manus inuolat. Verſutè interdum blandimentis prouocat,quos adoriatur incautos. Terrorē induſtriè incutit inuadentibus ſonitu quodam rauco & horrido. Technis & arte vincere tentat quos vi opprimere nequit. Alitur ſanguine cohortalium aut gallipauonum, quos aut intra domicilia aut in agris clanculum ac per inſidias corripit,lacerat: item culmis ſpicíſque tlaolli (quorum peſtis eſt) arborum pomis ac melle metl; hieme muribus ac lacertis, & alijs huiuſmodi animalibus. Incedit quandoque poſterioribus tantùm inſiſtēs pedibus. Furto quidquid offenderit, ſurripit. Sunt qui ad ſimiarum genus aut cercopithecorum id animal referant: ſunt qui ad quauhpecotli; nec deſunt,qui ad indigenas vulpeculas. Videtur tamen ſui generis, ceteris formâ & moribus diſſimile.

CAPVT XLIII.

De mole montano.

MElem montanum vocabant Indi Nouæ Hiſpanię *quauhpecotli.* Animal eſt duos plus minùs dodrantes longum, roſtro prolixo,tenui, verſus ſuperna contorto;prolixâ item caudâ,pilo longo, circa aluū candente, cetera fuſco aut atro, candentique, ſed circa dorſū nigriore: atris pedibus,& incuruis vnguibus. Miteſcit facilè: vorax eſt; nullis parcit oblatis eſcis; nec tamen edulis eius caro. Placidum eſt animal,ac mille modis blandiens ac ludens; noxium tamen ignotis. Melis videtur genus, propterea *texon* vocari conſueuit.





SAGOVIN.



GERCOPITHECVS SAGOVIN CLVSII.



CERCOPITHECVS BARBATVS CLVSII.



CAPVT XLIV.

De cercopithecis.

VBer ſimiorum natio calidas Indiarum plagas occupat, mole,geſtu ,colore diuerſa, & imitatione potiùs calliditatis humanæ, quàm formæ vna. *Ocumatli* vocant Mexicani. Inueniuntur nigri, pallidi, fuſci, variegati, magni, parui, mediocres , barbati, caudati,leonicipites,caniformes: omnes pænè filiorum charitate inſignes,amplexu graues. Meticuloſi ſunt. Veſcuntur fructibus arborum,& ouis auium. Ebibunt plures lotium & ſordes ſuas. Nonnumquam videntes hominem ſolum, deſcendunt ad ludendum cum illo. Omni ſunt aſtu induſtrij. Mirificum eſt, arborum ſtipites, quas conſcenderunt, in viatores torquere & iaculari;trāſilire flumina caudis inuicem apprehenſis , & ab arboribus fluuijs vicinis vibratos,tamdiu, donec extremus oppoſitæ trans amnem arboris ramum arripiat:quo affixo arbori, catena ſimiorum vtrimque protenditur. Deinde cùm is qui in alterâ parte hæſit,tutò ſe affixit, vociferatur, ſignum iam notum ipſis,

ſis, quo audito, alter extremus ſe ſoluit; ita omnes tranſmittuntur. Super omnia ſagittâ alióve telo confoſſi, viciſſim quantam poſſunt, ne dicam quantam ſolent homines hominibus, opem ferunt, admotiſque folijs muſcóve arborum vulneri, ſanguinem fluentem callent ſiſtere, atque ita vitam, ſi fieri poſſit, tueri. Educant filios, ſingulos pariunt, circumferunt, amplexu tenaci adhæreſcentes mirâ pietate & amore erga prolem, atque id iuxta montium verrucas, & ſumma cacumina, vbi venatores pyram conſtruunt maizio circumdatam, adiecto lapide cacalotetl ſiue coruino, cuius eſt naturæ, ſi igne calefactus fuerit, tonitru edere, atque diſſilire. Accurrunt cercopitheci, iuxtà incubant, edêtes ſparſum cacaoatl: ſed terrente eos ſubitò in illos emiſſo lapide, obliti filiorum, ac velut expertes luminis, aufugiunt, deſerentes ſobolem chariſſimum venatoribus prędam. Deportant quoque in tergoribus prolem, donec commodè iam ſibi poſſit prouidere. Complectitur filiolus matrem manibus per collum, pedibuſque per ſpinam. Magna aliquibus pernicitas: ferè volucrium ritu occupant arbores, tranſuolantque ab vnâ in aliam. Viſus eſt qui tranſſcenderit vno impetu fluuium. Plura de calliditate dixi aliubi, pauca adhuc hîc appendam, & diuerſa.

Simiarum duces, quando agmen aliquod noſtrum tranſire ſentiunt (nec enim pauci, ne dicam ſoli, auderent) plebeiâ multitudine variarum ſpecierum conuocatâ, procurrunt obuiàm, & clamoribus horrendis ex arbore in arborem trâſilientes, noſtros, quacumque gradiantur, inſecutę, mille ſcurrilitatibus & geſtibus mille derident, caudatæ præſertim, finguntque ſæpiùs velle turmatim noſtros impetere; ſed vbi, ad arborum iam truncos demiſſæ, vidêt ſagittas aut ſclopetas, quas expertæ ſunt aliquando, aptari, ac in ſe dirigi, vento velociùs ad arborum culmina reſultant, ibi conqueſtibus rabidis emiſſis, dentibus frendent minabûdæ. Tantam eſſe illarum dexteritatem inquiunt, vt diſcuſſas in ſua corpora ſagittas euitare ſciât, & manu prehendere, ac ſi ſponte porrectas acciperent; ſclopetarum tamê globulos non ita diſijcere didicerunt, quibus multas iuniores, fortè non ita ſagaces, noſtri extinxere. Quando ſociam vident aliquam de ſuo grege præcipitem ruere vulneratam, à noſtriſq; tolli è terrâ, tanto fremitu ac ſtrepitu tonant & replent æthera, vt mille leonum rugitus & tigridû totidem ſuperent rancatus. Sed vnum eſt auditu gratiſſimum. Quæque ſimia, quando iam captant arbores aſcenſu ſuo, lapides quotquot vnâ manu geſtare poteſt, ore etiam aliquot ſupportat, indeque lapidibus certant in tranſeuntes, quando aut ſagittas aut ſclopetas in eas iaculati ceſſant noſtri.

In vetulam melampo maiorem, caudatam ſimiam, ſagittarius è noſtris tetendit ſcorpionem: ex pectaturam ſe ſimulauit ſimia; ſed vbi iam dirigi oculo clauſo ſagittam vidit, iaculato in ſagittarium lapide, faciem acriter contudit, & dentes illi dicitur confregiſſe. De nouo tamen ſtratagemate pœnas cercopithecus dedit: quo enim tempore lapis ad ſagittarium decidebat, ſagitta in ſimiam aſcendebat. Interfectam comederunt in delicijs. Comediſſent & bufones, aut, ſiquid deterius; tanta illos fames vrgebat. Quod de occurſu in milites fertur, occaſionem puto dediſſe priſcis, vt ſimios aliquos vetuſti orbis homines putarint ob ſimile ſtratagema. Hæc natalitia Cynocephalorum fabulis. Aliquando putaui & pygmæorum fortaſſe fuiſſe, adeò in pluribus ſimulant humanos actus. Illud mirum, commercij quodammodò capaces eſſe.

Ioannes Ardenois ſcribit, magnam familiaritatem contrahere ſimios cum barbaris, pro argento cum illis ludere, deinde ex lucro parato inuitare ad tabernam, & ſoluere pretium vini numeratâ pecuniâ. Fortaſſe maior eſt calliditas quam ab oculato teſte accepi. Aderat inter milites Hauanæ, dum luderet, ſimius: obſeruabat illum qui plus lucraretur, hęrebatq; eius lateri donec colludium largiretur pro more. Si nolebat, pugnis ſimius cædebat; ſi donaret, ſtatim ad tabernam conuolabat, & manu acceptum vas porrigebat vendenti vinum, vt ſibi infunderet. Coronato calice tunc ebibebat, mox ſoluebat pretium, colludio tradito, & recedebat: quòd ſi excederet pretium colludij, expectabat vt rurſus venditor infunderet merum: quod bis aut ter repetebat pro valore argenti.

Ioſephus Acoſta alium narrat miſſum ad tabernam, non priùs tradere ſolitum pecuniam, quàm acciperet lagenam plenâ, quam aduerſus pueros tutabatur, fugans eos correptis per interualla lapidibus: & quamuis vini auidus potor eſſet, illibatam tamen domino referebat. Idem mulieribus fuco ornatis valdè infenſus, diſcerpebat crines & cultum.

De ferociâ illud admirandum, quod Petrus Martyr prodidit hac hiſtoriâ, animalia nutriri in orâ Cariai eadem, quæ iam diximus; ſed vnum reperere naturæ longè diſſonæ, id eſt grandi cercopitheco par, caudâ longiore procerioreque. Caudâ ſuſpenſus, & robur, ter quaterve ſe deuoluens, captando, ex ramo tranſilijt in ramû, & ex arbore ſeſe proiecit in arborem, ac ſi volitaret. Arcuarius è noſtris vnum ſagittâ confixit. Vulneratus

ratus sese deijcit cercopithecus, hostem vulneratorem rabidus adoritur. Stricto ense agit in pecus venator, lacertũ cercopitheco abscidit, cepitque mancum ferociter renitentem. Ad classem perductus, inter homines parumper mansuetudinem induit. Dum sic ferreis vinctus catenis seruatur, è littoribus adducunt aprum venatores alij (cogebat namque carnium desiderium nemora perlustrare) cercopitheco aper, & ipse ferox, ostenditur. Setas excutit vterque. In aprum cercopithecus furibundus salit, caudâ circumligat aprum, cum seruato à venatore victore suo lacerto, guttur apri prehendit, reluctantem suffocauit.

Astuto etiã stratagemate scio vsum alium simium Hispali, quem volebant occidere: ille per domorum tecta fugax, vidit se à sagittario peti. Descendit illicò per fenestram quamdam, & casu obuium infantem ab incunabulis corripiens, complexus est, iterumque se tectis restituens, quoties sagittarium videbat, obijciebat pro clypeo infantem. Conscius erat, non emissurum sagittam cum periculo innocentis. Non sunt hæ bestiæ sine vsu medicæ artis. Ossa cercopithecorum tusa & hausta, dolores ex Gallicâ lue sedant, euocato sudore.

Formas nonnullas cercophitecorum, vt omittam communiores, ex Clusio narrabo. Barbatum vnum iam quidem ab alijs traditum, sed illud peculiare habuit, quòd eius satis longa cauda in floccum desineret, leonum ritu. Alium non barbatum narrat cum simili ornatu caudæ, cetera lęuis & penè depilis. Alterum maioris molis, rostro fusco, pilis capitis canescentibus, circa collum & pectus longis instar leoninæ iubæ. Ex Fernambuco etiam Brasiliarum scribit allatos cercopithecos quosdam non magnâ corporis mole præditos, sed minore quàm suprà enumerati, eosque satis prolixis villis tectos, giluі coloris, quibus similes posteà mihi non sunt conspecti: habebant illi peculiarem quamdam notam, quam in nullo alio istius generis animali obseruaui: nam suauem quemdam, moschi quodammodò instar, spirabat odorem: & Rodericus Lincius, qui eos aduexerat, mihi affirmabat, omnes istius generis similem odorem exspirasse. Vidi alios huiusmodi in hac Aulâ Philippicâ. Ceterùm Ioannes Lerius cap. 10. Historiæ suæ Americanæ alterius cuiusdam generis meminit, quod apud Brasilianos Toupinambouｔios est frequentissimum, & ab ipsis *cay* appellatur, pusillum etiam, sed nigri coloris, quod maximâ ex parte in siluis versatur, & potissimùm peculiaribus quibusdam arboribus insidere solet, ferentibus siliquas perinde crassas vt nostrę maiores fabæ, quarum fructu vescuntur. Meminit & alterius pusilli generis, non maioris sciuro, & eiusdem ferè coloris, rufi videlicet, cui Brasiliani *sagouin* nomen indunt; habereq; scribit formam (quantum quidem ad collum, rostrum, anterioremque adeò corporis partem attinet) leoninæ similem; magno haud dubiè æstimandum, si in Europam transuehi posset: sed adeò delicatulum esse, vt nauis in mari agitationem nullo modo ferre queat. Præterea adeò superbum, vt ob leuissimam occasionem inediâ potiùs & cibi abstinentiâ vitam finire cupiat, quàm minimam molestiam perferre. Huic formâ non absimilem aduehebat etiam cum psittacis & odorato illo cercopithecorum genere Rodericus Lincius, sed vnicum, reliquis eius generis in itinere mortuis, quia toto trimestri tempestatibus iactatus in itinere hæserat: longè verò elegantioris erat coloris, quàm is qui à Lerio describitur. Erat autem quem videbam sciuro minor, & adeò delicatulus, vt molli villosaque pelle fouendus esset, ob aëris frigidioris asperitatem. Rostrum & capitis pars anterior leoninam quodammodò formam referebat, fuscoque colore, cui rubedo quædam permixta erat, prædita. Aures albicantibus villis erant hirsutæ, quibus ruber color etiam admixtus: guttur & pectus longioribus villis partim fuscis partim albis tecta habebat; reliqui pili per corpus sparsi nigri & albi, radiati à dorso ad ventrem alternis erant dispositi: cauda etiam, quæ longa erat, similis coloris pilis alternatim erat tecta: venter nigris pilis tectus: crura breuiores albi pili quadam rubedine infecti tegebant. Pedes in quinque digitos non valdè longos fissi, albis vnguibus erant præditi; fortasse nullus elegantior.

Porrò sagouin quoque depictam habet Nomenclator, quam *sagoin* nominat & *galeopithecum*, quasi ex simiâ & mustelâ procreatum, quod non puto. Sui generis solemne animal est, non monstrum. Agile ac timidum est animal, & viuidum, vt scribit Petrus Coudembergius in quadam Epistolâ, qui & addit, pilos habere admodum molles, & cicuratum vesci vuis passis Sole siccatis, & pane albo modico. Ferunt aliqui, ad Salomonem delatos simios ab Occidente. Acosta mauult ab Oriente.

CAPVT XLV.

De baribus.

IN Guineâ scribit P. Iarricus existere simias, quæ instar famuli in pilâ tundant quæcumq; in eam imponuntur, quæ aquam à fluuijs in hydrijs capite domum deferant, ita

ita tamen vt vbi primùm domus fores attigerint, illicò hydrijs exonerandæ sint, alioqui eas excidere, casuque isto frangi, atque tum clamoribus ac fletu compleri vniuersa. Neque ista modò, sed plurima item alia obire de domesticis ministerijs: dicuntur hi simij baris. Torosi sunt & robusti.

CAPVT XLVI.

De simio albo.

NEque enim in Nabathæis plagis minor huius bestiæ festiuitas & astus, ob quos superstitionem prouocauit. Vsurpauit simij cuiusdam albi calliditas atque licentia diuinos titulos. Pæne totius Orientis celebre nomen & numen. Reliquias Zeilam seruabit dentem dumtaxat. Præda tandem fuit Constantini Proregis Lusitani, cùm barbari Principis thesauros cepisset, inter quos & dens ille fuit. Tantâ summorum Regum reuerentiâ & diuinitatis opinione habebatur, vt singulis annis à Pegu mitterentur Legati magnis onusti donarijs & muneribus, vt solùm permitterentur in argillâ quadam aromaticâ, quam in auro custodiebant, imprimere sigillum eius, vt absentiam tanti pignoris diuini, eiusdem adoratione vel solùm per vmbram solaretur. Deinde conscius Rex Pegu captum à Lusitanis sacramentum suum, misit ad Constantinum Legatos onustâ naui mercibus, & auri cruciatis trecentum millibus pro redemptionis præmio, nec vlli pretio parcebat. Plerique Lusitani donandum censuere, exactâ maiori summâ: vsque ad millionem expectabant. Et quidem Rex ille plus dedisset: at noster Pro-Rex, etiam in angustiâ ærarij, prætulit lucro pietatem, atque vt omnibus constaret, publico consessu iussit dentem afferri, agnosci, extrahi è locupletissimâ thecâ gemmis & auro exornatâ, deinde manu suâ in æreum mortarium iacit, tundi iubet vsque ad puluisculum, mox puluerem in ignes ad hoc præparatos dissipat, vt in fumum euanuerit.

CAPVT XLVII.

De animali maripeto.

QVia transuolaui ad Orientem, narrabo, licet cum periculo omnis fidei, quod Aloysius Almeida scribit, & multi confirmant, apud Iapones in regno Goto extare siluâ, in quâ tãtùm gignitur animal canis magnitudine, cruribus breuioribus, ad esum humanũ percommodũ, aureo colore, prę molli etiam villo. Cùm senuerit hoc animal, dimissâ terrâ, sponte mare ingredi, ibique paulatim transformari in piscem, ac per singulares corporis partes, certo quodam temporis interuallo, verè mutatâ quadrupedis formâ ac naturâ transire in piscem. Idque adeò verũ esse obtestatur Auctor, vt affirmet aliquãdo contigisse, piscem huiusmodi captum inuentum nondũ omnibus corporis quadrupedis partibus prorsus transformatis, nondum videlicet opportuno elapso tempore, quo omnia piscis membra effici potuerint: pars enim adhuc habebat formam quadrupedis, altera iam squamis & pinnis formata videbatur. Adijcit, fabulosum hoc non esse, sed compertissimum iam fuisse, veritatique huic adstipulare indigenarum omnium consensum.

CAPVT XLVIII.

De ciacali.

DE hoc animali hæc narrat Augerius Busbequius: *Nicomediâ, transmisso montis Olympi iugo, in pagum Kasockli venimus, ex hoc Nicæam, sed seriùs, cœptâ iam primâ vigiliâ. Non procul inde audio magnum clamorem, & velut hominum irridentium insultantiumq; voces. Interrogo quid sit, & num fortaße qui nautæ (nam ripa lacus Ascanij non longè aberat) nos irriderent, quòd præter eorum consuetudinem id noctis iter faceremus. Narrant mihi, vlulatum eße bestiarum quas Turca Ciacales vocat. Lupi sunt vulpibus maiores, communibus lupis minores, voracitate tamen edendiq; ingluuie pares. Gregatim incedunt: hominibus armentisq; innoxij, furto magis & dolo, quàm vi victum quærentes. Ab harum ferarum ingenio Turcæ homines fraudulentos & versipelles, maximè Asiaticos, Ciacales vocant. Tentoria Turcarum aut etiam domos noctu subeunt, in quibus quidquid inueniunt esculentum vorant. Quòd si aliud deest, quidquid est operis coriacei rodunt, velut calceos, ocreas, cingula, gladiorũ vaginas & quidquid est huius generis. Neque deest ad furtum solertia, nisi, quod in illis ridiculum est, suo se proderent indicio. Nam cùm maximè sunt in ipso furto occupati, si quis fortè gregalium, qui foris remansit, vlulare incipiat, mox ipsi idem faciunt, parum memores vbi versentur; quo clamore expergefacti homines, arreptis armis fures manifestarios malè mulctant.*

CAPVT XLIX.

De lupis Indicis.

CAlidæ Nouæ Hispaniç regiones lupum alunt, quem *cuetlachtli* Indi vocant. Nostratibus similis est, nisi amplitudine capitis.

pitis.

pitis. Maior Indico eſt, inuadit tauros, interdum homines. Inueniuntur nonnulli albi; ſcilicet ſimpliciſſimus color damna huius animalis fallit.

CAPVT L.

De animali necrophago, ſiue ieſef, ſeu hyænâ.

DAbuh dicitur, ab Africanis *ieſef*, animal Libycum formâ & mole lupinâ, niſi quòd pedes & manus humanæ. Innocens viuis, infeſtum tantùm cadaueribus, quæ exhumat & deuorat; in agris enim ſepeliuntur Mauri. Miræ ſtoliditatis animal Muſice capitur. Ruſticâ tympani, & calami melodiâ lenitum venatores non fugit, nec reſiſtit, imò patitur ſe ligari. Idem cum hyænâ videtur Buſbequij, de quâ hæc ſcribit: *Turcæ procul comportatis ingentibus ſaxis, ſepulchra ſuorum, alioqui inania, nullâ iniectâ terrâ tegunt, eâ quidem de causâ, vt malo dæmone accuſante, & rationem vitæ à mortuo exigente (nam ita credunt) defendente verò bono Genio, locus ſit vbi mortuus ſedere, & ſe cauſæ commodiùs dicendæ poſſit erigere. Idcircò verò grauis lapis inijcitur, vt tutiora ſint cadauera à canum, luporum, reliquarumq; beſtiarum iniurijs: in quibus in primis eſt hyæna, regionibus his ſatis frequens. Illa ſepulchra ſuffodit, extrahitq; cadauera, portatq; ad ſuam ſpeluncam, iuxta quam videre eſt ingentem cumulum oſſium humanorum, veterinariorum, & reliquorum omne genus animalium. Beſtia eſt hyæna lupo aliquantò humilior, ſed nihilo breuior. Pellem habet lupi ſimilem, niſi quòd pilo ſit horridiore, & grandibus maculis nigris diſtinguatur. Caput ei ſpinæ dorſi contiguum, ſine vllis vertebris; vt cùm reſpicere velit, totam ſe vertere neceſſe habeat. Pro dentibus os habet continuum. In amatorijs vim magnam habere, Turcæ, vt etiam veteres, exiſtimant. Cumq; eſſent duæ illo tempore Conſtantinopoli, mihi tamen vendere Turcæ grauabantur, quòd ſe Sultanæ, hoc eſt, Principis vxori, eas reſeruare dicerent, quippe quas philtris & magicis artibus animum mariti retinere, recepta in vulgus, vt dixi, opinio eſt. Fallitur verò Bellonius, qui hyænam putat, quam ipſi cattum, ſiue felem Zibellinum vocant. Iam ride quantum lubet, ſi vmquam riſiſti: fabulam audies, quam ex ore populi referam. Aiunt hyænam, quam ipſi zirtlam vocant, ſermonem intelligere humanum (veteres etiam imitari dixerunt) proptereaq; à venatoribus hunc in modum capi. Accedunt ad eius cauernam, quam ex oſſium, vt dixi, cumulo deprehendi facile eſt: ſubit vnus cum fune, cuius partem extremam ſocijs tenendam foris relinquit; ipſe identidem pronuntians,* ioctur, ioctur, vcala, *illam ſe non reperire, illam non adeſſe, introrepit: at hyæna, quæ ſe latere, neſciriq; ex eius ſermone putat, manet immota, donec ſibi crus fune vinciatur, ſubinde venatore illam non adeſſe clamitante. Deinde cum eiſdem verbis retrocedit. Sed vbi iam ex ſpeluncâ euaſit, derepentè clamore magno hyænam intus eſſe pronuntiat: quo illa intellecto, vehementi impetu, vt fugam capiat, ne quidquam proſilit, venatoribus per funem, quo crus ei implicatum diximus, renitentibus. Sic eam vel occidi, vel adhibitâ induſtriâ narrant viuam capi: nam animal ſæuum eſt, & quod ſe impigrè defendat.*

TAVRVS QVIVIRENSIS.



CAPVT LI.

De tauris noui orbis.


PRæter armenta ab Hiſpaniâ veteri deportata,quæ laſciuiâ,terræ vberi exundauit prole, vt iam nullius eſſent vaccæ errabundæ, niſi occupantis primò, Quiuirà regio monſtroſum alit quoddam tauri genus ſilueſtre, fuluâ ſpecie, humili corpore, incuruo dorſo, frequentibus iubis, & lacinijs promiſſis,eduli carne,ſalubri,nec iniucūdâ. Crudâ veſcuntur incolę,epotato cruore:pellibus proteguntur. In inſulâ Madaigaſcar feruntur quoque gibboſi boues ex nimiâ meraq; pinguedine in dorſo ex tuberante. Ioannes Santander ſic deſcribit vaccas Sibolenſes, quibus in victu vtuntur Apaches, quos *Vaqueros* appellat. Sunt ſimiles noſtratibus vaccis mole,ſed valdè diſſimiles formâ; nimiùm enim poſteriores pedes exigui ſunt. Sed eminent gibbo & pectore. Cornibus paruis,acutis,erectiſque. A fronte copia iubarum oculos tegit, & valdè criſpæ ſunt: ſimiliter è barbâ & genu. Colore fuſco ſunt; vix aliqua candens macula illas pingit. Caro illis ſuauior ſalubriorq; quàm noſtratibus: adeps quoque præſtantior. Non mugiunt inſtar taurorum;potiùs velut porci grunniunt. Cauda illis breuior, exiguâ lanâ impedita. Pilus omnis criſpus, vtilis veſtibus & pileis conficiendis.Turmatim paſcuntur hi tauri, & quadraginta millia vnus grex cenſetur. Nulla illis permixta vacca,niſi tempore coitus. Singulis annis exuunt ſe veteri lanâ, & nouam nutriunt. Venti aggregant deciſam lanam in aliqua loca.

CAPVT LII.

De aliis peregrinis vaccis.

OCcurrit nunc Niloticus bos. Legi, ad aliquas Nili partes vaccas eſſe expiles, adeò prolixis caudis,vt ſolū verrant, diſcolores,variegatis collis. Ægyptij vocant *demniet*.

ARIES MOROMORVS.




CAPVT LIII.

De equis & ouibus Indicis.

OCcidentes Indi carebant equis. Vt primùm viderunt equitare, obſtupuere, Centauros rati:nunc tantâ laſciuiâ terræ exundant liberi greges, diſcurrunt per montana & agros. Currunt interdum turmatim, magno periculo:ſiquis obuius, peſſum ibit, peribit.Egentiam equorum ſupplebat olim, quamquam imparibus & ineptis viribus ad bellum, copia & vis ouium, quæ iumentis magnitudine pænè pares, & ceterâ formâ, pręter toroſi pectoris ſtrumam, camelis perſimiles. Quinquaginta onerum pondo ſuſtinent, & virum in terga ſublatum, ad aliquot paſſuum millia vehunt. Si feſſæ ſint,& tamen vrgeantur,ſedent,& ore conuerſo,vrgentes fœdo odore conſpurcant. Si onuſtæ ſint, tum humo ſeſe acclinant, nec inde vllâ verberum vehementiâ, ipſis aſinis contumaciores, niſi penitus clitellis exonerentur,propelli poſſunt. Vtile profectò animantium genus, non ad ſupplendam modò abſentium equorum in ſarcinis viriſque vehendis commoditatem,ſed ad alimonię etiam & opimi lucri vſum. Lanæ enim tenuitate longitudineque & copiâ facilè noſtras ſuperant, & ipſius carnis ſuaui gratitudine veruecium atque iuuencorum noſtratium delectabilem ſapo-

ſaporem adæquant: frumento veſcuntur, ſed pauciſſimi cibi ſunt, vſque adeò exigui verò potus, vt illo triduum quatriduúmve abſtineant. Hoc genus iumenti *peruicheatl* dicunt, alij llamas. Duo ipſorum genera ſunt. Lanigeras dicunt *paios*: aliæ raſæ ſunt. Incertus color illi eſt, vt pecudi noſtro; ad multos vſus lana. Gaudet hoc pecus frigore: glacie & gelu tectum geſtit. Quæ raſæ ſunt, ſtupiditatis quodam geſtu ſolent conſiſtere, & ſerenè attendere obuios, aliquando territæ aufugiunt cum ſarcinâ. Lanigeræ contumaci interdum ignauiâ aut irâ ſolent laborare. Defeſſæ iraſcuntur & procumbunt cum onere, vt diximus, nulliſque fuſtibus excitari ſe patiuntur, nec minis, niſi ſolùm blanditijs. Conſident pariter Indi, & demulcent. Sic tandem pacantur, & reſtaurant laborem. Scabie laborant miræ contagionis: fuit remedium, ægrotantem pecudem viuam humare. Franciſcus Hernandes ſcribit nonnihil dictis diuerſum; nimirum inutili villo tectas eſſe, carnemque nec grati nec probati alimenti. Sunt apud Mexicanos arietes, quatuor armati cornibus. Sed hos Hiſpania antiqua etiam alit, & ipſe vidi aliquos, quoſdam etiam cum cornibus caprinis. Vidi & arietes tam amplæ caudæ, vt quinta numeretur corporis pars, præ mole carnis. Similes Africa nutrit. Adeò illis omnis corriuat in caudam pinguedo, vt quò incedere, & ferre illam poſſint, imponatur cauda exiguo currui colligato cornibus. Incredibile dictu, centum & quinquaginta pondo cauda eſt viſa. Allego fidem Ludouici Marmoris. Arietes noui Mexici ſcribit Ioannes Santander per muros perque editas rupes aſcendere tamquam per ſcalas, curſu ab interuallo concitato: eoſdem in præceps ſe dare ſecuros ab editiſſimis ſcopulis. Sed hi ad Muſmonum genus referendi ſunt. Nec Sardinia ſolùm hoc animal nutrit.

ADIM MAIN, ſiue CAPRA INDICA.



CAPVT LIV.

De pecoribus Libyæ, ſeu adim main.

ALit etiam Libya admiranda pecora. Adim main vocatur familiare animal, pænè vitulinâ mole, & arietinâ ſpecie; prolixis auribus, lacte lanaque vtile: feminæ dumtaxat cornutæ. Placidum pecus, iumenti inſtar. Portat pueros breue aliquod iter.

CAPVT LV.

De equis viridum iubarum.

IN peregrinatione Gasparis Balby circa ripas fluuij Tigridis inuenti equi crinibus viridibus,& oculis glaucis.

CAPVT LVI.

De animali moschifero.

ESt in Sinarum regno,aut non procul inde,animal,quod moschi materiam suppeditat, quod odoramenti genus veteribus tam Græcis quàm Latinis incognitum fuit, nares tamen quàm iucundissimè afflat: & sanè Chinense moschum ceteris præfertur. Animal est vulpis magnitudine, siluas incolere solitum. Hoc assiduis virgarum fustiumque verberibus enecant, vt toto sanguis effundatur corpore. Cadauer putridum, & iam aridum frustatim, non detractâ pelle, discindunt, sacculosque inde parant, quos Lusitani *papos* nuncupant. Pantoia verò è ventriculo cuiusdam feri animalis, quod fele paulò grandius, educi moschum credit, nec in Chinâ ipsum sed in regione proximâ reperiri. Ciuettam haud dubiè intelligit; vel si idem omnino animal cum eo quod descripsimus credendum, nobilius ac pretiosius moschum ventriculo aluoque educi; vtque maior illius sit copia, verberibus ipsum, quoad cetera membra diffundat odor, enecari. Hæc Iarricus admonuit. *Gazella* dicitur, ab alijs Capra moschifera.

CAPVT LVII.

De ceruis.

CEruinum non simplex Nouæ Hispaniȩ genus. Macame vocăt. Quidam rubei, quidam albi toti. Hos ceruorum reges dicunt Indi,& yztacmacame appellant. Alij nostratibus aut ijdem,aut valde similes formâ,magnitudine, ingenio; aculhuame nuncupant. His minores quauhtlamacame in magnam generositatem degenerant à ceruinâ timiditate: efferociunt vulnerati,adoriuntur venatores,sępè occidunt. Eiusdem molis & moris sunt tlalhuicamacame, sed impares animo. Minimi sunt tamamacame, fortasse potiùs caprarum genus. In Duarhe,Xapidâ,& alijs noui orbis plagis, ceruorum erant armenta, quemadmodū nobis boum. Domi pariunt, nutriunt. Soluti,per nemora pastum quęrendo luce durante vagantur,ad vesperā pullos domi retentos reuisunt,intra cortes claudi se ac natis depastis mulgeri patiuntur, nullum aliud lac, aut ex alio lacte caseus. Septemtrionales nostri curribus & trahis iniungunt ceruos, quibus celerrimè vehuntur. In aliquibus Occidentis regionibus vexati cæsique à venatoribus, quærunt herbam atochielt (sic vocant Barbari, & species pulegij est) hac recreantur restauratione virium, nouam pernicitatem acquirunt: maioris illis vsus est, quàm dictami virtus. In Virginiâ cerui longiore caudâ sunt præditi quàm nostrates, & cornuum extrema in dorsum recurua habent. Ceruorum Americanorum quoddam genus Lerius vocat seouasseu, qui differunt à nostris, quòd multò sint humiliores, minora gestent cornua, & æquè pilos demittant atque nostrates capræ. In plagis noui Mexici caudam habent valdè pilosam, alij prolixam, non aliter ac mulæ, cuius æquant aut superant molem. Maximi roboris sunt. Dux quidam Hispanus duos iniunxit mansuetos rhedæ suæ vehendæ.

CAPVT LVIII.

De venatione ceruorum.

MAgnus Mogor in venationibus pro canibus vtitur pantheris & industriâ aliorum ceruorum ad capiendos siluestres ceruos. Gestant illi laqueos in cornibus,quibus alij, dum arietant, & cornu feriunt, sese implicant, & à venatoribus instantibus capiuntur.

CAPVT LIX.

De vicunis.

SVnt apud Perüanos quædam pernicissima animalia quæ vicunas vocant. Quidam putauere, ab Aristotele & Plinio capras dici, sed ignotas priscis vicunas censeo cum Acostâ. Cornutum illi animal sic vocarunt; vicuna cornu exermis, cetera licet similis siluestri capræ, cuius & fortasse genus est. Nec obest inopia cornuum; namque & canes cornuti alicubi feruntur, cùm communes excornes sint. Gaudet montanis & rupibus, frigus & deserta amat, gelu & niue videtur recreari, societate & grege delectatur. Ad obuios quoque fugax. In fugâ præmittit sobolem, cuius parca est. Capitur celebri venatione. Coëunt vsque ad tria millia barbarorum, circumdant montem, sic paulatim cogunt in vnam sedem feras, aliquando plusquam trecentas: dimittunt ad prolem feminas. Aliter capiun-

tur


VICVNA.

tur cùm ad conueniens interuallum accedunt, coniectis ad pedem funibus plumbo innexo extremitati quibus impeditur curſus. Tondent illas ad ſtragula. Lana earum ſubtilis & delicata inſtar ſericorum. Pertinacis coloris eſt, quippe natiui, nullâ tincturâ opus habet; in æſtu recreat, iuuat renum inflammationes: quamobrem culcitras ex eâ inferciunt. Dicitur mitigare etiam podagram. Caro haud iucunda, nihilominùs Indis edulis. De ſalubritate Ioſephus Acoſta narrat, acerrimum dolorem oculorum pænè ſubitò placaſſe ſibi impoſito fruſtulo carnis recenter occiſæ vicunæ. Generant in viſcere bezar, ſecundum poſt Orientalem.

CAPVT LX.

De lapide bezar.

DE hoc lapide ſententiam Franciſci Hernandi, quem ſæpiùs laudaui, non extra inſtitutam narrationem erit hîc exhibere è manuſcriptis ſeruatis in Regiâ Bibliothecâ S. Laurentij in Eſcuriali. Quinam, inquit, ceruorum dorcadúmve lapidem vocatum bezaar, aut dominum veneni generent intra ſe, erit, vt opinor, narrare opportunum. Accepimus ergo ab expertis venatoribus, & qui in diſſectis hiſce animalibus prædictos lapides non ſemel inuenerunt, reperiri in ouibus illis peruicinis cornu expertibus, quas vicunias vocant. Sunt enim aliæ cornutæ tarucæ vocatæ, & aliæ quas dicunt guacanas. Prætereà in teuhtlalmacame, qui caprarum non mediocrium aut paulò maiore conſtât magnitudine, pilo teguntur cauo, & qui facilè auellatur, fuluoque, ſed lateribus & ventre candentibus. Vnde berrendas indigenæ Hiſpani vocare ſolent. Cornua geſtant iuxta exortum lata, atque in paruos paucoſque teretes & præacutos ramos diuiſa, & ſub eis oculos. Deinde in quodam damarum genere, quas *macatlchichiltic* aut *temamacame* appellant, cornibus breuiſſimis acutiſſimiſque, coloris fului, fuſci, & infernè albi. nec non in ibicibus, quorum hîc redundat copia, vt Hiſpanos, & apud hanc regionem frequentes ceruos taceam, in quibus quoque eſt lapidem, de quo habetur ſermo, reperire. Capreas etiam cornuum expertes, quas audio paſſim reperiri apud Perüinos: &, vt ſummatim dicam, vix eſt ceruorũ caprearúmve genus vllum, in cuius ventriculo aliáve corporis internâ particulâ ſuapte ſponte ex ipſis alimonię excrementis lapis hic, qui etiam in tauris vacciſque ſolet offendi, non paulatim concreſcat & generetur, multis ſenſim additis & adhæreſcentibus membranulis; quales ſunt cæparum; ideoque non niſi in vetuſtiſſimis ac ſenio iam confectis reperiuntur: neque vbique, ſed certis ſtatiſque locis, vbi ea ſuppetit materia. Quâ ratione fieri poteſt, vt apud Hiſpanos aliáſve gentes non ita facilè offendantur. Verùm non omnes hi lapides ſalubres ſunt, tuendæve ſanitati aut profligandis morbis apti; ſed ſoli illi qui depaſtis herbis ſaluberrimis producuntur. Vnde non ſolùm difficile ſit cenſere, ánne illæ facultates mirabiles, quæ de eo lapide tempeſtate hac noſtrâ iactantur, narratique & prædicari cœperunt, veræ ſint, ſed etiam quinam ſint eli-

eligendi, aut qui vtiles aut inutiles reperiantur. Quibus de rebus nunc ego non ausim vllam ferre sententiam, quamquam audiam venenis venenatisque omnibus mirè subuenire, syncopen & epilepticas inuasiones digitis applicatos mirè arcere, somnum conciliare, augere vires, excitare Venerem, facultatesque omnes roborare, sedare dolorem, lapillos renum atque vesicæ non modò paruâ quadam portione deuoratos, sed manibus tantùm retentos, frangere ac pellere; vrinæ destillationi ferre opem, partum iuuare, & procurare conceptionem, denique nulli ferè non auxiliari morbo; adeò vt sint, qui solius huius lapidis præsidio Medici sententiâ suâ consummati euaserint, pro talibusque sese imprudentor venditent. Variis eos reperias formis & coloribus, alios nempe candescentes, fuscos alios, alios luteos, quosdam cinereos nigrosque, & vitri modo aut obsidiani lapidis nitentes, hos oui, illos rotundâ figurâ, & alios triangulari. quid, quòd nonnulli eorum basis centríve loco glandem habent, & concussi sonant, nucleo intra crustam arescente atque coacto, haud aliter ac hi quos ætites vocare solent, aut ipsi ætites sunt, quos aquilæ rapiunt, & transferunt in nidos suos? Alij puluerem, alij lapillum. Tot verò reperies apud NouamHispaniam, vt iam vili veneant pretio, ac vel vnico aureo singuli biníve emi & commutari soleant, cùm non paucis antè annis vnicus & modicus ducentis aut ampliùs aureis extorqueri non posset à mercatoribus. Id dictum est à me atque admonitum, ne deinceps reliquus sit locus istis impositoribus ex rapto viuentibus, iusque omne, dum rei familiari student, quomodolibet augendæ atque accumulandæ, violantibus, quibus opus non est, in tantâ copiâ & numerosâ redundantiâ, arte illos aut adulterio parare, quamquam & ad hunc modum non pauci conflati reperiantur. Verùm lapides illi fossitij, quos quidam Arabum ab infringendâ venenorum vi eodem nomine appellant, reperiũtur per hæc tempora apud nos, ac præcipuè in fluminis Tezhuatlani ripis varij multiformesque, influentibus vndis è montibus Boloarmeno redũdantibus: sed minimè quos ferunt ijdem in angulis oculorum prædictorum animalium concrescere, cùm remedij gratiâ, postquam deuorarunt serpentes, ab antris vi halitus aut occultâ aliâ vi tractas, se mergunt in flumina. Sunt etiam quidam lapilli, quos aiunt deuorari à femineo ceruorum sexu, vt facilior enixus contingat, & in eius ventriculo reperiri.

CAPVT LXI.

De lapide bezar simiarum.

NEc prætereundam censeo industria aliquorum venatorum Orientalium, qui miro artificio ex simijs conficiunt lapides, quos pro bezar venditãt. Prodeunt certo anni tempore ad simiorum venationem, non vt occidant, sed vt vulnerent sagittis subtili emissis arte, quæ non penetrent, sed tantùm cruentent simios, quos deinceps non insectantur. Ex cruore interim petrea glans fit intra corpora simiorum. Singuli tot lapides generant, quot plagas sustinuerunt. Cum iam norunt venatores maturos lapides, iterùm prodeunt ad capiendos illos, occisis simijs.

CAPVT LXII.

De lapide histricis seu Malacensi.

MAior vis alterius lapidis fertur, quem fel histricis gignit in Malacâ, saltem in Pam regni Malacensis, de quo hæc habet Garcia orta: *Tantâ est in æstimatione apud ipsos indigenas ob raritatem, vt è duobus, qui simul meo tempore reperti fuerunt, alter pro ingenti munere missus sit ei qui pro Rege Lusitaniæ Indiam gubernat. Et licet istic frequens lapis bezar inueniatur, hunc tamen longè præferunt incolæ. Vnum dumtaxat vidisse memini, cuius color dilutioris videbatur purpuræ, gustu amaro, tangenti læuis & lubricus, quemadmodũ Gallicus sapo.* Clusius adiicit: *Anno à Christo nato sexcentesimo tertio supra millesimum, ostendebatur mihi lapillus planus, vnguis humani digiti magnitudinẽ non superans, læuis, coloris ex cineraceo candicantis, sed paruis quibusdam rubiginosis maculis aspersi, quem valdè commendabant aduersus venena, imò etiam lapidi behazari præferebant. Illum ex Orientali Indiâ recenter allatum ferebant, & mastica de solo appellari dicebant, lapidem porcinum interpretantes.* Ex quibus notis coniecturam faciebam, Malacensem lapidem à nostro Auctore commemoratum esse posse, quem in histricis felle reperiri scribit. Certè glaber & lubricus erat, Gallici saponis instar. Ferdinãdus Lopes lib. 1. Hist. Indicæ meminit lapidis cuiusdam, quem non minore facultate præditum esse asserit, quàm sit lapis bezar, aut Malacensis, quippe qui mirificè omnibus venenis resistat. Est verò is lapis magnitudine auellanæ, rarus admodum, vt qui in capite animalis, quod Indi *bulgoldalf* appellant, existimatur nasci.

CA-

CAPVT LXIII.

De huanacu.

DVm huanacu feminæ pascuntur in pratis, speculantur mares ab editis locis, num omnia sint tuta: admonent hinnitu periculi. Cùm fugiunt, etiam præmittunt feminas.

CAPVT LXIV.

De tarugis.

PRoximum vicunæ genus taruga, pernicior, grandior, torridior colore, mollibus & decidentibus auribus: non gaudet societate & grege, rupes sola peragrat. Repertus in his bezaar maior virtute & mole.

CAPVT LXV.

De dantis.

SVi generis animal danta est (aliqui Indi *capam* vocant, alij *tapiroussou*, alij *doucanare*, vt Lerius scribit) sed multis similis. Mulares habet aures, vitulina labra: rostrũ superius propendet per palmũ super rictum; attollit cùm irascitur. pæne reliqua membra diuersæ bestiæ similia, sed plerumque vitulo conformior. Cornu caret. Vngula iuuat dolorem cordis, pellis loricæ vsum supplet, impenetrabilis est ictibus. Duos ventriculos habet, vnus alimẽta excipit, alter ignoto adhuc naturæ sacramento inuenitur putrefactis lignis & virgulis plenus. Vna auctoritas parsimoniæ naturæ excuset hîc superfluitatem. Nescitur vsus & finis eius ventriculi. Venator oportet vulneret illam ante ingressum aquæ: ibi enim morsu se defendit, & occidit canes. Phlebotomiam fertur ex hac bestiâ homines doctos, namque cùm crassescit, interna crura vulnerat arundine resectâ, eadem industriâ atque Hippopotamus. Lerius de hac belluâ sic narrat: *Hanc tapiroussu appellant, pilo subrubescenti, atque promisso, vaccam magnitudine ac formâ valde referentem. Attamen cùm cornibus careat, sitq; contractiore collo, auriculis longioribus & pendulis, siccioribusq; tibiis atque gracilioribus, vngulâ continuâ, & asini vngulæ persimili; meritò quis eam vaccæ asiniq; naturæ participem esse diceret. Differt nihilominùs ab vtroque plurimùm, quòd & breuissimam gerat caudam* (obiterque hîc monendus est Lector, permulta in Americâ gigni animantia, quæ omnino sine caudâ sint) *& dentes habeat multò acutiores; nec hominibus propterea quidquam periculi ab eâ potest creari, cùm in fugâ potiùs quàm in viribus salutem ponere consueuerit. Eam barbari sagittis confixam, vt & alias plerasque, interficiunt, aut fossâ excauatâ, muscipulisve alius modi ingeniosè fabrefactis venari solent. Ceterùm fera illa magno est in pretio apud barbaros, pellis gratiâ, quam simul atque illi detraxerint, dorsi corium in orbem circumcidentes, ad Solem exsiccant, in parmasq; findi mediocris cadi magnitudine conformãt, quibus in bello hostium excepta repellunt. Tantam verò duritiem pellis ad Solem siccata contrahit, vt nullius ictu teli, quamtumuis magno impetu vibrati, transfigi posse facilè credam. In Galliam duas huiusmodi parmas studiosè afferebam: redeuntibus verò fames ita molesta fuit, vt omni commeatu absumpto, ne cercopithecis & psittacis, eiusdemq; generis animantibus exceptis, quæ ex regione illâ nobiscum aduehebamus, parmæ illæ duæ carbonibus impositæ, fuerint etiam ad depellendam famem comedendæ: quibus reliquæ pelles, quæ, vt suo dicam loco, in naui erãt, additæ sunt. Porrò tapiroussou caro ad bubulæ gustum ferè accedit.* Appendo quæ Franciscus Hernãdus de dantis scribit: *Mediocrium mularum æquant magnitudinem, fuluo teguntur pilo, & firmâ & impenetrabili vestiuntur pelle. Capiuntur canibus, sed diligenter cauendum, ne priùs confugiant ad flumina, in quibus sese aduersus illos vehementiùs tuentur. Carnes eorum, ac præcipuè pedum, si probè coquantur, gustu suaues sunt, ac bonum alimentum præstant, offenduntur autem hæc animalia non vnâ in parte continentis.*

CAPVT LXVI.

De capris Abyssinis.

QVoddam etiam genus capreæ exoticum Æthiopiam colit. Mares accedunt ad vituli molem, prolixis pilis solum verrunt. Pili non sunt tenues, sed instar crinis equini. Magno in pretio habentur hircina hæc coria: *xarequias* vocant.

CAPVT LXVII.

De capris cymatilibus.

NEc omittenda est commemoratio illarum caprarum, ex quarum vellere siue pilo (ne de lanâ caprinâ mihi controuersia sit) pannus ille texitur, quem cymatilem siue vndulatum vocant. Est earum tenuissimus mireque nitens pilus ad terram vsque propendens. Hunc non tondent, sed depectunt caprarij, non multùm pulchritudine cedentem serico. Capræ sæpiùs in fluminibus lauantur: gramine pascuntur

per eos campos exili & ſicco, quod ad lanæ tenuitatem multùm conferre certum eſt; nam conſtat, aliò tranſlatis non manere eamdem, ſed vnà cum pabulo mutari, totaſque ita degenerare capras, vt vix agnoſcantur. Deductum ex huiuſmodi vellere ab eius regionis mulieribus filum, Ancyram portatur Galatiæ vrbem, vbi texitur & tingitur.

CAPVT LXVIII.

De capro lactante hœdos.

ANtequam procedam, mentio caprarum in memoriam adduxit, quod diuinus vir Indiæ Apoſtolus S. Franciſcus Xauerius in tertiâ Epiſtolâ ſecundi libri ſcribit, quod dignum duxi narratione. eius iſta ſunt: *In hac inſulâ Amboino rem vidi incredibilem, & ante hoc tempus inauditam, quam fortaſſis operæ pretium erit agnoſcere. Caprum marem, inquã, vidi lacte ſuo paruos alentem hœdos: vbere enim, quod prope genitalia vnicum habet, tantum lactis reddebat quotidie, quantum ſcutella capere poteſt. Ego ipſe rem perſpexi his oculis.* Hæc teſtatur S. Franciſcus Xauerius in originali epiſtolâ manu ipſius propriâ Hiſpano idiomate ſcripta, quæ ſeruatur in hoc Collegio Societatis IESV Madritenſi, & ego vidi & legi. Addit S. Frãciſcus manu ſuâ, expreſſiſſe lac illius capri. Similem caprum Ariſtoteles narrat lib. 3. ſuæ Hiſtoriæ. *In Lemno inſulâ*, inquit, *caper ex mammis, quas geminas iuxta genitales gerit, tantum lactis emulgebatur, vt coloſtra inde conficerent, quod idem etiam proli maſculæ illius eueniſſe accepimus.* Hæc ille. Ceterùm ego vidi meis quoque oculis mulam ſterilem, quæ tamen lacte copioſo nutriebat aliam mulam paruã, quam pepererat quædam aſina; vidique exprimi ab vberibus mulæ copiam lactis.

CAPVT LXIX.

De roſſomakâ.

AVctor eſt Matthias à Michou, eſſe in Lithuaniâ & Moſcouiâ animal voraciſſimum & inutile, quod alibi non comparet, *roſſomaka* nominatum, quantitate canis, facie catti, corpore & caudâ vt vulpes, colore nigrum. Cadaueribus veſcitur, inuentoque cadauere, in tantum vorat, vt extendatur & infletur tamquam tympanum, repertaque anguſtiâ ſtrictâ inter arbores, intrat, & intrudit ſe cum violentiâ premendo, vt violenter comeſta violentiùs egerat, ſicque extenuatum denuò cadaueri accurrit, & ad ſummum impletur, cum viciſſitudine expreſſionis, & ad morticinium reuerſionis, donec totum abſumat & deuoret. Et forſan natura tam inſatiabile animal in illis regionibus producit, vt homines ſimili voracitate laborantes redarguat: quoniam potentes cùm conuiuari cœperint, ſedent à meridie in medium noctis ſeſe continuo cibo & potu opplendo, & à menſâ, quoties natura propellit, aſſurgendo & egerendo, iterùm atque iterùm vorant vſque ad vomitum & amiſſionem diſcretionis & ſenſus, tuncque inguinis & capitis quæ ſunt diſcrimina neſciunt. Eſtque illa conſuetudo pernicioſa in Lithuaniâ & Moſcouiâ, magis verò & abſque rubore in Tartariâ.

CAPVT LXX.

De cynodetico ſiue itzcuintecuani.

SImilis eſt itzcuintecuani, inquit Frãciſcus Hernandus, vocato quauhpecotl, iac eodem modo meli noſtrati cõgener, nõ ſolùm corporis magnitudine moribuſq́; ſed roſtro etiam, quod prælongum eſt & tenue, ac pedibus qui illos quaupecotl ſuiſve parui videntur imitari. Verùm color albus eſt, maculis nigris ac magnis diſtinctus & ſpectabilis. Nomen habet à mordendo canes. Viuit tototepeci non longè à mari Auſtrali.

CAPVT LXXI.

De cappâ.

CAppa dicitur animal aſino grandius, nigrum, villoſum, ferox, canibus quoque infeſtum. Obuium quemque raptat, non ſecùs ac lupus pecudem. Forma pedum inſolens: vngula ſimilis eſt calceo Gallico, à fronte lata, rotunda, non ſciſſa; à calcari acuta. Aſpectum humanum formidat. Fortaſſe hoc eſt anonymum animal Franciſci Hernandi, & ex dantarum genere, de quibus iam dixi.

CAPVT LXXII.

De eiulatore.

NOcentior aſtus alterius animalis, infantilem ſimulantis luctum, edito ſono ſub oppida & villas in primâ nocte. Statim miſerenti accurrentes, affectu quæſituros plorantem perimit. Sed iam cauti repetito periculo oppidani, prodeunt è domibus incenſis titionibus ſtructi. Forma & moles huius feræ canem leporarium imitatur.

CA-

CAPVT LXXIII.

De animali quodam piloso.

INuenitur in agro tetzcocano animal pilosum valdè, vocatum *tlalcoyotl*, duas longum spithamas, vnguibus melis aut quauhpecotli similibus, & cruribus breuibus, & nigro vestitis pilo, breuissimâ caudâ corpore toto & albo in fuluum vergente, sed dorso ac supernâ parte capitis & colli nigris, lineaque distinctis candenti. Caput est paruum, rostrum tenue & longiusculum, exerti canini, ac vita victusque eadem quæ quauhpecotli.

S V.



CAPVT LXXIV.

De su animali.

BElluam rapacem apud Patagones *su*, id est aquam vocant nonnulli, quòd plerumque iuxta fluuios degat. Alij dicunt *succarath*. Torua est: primâ oris acie quodammodò leonem ęmulatur, aut hominē, nam ab aure barbata, haud promissis valdè pilis, pectore propendente: circa lumbos nimis constringitur, cauda ampla & longa sciuri instar. Gigantes eius regionis, quoniam cælo non admodum calido fruuntur, protegunt se huius feræ pellibus. Cùm vrgetur pellis gratiâ, catulos in dorso admissos caudâ contegit, & fugâ elabitur. Capitur vnà cum catulis scrobe effossâ & celatâ ramusculis. Inclusa, præ rabie aut generositate catulos obtruncat, & horribili clamore venatores atterret, donec sagittis cæsa excorietur. Legi (licet auctor non sit oculatæ fidei) præ charitate ad prata portare filios, vbi sertis floridis & odoriferis comit & coronat illos, tum filios reciconiare simili in parentes vetulos pietate, eosque portare & alere.

CAPVT LXXV.

De glire Chiappæ.

ALiud quoque animal Chiappa alit, cuniculi magnitudine, gliris formâ: prolem dorso vehit cùm victum quæritat.

CAPVT LXXVI.

De peuâ.

TIgrides in Bengalâ incredibilis odij, & noxiæ omnia dilacerant, perdunt, vorant, nec nautæ ab illis tuti: insectantur enim per viginti leucas nauim, vt si quis in terram descenderit, dilanient. Ceterùm mirificæ prouidentiæ euidens hîc cernas argumentum: reperias enim hac in orâ animaculum quod *peua* nominant, catelli magnitudine. Hoc vbi tigridem conspexit, illius insistit vestigia, & allatrat assiduè, vt latratu audito, tum feræ tum homines latebras petant, ac sibi ab instanti ferâ caueant. Hinc sæpè fieri videmus, vt præ inediâ prædæque defectu in agris expirent. Hæc P. Pimenta.

CA-

CAPVT LXXVII.

De catis.

CHiribicensis regio siluestres catos alit. Mater amplexu gestat natos in arbores serpens. Capiuntur paruuli, matre cæsâ telo aut sagittâ: deliciarum vsus ex illis non secùs ac ex cercopitheco & simijs.

CAPVT LXXVIII.

De muribus.

GRandiores mures nec Hispaniola nec aliæ noui orbis plagæ nouerunt ante Hispanorum aduentum, ex corruptione rerum Europæarum fortasse nunc geniti; fuerant tamen in Hispaniolâ exigui mures, quibus vescebantur barbari.

CAPVT LXXIX.

De animali sicco.

QVoddam genus bestiolæ, simile tarantolæ Neapolitanæ, Libyam colit, duos dodrantes prolixum, quatuor latum digitos. Potum nescit. Humor illi venenũ est. Perit, si palatum tingat aquâ. Oviparum est, innoxium: velocissimum: si subeat paululum foramen, quantumcumque distrahatur cauda, eripi nequit. Mirum dictu, post triduum mortis, si igni admoueas, motatur, & ebullit. Arabibus edule est assum.

CAPVT LXXX.

De fœtido animali.

APud Chiribicenses animal est gestu mirabile, ait Petrus Martyr, strigosum, cubitales loco stercoris emittit colubros. Vnum domi suæ se nutrisse, & aperto experimento rem ita esse deprehendisse, Fratres Dominicani afferunt. Quo solutæ tendant colubri, interrogati, Ad vicinas, dixerunt, siluas, vbi vitam agunt breuem. Putet animal plus quàm qualecumque cadauer fœtidum in sterquilinia proiectũ: inde putoris eius impatientes, interfici animal Dominicani iusserunt. Vulpem rostro, pilo lupum imitatur. Cùm in infantum ventribus vermes passim creari, neque senes ab eâ peste esse immunes, atque vnà cum excrementis emitti viuos didicerim, quos mutato nomine vulgus lumbricos appellat; cur & illud accidere posse non crediderim, talibus præcipuè viris id affirmantibus.

CAPVT LXXXI.

De myrmecophago siue tamendoâ.

IBidem quadrupes mirâ naturæ suggestione victum quærit. Formicas venatur, acuto constat rostro spithamali, oris loco. Foramen habet rostri cuspide, vnde linguam exerens oblongam, portendit in cubilia formicarum, latentium in cauernulis arborum, atque colludendo linguæ motu pellicit, quam vbi sentit formicis refertam, reuocat & depascitur. Antonius Herrera vrsos paruos vocat has feras: linguam canalis instar habere scribit, quâ mel furantur & exhauriunt; vbi non inueniunt, formicis astu illo satiantur obiectâ linguâ, per cuius foramen subeũt bestiolæ. Franciscus Hernandus diuersos narrat vrsos formicarios à tamendois, quas *achaos* Yucatanenses vocat. Vtriusque historiam ex ipso dabo. De vrso formicario sic prodit: *Animal est vrsis nostratibus simile, sed minus mitiusq́, hebeti visu, & caudâ nullâ. Cognomen inuenit à formicis quibus vescitur, adigens linguam rimulis cauitatum quibus illæ conduntur, atque ita deuoraus adhærescentes.* De Ahchais verò inquit: *Offenduntur apud Yucatanenses quadrupedes quidam dorso prædura & fului, agnorum magnitudine, sed qui ventre circiter terram attingant; dentium omnino expertæ sint, & solo formicarum venatu viuant, quarum cumulos duabus magnis vnguibus, quibus singuli anteriores pedes armantur, excauant turbantq́, ac deinde exertâ linguâ, quæ dodrante longior est, scabra, teres, ac pennam anserinam crassa, formicas eam conscendentes ac densantes suscipiũt, eademq́ contractâ, & in os, quod mirum in modum angustum ac paruum est, receptâ, gratum sibi pabulum capiunt, & innocẽtium animalium prædâ potiuntur. Iners animal est, sed quod suâ malitiâ non careat, cuius gratiâ cetera animalia eius consortium vitant. Ad eum namque accedentes, aut in binos pedes erectum, aut iacens in dorsum, adeò vehementer prædictis vnguibus inuolat, vt neque dissectum in frusta diuelli queat, atque ita non raro inuenti sunt tigres ferocissimi, ab eo pares vices sortiti, interempti. Quòd si animalia semel ab eo apprehensa emori ipso superstite contigerit, non priùs sese ab eis explicat (tanta est eius animalis stultitia) quàm cum eo occumbat, & pereat.*

Mapheus in Brasiliâ quoque reperiri ait mirandum genus earum quas tamendoas vocant, veruecis altitudine; colore fusco, prælongo ac tenui rictu, neque eo ad malas deducto, sed modicè ad imum inciso. Vnguibus instructa est quadrupes mirè longis latisque, nimirum ad victum faciliùs comparan-

paran-

parandum. Namque formicis alitur, quarum latebras vbi crebro vnguinum iniectu ac fossione detexerit, illicò exertam trium ferè dodrantium linguam immittit exilem, opertamque formicis repentè contrahit, glutitque deceptas. Huic, vti sciuro, valdè promissa & setosa cauda pro tegumento est; sub eâ quippe ita se condit, vt nihil ex reliquo corpore prorsus appareat.

CAPVT LXXXII.

De graffâ.

IN insulâ Zanzibar potissimùm inuenta graffa. Animal est exigui capitis, & longissimi colli: anteriora crura oppidò excedunt posteriora, colore vario albet, rubet, roseisque distinguitur maculis. Mitis bestia est.

CAPVT LXXXIII.

De snak.

MAthias à Michou loquens de Tartaris, inquit: *Feræ apud eos reperiuntur, cerui, damæ, dorcæ, & snak, quod est animal quantitatis ouis, in terris alijs non visum, lanâ griseum, duo parua cornua habens, cursu velocissimum, & esus carnium eius suauissimus. Et dum grex snak in aliquo campo inter gramina conspicitur, Cham seu Imperator Tartarorum cum suorum multitudine equestres vadunt, & omniquaque circumdant, in altissimis graminibus delitescentes. Dumq; tympanis incipiunt sonare, tunc snak tamquam metu perculsæ, rapidissimè hinc atque illinc ab vnâ parte circumstantium ad aliam procurrunt, & iterùm atque iterùm decursando vadunt, vsquequò fatigati deficiant. tunc irruentibus Tartaris cum clamore occiduntur.* Camerarius scribit de suhak siue snhak animali Scythiæ, quod se quasi ductorem præbeat capreolorum gregibus, ipsisque præire solitum. Acerrimo visu simul & auditu præditum, quare longè latèque circumspiciens, & omnia obseruans, facilè hominum persequentium insidias è longinquo deprehendit, & comitibus sibilo acuto signum dat fugæ, vt in loca tutiora se recipiant.

CAPVT LXXXIV.

De elephante.

NOuus orbis elephante caret, tametsi satis profundè erutus aliquando dens eius: neque id ebur fossile, cùm alioqui inueniri minerale credam. Italia illud concipit, quidquid rideat Horta. Orientem nobilitauit hæc prudens bestia. Insula Zeilan nobiliores elephantes alit, & quos reliqui miro naturæ instinctu suspiciant. Siqui ex ceteris Indiæ elephantis ad hosce aduenìant, non nisi cum reuerentiâ quadam & delato honore eos accedunt.

Illud maximũ ingenuitatis argumentum in Zeilanis belluis; nolunt nauim ingredi, si suspicantur se mittendos ad seruitia Principum in regna extranea: at si restituendos patriæ iureiurando affirmetur, tunc subsecundant.

Libentiùs quàm alias sarcinas sustinent armatos milites. Per difficilia & salebrosa cùm iam prę nimio labore pedibus fatiscũt, ne oneri succumbant, proboscidi velut scipioni innituntur. Pilâ ludunt, vt D. Rodericus Fernandez prodidit. Tanta peritia animali inest, vt iacula aduersa sæpiùs plantâ pedis porrectâ excipiat, ad tuendos sessores.

Gillius quosdam ait noctu deflere. Quod Plinius narrat de metu suis, incertum: namque inter ipsos securos & mansuetos pascunt sues, in stabula eorum ingrediuntur, impauidâ & quietâ bestiâ. Fortasse consuetudo vicit formidinem. Camelus etiam equum abhorret primò visum: vsu & consuetudine domat metum.

In alio verissimè Plinius de murium cautione, imò & formicarum. Metus murium cogit elephantes vt conuolutâ & tutâ promuscide dormiant. Inueniuntur elephantes albi in Lybiâ & Indiâ: hos Peguenses sicut sacrosanctos adorant. Regem quotidianis spectaculis exhilarant hæ belluæ: committuntur inter se, nec nisi ignibus pacificantur.

Nouus nunc in Oriente in bellis vsus. alligantur falces promuscidibus, quas gubernant in omne latus, magnâ hostium strage.

Vt adorent aliquos Reges Indiæ, afferuntur ornatæ hæ bestiæ, doctę cęrimoniâ quadam salutare maiestatem. Ipse elephas à Ioguibus alicubi adoratur.

Non longè à Bazaino fanum elephantis ex petrâ quadã dicebatur excisum, multis insigne simulacris, ac duobus præcipuè colossis ingentibus, terna queis capita, totidem pedes manusque.

Quidam elephas albus in Pegu fuit eodem quo Rex honore cultus, & non nisi cum regiâ pompâ, cùm prodibat, solitus educi: at quotquot Reges illum habuerunt, fortunæ ludibrium facti sunt tragicâ catastrophe.

Elephas femellam conspicatus, à nullo deinceps regi patitur. Commisceri dicuntur mirificè: femella humi in tergum procumbit, cum quâ mas superueniens congreditur. Tantâ sunt verecundiâ, vt si à quopiam se

veneri

veneri operam dare conspectos intelligant, summâ illum ope interficere conētur. Quilibet plerumque tres aut quatuor ducit femellas, ac duodecim catulos.

CAPVT LXXXV.

Historia Garziæ Ortæ de elephantis.

Admirāda de hac prudentissimā bestiâ Plinius & Auctores prisci narrant. Lipsius collegit præcipua in lepidâ quadam epistolâ ex antiquis recentibus. His omnibus prætermissis, nonnulla recentia appendam. A sententiâ auspicor Garziæ Ortæ, eruditissimi Medici Lusitani. In Indiâ elephanti naturâ melancholici sunt admodum, noctu pauent, & insomnijs metum incutientibus diuexantur: sed præsens remedium est, si eorum rectores (*Naires* linguâ vernaculâ vocantur) illorum tergis insideant, semperque eos alloquantur ne dormiant. Alui profluuio plerumque laborant. interdum verò adeò in zelotypiam rapiuntur, vt efferentur, & quodammodò furibundi reddantur, disrumpantque catenas & vincula. Eius autem mali curandi ratio est, vt rectores illos educant in agros, & grauiter obiurgent.

Ceterùm præter id ministerium, quod vehendis oneribus præstant, & tormentis bellicis è loco in locum commutandis, solent bello vtiles esse elephanti: interdum enim pectore & capite armati, equorum more in bellum educuntur. Sed qui his in prælijs vtuntur, id solum emolumenti referunt, quòd aduersariorum acies prosternant: aliquando tamen, velut intellexi, non sine suorum pernicie retrocedunt. Nonnulli Reges etiam interdum mille huiusmodi elephantos in prælium educunt, alij plures, plerique pauciores.

Crudele est id spectaculum, quando elephanti veluti monomachiâ præliantur: nam non modò dentibus suum aduersarium impetere student, sed magno interdum impetu capitibus concurrunt, vt alteruter eorum, capite confracto, in planitiem cadat. Fabulæ simile est, quod quidam de maris & feminæ congressu tradiderunt: etenim haud aliter congrediuntur, quàm reliquæ quadrupedes. Multa Plinius libro 8. cap. 1. 2. 3. & sequentibus de elephantis scribit, sed pleraque parum probanda, & hactenus non experta.

Quòd verò in Taprobanâ insulâ maiores, dociliores, bellicosioresque elephantos gigni tradit, verum id est, si Taprobanam intellexerit eam insulam, quę nunc Zeilan vocatur: nam, vt postea dicemus, huius insulæ elephanti reliquis omnibus præcellunt, eorumq; imperia reliquos agnoscere scribunt. Huius etiam cum rhinocerote inimicitiæ meminit idem Plinius libro 8. cap. 20. eorumque pugnas describit. Est autem rhinoceros vastum animal, cornu in nare gerens, quod difficulter domari potest. Multos in Cambayâ, Bengalâ finitimâ, & Patane inueniri tradunt, & ab incolis *gandas* vocari. Mihi hactenus rhinocerotem videre non contigit: illud tamen scio, Bengalæ incolas eius cornu aduersus venena vsurpare, vnicornu esse existimantes, tametsi non sit, vt ij referunt qui se probè scire autumant.

Ceterùm de monocerote tam incerta omnia ab Auctoribus referuntur, vt illum haudquaquam vidisse, manifestò appareat. Ego hoc loco referā, quæ à viris fide dignis accepi. Inter promontorium Bonæ spei, & aliud promontorium vulgò *De currentes* nuncupatum, vidisse se affirmant terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput & iubam equi haberet (minimè tamen marinum equum esse) cornu præditum duos palmos oblongo, mobili, quodque nunc in dexteram nunc in sinistram obuerteret, modò attolleret, modò dimitteret. Id animal cum elephante ferociter præliari, eiusque cornu aduersus venena laudari. Eius experimentum factum, duobus canibus propinato veneno: alterū enim canem, cui duplâ quantitate propinatum esset venenum, sumpto huius cornu puluere ex aquâ, conualuisse, alium verò cui exiguâ quantitate venenum esset datum, nec exhibitum hoc cornu, statim mortuū corruisse.

Ceterùm elephanti non modò vernaculam linguam intelligunt, sed etiam peregrinas, si eas edoceantur. Gloriæ sunt cupidi, beneficiorum memores, iniuriarum verò haudquaquam obliuiscuntur, & vindictæ cupidissimi sunt. In summâ, huic animali nihil deesse videtur, vt ratione præditum appareat, præter loquelam: tametsi non desint qui in Cochin publicum instrumentum (attestationem seu testimonium vocant) se vidisse asserant, quod referret, elephantum istic aliquando fuisse locutum, petijsseque à suo rectore (quem in Malabar *Naire*, in Decam verò *Piluane* vocant) cibum: at rectorem respondisse, lebetem in quo illi oryzam coqueret, pertusum esse; tamen ad cacabarium deferret obturandum, deinde oryzam se corturum. Lebetem promuscide sumptum elephantus ad cacabariū defert. Is lebetem reparat, sed rimam, quam non animaduerterat, inobturatam relinquit. Lebetem refert elephantus. Rector oryzam cum aqua coquendam inijcit, sed per rimam effluere conspiciens aquam, rursus elephanto tradit, consarcinandam vt ferat. Defert elephas. Cacabarius de industriâ lebetem se reparare simulans

mulans, rimā auget. Elephas ad mare profectus, lebete aquam haurit; hanc effluere videns, lebetem intelligit non reparatum: ad cacabarium redit, magno barritu intonans, quasi de eius perfidiâ conquereretur. Cacabarius tandem lebetem probè ferruminat & reparat. Sed ei elephantus non fidens, denuò è mari aquam haurit: quam non effluere animaduertens, domum redit, & oryzam in eo coctam edit. Viuunt etiam nunc, qui hoc spectaculum se vidisse affirmant, locutum tamen asserere non ausint.

Rumor est, Regem Sian, in cuius regno præstantissimi post Zeilanos inueniuntur elephanti, candidum elephantum habere, eumq; propterea Regem candidi elephanti per excellentiam appellari. Retulit mihi amicus fide dignus, se duas elephantorum venationes vidisse, ad quas profectus esset Rex Pegu cum infinitâ hominum multitudine: in primâ enim ducenta millia hominum fuisse. Cingebant illi in orbem totum illum locum, in quo elephantos sua pascua habere norant: deinde paulatim ambitum illum siue hominum coronam contrahentes, tandem in medio comprehenderunt non modò ingentem elephantorum multitudinem (nam eâ venatione quatuor millia capta sunt) sed & alia animantia, velut apros, tigrides, partim viua, partim iaculis confixa. Omnes autem elephantos dimisit, præter ducentos tum adultos tum iuniores, ne suam regionem elephantis depopularetur. Illos verò domarunt in hunc modum. Magnis trabibus eos sepientes, paulatim circum, quo concludebantur, in angustius contrahebant, donec singulos elephantos vix locus caperet. Deinde funibus è vimine contextis eorum pedes & dentes vinciebant, vt elephanti se mouere loco non possent. Hos binis funibus cinctos subibant rectores, & calcibus impetentes, tum baculo ferientes, perpetuò se verberaturos, & tandem fame enecturos minitabantur, nisi essent morigeri: sin verò essent morigeri, oleo se peruncturos, & cibum subministraturos pollicebantur. Deinde singulos educebant & lauabant. Lotis singulis, binos elephantos domesticos, & iam domatos admouebant, inter quos vtrimque coërcerentur. Hac ratione domitos fuisse referebat.

Aliam prætereà elephantos capiendi rationem idem mihi narrabat. Intellexerat idem Rex Pegu elephantum in siluis oberrare: vt eum caperet, aliquot elephantos feminas domesticas eò mittit, priùs commonitas ne cum elephantis congrederentur, sed signis indicarēt, se primùm congressuras vbi ad sua stabula peruenissent. Posteaquam eò venissent feminæ, statim subsecuti sunt elephanti cum illis pascentes, donec in vrbem Pegu, quæ admodū vasta est, deducti essent. Feminæ ad sua stabula remearunt, subsequentibus elephantis. Eductis inde feminis, solos elephantos conclusos, eadem quâ suprà retulimus ratione domuerunt. Iuniores etiam verberibus, obiurgationibus, & fame, interdum verò beneficijs domantur: maiores verò magnis ædibus concludunt, quæ multas habent ianuas angustas, è quibus ij qui elephantos domare volunt, iacula & spicula in eos conijciunt, donec iam fessi, vulneribus & fame propè sint enecti. His deinde rectores significant, illos se ita exercitare, vt ferocitatem deponant: quòd si humi se prostrauerint, beneficia collaturos pollicentur. Procumbunt elephanti, lauantur, vnguntur oleo, & cibus datur: deinde singulis ferè momentis interrogantur, quî valeant, quid petant: his rationibus paulatim edomantur.

Manifestus autē Plinij error in eo deprehenditur, quòd elephantos minimo suis stridore terreri & retrocedere scribat lib. 8. c. 9. nam plerumque sues, vt & suprà dixi, elephantorum stabula ingrediuntur, nec eis terrentur, aut illarum præsentiâ quidquā commouentur. Sed & in siluis Malabar multas sues cum elephantis versari certum est. Illud verum est, quòd mures oderint, quemadmodum idem tradit. Nam si mures in suis stabulis versari senserint, nunquam nisi contortâ in se & cōuolutâ promuscide elephanti dormient, ne eam mures ingrediantur & mordeant. Eadem planè ratione formicas abhorrent.

Ossium elephanti non modò in medicinâ nullus est vsus (tametsi nonnulli falsò tradant, ex his crematis spodiū parari) sed nec instrumentis & operibus faciendis. Dentium materies dumtaxat expetitur. Nam licet Ægineta lib. 7. c. 3. elephanti vngulas medicū in vsum vsurpari tradat, falli arbitror. Appellatur autem Arabibus elephantus *fil* (ipse verò dens *cenalfil*, quod dens elephanti est) in Guzerrate & Decan *ati*, in Malabar *ane*, in Canarâ *acete*, Æthiopibus *itembo*. Nullius in medicinâ vsus sunt ipsi dentes apud Indos, sed dumtaxat ab Arabibus & Turcis vsurpantur, ex Auicennę præscripto, in ijsdē remedijs quibus nos vtimur: verùm in operibus & instrumētis, monilibusq; fabricādis tantus eorū est vsus, vt ex Æthiopię parte, quæ est Sofala, vsque ad Melinde singulis annis in Indiā deuehantur millies sexcenta pondo, præter eos dētes, qui ex plerisq; Indiæ regionibus conuehūtur. Huius eboris pars in Sinarū regionē defertur, maxima verò & potissima in Cambayā: dæmonis enim

R per-

persuasione apud mulieres eius regionis certū superstitionis genus viget, vt è vitâ sublato aliquo ex sanguine iūctis, illicò omnia monilia, quorū viginti ex ebore confecta singulæ mulieres in brachijs gerunt (fiunt tamen & ea interdum è testudinum testis) confringāt, & posito luctu noua inducant. Ingens verò est apud hos eboris pretium, pro dentium magnitudine: minores enim dentes, non adeò magno æstimantur, magni verò ingentis sunt pretij. Habent autē singuli elephanti mares binos dentes in maxillâ superiori, sed non deciduos aut denuò renascentes, vt putant nonnulli; feminæ verò ijs magnâ ex parte carent, tametsi nonnullę dētibus vnius palmi longitudine præditæ sint. Mactantur ab Æthiopibus elephanti, vt eorum crudâ carne vescantur. Dentes verò ad nos mercimonij gratiâ transmittunt viminibus siue laqueis colligatos, quod facit, vt putem, apud eos maiora elephantorum armenta inueniri, quàm boum in Europâ.

CAPVT LXXXVI.

Narratio Edoardi Lopez de elephantis.

EX fide Edoardi Lopez adijciam quoque, quæ Philippus Pigafeta scribit in descriptione Bambæ Congiani regni. Inter animalia huius prouinciæ primas obtinet elephas, qui cùm per totum reperiatur regnum, hîc tamen præcipuè & nascitur & habitat, propter siluarum magnitudinem, & pabuli, fluuiorum, aliarumque rerum ad victum eius requisitarum tam abundantiam quàm excellentiam. Sunt itaque in hac prouinciâ, vt diximus, plurimi, ijque horrendæ magnitudinis, ita vt vestigia ipsorum quandoque reperiantur in arenis, quorū diameter se ad quatuor spithamas extendat. Vnde magnitudo belluæ fidem ferè superans facilè cognosci potest, & quòd ij, qui vel in Hispaniâ vel in Italiâ nostris temporibus aliquando sunt visi, multò sint minores. Et datur ratio, quòd non nisi iuuenes educi queāt; & cùm viuant ad centum quinquaginta annos, mediâ ætatis parte semper crescant. Dentes ipsorum (non cornua, vt quidam autumant) inueniuntur aliquot ducentas libras duodecim vnciarum nostratium pendentes: aures Turcicâ peltâ latiores, formâ ouali, sex spithamas longæ, angustiore parte versus humeros tendente, quibus, vt & proboscide & caudâ, se defendunt contra muscarum importunitatem, quas etiam in locis, quas nec auribus, nec proboscide, nec caudâ contingere possunt, contractâ pelle inter rugas retentas occidunt. In caudâ setæ ipsis sunt crassæ & rotundæ, nigrę & lucentes, quæ, seniorum præcipuè, quę pretiosiores sunt & fortiores, expetuntur ab Angolanis & alijs circumiacentibus populis, tam ad virorum quàm ad feminarum ornatum. Tantæ sunt etiam fortitudinis, vt vir, quamuis fortis, manus citiùs lædat, quàm in diuersas tractas partes rumpere possit. Singulari etiam eos venātur industriâ. Belluam enim videntes in loco aliquo angusto, ita vt se vertere non possit, à tergo assiliunt: & cùm neque proboscide se propter angustiam defendere possit, caudâ eam, vt pretioso spolio, ad id præparatis cultris priuant, non tamen sine periculo; dolore enim aliquando percita retrogreditur, & adhærentes caudæ venatores ad arborem vel lapidem vicinum comminuit: vnde etiam carò emptæ setæ illæ, magno rursus venduntur pretio, vnâ nimirum tribus seruis ad minimum commutatâ. Alij quoque maiore audaciâ celeritati suæ confidentes, eas in pascuis à tergis assiliunt, vnoque ictu caudâ amputatâ, aufugiunt, non tamen rectâ (quamuis enim grauis sit bellua, & motu non ita celeri; cùm magnos tamen faciat passus, in cursu recto equum celeritate superat) sed per gyros, ita vt mole impeditâ belluâ, & incessum non tam facilè flectente, absque vllo ferè periculo euadat.

De elephante scripserunt veteres, cùm nullas in cruribus habeat iūcturas, eum non posse humi decumbere, & si quando cadat, surgere non posse; vnde eius capturam talem sunt commenti: nimirum cum ad statam aut certam arborem molem corporis fulciens tantùm capiat somnum, venatores arborem per contritos cortices agnitam, ferrâ in inferiore parte vsque ad extremum ferè resecare, belluam verò consuetum locum repetentem, impulsâ arbore lapsam capi. Sed contrarium testatur experientia: affirmat enim Edoardus, se vidisse iacentes, surgentes, & genua flectentes, imò anterioribus pedibus arbores, ad exhauriendā aquam in trunci superiore parte à pluuijs restantem, & dulcem, scandentes. Habere etiam, vt cetera animalia, locis tamen diuersis, suas iuncturas. In siluis aliquando vel maximas radicitus, humeris & mole corporis adnixi, euellunt arbores, & minores inter dentes, qui etiam aliquando rumpuntur, insertas & contortas frangunt, vt earum depasci possint frondes, quas comminuunt minoribus dentibus, qui non se exerunt, ori eas proboscide (in cuius extremo membrum est digitum referens, quo etiam minuta grana comprehendunt) vt manu admouentes. Femellæ fetum non ampliùs duobus annis in vtero gerunt: & cùm eius difficilis sit educatio (tardè enim crescit, & diu ad sustentationem,

nem, donec sibi ipsi victum acquirere possit, materno lacte opus habet) prouidit natura, vt non nisi post septennium concipiant. Cutis firmissima & durissima, crassa quatuor digitos, ita vt vix vel sclopeto penetrari possit: nullo tamen incolis sunt vsui, qui eos nesciunt cicurare, magnum aliàs ab ijs in rebus suis ex vno ad alium locum transferendis habituri solatium. Ad capiendos elephantos, fossas faciunt magnas (vt quæ tantam belluam capere possint) superiùs paulò quàm in fundo latiores, ita vt inferiùs compressi, viribus suis ad exsiliendum vti non queant; & has herbis & frondibus præcipuè ab ijs expetitis tegunt, vt fraus non nisi cum ipsorum illac transeuntium ruinâ cognoscatur. Et de hac capturâ memorabilem narrat historiam Eduardus, cuius se oculatum testem iuxta Coanzam affirmat; nimirum cecidisse paruulum adhuc, & à matre ductum elephantem in talem foueam: quem cùm vidisset mater, omnibus viribus, frustrà magno strepitu eam conantibus deterrere circumstantibus, tentauit extrahere. Et cùm se nihil efficere sentiret, partum suum peremptum, quàm in potestate hominum constitutum malens, fossam terrâ, lapidibus & arboribus congestis, vsque ad summum impleuit. Quamuis, si vllum aliud, animal sit robustissimum, adeoque confidens, vt neminem timeat, adeò tamen innocuum, vt nemini quidquam faciat mali, nisi priùs sit prouocatum. Vnde etiam aliquando absque vllo incommodo aut damno pagos peruagantur, obuios quosque saltem proboscide suâ in aëra parumper eleuantes, & placidè reponentes. Maximè delectatur aquis: vnde magnâ copiâ visuntur iuxta lacus & fluuios, præcipuè circa meridiem; tum enim contra Solis ardorem eos vsque ad corporis medium ingressi, reliquum aquâ proboscide haustâ perluentes se recreant. Numquam ferè incedunt soli, sed magnis, vt apud nos vaccæ aut etiam cerui, armentis. Vnde affirmat quoque Eduardus, se vidisse in frigidâ quadam valle, iuxta Casanzas ciuitatem, vltra centum simul tam magnos quàm paruos matres suas sequentes. Vnde & magna eboris, quod priùs quàm Lusitani eò peruenirent, non erat in pretio, ab ipsorum aduentu demum ęstimari cœptum est, à tot sæculis per campos, fluuios, montes & valles dispersi, vili pretio à Lusitanis empta est copia: nec mirum id hodierno die minùs quàm olim apud antiquos esse pretiosum.

CAPVT LXXXVII.

Narratio Cadamusti de elephantis.

EX teste oculato Cadamusto dabo etiã de eadem belluâ aliqua, qui, vbi de Cambrę regione agit, ferè sic loquitur. Fert etiam hæc regio elephantes, sed siluestres, neque ibi cicures fiunt, aut domantur, vt alibi gentium. Vidi ego aliquando quatuor ex huiusmodi nemus egredientes: quos vbi sum speculatus, è naui ego & socij complusculi exiliuimus contendentes ad eos. Qui vbi nos conspexere, mox nemori sese dedidere. Vidi & exanimatum elephantum, quem occidi iusserat Princeps quidam, dictus Gnumimensa, in gratiam meam. Is Princeps accola est Ossij fluminis Gambræ, & profectus est venatum, concomitantibus compluribus Nigritis biduo ferè continuo. In hoc igitur venatu oppetijt prædictus elephas. Pedites exeunt ad venationem arcubus & machæris armati, & sua arma omnia illinunt veneno præsentaneo. Nec id vos lateat, hos populos elephantos in nemoribus venari, vbi cœni plurimum cernitur: nam id genus animalium suapte naturâ, vt sues, in cœno volutatur creberrimè. Hi itaque Nigritæ pone arbores delitescunt, ac prætereuntibus elephantis sagittas & venabula infigunt, saliuntque miro modo de loco in locum, ab vnâ arbore ad aliam, donec feriant elephantum; qui cùm maximâ mole prægrauetur, nequit insidiantis velocissimos ictus deuitare. Si tamen id tentarent in locis apricis & patentibus Nigritæ, in eis potissimùm vbi nullæ visuntur arbores, non euaderent profectò vires elephantorum; quandoquidem nullus homo tantæ pernicitatis inuenitur, quem mox elephas non comprehendat, etiam non currens, sed gradatim incedens. Id efficit animalis vasta magnitudo. Et vbi contingit elephantem in agris patentibus homines insequi & comprehendere, non aliter quàm promuscide eos enecat: hac enim eos corripit circumamplexu, & adeò in sublime iacit, vt sæpenumerò correpti hoc modo priùs efflent animam, quàm terram contigerint. Hæc elephantis promuscis non multùm absimilis labro suillo. In hoc differunt, quia huic ea est volubilis ad nutum, vt modò vibret, modò pro libito retrahat. Id à compluribus Nigritis accepi. Non efferantur tamen, nisi prouocati; nec hominem lædunt, nisi priùs iniuriã intulerit ipse. Vidi ego aliquãdo illic occisum elephãtem perquam mediocrem, cuius dentium amplitudo ternos palmos excedebat: emine-

bant ad duos palmos, verũ palmus contectus carne in maxillas immergebatur, vt totus occultaretur, vt sunt aliorum radices dentium: & quoniam eorũ senecta è dentibus cognoscitur, aiebant argumento dentium feræ despicabilis, ipsum haudquaquam annosum fore, si conferatur alijs procerioribus, quorum dentes tantæ sunt magnitudinis, vt vicem postium suppleant, & pro palis sepes muniant, teste Plinio. Et vt ipsi referebant, nonnullis eò amplitudinis crescunt dentes, vt duodecim palmorum mensuram excedant. Et licet dixerim hunc elephantum, si comparetur ceteris, minimè fuisse conspicuum, erat tamen tantæ proceritatis, vt solus plus carnium haberet quàm tauri quinque nostri. Donauit me igitur hoc elephanto Princeps, eo pacto, vt tantum carnium assumerem, quantum libuisset, reliquum verò venatoribus impartirer, quoniam illi in cibatu elephantos gratissimos habebant. Inuitabar propterea idemtidem ab eis, vt & ego carne huiuscemodi vescerer. Iussi igitur partem animalis concidi in frusta, & ad classem deferri meam, moxque ahenis excoqui subiecto igne: alij etiam partem torrebant: vt elixum & tostum comederim, non quidem voluptatis (quæ nulla erat) sed experientiæ caussâ, vt iactare possem me aliquando comedisse eas carnes, quibus conterranei numquam vesci consueuere. Hæc summa est, carnibus videlicet huiusmodi me minimè delectatum fuisse: insuauis est gustu, & asperrima duraque nimiùm. Tuli etiam ad classem promuscidis partem, id est manûs elephantis: euulsi etiam ab eo pilos qui nigricabant, & quasi duorum palmorum mensuram excedebant, erantque amplitudinis haud contemnẽdæ. Hos igitur, & carnis nonnihil in Hispaniam detuli, & Principi cuidam donaui, qui hæc omnia loco præclari muneris accepit, vtpote rem nouam, & hominibus regionis illius hactenus incognitam: nam hunc Principem delectabant eximiè quæ à remotioribus partibus orbis deferebantur; & in primis operam dabat vt earum rerum fieret particeps, quæ operâ suâ & diligentiâ comperta fuissent.

Noueritis igitur, elephãtis pedem teretem esse instar pedis equi, ob rotundum circumquaque, verùm callo nigerrimo amplissimoque, inque pedis callo vngulæ quinæ in vnâ parte pedis, eâ videlicet quæ proximior est plantæ, quæ in minore illo vnius palmi & medij excedebat latitudinem, pro quadratâ qualibet parte, quoniam, vt dixi, pedes habent ob rotundos, vt sunt apud nos lignei asserculi, quibus in mensâ viri frugi vtuntur: Galli *trenchoir*, nos *talieros* siue orbes appellamus. Donauit me præfatus Nigritarum Princeps pede elephantis alio, cuius planta mensuram trium palmorũ superabat (egomet sum metitus, astantibus pluribus) eamdemque latitudinem omni ex parte habebat. Donaui igitur rursus Principem hoc pede, & dente palmorum duodecim mirè à naturâ exornato. Hæc itaque omnia Princeps prædictus, ceu rem præclaram, Ducissæ Burgundiæ dono dedit. Non est quòd credant aliqui, elephantem non habere plicatiles tibias, quoniã falluntur plurimùm; nam plicant genua vt cetera animalia, & pro libito humi se prosternunt, & surgunt cùm libuerit, contra quorumdam opinionem.

CAPVT LXXXVIII.

Narratio Ioannis Hugonis de elephantis.

ANnecto quoque narrationem Ioannis Hugonis. Elephantorum greges maximi in Æthiopiæ finibus post Mozambiquen, vbi Caffres seu Nigritæ incolunt, visuntur, vbi ab indigenis trucidati interdum in cibum adhibentur, dentibus excussis venum Lusitanis mercatoribus oblatis. Sed & in alijs Indiæ locis, nec minùs in Bengalâ, præcipuè tamen in Pegu, magnis cohortibus vagantur: quo loco illorum interdum duo millia, tum plurimorum hominum, tum cicurum & ad hanc rem institutorum elephantorum operâ, paratis septis aut stabulis impelli solent. Ex quo omni grege cùm centũ aut ducenti selectiores secreti fuerint, ceteri vniuersim quoquouersum liberè ad speciei propagationẽ rursus emittuntur: captos & asseruatos tum minis tum fame sitique eousque edomant, dum sermonem eorum cepisse & intelligere videantur. Deinceps lauari, & affuso oleo frequenter lini, & officijs beneficijsque omnibus demulceri solent: quibus studijs bestię tam mites & obsequiosæ redduntur, vt ipsos homines in plerisque, solo sermone excepto, obsequijs humanis apprimè referant. Ex illis qui in regno Scylon sunt, quondam vnus captus est, qui totus candebat, & à Pegu indigenis adorabatur. Elephantorum omnium Rex salutabatur, veneratione & titulis planè diuinis adhibitis. De hoc possidendo funestum olim bellũ inter colonos Pegu & Scylon coortum est, sicut in terrarum istarum descriptione fusiùs commeminimus. Qui in Scylon capiuntur, ceteris omnibus qui vniuerso orbi noti sunt, & sensibus & intellectu præstare creduntur, vel Indorum ipsorum iudicio & attestatione, qui longi temporis experientiâ hanc veritatem confirmatam pronuntiant. Quâ causâ aliò traducti, præ ceteris quoque æstimari & amari solent. Officia seu ope-

operæ in Indiâ frequentissima sunt, vt dolia, fasces, sarcinas oneraque plura alia de loco in locum transportent. Hęc promiscuè omnia ab elephantis obeuntur, qui hunc in finem sumptibus Regijs quoque aluntur: quorum si quis operâ egeat, cum illorum magistro seu moderatore de mercede paciscitur: qui ex tempore rem confecturus, elephanti collo residet, pedibus intra aures insertis, manibus præpilatum bacillum, seu stimulum ferreum gestans, quo caput illius, eo loco vbi testiculos paulò supra aurium conualle reconditos habet (quâ causâ quoque ex illius loci conditione facilè domantur) pungendo, leui vi belluam aliàs immanem domat. Elephanto ad sarcinâ gestandam adducto, illam magister fune ita ligat & circumplicat, vt ex eo illâ suspensâ hærere possit. Quo pacto iussus à magistro elephas, promuscide arrectâ funem dentibus, aliquot vicibus innectit inuoluitque, & propendentem extremitatem ori indit; eoque habitu vasis eleuatis, quò à magistro agitur progressum facit. Quòd si cui naui onus inferendum est, bellua ingressa illud imponit, & quæsitis lapidibus id adeò industriè firmat, vt loco vacillare aut reuolui haud facilè queat, dentibus adactis firmitatem priùs experiens. Tormenta, & alia ferramenta grandiora, funiculis deligata, tantâ facilitate proferre sciunt, vt ferè fidem trãscendat. Biremes, fustas, carauellas, & naues eiusmodi grandiores in littus tam leui nisu extrahunt, quasi nullo illæ ijs oneri essent, & vt compendio dicam, seruitijs ac rebus promiscuè omnibus conficiendis destinantur, non secùs ac apud nostrates equi, qui trahis merces & onera huc illuc ad placitum dominorum suorũ prouehunt. Illorum cibus est oryza aquæ permixta. Somnum vaccarum, boum equorumq; ritu captant, genubus ad decubitum flexis compositisque. Cùm hibernis mensibus pluuiæ increbrescunt, suo quodam annuo morbo infestari, adeoque grauiter furere, bacchari, & tabire solent, vt à magistris suis ægrè coërceri valeant. Quo tempore extra ciuitatis portas aguntur, & ad arbores crassis & solidis catenis ex pedibus religantur aut deuinciuntur: ibidem cibantur, ibidem sub aperto ioue stabulantur, eousque, dum deficiẽte hieme, & pluuioso aëre consilescente (id quod à Septembri mense ad Aprilem ferè exporrigitur, quo interuallo ipsis hiems exigitur) simul vnâ furor ipsorum deferuescat & leniatur. Quo fatiscente, sponte suâ ad se redeunt, operasque destinatas tantâ confestim mansuetudine exequuntur, vt mente motos illos numquam fuisse, quis arbitrari queat, in reliquũ ita mites & placidi, vt non offensorum vel aluum quis subire audeat citra noxam. Si quis tamen petulantior eos ludos habere, & quomodolibet offendere præsumat, illius iniuriæ vindicandæ adeò tenaces & obstinati sunt, vt non nisi talione redditâ obliuionem eius subeant. Ipsorum dentes, qui genuinum ebur sunt, in variarum rerum ornamentum industriâ opificum secantur & poliuntur, vt in omnibus quidem vniuersæ Indiæ locis, sic maximâ ex parte in Cambaiâ, vbi ornatus varios præstant. Ex eo mulieres armillas (*manillas* Indi vocant) fabrefactas plerumque gestant, singulis ferè brachijs decem vel duodecim conspicuas: quâ causâ & magno ibidem numero tornantur, & aliunde tum ex Æthiopiâ, tum Mozambique, tum locis alijs vberrim importantur. In Seylon insulâ Peguque elephantorum in bellis vsus frequentissimus est, quorum dentes adligatis ensibus armant, terga verò impositis turriculis supernè onerant, ex quarum singulis quinque vel sex armati promicantes, aut arcubus sclopetisque detonant, aut igniuomis ex pice & sulphure malleolis obuersos hostes infestant. Ipsi aliàs per se elephanti damno nullo grauiore in acie metuendi sunt, quàm quòd ordines stationesque militum dirimũt, & hoc pacto suorum insultui quasi viam paratiorem struunt, ex quorum tamen omni numero, si vel vnicus retrouersus fugam parat, tum conuersi ceteri quoque, ipsum suorum agmen proterunt, & stragem conglobati in confertâ turbâ miserandam edunt. Glires muresque natiuo quodam dissidio formidãt, nec minùs ipsas formicas, quas, ne promuscidi se insinuent, accuratè obseruant, sed & ad ignis aspectum, aut tormentorum fragorem, haud modicum pauent, nisi longioris temporis consuetudine ad ea toleranda obfirmati sint. Quotiescumque gregantur vnà, semper mas elatiore, femina verò depressiore loco stare conspicitur. Ingredientes vel è longinquo audire liceat, necdum visos, tum propter vastorum pedum violentum illisum, tum propter aurium diffusarum, quas continenter & pandunt & stringunt, concitatum in aëre crepitum. Pro corporis sui vastitate satis agiles sunt, adeò vt cursu equis haud longè posteriores sint. Sed & gloriæ laudisque cupiditate haud modicâ flagrant: nam quoties Goæ vel Exaltationis Corporis vel Ascensionis Christi, vel alteriuscumque deuotionis diei festum Processione publicâ celebratur, tum in solemnem comitatum quoque elephãti adaptantur, iunioribus prægressis, annosioribus ponè sequentibus: qui promiscuè omnes cruces, & insignia Regni Lusitan ci, à capite per vniuersum corpus coloribus natiuis de-

picta gestant, singulis insuper supra tergum quinque vel sex buccinatores, tubicines, aut musicos alios prouehentibus, quos non tantùm placido animo sustinent, verùm etiam incessum tantâ grauitate moderantur, vt tum ornamentis illis, tum insidentibus musicis eos expresse non secùs ac homines superbire planè conspiciantur. Sed & hoc Goæ quondam accidit memorandum. Fusta seu nauis quædam grandior in littus extrahenda fuerat. Qui id præstaret, elephantus adducebatur. Opus is aggreditur, sed primo frustrà; dein vires vltimas colligit, conatur denuò, item frustrà. Quâ re commotus elephantista, criminationes in eum crebras coniectat, ignauiam & infirmitatem exprobrans, & ni inceptum opus confectū dat, in contumeliam eius se adducturum, qui id præstaret, alium, comminans. Quibus auditis, tum pudore excitatus, tum irâ inflammatus elephantus, excussis omnibus extraneis suppetijs, opus de nouo tanto nisu & virilitate aggressus est, vt ex tractu illo violentissimo medius illicò creparet, eodemq; loco exanimis procideret. Præterea alio quoque tempore, cùm reditum ex Cochino in Lusitaniam meditarer, & nauis nostrę gubernaculum, casu quodam alicubi confractum, in littore redintegrari posceret; ad illud in terram, suppositis binis teretibus columnis (cylindros aut voluulos dicunt) faciliùs extrahendum adductus elephantus fuerat. Cùm verò & hic iuuenculus, & gubernaculi moles pondusque longè grauius & vastius esset, quàm vt ab vno illo emoueri posset, distinctis quidem vicibus aliquot illud extrahere annisus est frustrà; dum tandem virium suarum extremum periculum faciens, rem omnem incassùm citra effectum vllum se moliri cognouit, dolore & pudore victus, in genua se pronum abiecit, planctumque & eiulatum tam profundum fecit, vt ex stillantibus lacrymis oculi eius vndiquaque madescerent. Quem cùm insuper magister eius, in spectatorum gratiam, conuitijs incesseret, & increpationes acerbiores identidem ingeminaret, illumque vt ad pręsentium hominum conspectum pudesceret, iuberet; extractionem quidem iterùm aggressus is est, at successu non feliciore, etsi neruos ad ruptionis vsque periculum intenderet. Tandem ad opem ferendam illi secundus inducebatur. Cum quo postquam collatis viribus clauum ex vndâ in solidum eousque extraxisset, vt iam voluulis subditis incubaret, successu tantillo illicò animosior factus, accessorium alterum tum dentibus tum capite non tantùm ab operis continuatione audacter dispulit, verùm etiam solus posteà machinam in commodum locum promouit. Quibus commemoratis exemplis cuilibet iam facilè patere potest, quòd & ingenio, & ratione, & gloriæ studio hominibus non multò inferiores sint. Quę verò in plerisque hominibus cum publicâ infamiâ quadam desideratur, pro acceptis nimirum beneficijs reponenda gratitudo, eius documentum mira naturæ prudentia huic ipsi quoque belluæ indidit, quæ non tantùm benefactoribus suis ex tempore meritorum gratiam refundunt, sed illorum memoriam ad plures quoque annos secum fideliter reconditam asseruant. Calendis Ianuarij elephantistæ ad Pro-regem, Archiepiscopum, & Officiarios alios, xenia pro more loci petitum, ostiatim circumeunt; ad quorum aulas seu portas vbi deuentum est, elephanti cum quadam quasi humanâ reuerentiâ se incuruant modicè primùm, deinde verò, si quid strenæ aut munusculi acceperunt, in genua se totos demittunt, quasi gratias dicturi pro honorarijs quæ magistris suo (vt persuasum habent) nomine collata sint. Posteà quoque à longo tempore, quoties ædes illas obiter prætereunt, ad ianuas illarum capite annuunt, & veteris benefacti gratiam memores renouant. A negotijs liberi ijdem nonnumquam in forum olitorium prodeambulare sinuntur, vbi raphani, lactuca & caules venum prostant. Ex hortulanis itaque mulierculis, quæ belluis fautrices sunt, illis rerum venalium manipulos aliquot obiectant. Tempore verò illo appropinquante, quo in rabiem furoremque agi sueuerunt, priusquam superiùs dicto modo de arboribus religentur, plerumque integræ septimanæ spatio antè discurrere solent: quas ponè consectantes magistri, vt stipis aut pabuli quid furibundis belluis erogent, homines inclamant: illarum rabiem coërcere interim nullâ facultate valentes, errorem sequi per omnia coguntur; à longè tamen populum, vt sibi caueat, elatâ voce inclamitant. Cùm furoris illius tempore indiscretè quoquouersum bestiæ grassentur, nullius respectum agentes, nemini obuio parcentes, omnia, vt sub pedes veniunt, pessumdantes & proculcantes, ita vt hoc spectaculo quidam non minùs quàm Hispani taurorum siluestrium venatione suauiter saturentur, ludi interim catastrophâ non prodeunte priùs, quàm ex medio populo quaterni pluresve profusâ vitâ theatri pretium appenderint. Sed ad forum olitorium redeamus. Inter feminas illas quædam quoque confidebat, quæ elephanto cuidam, quoties præteriret, aut olusculum aut fructus aliquos obijciebat. Sed cùm posteà idem elephas annuo illo & solemni furore correptus, per vicos vrbis passim diuagaretur,

tur, ad forum dictum quoque obiter irrumpens, pedibus omnia quæ obstabant protriuit & comminuit. Casus iste tumultuarius (vt fit) primò omnes in terrorem, pòst in fugam egit, quolibet res suas relinquente, & vitæ seruandæ asylum quoduis proximum arripiente. In transfugis his eadem quoque mulier modò dicta fuerat. quæ repentinâ consternatione propè emortua infantem vicinâ vanno iuxta se dispositum reliquerat, & proximis ædibus sibi salutem accurarat. Elephas itaque nunc solus in areâ debacchans, & sursum deorsum omnia conturbans, cùm iam relicto quoque infanti proximus esset, quantam tum matri, tum spectatoribus reliquis trepidationem incusserit, dicere hîc nihil attinet, cùm præter mortem infantis, & eius protritum lamentabilem, nemo quidquam expectare posset aliud. Quid fit? Elephas in sæuissimo sui furoris paroxysmo maternorum beneficiorum dudum acceptorum memor, leni promuscidis apporrectæ contactu infantem humo placidè attollit, eumq; in humile quoddam tectum officinæ proximæ obditum quasi tutissimum quemdam receptum molliter collocat, ad furoris sui & grassationis importunitatem interim nihilominus deproperans. Quæ res vt cuiuis meritò admirationi, sic summè cum primis matri piæ gratulationi extitit, quæ filium miserabili internecione quasi iam defunctum, præter spem omnem saluum & adblandientem receperat. Similes huic casus in Indiâ quotidiani sunt, quos ex ordine percensere, tempore abutentis foret: mihi hæc saltem tria enarrare exempla allubuit, quòd & præ ceteris memorabilia essent, & expressum piæ gratitudinis in vastâ hac belluâ & portentosâ pecude simulacrum apprimè depingerent. Ad cuius exemplum si homines quoque diuinâ quadam ratione à Deo peculiariter donati suos mores & vitam componerent, scirent, hanc vnam ob causam virtutem hanc brutæ bestiæ à Deo singulari consilio insitam, vt humanæ improbitatis quasi capistrum quoddam esset, & animi ad ferorum animalium ductus similes moderatos mansuefaciendi. Sed de ingratitudine gliscente querimur potius omnes, quàm vitandâ studemus.

CAPVT LXXXIX.

De armaturâ elephantorum ex Iarrico.

Ex Petro Iarrico commemorabo etiam elephantorum armaturam, prout Magnus Mogor vtitur. Tormenta bellica plurima ad bellum trahit, quæ in primâ constituit acie, elephantes in postremâ, quos hoc armant modo. Frontem laminâ conuestit ferreâ, vel pelle induratâ, quę ictibus resistat. Proboscidi alligantur enses, dentibus prominentioribus pugiones. Quatuor turrita propugnacula lignea tergo gestant, & in his totidem milites arcu vel sclopeto instructos. Qui belluam regit, loricâ vel squamato munitus est thorace. Numquam elephas in primâ locatur acie, tum ne hostiū conspectum magnitudine suâ impediat, tum ne saucius militum ordines cursitando turbet, & obuia quæque prosternat: sed in extremâ statione hæret, vt si forsan eatenus penetrarit hostis, vndequaque emissæ belluæ illius impetum excipiant ac retundant: nam nullis etiam armis instructæ, ingentem suâ proboscide stragem edere solent: arreptos namque hostes in altum vibrant, humique deiectos pedibus proculcant, vel certè, arietum instar, ferratâ in obuios fronte ruunt.

CAPVT XC.

De venatione elephantorum.

Licet aliquas elephantorum venationes mixtas superioribus narrationibus scripserimus iam, præcipuam tamen historiam meretur quod transscripsit Gothardus Arthus. Solet quandoque Rex Pegu venationes elephantorum instituere, quæ quidem visu omnium sunt iucundissimæ. Sunt autem carceres in ciuitate ad hunc vsum destinati, qui ex columnis ligneis tantillo solùm interuallo à se inuicem distantibus constant, vt homines transmittant, belluæ autem isti transitum nullatenus permittant. Quandò igitur venationes instituere Rex cupit, dimittuntur femellæ quædam elephantes in siluam, quæ ad hanc rem edoctæ, linguam simul hominum istorum intelligunt. Antequam autem exeant femellæ istæ, peculiari quodam oleo partes earum obscœnæ inunguntur, cuius odorem dum percipiunt elephantes mares, tanto amore erga femellas accenduntur, vt, neglectâ omni circumfusâ multitudine, in ciuitatem & ad ipsos vsque carceres eas sequantur. Hos dum ingressi sunt, adsunt statim qui pessulum objiciant, & exitum ipsis præcludant. Hoc facto, femellæ stabula sua quælibet repetunt, quæ præter bestiam vnam non admittunt, & à venatoribus statim occluduntur. Remotis autem femellis tandem sentiunt elephanti se captiuos, & libertate suâ priuatos esse, moxque in furorem quasi versi, totis viribus sese liberare conantur, exhibentque adstantibus spectaculum visu admodū iucundum: gemunt enim & lacrymantur, currentes ab

vno loco in alium, & in homines magno cum impetu irruentes, donec cursu nimio defatigati, sudorem toto corpore emittant; tunc enim promuscidem in terram inserunt, tantamque aquarum copiam ex suis corporibus prouocant, vt adstantes omnes inde madefiant. Cùm autem venatores stabulis illos includere volunt, femellas iterùm producunt, quæ præcedentes eos, ad stationem destinatam siue stabulum traducunt, quod quidem tam angustum est, vt præter bestiam vnam non admittat. Femella tum progrediens stabulo immittitur, ipse verò elephas ad columnam alligatus ibi detinetur, donec mœrore & inediâ confectus (cibum enim potúmve aliquot diebus non admittit) cicuretur, quod quidem octo dierum spatio fieri solet. Quo facto, ministri ei adduntur qui curam eius agant, & ad bellum aliaque officia eum assuefaciant: magnus enim elephantorum in bellis vsus est, siquidem quatuor viri vni elephanti simul & semel insistere, & sese contra hostem bombardis, lanceis, arcubus gladiisque tueri quàm rectissimè possunt, cùm non solùm ingenti sint magnitudine & robore, sed & pellem habeant tam crassam, vt displosioni scloporum, præterquam iuxta tempora & oculos, nequaquam cedant.

CAPVT XCI.

Alius elephantos venandi modus.

NOua quoque ratio capiendi siluestres elephantos visitur, in Patan elephanto insidentes aliqui in siluam abeunt, vbi cùm elephantum quempiam aduertunt, in certamen eum prouocant. Congressi igitur elephanti, dentibus se inuicem apprehendunt, & in terram prosternere conantur. Dum verò ita exacerbati sibi mutuò resistunt, adsunt à tergo qui posteriores alterutrius pedes fune constringunt: quod quidem non vsqueadeò difficile est, elephanto cicure siluestrem dentibus ita continente, vt pedes mouere non possit. Hoc igitur modo ligatum fame domare solent, si viuum eum è siluâ producere volunt. Quòd si eum interficere est animus, facili id negotio perficere possunt: quod quidem sæpè etiam fieri solet propter dentes tantùm, qui hoc loco in magno pretio habentur, & à Chinensibus magno numero auehuntur.

CAPVT XCII.

De fide elephantis Regis in Auuâ.

CLaudat historiam elephantorum ipsorum fides. Quidam Rex Pegu commisso prælio interfecit Regem in Auuâ. Concidit autem simul elephas Peguani, qui conscendit in belluâ sui hostis. Illa mortem sui domini ægerrimè ferens, inquit Gothardus, totum diem eiulando & lacrymando consumebat, & vix persuaderi poterat, vt vel parú cibi gustaret. Viderunt equidem mercatores nostri ipsimet eum lacrymantem. Et licet in locum elephanti Regij, qui in acie occubuerat, constitutus, duos sibi adstantes haberet ministros, qui eum consolarentur, & monerent, vt deposito tandem luctu, cibum caperet & lætaretur, quod longè potentiorem iam dominum nactus fuisset, parum tamen proficere apud eum poterant; finem enim lacrymandi facere nolebat, & in signum luctus sui promuscidem semper in terram propendentem habebat. Tandem tamen cùm quindecim iam dies in luctu fuisset, apposito iterùm cibo vesci cœpit, quod Regem quidem non parum exhilarauit, qui dentes demortui sui elephanti ad statuas idololatricas adhibuit, quarum quinque, humanâ specie & mirabili aspectu parari curauerat. Sedebant illæ cruribus in formam crucis dispositis, & nihilominùs tantâ altitudine erant, quantum vix iactu lapidis assequi potuisses, digitis pedum viri alicuius staturam superantibus. Has statuas auro vndique obduci, & in patente loco ante aulam suam collocari iussit.

CAPVT XCIII.

De caoch.

REgredior ad Americam, ne omittam caoch. Animal est tres dodrantes longum, pilo vestitum nigro promiscuè cum candenti, sed ventre fuluo. Clamans noctu, humanas imitatur voces. Suis instar edit mayzium cùm viret, necdum spicas concoxit Sol.

CAPVT XCIV.

De cane quodam Vlyssiponis.

PRo confirmandâ fide, augendoq; cultu sacerrimæ mensæ, nouum in vrbe Vlyssiponensi & mirandum prorsus euentum narrabo, quia dum hæc scribo, in omnium admiratione & linguâ versatur. In templi D. Iustæ viciniâ artocrearum quidam artifex habitat, qui domi canem alit mediocri magnitudine, denso rubore, nonnullis albis maculis distinctum, & nomine Tudescú. Duos ante annos Christú cùm in niueo velo defertur ad ægrotos, cœpit comitari, cùm ex dicto templo exit. Et quamquam primo tempore minimè notabatur, ab

ab septem verò octóve mensibus attentiùs id obseruatum est, cum nonnullis alijs quæ meritò visa sunt mirabilia. In primis quotiescumque paruum cymbalum (cuius sonitu admonentur vicini ad Domini corpus honorandum) vel campana è turri æra concrepant, domo erumpit celer, accurritq; ad templum festinanter, eoque circumquaque lustrato repetit domum. Cùm verò ad templi ostium egredientis Domini paruũ cymbalum alterum signum edit, incredibili velocitate redit ad templum, ibique prospectans consistit, donec sub pallio siue vmbraculo Sacramentum iam procedat. Tum repe[illegible]o cum alacritate saltu, transmigrat ad canentes pueros, initium pompæ, huc illuc versus in pertranseundo sæpiùs repetens, quasi ipse ad vrbanam reuerentiam, & venerabilem comitatem disponeret pompam. Mansuetus licet cùm naturâ tum familiaritate canis, id temporis tamen obtemperat nemini, nullum sequitur, nullum agnoscit, ne herum quidem vocitantem. Sic ad ægroti venit domum: sic in propatulo, aut in plateâ expectat, sic redeuntem Dominum ad templum iterùm deducit, sic manet vsquequò recondatur in sacram cellulam, mirus ille anteambulo.

Semel noctu excitatus clamore cymbali, cùm vellet more solito pergere, ianuam reperit interclusam, cœpitque vnguibus frequenter pulsare, faucibusque vlulare vt ostium solueretur: non exauditus, heri dormientis cubile intrat, circuit sæpè insusurrãs, clamitansque, & satis eâ arte exitum sibi dari flagitans. Hic autem vel à sopito hero non auditus, vel à nolente contemptus, adijt ancillam adhuc vigilem, & domestica famulatus officia peragentem: insilijt ludibundus, vestis oram leui dente momordit, perduxit ad ianuam, eaque patefactâ ab ancillâ, ad templum procurrit, comitatusq; Christum, domum repetit, & eodem pacto, haud inattentâ ancillâ, vngue strepente pulsauit, portamque sibi aperiri fecit.

Cùm iterùm aliâ vice Christum dicto iam modo præcederet, baiulum quemdam offendit dormientem ad fontem Roris, tenentem capistro bestiam: hunc allatrat vehementer, vnde expergefactus ille, genua illicò venerabundus terræ applicuit, & sic à cane est dimissus. Rursus eadem datâ occasione reperit rusticam feminam insidentem asello. Eâ visâ commouetur acriter canis, statimq; eam assiliens admodum latrat. Illa perterrita, & à nonnemine monita descendit, & genibus procumbens, non ampliùs à cane impetitur. Biduo post subreptum in D. Engratiæ viuifici panis Sacramentum, cùm Christus simili pompâ vectaretur, suamque stationem occuparet canis, en equitãtem egregiè Nobilem; qui & ipse impetu à latrante cane petitus, ab equo, vt Christum transeuntem pronus in terrâ & pedes honoraret, descendere coactus fuit. Equus intereà vngulâ percusserat canis manum, vt eiularet conquereturque. Et licet dolore vrgeretur, famulo tamen, qui ab hero suo, vt illum medicatum duceret iussus fuerat, restitit valenter, & claudicans pendulam gerens læsam manum, non abscessit donec morem suo mori gessisset. Quo facto redijt domum, manumque, cui medendum erat, domesticis porrexit.

Obiuerat quis (vt lex est) extremũ diem, ad cuius cadauer terræ mandandum iam campanæ insonuerant, & canis more solito adit templum, & aliquoties oberrat, sed pallium, & cetera exeunti Christo parari solita non conspiciens, diuertit domum, nec vltrà petijt templum; & pluries hoc idem illi euenisse, manifestum est.

Viginti quatuor horarum spatio adfuit concluso Sacramento in repræsentationem sepulchri Hebdomadę sanctæ. Quinimò cubabat subtus monimentũ dormiturus, aliàs interiora tẽpli leni deambulatione circumibat, aliàs per gradus scandens, quieto corpore fixoque obrutu contemplabatur Arcam.

Ingenti sexus vtriusque turbâ frequentissimum erat templum in Octauâ Paschæ, stabatque iam ornatus super indumentis ad aram Prior vt sanctam Hostiam depromeret, & ad ægrotum deferret; cùm femina quædam vestitu non vulgari, quamquam vulgata turpitudine, per transuersum ostium ingressa staret. Hanc vt canis videt, extemplò accurrit, & furore admodum turbulento & terrifico ter quaterve eam assilijt. Pudore tangebatur misella simul & stupore: verùm simulatque, à circumstantibus monita, genua sua inflexisset, & solo applicuisset, canis abijt, ab vlteriore periculo eam liberam relinquens.

¶ Varię artes, modique cõplures tentati sunt, quibus canis ille ab hoc more compesceretur, sed frustrà; quin potiùs noua excrescunt quotidie indicia, nouaq;, quæ metas naturæ rem transgredi suadent, comparuere vestigia. Efferebatur aliquando Christus Dominus, cælestis viæ cuidam ægroto futurus dux, interimque Presbyter D. Antonius Mestrius eiusdem ædis œconomus, ianuam occlusit quâ ascenditur Odeum, & quò iã m canis vagabundus ascẽderat. Qui cùm descensurus, ostium esse clausum vidisset, iterùm ascendit, & per lignatæ frontis intercidia circumcursans, per ea sæpenumerò intromittebat caput, vt omnes timerent, ne canis, ni reseraretur ianua, ad templi pauimentũ è summo cade-

caderet. Ideoq; Mestrius Odeum subit, primoque scalæ ostio, vt antè, obserato, canem pellit: qui cum ob clausam illam ianuã, quò minùs solitum officium prodeunti Saluatori exhibere posset, vi detineretur, adeò ingentem excitabat strepitum, tum ore tum vnguibus perstrepens, tantaq; cum vehementiâ incessanter latratu templum complens, vt ianua illicò aperienda fuerit: quo facto, magnâ vi se effudit, & pernicissimè per medias turbas transuolans, ante omnes se solitâ in statione locauit. Non defuit qui existimaret, canem, puerorum decantantiũ amore & blanditie pellectum, eum locum requirere: quod vt experimento constaret, ne pueri præirent, semel statutum est; nihilo tamen seciùs canis ex solito se stitit. Accidit aliquãdo, ei carnis frustum obiectum fuisse, vt si quo pacto à supernaturali illo instinctu auocari posset experimentum caperetur, quam ille vix semel atque iterùm admorsam reliquit, maximâ quâ poterat pernicitate ad locum se suum sistens. Semel famulus sui heri ad hortũ, qui Collegio D. Antonij adiacet, tendens, canem se comitantem nullis non minis conabatur repellere, nec vt se desereret obtinere poterat. Statim verò atque cymbala Christi Corporis delationem persignarent, vltrò famulũ deseruit, citatoq; & continuo cursu templum accessit. Aderat tunc ante templi illius ostium iuuenis quidã Gonsalus nomine, & cani notissimus præ cunctis; quia tamen erectus stabat, in illum bestia valido impetu irruit, complicare genua coëgit, ac tum demum dimisit, locum de more diducto foras Sacramento occupaturus.

CAPVT XCV.

Miranda animalium obsequia.

FInio istum Librum, solùm admiranda aliqua animalium obsequia complexus, quibus sanctorum hominum innocentiam & mansuetudinem integræ naturæ venerata sunt; nam & hæc rara sunt, & in naturæ vsu & ritibus non occurrunt. Columbano Abbati vrsi in siluis obtemperauerunt. Heleno onagri crocodilique. Hos insiliens trans fluuiũ ibat, illos autem sarcinis onerabat. Haud ita repentè mansuescerent siluestria aquaticaque animalia, nisi in homine mansuetudinis vim sentirent cui obsequebantur.

Marinus in Arbâ Dalmatiæ insulâ natus, apud Ariminum vitam solitariã duxit. Cùm autem aliquando cellam suam versus ab vrbe Româ rediret, asellum, quo in viâ vtebatur, vrsus terribilis inuadens peremit. Ille vrsum tenuit, & vt asini vices subiẽs, ad cellam vsque se deferret, iussit, subitò siluestrem exuens animũ immanis bestia, dorsum homini præbuit; cuius asello non pepercerat. Diceres humanitatis eius consciã, quoniam ille amissi iumenti iacturam passus, in auctorem damni non excãduit. Neque indignatus est, sed tantùm seruitio eius vsus, quo probaret posse se ab ipso pœnas exigere, si vellet, cuius dorso potuit tam imperiosè insidere.

Clothario Britannorum Rege venationi indulgente, aper à venatoribus actus, ad Deicolum Abbatem confugisse perhibetur, & ab eo seruata siluestris bestia, tutiorem se in Deicoli sinu putauit, quàm si siluas fugâ petijsset, præsagio quodã lenitudinis pietatisq; eius. Qui insequebantur, pepercere belluæ ob reuerentiam viri, non ausi eam lædere; quæ sese fidei commiserat Sancti.

Marianus quoque Bituricensis cœnobij monachus, bubulci officio defungi nõ dedignatus, aprum ad se confugientẽ tutatus est. Canibus insequentibus imperauit ne illum tangerent. Mira res est; canes obedierũt, aper discedere noluit: & cuius benignitate se seruatum agnouit, eidem veluti iampridem mansuefactus humiliter adhæsit.

Alia eiusdem generis fera ad Basoli Rhemensis Abbatis cellam confugiens, pedibus eius prouoluta sic in tuto fuit, vt canes, qui magno cursus impetu iam tergo fugientis imminebãt, repentè subsisterẽt. Tunc Attila venator rem admiratus, prædium quod ibi habebat, Abbati concessit, dignum omni beneficio asserens, cuius & mansuetudinem aper, & virtutem canes testati sint.

D. Hieronymus, cùm inuidorũ malitiam atque infestationes ne ferendo quidẽ posset reprimere, Romã cessit. Mansueti enim placidique hominis proprium est, dare locum improbitatibus aliorum, neq; cum pertinacium malignitate cõtendere. Sed cui Romæ homines aduersabantur, in Syriæ deserto feræ seruierunt. In Bethlemitico deinde monasterio manentẽ leo positâ ferocitate blanditer adijt, & reliquis qui aderant metu delabentibus, ipsi pedem spinâ vulneratum porrexit: sanatus famulatum exhibuit, nullique iam Monachorum metuendus asellum ad pascua educebat, reducebatq; ad stabulum, agasonis fungens officio, qui quondam prædonis functus fuerat ferocitatẽ. Nempe non potuit, vbi hospitis benignitatẽ experiri cœpit, nec ab eo prorsus discedere, cuius beneficio se nouerat conualuisse.

At etiam timidissimũ animal cerua dum venatorum tela saucia fugeret, ad Bassanum Episcopum Laudensem se recepit: qui persequebantur, miraculo obstupefacti stetere. Quidam verò licentiùs accedens, eam de manu Episcopi eripere voluit: sed ipse prereptus à diabolo vexari cœpit. Episcopus autẽ, qui

qui bestiam blandè amiceque exceperat, & clemēter fuerat tutatus, nec in hominis violentiam irasci potuit, ab immundo spiritu oppressum miseratus incunctanter pristinæ restituit sanitati. Idem igitur & tutelę fidem & patientiæ benignitatem seruauit, amicis inimicisque iuxtà fauens.

Ægidius quoque Abbas ad ostia Rhodani solitarius manens, & hominibus incognitus, ceruā lac præbēte vixit: sed dum illa à venaticis canibus agitaretur, præpeti fugâ cellam ipsius petijt, & trepida ac solito mœstiùs immugiens ante senis pedes peruoluta iacuit, vt cuius humanitatem diu experta fuerat, eius etiam auxilio ab imminenti periculo tegeretur. Igitur illo orante canes propiùs accedere nequiuere. Vnus autē de venatoribus (quia locus vepribus obductus erat) incertò sagittam dirigēs, Abbati vulnus inflixit. Post hoc penetrantes latebram, reperiunt senem ceruamque iuxtà accubantem, & religione quadam concussis animis procidentes, veniam ab eo, quem imprudenter læserant, suppliciter petunt atque impetrant, & ceruam dimittunt intactam. Tam enim ille libenter ijs à quibus vulnus acceperat offensam dimisit, quàm pro ceruâ orauit pari simplicitate, & de ipsa sollicitus, & in illos mitis.

Ad Remigiū Rhemensem Archiepiscopū passeres aduolare solitos accepimus, & de manu eius certatim cibū capere. Cur ita, nisi quòd non sic tutò se pasci posse in apertis cāpis putarunt, vt in māsuetissimi Prę sulis sinu.

Blasio Sebastæ vrbis Episcopo in solitudine persecutionem declinanti siluestres auiculæ victum suppeditarunt.

A Iudoco Regis Britāniæ filio, dum cōtempto regno soli Christo seruiret, columbas pisceſq; escam manu porrectā acceptasse ferūt.

Iuonem Presbyterum, ad mēsam recumbentem, auis quædam albo viridique colore spectabilis de improuiso adijsse dicitur, & tāgi se ac cōtrectari ab eo passa, post acceptam benedictionē auolasse. Testata mihi videtur naturam eius non gustu solùm, quo se illi liberè atq; vltrò obtulit, sed etiā pennis varietateque colorū. In candore signabatur mentis puritas, in virore spei alacritas, in plumarum mollitie animi lenitudo atque facilitas.

Maxentij etiam Pictauensis Abbatis humanitas effecit, vt agrestes volucres non cupidiùs arborum ramis quàm manibus eius insiderent. Panis micis aut tritici granis ab eo pastæ auolabant. Hinc discamus non sine beneficio eos dimittere, qui sine hæsitatione nostræ se crediderint fidei.

Seuerus Agathensis Abbas passerem aduolantem ita humanitus excepisse dicitur, vt cùm ille fracto crure aliorum aucupiū effugisset, ipse suâ precatione sanatum dimiserit. Qui enim benignè alios accipit, facilè quod à Domino petit impetrat. Scriptum quippe est, Mansuetis dabit gratiam.

Francisci quoque Assisiensis lenitatē auicularum audaciā mirabiliorē fecit. Ad prędicantem eū confluebant, neque refugiebant manū eius, vsque adeò obsequentes, vt non nisi cùm ipse iussisset abirent, non nisi cùm ipse innuisset garritum comprimerent; non quòd iussa intellexerint, sed quòd iubentis auctoritatē virtutemque senserint. Cùm aliquando in horto inter fruteta deambularet, cicada ficulneam linquens, super euocantis manum consedit, & Deū laudare iussa, voce tinnulâ gutture fistulato suauiorem solito stridorem edidit. Humanum igitur consortium effugere solitæ bestiolæ, Franciscum omnibus ex mansuetudine applaudentem creaturis adire non timuerunt, neque potuerunt non obtemperare imperanti, cui iam diuina inerat virtus. Talibus enim dictum est, Si monti huic dixeritis, Tollere, & iacta te in mare, fiet.

Brigida virgo apro ferocissimo, & qui in pecudum gregem repentè irruerat, præstò occurrens vsque adeò reddidit mitem, vt eidem gregi ipsum pręficeret pastorem. Itaque tam modò immanis fera tam tenellas oues, quas laniatum venerat, mox & ad pascua educere, & pastas reducere domum cœpit. Voluit autem Deus belluæ feritatem virginis humanitati cedere, vt ostenderet, quanti apud se ponderis esset talis virtus. Ad mansuetudinis gloriam omnia ista animalium obsequia refert Marulus.

CAPVT XCVI.

De dominio in animalia S. Patris Iosephi Anchietæ, ex Societate IESV.

NEc minora animalium obsequia sanctissimo Patri Iosepho Anchietæ ex nostrâ Societate narrātur præstita. Iter cum indigenarum Brasilienfium comitatu faciebat, vipera illis obijcitur in itinere (est autem huic colubrorum generi veneni virus suprà, quàm in Europâ notum sit, teterrimum) eâ conspectâ comites terrore perculsi diffugêre. Reuocat illos Pater, iubetque viperam ad se venire. Paret illa: quam apprehensam sedens sibi collocat in gremio, manuq; demulcens, occasionem captauit multa de diuinâ potentiâ disputandi, naturam nullam esse demonstrans, quæ non hominis imperio obtemperet, nullâ re diuinam legem violanti. Longo sermone in hanc sententiam absoluto, multisque monitis indigenas ad Christianę legis obedientiam adhortatus, viperam suâ benedictione donatam placidè ab se dimisit.

Aliam

Aliam item viperā alio in itinere obuiam habuit, quâ exterritus comes pedem referebat: sed reuocatus à Patre, fugam repressit. Pater, viperam pede calcatam, veluti subsannans, vt se feriret, & iniurias conditori suo factas vlcisceretur, hortabatur. Illa collum erigens, caput huc illuc flectebat innoxia. Ita suâ in Deum fiduciâ comiti prælucens, ad mentem in Deum defigendam, eadē ratione quâ alterā, monito adiecto ne cui hominum noceret, abire permisit.

In Coloniâ Ianuariensi, montibusque ad Caput frigidum pertinētibus pantheræ versantur, atque ad vsq; litora descendunt. Dum hæc loca solito cum comitatu peragraret, nocteq; oppressi mapale sibi de more extruxissent, curatisq; corporibus ceteri quiescerent, noctis silentio Pater more suo ad agendum cum Deo è tugurio egreditur, longoq; interuallo rediens, racemos seu corymbos pomorum eius regionis, quas *bananas* vocant, accipit, easque foras proijcit, Brasilico loquens idiomate: *Capite vos, ô meæ, portionem vestram.* Rogatus à fratre, qui illi comes erat, cuinam *bananas* id noctis proiecisset. *Meis*, respōdet, *illis sociabus.* Manè facto duarum pantherarum vestigia humo impressa apparent, quæ illi noctu oranti assederant, peractoque spatio orādi, ad vsque tugurium redeuntem prosecutæ erant. Diuino vtique instinctu hominem ab omni humanâ labe purum, & diuino charum Numini, pro captu sentiētes, vt animantes aliæ adamabant.

Dum in Sebastianēsi Collegio moraretur, vnus è Collegij Fratribus, vt de piscatu in annonam Collegij prouideret, in piscationem cum piscatorū familiâ exierat. Piscatio longè fiebat ab vrbe in sinu quodam, ac prope æstuarium ad insulam quam Maricanam nominát. Iuit cum illis etiam Iosephus, tum ne per eos dies, quibus duratura piscatio erat, Missę sacrificio carerent; tum vt tempus illud ab interpellatoribus vacuū, cum Deo in eâ solitudine traduceret. Incredibilis piscium copia omnes rapuit in admirationem: quos cùm ad salitionē legissent, ingens marinorum coruorum, aliorumque aquatilium auium numerus, ad expositam escam aduolantium, magno erat operi impedimento, vt operam crebrò interrumpere ad eas abigendas necesse esset. Iosephus eas iussit inde facessere, Brasilico sermone sic allocutus: *Vos hinc secedite tantisper, dum hi sunt in opere, neque ijs molestæ sitis: cùm hinc discesserimus, tunc redibitis ad diarium vestrum capessendum.* Quasi verba illa vim habuerint humanos sensus in auibus imprimendi, seorsim quietæ finem operis expectarunt. Profectis inde cum Iosepho Fratreque piscatoribus, gregatim ad vorandas reliquias accurrerunt. Verùm inter saliendi operam (eodémne, an alio die?) cùm maximè operi essent intenti, in aduerso littore pantheræ duæ intentis oculis in piscatores apparuere. Significauit Frater, Iosephi comes, optare se eas è propinquo spectare. Respōdit Pater, absoluto opere fore eius rei potestatē. Interim pantheræ se recipiūt. Admonitus eâ de re Pater, magnâ voce ijs inclamat, paulò pòst vt redeant, esse qui ipsas velint cominus adspicere. Confecto opere, duabus conscensis canois, Pater cum toto comitatu sinum traijciunt, ad littusque accedunt. Illæ tum in littore placidè se spectandas præbent, vt eas per otium adspicere omnes ad satietatem potuerint. Satiatis iam omnium oculis, Pater acceptam solitorum piscium partem ijs proijcit: illæ quasi suo demenso contentæ abierunt.

Eodem in littore die alio piscandi saliendique operi intentis alijs, cum se à cœtu, diuina liberiùs contēplandi causâ subduxisset, spatio trium quatuórve horarum plus minùs desideratus est. Eum, vestigia secutus, tandem in littore sedentem Frater illius comes inuenit, & illo ipso tempore maris æstus accedebat, qui, quasi diuino imperio accepto, cùm præter eum finem, vbi Iosephus sedebat, longè fluctus eiecisset, ab eius tamen corpore ita vndas cohibuit, vt aquæ illi & à fronte & vtroque ab latere, quasi in sinum diductæ, ac veluti in parietes erectæ, nullâ contactum alluuione, ac ne aspergine quidem circumsepirent. Diceres Rubri maris miraculum in transitu Hebræorum renouatum esse. Nō audebat Frater intra vndarum hiatū se insinuare, sed extra vltimos fluctus quantâ maximâ poterat vocis contentione Patrem cōpellabat. Ad vocis clamores strepitum etiam fragoremq; asserum addebat. Cumque ne sic quidem fremitum maris superaret, neque alto contemplationis somno consopitum Iosephi animum excitaret, fretus & ipse diuino patrocinio, diductū intrat aquarum septum, Patremq; admonet, tempus esse hospitium repetendi. Abeuntes vndæ sequebantur; præeunteque Patre, talos subsequentis fratris alluebant. Ille territus periculo, Patrem antecessit. Eum Pater leniter verbis increpans, *Nescis, quia venti & mare obediunt ei?* timere prohibuit. Prætergressis tandem extremam alluuionem, tum mare littore toto coæquatum apparebat.

In reditu à piscatione, cùm iter facerent ad S. Barnabam, simiū prægrandem barbatum (quod ijs in locis nouum non est) in arbore insidentem sagittâ vnus è piscatoribus confixit, ad cuius casum stridoremque ingens simiorum grex quasi ad funus patrisfamilias accurrit magnâ consternatione: tum piscatores eos quoque interficere in cibum adoriuntur

siuntur

tiuntur (tam grato enim gustu Brasili illis vescuntur, quàm aliæ gentes hœdiculis, suillis, ac leporibus; nec mirum, homines, qui in summâ lautitiâ humanas carnes habeant, à pecude corpore humanam speciem referente non abhorrere:) ab ipsorum tamen cæde Pater piscatores prohibuit, monitos tantùm, vt è ridiculo pecore ludum captarēt. Et quò maiorem piscatoribus oblectationem adderet, simijs linguâ Brasilicâ præcepit, funus suorum ciuium vt prosequerentur. Tum pro se quisque multo stridore & belluino planctu obtemperare contendunt; cùm alij per plana quadrupedarent, alij per arbores ex ramo in ramum, & ex arbore in arborem transilientes exequias & ipsi sublimes prosequerentur, horridisque vocibus, ridiculisq; sannis vtrique, vt poterant, in suum gregem grassatoribus iniustas cædes exprobrantes. Hac funebri pompâ cùm miseræ bestiolæ ad duarum ferme leucarum spatium sui gregis hostibus ludibrio & oblectationi fuissent, ad vicum iam accesserant: ac ne rursus à vicinis violarentur, iussit eas Pater in suas sedes redire. Illæ commeatu accepto, in siluas se receperunt. Non commiseratione solùm illarum pecudum, aut quòd illarum lusibus delectaretur, Pater hæc faciebat; sed vt diuinam legem in honorem adduceret, tardasque indigenarum mentes ad sui conditoris cultum venerationemque excitaret: quippe docebat eos, omnia conditori vniuersi parēre; & ijs qui diuinis præceptis integrè obtemperant, omnia inseruire: quod in viperâ etiam, vti suprà retulimus, alio tempore alijs ostenderat.

Cùm semel canoam ascendisset, vt vrbem repeteret, Petrus Leitanus è Societate ipsum comitabatur. Erat malacia summa, æstus grauis ac molestus, traiectio aliquot leucarum, neque vlla aura afflabat. Ægrè eam cæli grauitatem ferebat Leitanus. Videt in arbore Iosephus tres quatuórve quaracies insidētes (eæ sunt aues gallinarum magnitudine, purpureo colore in flauum vergente specie pulcherrimâ) eas Iosephus Brasilico sermone alloquens, *Ite*, inquit, *cognatas consanguineasq; vestras accersite, nostrumq; iter volatu vestro inumbrate.* Illæ extento collo vocem, quasi accepti imperij signum misēre; indeque auolantes, paulò pòst magno grege redierunt, densatæque in nubem tamdiu canoam superuolantes vmbram fecere, donec spatio leucę vnius decurso, lenis afflare cœpit aura Fauonij: tunc Pater auium dimisit comitatum. Illæ quasi imperio perfunctæ, officiosâ crocitatione, & multis lætitiæ signis auolarunt. Hoc idem Leitanus Sacerdos factus post Iosephi mortem multis grauibus viris præsentibus iureiurando interposito publicè affirmauit. Nec mirum, ad hominis voluntatem cum Dei voluntate coniunctissimi, naturas omnes se adtemperare.

Compertum quoque fuit, ipsum solitum, cùm iter faceret, porrecto brachio auiculas accersere, iubereque sibi digito insistere, ac Deum laudare, auesque illi obtemperare solitas: & cùm diu cecinissent, quasi ipsarum penso persoluto, eas verbis illis dimittere: *Quando sat Deum laudastis, abite cum pace.* Idem fecisse & hirundines, cùm in Domo Spiritus sancti è fenestrâ sui cubiculi foras prospectaret. Hæc aliaque, dum in Præfecturâ Spiritus sancti Societati IESV præfuit, à Patribus Fratribusq; in ipso obseruata sunt. Ista ex Vitâ sancti viri excerpta huc adscripsimus.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER DECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De aue varia.



ERGO ad auium amplissimam nationem. A minimâ exordior; maximi tamen miraculi in ortu, in morte, in reuiuiscentiâ, in se totâ. Indi *hoitzitziltototl* vocant. Minima est; (sic illâ describit Franciscus Hernandus) plumis variorum picta colorum; quibus intextis, & mirâ quadam inter sese subtilitate compositis ac industriâ cohærentibus, Diuorũ formas, & quarumuis aliarum rerum, indistinctâ similitudine, Indi artifices exprimunt imagines. Ea est ei natura, vt non diutiùs viuat, quàm flores herbarũ, quarum alitur melligine, durent superstites; postquam verò marcuere, ad pinus aliásve arbores sese quadam naturę prouidentiâ conferat (quod est fide dignissimorum hominum testimonio compertum, & Scribarum fide non vno comprobatum in loco) eique se rostro affixo seruet appensam, donec sex plus minùs trãsactis mensibus, ac decidentibus iam pluuijs, vernantibus agris, ac amicis herbis rursus ortis atque florentibus, denuò reuiuiscat, similes vices pluries subitura. Nec nugæ sunt, aut cuiquam debet hoc esse dubitatum: seruata quippe est non semel auis affixa stipiti intra cubiculum, & cùm sex menses exanimis iacuisset, quo tempore natura sibi comparatum est, reuixit, ac dimissa in agros volitauit. Aiunt præterea eius puluerem intra corpus sumptum, mederi epilepsiæ. Plures sunt harum auicularum differentiæ, colorum varietate, ac corporis distantes magnitudine, quales sunt, quetzalhoitzitzillin duo genera, hoeihoizitzillin, xochiohoitzitzillin, xiuhhoitzitzillin, tolcacozhoitzitzillin, yztachoitzitzillin, tenocohoitzitzillin, & hoitzitzillin. Gomara in Historiâ, quam de Mexicanæ vrbis expugnatione scripsit, vicicilin hanc auiculã nominare videtur. *Maximè quidem*, inquit, *admirabilis est in Nouâ Hispaniâ auicula, incolis dicta vicicilin, corpore non maiore quàm crabronis, oblõgo & gracili rostro. Melle, rore, & florum succo alitur. rosæ tamen non insidet; eius pennæ valdè exiles elegãtis mixti coloris, à phrygionibus admodum expetitæ, vt aureis staminibus intertexant, præsertim illæ, quæ in collo & pectore natæ. Expirare siue obdormiscere creditur Octobri mense, pedibus ex aliquo ramo appensa aprico loco, renasci autem, siue expergisci Aprili, multis floribus iam vigentibus; propterea Renatus vocatur.* Meminit etiam cap. CXCIV. Historiæ Gener. Indiarum his verbis: *Istic reperitur admirabilis auicula cicadæ magnitudine, elegantissimus pennis versicoloribus tecta.* Illud quod ait à pedibus pendere, fortasse non ita compertum, sicut è rostro suspendi, prout Franciscus Hernandus scripsit.

ANSER MAGELLANICVS.



CAPVT II.

De Magellanicâ aue.

IN insulis Magellanici freti repererunt Batauì miras aues, quas à pinguedine suâ *pinguins* appellarunt. Clusius vocat Magellanicos anseres. Videtur quidem mirifica ista auis ex anserum genere, tametsi rostro dissimilis. In mari victitat: pinguis oppidò est, prægrandis anseris magnitudine; nam adultiores ex eo genere tredecim, quatuordecim

etiam,

etiam, ſedecim interdũ, iuniores verò octo, decem & duodecim libras pendere obſeruantur. Pronâ parte nigris pēnis tectæ erant, ſupinâ & in ventre albis. Collum, quod craſſum & breue habebant nonnullæ, albis pennis tamquã torque cinctum. Earum cutis craſſa & denſa inſtar ſuillæ. Alarum erant expertes, ſed earum loco binas paruas coriaceas pinnas habebant, in latera tamquam parua brachia propendentes, pronâ parte breuibus, anguſtis & rigidis pennis confertim tectas, ſupinâ autem minoribus & rigidioribus, iiſque albis, quibus nonnullis locis intermixtæ nigræ; minimè quidem aptas ad volandum, ſed quarum adminiculo velociter natarent. Maximâ enim ex parte in aquâ verſari intelligebam, & terram dumtaxat petere fœtificationis vel pullationis tempore, & plerumque quaternas aut quinas in vnâ ſcrobe latere. Roſtrum coruino maius habent, non adeò tamen elatum, & valdè breuem caudam; pedes nigros, planos anſerinorum pedum formâ, non adeò tamen latos. Erectæ & ſublimi capite incedunt, demiſſis in latera pinnis, tamquã brachijs, ſic vt procul intuentibus homunculi aut pygmæi appareant. Piſcibus dumtaxat veſci, referebant Diariꝫ; non ingrati tamen ſaporis eſſe illarum carnem, nec piſcem ſapere: ſcrobes verò valdè profundas in littore fodere, cuniculorum inſtar; totum ſolum adeò cauum interdum efficientes, vt per illud gradientes nautæ ſæpiuſculè genutenus in eas ſcrobes inciderent. Hi ſunt fortaſſe anſeres, quos Gomara ait ſine plumâ eſſe, numquam è pelago prodire, plumæque loco villo longo protegi.

CAPVT III.

De lepore aqueo.

GEnus eius anatis, quam colymbum Ariſtoteles, Gaza verò vrinatricem vocat, *acitli* ſeu aquatilem leporem conſueuerunt vocare Mexicenſes. Hæc cum deſcriptâ delineatáque à quibuſdam recentiorum eadem prorſus eſſet, niſi caput longè maiori inſigniretur cruſtâ, atraq; venter colore argenteo ſplenderet, & collum infernè niueo, ſupernè verò è nigro vergente in fuſcũ. Lacubus innatat, ac iuxta eos perpetuò verſatur: nam neque volandi potis eſt, neque per terram commodè incedendi; femoribus ita reliquo corpori connexis atque coalitis, vt natatui non inceſſui queant inſeruire. Piſcibus quos inuolat veſcitur, indeque victitat. Prolem in iuncetis atque arundinetis educat, nec anatum noſtratium vulgarem vincit magnitudinem. Maſculus aliquantò longior eſt, corpore, collo ac criſtâ ampliori. Roſtrum feminæ breuius eſt, nigrum, & vtrimq; iuxta oculos plumis fuluis tectum, cùm mas candentibus tegatur. Hęc eſt auis illa, quam Indi fabulantur ventos euocare, vbi ſe peti ab aucupibus ſentit: quibus flantibus turbatiſque vndis euertantur monoxyla, illamq; inſequentes ſubmergantur, ſi quinque prius ſagittis excuſſis arcu non contingat attingatque trucidari. In eius diſſectæ corde reperiri gemmam arbitrantur ad multa vtiliſſimam, & maximo habitam in pretio, nec alij quàm Deo conſecrandam. Verùm hæ nugæ ſunt, & mendacia ab horum hominum profecta credulitate. Inſuaui parumq; ſalubri, velut & aliæ aues paluſtres, nutrimento conſtat, atque ideò à nullo ſagacioris palati in cibos admittenda.

CAPVT IV.

De paſſere ſtulto.

MEruit famam & nomen inſignis ſtultitia aut ſimplicitas huius auis, mitiſſimæ. Manus apprehendentium non fugit, nec timet: admiratur ſolùm, aut ſtupet. Veſcitur piſciculis; voce imitatur graculum, magnitudine picam, formâ larum. Præter frontis partem roſtro adiacentem, quæ cinerea eſt, palmipes, roſtro tres vncias longo, tenui, obrotundo rectoque, ſed propè extrema nonnihil incuruo: pedibus quoque, qui ceterorum palmipedum ſunt, & cruribus nigris, pupillâ etiam nigrâ, & membranâ oculos tegente in ambitu cinereâ. Marina auis eſt. Ceterùm manſuetudo auium inſulæ Cernæ nobilis eſt: appellentibus nautis perinde inſident ac arboribus. Eadem ſecuritas venatus eſt, accedunt ac ſubeunt manus.

CAPVT V.

De aue ouimagnâ.

QVadam ouorum & pullorum inſolentiâ celebris eſt auis daie dicta, non excedens colũbam, & commodè edulis. Nidum caudâ ac pedibus excauat locis ſabuloſis, quatuor altum ſpithamas, vbi ponit oua per imbres, anſerinis maiora, & pugnum ferè lata, dicta ab incolis tapun, quinquagena pluráve, & citra vllum albumen craſſæ & pinguis ſubſtantiæ, quæ aſſa coctaque, boni ſunt ac pinguis alimenti; frixa verò, craſſi maliq;, & concoctu difficilis. Mirum eſt, auem tam paruam, tantæ magnitudinis oua, tamque numeroſa edere; eadem tam profundâ in

ſcrobe collocare,& collocata citra incubantis parentis opem atque teporem excludi,& ſtatim euolare pullos inde excluſos.

CAPVT VI.

De aue coruipetâ.

MAgnam audaciam exiguum capit corpuſculum. Minima auicula (*guitguit* appellant Indi) regulo eſt ſimilis, viridi colore, & ſuaui nutrimento. Ea eſt naturæ rerum vis,vt hæc tantula auis, ac ferè nulla, audeat perſequi coruorum examina, eoſque cogat vbilibet latitare, & ſe aduerſus illam in arundinetis tueri.

CAPVT VII.

De maiâ.

ESt & aliud auicularum genus in inſulâ præcipuè Cubu gregatim volantium, & ryzi (cuius ſeminis maximus eſt apud eas gentes prouentus atque vſus) deuaſtantium ſata, nomine *maia*, multi nutrimenti, gratique & facilis coctionis, coloriſque fului, cui eſt in colli poſticâ parte caput (dictu admirandum, & nulli alij animali conceſſum) ventriculus, primumque receptaculum nutrimenti.

XOCHITENACATL.



CAPVT VIII.

De paſſere longi-roſtro.

INſignis enormitate roſtri (*xochitenacatl* dicitur) auis quædam lacuum & littorum maris Septemtrionalis alumna, ſeſquipalmum longa, ſi roſtrum excipias, quod octo pænè vncias prolixum eſt, ac tres latum, portentoſâ nempe magnitudine,& vniuerſi corporis longitudinem pænè æquante, ſerratum, coccineum circa extremum, circa alias verò partes cyaneum, & ex albo palleſcens: ſed ſingulis momentis (quod fide pænè caret) mutat colorem. Collum longum eſt廷 ſupernâ parte, & fuluum; infernâ verò & circa latera ex albo palleſcens, ſed rubeis hemicyclis diſtinctum. Cauda nigra eſt,circa cuius exortum plumæ inſunt albæ & rubeæ. Pedes & crura cinerea ſunt, ſed maculis cyaneis variata: vngues nigri, oculique, ſed iris rubeſcens ex albo, quam cyaneus ambit circulus. Cetera ex nigro fulueſcunt. Domeſtica auis eſt; ſaliens incedit, alitur quouis nutrimento, & quibuſque etiam regionibus ad quas deportatur, viuit.

ALTERA XOCHITENACATL.



CAPVT IX.

De alterâ xochitenacatl.

ALtera xochitenacatl eſt columbæ magnitudine, roſtro præ corporis mole maximo, ſuperiori parte luteo, inferiori verò ſubnigro & in purpureum colorem vergente, oculis nigris, ſed iride rubeſcente ex luteo, ac reliquo corpore cæruleo cinereoque. Viuit circa litora Oceani Auſtralis; piſcibus, quos rapit, veſci ſolet.

CAPVT X.

De aue caudatâ.

NOn minùs nobilis eſt yayauhquitototl fine ſuo. Duæ illi ab extremâ caudâ pennæ prodeunt reliquis longiores, priori parte depiles, in extremitate cyaneis ac nigris ornatæ pilis. Corpuſculum auis æquat ſturnum: variegatur viridi, cyaneo, fuluo & cinereo.

CAPVT XI.

De aliâ xochitenacatl.

AVis hæc eſt littorum Auſtralis alumna, columbæ par, roſtro craſſo, acuminato & nigro, oculis nigris, iride luteâ; alis caudaque albo & nigro colore variatis, tæniâ nigrâ à roſtro ad dextrum vſque pectoris procedente, alis verò circa priores partes etiam luteis, ac vniuerſim reliquo corpore pallenti, ſi demas pedes & crura, quæ fuſca ſunt, & vngues ipſos, qui ex albo nonnihil palleſcunt. Viuit iuxta arbores floridas, quarum melligine victitat. Educat verò ſobolem, habeturque maximi à Tototepecenſibus, apud quos eſt frequens.

CAPVT XII.

De momot.

PRoxima eſt caudatæ aui momot, calentium regionum alumna, columbæ magnitudine, coccineis oculis & pupillâ nigrâ, roſtro incuruo ſubnigro, tres pænè digitos longo, acuminato, infernè breuiori, ſerratoque supernè, capite cæruleo & pauonino, fuſcis pedibus, virentique reliquo corporis colore. Rarum eſt, caudæ ineſſe pennam vnicam ceteris longiorem, & quæ extremâ parte tantùm ſit plumata, tantæque pulchritudinis auis, nullum prætterquam plumarum patere vſum.

MANVCODIATA.




CAPVT XIII.

De manucodiatâ.

ADmirati ſumus aues manucodiatas ſiue paradiſiacas. Indigenæ putant è cælo deſcendiſſe, ideò appellarunt manucodiatam, id eſt, auem paradiſi, ſiue Dei. Hugo Lincoſtanus & noſter Iarricus ſcribunt, à Luſitanis vocari *paſſaros de ſol*, & non niſi in ſolem volare. In meo Sigalione inge-

MANVCODIATA ALTERA.




ingenium huius auis celebraui, dum eam introduxi ita concinentem:

Me vita pauper iure ditat cælico,
Rupe atque ramo inops recumbo nullibi,
Nec hospitatur terra aut frons puerperam.
Egena pullis terga sunt cunabula.
At nemini inuideo, dominor almis plagis;
Immunis aucupum dolosis artibus.
Iugisq; pendeo pede absque, ne luter.
Aether vicarius mihi est rerum omnium.
Subsisto dum memet, quies æther mea:
Conuiua sum dîs, libo florem nectaris,
Collega sum compar ob inopiam Iouis.
Diuinitatis ars habere nil fuit.

Caret pedibus hæc auis, in aëre suspenditur volatu pertinaci. Quod vetustis ignotum, & fortasse incredibile, iam certum Auctoribus & probatum Gesnero & Aldrouando contra Pigafetam. Nunc rursus in medium voco fidem, & ne repetam, quę eruditissimè Aldrouandus collegit, duos tantùm exhibeo scriptores, qui ingenium huius auis præsentent diuersis placitis. Vnus qui pedes illis prodigat, alter qui truncet. Hic sit Frãciscus Hernandes, non ignauus naturæ nouæ interpres, qui in manuscriptis, seruatis in Bibliothecâ regiâ S. Laurentij inquit: Offendit tamen veras apodes vita, & quæ per tot sæcula homines latuerant, nauigatio in Malucas deprehendit, nempe aues non pedum tantùm vsu, quales multo anteà tempore orbi innotuerunt, sed pedibus ipsis omnino carentes, & eorũ loco pennas fuluas, hispidas, tenues, duas spithamas & quatuor vncias longas, à medio pęnè corpore prodeuntes, crinium crassiorum instar sortitas, quorum vsus est (si vsquam à volatu cessant) arboribus appendere, quando considendi sunt impotes, & alligari inter sese marem & feminam, cum foueâ dorsi maris imposita oua cauitate anticâ femina incubat, fouet & amplectitur. Sunt enim qui affirment, perpetuos volatus edere, ac sublimi semper pendere cælo; & si in solum deturbari casu aliquo contingat, à pueris facili operâ comprehen-

REX AVIVM PARADISEARVM CLVSII.



prehendi. Neque verò difficile est in tantâ corporis paruitate, & pennarum amplitudine, in aëre ipso velut in arborum ramulis aut in infimo solo collocari, ac velut iacere: vix enim carduelem acanthillidáve vincunt magnitudine; cùm pennarum ambitu, quæ duas spithamas & vncias quinas prolixæ sunt, aquilis non cedant. Sunt hæ magnâ ex parte tenues, rufescentes ex albo, & à scapulis ac reliquo corpore, non ab humeris brachiisve, cùm eis careant, procedentes. Rostrum est nigrum, binas ferè prolixum vncias, ac mediocriter incuruum; columbinum caput collumque, sed caput partim aureo ac partim pauonino colore præditum, collum verò infernè pauoninum, aureum verò supernè; pectus ac dorsi pars quædam aurea est, sed fuluis hemicyclis velut vndulata; dorsum verò ad extremum vsque caudæ, quæ admodum breuis est, si cum reliquarum pennarum prolixitate comparetur, fuluum, sed vergens in fuscum. Rore viuit vaporibusque, & fortassis animalibus paruis ac ferè nullis, si quæ fortasse sunt in aëris parte excelsiori; prouidente naturâ, vt quæ non nisi in aëre pendere poterat, nullo ibidem parato egeret alimento: & cùm ieiuna perpetuò intestina sint, carnosum, & quantum satis est, & pinguedine redundans corpusculum reperitur. Ornant indigenæ hac aue desiccatâ caput, vsi eâ cristæ loco, ob pennarum pulchritudinem, colores varios, & eiusdem auis mirandam raritatem atque speciem.

Ceterùm magnâ nos admiratione naturæ mulctauit Clusius, cùm has aues pedibus instructas fecerit, nisi aliunde restauraret pleniori historiâ de moribus earumdem, politiâ, & fide in regem. Eius sententia hæc est. De manucodiatâ igitur, siue eâ aue quæ à paradiso cognomen accepit, plerique inter neotericos (veteribus enim ignotam fuisse opinor) scripserunt: nemo tamen, meâ quidem opinione, exactiùs quàm clarissimus vir Vlysses Aldrouandus. nam de omnibus rebus quæ ad eius auis historiã facere possunt, accuratissimè & subtilissimè disputauit, atque in quinque species distinxit; totidem enim se obseruasse scribit. Video enim ipsum & reliquos omnes qui de hac aue commentati sunt, in hoc conuenire, vt illam pedibus carere iudicent, quia quotquot ipsis fuere conspectæ, eæ non nisi pedibus mutilę. Hinc factum est, vt Antonium Pigafetã, qui cum Magellano profectus, naue Victoriâ vectus, totum orbem primus circuiuit, mendacij & falsitatis arguere, fidemque eius imminuere non sint veriti, quòd è longâ illâ nauigatione redux, huius auis notitiam Europæis hominibus primus dederit, & in nauigationis suæ Diario pedes [crura dicere voluit] palmum longos, sed tenues, huic aui tribuerit. Ego sanè, licet hactenus in eadem erroneâ opinione cum illis sim versatus, vt eas aues apodes censuerim (præter Aristotelis sententiam, qui nullã auem absque pedibus asserit) quia quas mihi videre contigerat, tum in Hispanicâ meâ peregrinatione, Vlysippone binos menses hærens, tum in Belgio apud diuersos qui exoticis huiusmodi rebus delectãtur, omnes sine pedibus vidi & exenteratas; tum tamen temporis, vt verum fatear, minimè curiosus eram ad obseruandum an aliquod inter eas discrimen. Postremæ tamen Batauorum nauigationes in Indiam effecerunt, vt sine difficultate sententiam mutauerim, cùm Amstelredamum, quasdam integras, cruraque cum pedibus retinentes, allatas esse certum sit, & ab ijs qui conspexerunt intelligebam, crura illa picæ variæ cruribus admodum esse similia, infimiora tamen, nec adeò crassa, coloremque habere non atrum, sed ad castaneum tendentem. Nihilominùs tamen videre cupiuissem: & si vnam dumtaxat nancisci licuisset, statim in tabellâ exprimẽdam curassem, vt Lectori spectandam proponerem, & Pigafetæ fidem confirmarem: sed cùm illicò propter raritatẽ fuerint redemptæ, & Francofurtum ad Mœnum translatæ, & inde porrò vna ad Cæsarem Rodulphum huius nominis Secundum (cuius Maiestatem his rebus peregrinis & omnium naturæ miraculorum cognitione impensè delectari audio) meâ spe frustratus sum. Si verò contingat aliquas integras denuò adferri, idque tempori resciuero, dabo operam vt nancisci possim, vel saltem commodato, vt eius iconem exhibere queam, ad conuellendam vulgò conceptam de illis auibus opinionem, quæ apodes esse sentit. Ceterùm nautæ qui has aues attulerant, licet insulas, in quibus ipsæ aues nascuntur & viuunt, non adierint, ab illis tamen, à quibus redimebant, intellexisse mihi affirmatum est, omnes pedibus esse præditas, incedereque & volare aliarum auium instar, sed incolas, simul atque eas ceperunt, intestina pedesque adimere & abijcere, deinde Soli exponere vt faciliùs arescant, aridas adseruare vt venumdent, aut suis cassidibus pennarum loco aptent. Addebant præterea, eas aues in siluis versari, & triginta quadragintaquaque simul per turmas volare solitas, ipsarũ rege vel duce comite, qui supra reliquas perpetuò sublimis volat, atque (quod fabulæ proximum) si sitis molesta est, aliquam à caterua primùm ad aquam emitti explorandi gratiâ: quæ si à potu nullam noxam senserit, tum demum totam cateruam aduolare, & bibere; sin autem morbida

bida redierit, eam aquam à reliquis vitari, easque auolare aliam inquisituras. Addebant insuper, insulanos aquam hac ratione solere inficere ad aues captandas. Conspicientes harum auium aliquam turmam præteruolantem, quò sese conferat, obseruant, atque vbi auem missam bibisse, & reuolare vident, illicò venenum in illâ aquam injiciunt: quam dum tota turma gustatum venit, inficitur, & sic præda fit. Sed etiam illas aues interdum sagittis peti solere, atque si contingat illarum regem interfici, illo cadente, reliquas aues, quæ in eâ turmâ, simul cadere, & sese comprehendendas præbere, tamquã amisso rege vitam retinere nolentes. Istarum porrò auium duo genera constituebant: vnum maiorum, quæ elegantiores; alterum minorum, & minùs elegantium: vtrique autem generi suum esse regem peculiarem, & colore differentem. Maioris generis aues, quarum rex elegantis & venusti coloris, in insulâ Arou siue Aru (sic enim illud ou pronuntiãdum) dumtaxat reperiri: minoris verò generis aues in insulis Papuis, insulę Gilolo vicinis produci, earumq; regem minùs elegantem esse, nigris pennis præditũ, sturno magnitudine parem, pennasque quasdam habentem setarum equinarum instar. An verò rex iste niger, illa species quarta à C. V. Aldrouando exhibita? Requisiti autem, qui has aues vendebant, à nautis, quo nomine apud incolas appellarentur, responderunt *Boëres* vocari, hoc est, aues: omnes enim aues sic nuncupant, nec peculiaribus vocabulis distinguere norunt.

Describit deinde Clusius aliquas harum auicularũ. Ego insolentioris tantũ transcribam formam, scilicet regis auium paradisiacarum maioris generis. Erat autem ea auicula alijs manucodiatis minor, & diuersis pennis prædita: nam à capite ad caudam duarum vnciarum longitudinem vix superabat. Caput illi valde paruum, quod cum rostro vnciam cum semisse dumtaxat longũ erat. Ipsa cauda eamdem longitudinem habebat; alæ verò toto auiculæ corpore longè maiores, vt quæ vncias quatuor cum semisse prolixæ essent, & binas vncias vltra extremam caudam porrigerentur. Rostri color albus, cuius superna pars vnciam longa, & breuibus elegantibusque plumulis siue villis rubri coloris ad mediam vsque partem tecta, sericorum quorumdam staminum instar, quemadmodum & tota capitis pars anterior: inferior verò rostri pars vnciam similiter longa, quam tamen aliquantulum superabat prona: media capitis pars vtrimque circa oculos paruas maculas nigras expressas habebat. Collum cum pectore exilibus pẽnis saturè rubris, & quasi sanguinei coloris tectum, vt quodammodò sericeis etiam staminibus constare viderentur. Omnes deinde pennulę, dorsum & remiges alarũ pennas caudámque tegentes, pænè vnius erant coloris. Singulæ verò alæ tredecim pennis remigibus constabant, pronâ quidam parte fusci ex rufo coloris, supinâ autem ex flauo fusci. Cauda septem aut octo pennis fuscis erat prædita, quas minùs diligenter distinxit pictor, aut ob pennulas eas tegentes, distinctas exprimere nõ potuit. Supina porrò corporis pars sub pectore, velut torque minimum ferè digitum lato insignita erat, atris plumulis tamquam staminibus sericeis constante. Pennæ ventrem tegentes albæ erant, sed quæ alis proximæ, nigræ, & earum quinque aut sex in singulis lateribus longiores; binas videlicet vncias æquabant, atque in latiorem extremitatem viridi elegantissimoq;, & splendente haud secùs ac anatis ferè masculi collum, præditam desinebant. Ex vropygio autem inter caudæ pennas binæ prodibant velut setæ equinæ, tenues, firmæ autem, septem aut octo vncias longæ, & illæ quidem prorsus nigræ, sed quarum extremitates ad vnciæ longitudinem in orbem conuolutæ erãt, ab vno dumtaxat latere tenuissimis villis præditæ, qui pronâ parte coloris viridis saturi splendentis & elegantis, pæne instar pennularũ, quæ anatis feræ maris collum tegunt, magnam sanè venustatem toto auiculę corpori addentes: supina autem eorum pars fusci coloris erat. Intelligebam etiam, quosdã esse conspectos, qui setas illas haberent, alteram super alterâ versus extremum decussatim sitas. Hæc Clusius.

Aliquas tamen ego manucodiatas ab Indiâ adductas vidi, sed nescio vnde pedes auulsi. Quin si terræ aut ramo darent se, magnum incommodum acciperent in pennis, nec sine periculo hærendi, ornatu ipso intricatæ. tota enim auis videtur aëri nata, & potiùs opus esse vi ad deprimendum se quàm ad sustinendum in æthere: tantâ leuitatis supellectili exornatur. Mihi quoque renuntiauit testis oculatus, qui collegit paradisiacam istam auem recens mortuam, nullos in illâ pedes inuenisse.

CAPVT XIV.

De aue verminosâ seu tuputâ.

INsolens videtur natura in aue quæ tupute vsurpauit nomen à cantu, etsi aliunde insolenti putredine sit celebrior. Viua tota farcitur vermibus, hos pro carne habet, his singula membra imbuta: præter hos & pellem, nihil carneum. Cutem non perforant densis exornatam pennis. Versatur in ca-

carectis & herbosis locis, proceras arbores non amat. Phasiano formâ similis est, sed minor. Diligens Indicarum rerum scriptor Franciscus Hernandus eodem modo narrauit huius admirandæ auis naturam.

CAPVT XV.

De Mozambicanis gallinis.

TEtra quoque est caro gallinarum in Mozambicâ, quarum pennæ, carnes & ossa adeò nigricant, vt coctę in atramento elixæ putentur; sapidissimæ tamen & reliquis longè meliores creduntur.

CAPVT XVI.

De aue cornutâ.

ADmirandi opificij est auis, quam Indi *yohualcuachili* seu caput nocturnum chilli appellant. Assurgit illi ab rostri exortu corona quædam, aut orbis in tres diuisus cuspides, superiori parte mediocriter crassus, & è luteo rubescens: ab anteriori alarum bini aculei contorti exeruntur. His armis auicula imbellis aduersus fortiores defenditur. Nullius vitam natura contempsit. Auis est littoris Oceani Septemtrionalis alumna, salsorúmve lacuum, è quibus victum sumit. Inuenta apud flumen Tuspe, vix æquat sturni nostratis magnitudinem, sed collo constat tenui & longo, capite paruo & in longum producto, prolixo rostro luteoque, prolixísque cruribus, & pedum digitis atque vnguibus: vngues autem lutei sunt, digiti & crura cinerea cum inferiorum femorum parte, nam superior fulua est cum anteriori alarum parte, quarum posterior cyanea est. Reliquum corpus nigrum, quibusdam tamen fuluis circa ventrem permixtis pennis.

CAPVT XVII.

De aue ridibundâ.

SÆpè non secura lætitia. Æmula risus humani est quapachtototl seu auis fulua, propterea inauspicati infamiâ ominis fuerat infensa Indis. Octo vncias longa est, ac totidem cauda; rostrū è cyaneo nigrum, longiusculum incuruumque; oculi nigri, & iris alba; pectus cinereum, ac inde ad caudam vsque venter niger; cauda ex nigro fuluescens, alæ verò, collum atque caput fulua, vnde inuenit apud Indos nomen. Grato aiunt constare nutrimento.

CAPVT XVIII.

De luscinijs.

LVsciniæ in Hispaniolâ toto anno concinunt.

CAPVT XIX.

De gallis.

IN pluribus Indiarum plagis sub dimidiam noctem tacent galli; tam irregularis sunt cantus.

CAPVT XX.

De aue barbatâ seu tentzon tototl.

APpellatur tentzon tototl, auicula passere minor, colore fusca, pilis quibusdam ad rostri radicem circumcircà propendentibus, barbæ instar, vnde nomen vsurpauit.

CAPVT XXI.

De aue viuiuorâ.

TLauhquechul dicitur auis peregrinæ gulæ: viuis dumtaxat piscibus vescitur, mortuos non attingit; raptu gaudet, specie similis est plateæ aut pellicano, sed coccineo pulcherrimoque vniuersi ferè corporis colore, aut ex albo rubrescenti, lato atque obrotundo circa finem rostro, cinereoque: pupilla nigra, iride rubrâ rugosâ, fronte gallipauonis, auræve, depili pænè capite, candentique cum vniuerso ferè collo, & parte pectoris, & fasciâ nigrâ latiusculâ, caput à collo distinguente. Circa littora maris aut fluminum viuit.

CAPVT XXII.

De coturnice aquaticâ.

ACoturnicis magnitudine vocatur acolin quędam auis fusca Mexicani lacus: prolixo est rostro, & curuo in inferiora, pedibus longis: iuxta aquarum summitatē cursitat celerrimè, numquam ferè volat, vescitur pisciculis, & ipsa esca vulgo.

CAPVT XXIII.

De coruo.

CAcalotl seu coruus candidis aliquibus pennis inuenitur in Indiâ: sed variegatum triplici colore, & duplo maiorem quàm Europa, insula Cerne alit.

CA-

CAPVT XXIV.

De coruo aquatico.

ACacalotl mas, seu coruus aquaticus à caudâ extremâ ad rostri vsque acumen quatuor ferè spithamas longâ, ac mediocris amplitudinis; crura sesquispithamea, rostrum arcus instar incuruum, duos palmos longum, ac mediocriter tenue: pedes in quaternos finduntur digitos nigerrimis munitos vnguibus: crura minùs nigrescunt digitis, rostrum cyaneum est, ac caput exiguum. Plumæ infernæ fuscæ insertis rubris, superiores verò promiscuę purpureæ, subnigræ, virides atque splendentes: ceruix est septem digitos longa. Caput collumque pennis fuscis, albis & viridibus teguntur ac paulisper fuluescentibus. Oculi sunt nigri; iris verò sanguineo tegitur colore. Ceterùm ab externis oculorum angulis vsque ad rostrum, vnciæ vnius interuallo deplumis & glabra est pellis rubescensque ex albo. Alę viridi splendentique subtus pellucent colore, & qui pro varijs solis repercussibus euariet atque mutetur; supernæ verò prope exortum passeæ sunt, deinde verò viridi atque pauonino spectabiles colore. Indigena Mexicanę plagæ auis est: versatur circa lacus, ac piscibus victitat. Masculus fortassis est eius auis quam recentiores vocant arcuatam, aut illi saltem congener. Educat filios veris tempore iuxta lacustria loca. Bonum præstat alimentum, nec valdè iniucundum, crassum tamen, atque (vt lacustres aues decet) piscosi odoris.

CAPVT XXV.

De anatibus cornicinibus.


IN Asiâ quoddam est genus anatum, quod non immeritò quis inter cornicines retulerit, ita voce cornuum sonitum imitantur, quę inflare solét per dispositos equos iter facientium duces. Est ea auis, quamuis inermis, audax & strenua: quam etiam malos dæmones terrere, Turcis persuasum est: certè libertatis adeò retinens, vt etiam per totum triennium in corte nutrita, facultatem nacta, libertatem saginæ anteponat, sedesque naturales & suetos alueos volatu repetat.

CAPVT XXVI.

De auibus non consistentibus.


TZtactzon yayauhqui, siue auem varij capitis vocant Indi speciem anatis, rostro nigro mediocriter lato, vniuerso pænè corpore candenti, nigro atque cinereo, sed circa collum & caput, purpureo, albo, cyaneo, viridi, ac ad solis repercussus lapidis aut vestis heliotropiæ instar, vario atque pauonino. Palmæ cruraq; rubra sunt, alimentum verò quale ceterarum palustriũ; lacui siquidem Mexicano aduena est. Illud minimè prætereundum, anatis id genus non ingredi, sed natare velut & acitli, seu lepus, vocatum ab aquâ, vt vtrisque crura etiam eodem modo natatui tantùm concessa, minimeque ad incessum, vt quæ extremo adhærescant & conglutinentur corpori, velut auibus monstrificis, & quæ fortasse ceteris alijs naturæ artificijs raritate & mirabili fabricâ non cedant.

MERGVS AMERICANVS.



MER-

MERGVS MAXIMVS FARRENSIS siue ARCTICVS.



CAPVT XXVII.

De mergo Americano & Arctico.

EXiguis alis hæc volucris est, propterea monstrosa. Idem pedũ opificium obtinuit mergus Arcticus, è Noruegiâ ab Hoiero Medico missus ad Petrum Pauvvium, quem Clusius descripsit. Auis marina est,& palmipes,ansere domestico maior,aut certè magnitudine illi æqualis: nam à collo quâ parte pectori coniungitur, vsque ad oropygium, binos pedes longa erat: corporis ambitus binorum pedum longitudinem superabat. Alæ quatuordecim vncias longæ; cauda breuis vix trium vnciarum, collum ferè octovncias longũ,eius ambitus paulò maior, caput breue, tres vncias latum, rostrum nigrum,mucronatum,quatuor vnciarum magnitudinem superabat. Lingua pænè tres vncias longa,nigra,mucronata,cartilanigea, quodammodò carinata,superiore parte quâ rostri parti connexa erat,paruis dentibus introrsum recuruis vtrimque prædita, mediâ autem parte aspera: palatum similiter quatuor exiguorum & breuium dentiũ introrsum spectantium ordinibus constabat, quibus escam retineret & conficeret: nam rostrum dentatum non erat. Totum corpus densis pennis tectum habebat,quæ in pectore,toto ventre, & alarum supinâ parte breues & candidæ, in dorso autem alarumque pronâ parte longiores & nigræ, singulæ tamen circa extremum geminis maculis albis insignitæ, quæ in dorsi quidem lateribus longiores, maioribus, quæ verò circa collum in medio dorso aliśque supra caudam, minoribus; sic vt aliæ alijs incumbentes, inuicemque tegentes ad maculas illas vsque, eam ferè varietatem repræsentarent, quæ in meleagride siue Numidicâ gallinâ conspicitur. Collum velut torque cinctum erat,è nigris pennis constante: caput etiam similibus pennis tectum; quæ tamen oculos & rostrum ambiebant,paruis maculis albis erant distinctæ; sub gutture etiam aliquas paruas pennas albas nigris permixtas habebat:prona similiter colli pars supra torquem illum nigrarum pennarum, ad vnciæ longitudinem paruis pennis nigris,latera tamen alba habentibus,erat ornata, quemadmodum & ea pars quæ infra torquem in pectoris lateribus,infra podicem, nigrarũ pennarum transuersam lineam habebat, quas albæ subsequebantur,deinde sub caudâ aliæ nigræ albis maculis notatæ. Crura habebat in extremo corpore sita,paullò longiora tribus vncijs,plana,nigra;pedes quatuor vncias longos,plusquam tres latos,nigros tribus digitis præditos (quorum interiores tribus articulis constabât,breuioresque erant, medij quatuor,exteriores quinque) nigrâ membranâ simul connexos ad vngues vsque,qui plani. Singuli etiam pedes, in posteriore parte paullò supra inflexionem, paruũ articulum instar calcaris habebant. Circa Farrensem insulam, quæ inter Noruegiã & Islandiam sita, captam hanc auem scribebat Hoierus, fœtum in vndis educare,nec nisi procelloso mari ac circa Autumnum, hiemísve initium conspici,terram verò numquam attingere, nec volantem vmquam esse conspectam, adeoque nec alarum vsum habere ad volandum,nec pedum ad incedendum: quo fit, vt non nisi capite extet (eo referente) quando se conspiciendam præbet. Huic non valdè dissimilis videretur mergus ille marinus,cuius meminit Gesnerus in Paralipomenis ad Historiam de Auibus pag.767.nisi illi in dorso cinereas plumas nigris maculis conspersas tribueret. Huic similis est aqueus lepus, cuius iam meminimus.

CA-

CAPVT XXVIII.

De quachiltone.

VIgilias & cantus galli quachilton æmulatur, siue auis siliquastrini capitis. Aliqui *yacacintli* vocant. Intempestâ nocte, & sub primo manè gallinaceorum ritu canit. Color illi purpureus, ex nigro interſertis candentibus pennis. Roſtrum initio pallet. Adoleſcentibus rubet caluities iuxta roſtri exortum: fulicam imitatur: lutea crura in virorem aſſurgunt, in quatuor deſinentia digitos pallidos, citra vllam membranam. Oculi nigri, iris fulua. Lacuſtris auis eſt, piſcibus veſcitur, ipſaque non ingrata palato.

CAPVT XXIX.

De aue latiroſtrâ.

ESt apud Indos genus quoddam anatis feræ (hirundinem Hiſpani indigenæ appellant) tempatlahoac domeſticæ magnitudine, quare idem vſurpauit apud Indos nomen; roſtro lato eſt & longo, vndequaque nigrante. Lingua alba, cruribus palmiſque ex pallido rubeſcentibus, collo & capite viridibus, purpureis, & nigro ſplendentibus colore, adeoque pauonino aut heliotropiæ gemmæ: oculi nigri ſunt, & pallens iris, pectus candens, reliquum verò corpus infernè fuluum, & binis maculis iuxta caudam vtrimque candentibus inſignitum, supernè verò ſemicirculis quibuſdam in ambitu ex albo, tendentibus in fuſcum; intra verò è nigro in viridem ſplendentem. Alæ initio cyaneæ ſunt, mox candidæ, & tandem virenti micantes ſplendore: earumdem tamen extrema altero latere fulua ſunt, altero verò fulgida atque viridia: cauda deſuper ſubtuſque per ambitum candeſcit, ceterùm infernè nigra, pauonacea verò ſupernè. Aduena eſt lacui Mexicano, & quale aliæ lacuſtres aues ſolent præſtare alimentum.

CAPVT XXX.

De aquila criſtatâ.

VEnuſtum genus aquilæ, & inſignito capite regium, vocant Indi yzquauhtli, roſtro ad radicem luteo, deinde verò nigro, nigris vnguibus, pedibus pallidis, cruribus ventreq; è nigro & candido permixtis; collo fuluo, dorſo & caudâ nigris ac fuſcis, coronâ criſtâve nigrâ. Magnitudinem circiter æquat vulgaris arietis, & vel ferocium audaciam animalium, adeò vt homines etiam ipſos, poſtquam cicurata eſt, leui ex causâ aggrediatur & inuolet: miteſcit tamen, & aucupio non minùs ac reliqui accipitres, quorum genus videtur, idonea eſt atque inſeruire ſolet. Auis digna quæ à Regijs aucupibus alatur ac circumferatur.

CAPVT XXXI.

De aquilâ virgæ.

VIlior eſt tlacoquauhtli, ſeu aquila virgæ: frigidas amat plagas: aſturis magnitudine, fuſca & cinerea, rapax auicularum, murium, lacertarum, colotorum, quibus veſcitur.


CAPVT XXXII.

De ſtruthione.

SAgaciſſimi ingenij eſt ſtruthio in Occidéte. Suri ab Indis, ab alijs *iardu* vocatur, ignobilioris & inelegantioris pennæ, quàm in Africâ. Color non plenè albus, ſed in fuſcum degenerans. Vix vllo cane, niſi conſectentur plures, capitur. Currit obtentâ vento alâ, miro aſtu, vt impetum venti reuocet ad canem, & retardet; defeſsâ vnâ, obijcit alteram alam, in quâ aculeum habet quo ſe pungit, vt magis incitet curſum, velut curſor equum calcari agitat. Ouis incubat mas; cogit viginti aut triginta femellas, vt in eodem loco oua pariant: quo effuſo, ſtatim mordet & abigit, poſteà ipſe fouet. Mirabilior illa œconomica: vnum aut duo oua ſepoſita ante nidum locat, donec ex reliquis pullos edat; tunc perfodit ouum præpoſitum nido, quod quia corruptum eſt æſtu, aduocat ſcarabeos & muſcas, quibus paſcit ſtruthio pullos. Exhauſto primo ouo, terebrat alterum, ad penu etiam ſuæ familiæ. Sic componitur, quòd Scriptura ſacra accuſet impietatis erga prolem ſtruthiones, & Auctores ob pietatem laudent: ſcilicet mares amantes ſobolis ſunt, feminæ contemnunt.



EMEV CLVSII.



CAPVT XXXIII.

De emeu.

IN Bandâ insulâ, vnâ ex Moluccis, emeu auem, siue eme, repertam describit latè Clusius. Hæc porrò auis dum surrecto capite incedebat, quatuor pedum & aliquot vnciarum altitudinem excedebat: nam collum à summo capite ad dorsi initium tredecim pænè vncias erat longum, ipsum corpus binos pedes latum, femora cum cruribus vsque ad pedū inflexionem decem & septem vncias longa; corporis autem ipsius longitudo à pectore ad oropygium trium pedum fermè erat. Pennæ seu veriùs plumæ totum auis corpus cum infimâ parte colli, dorso & pectori proximâ, atque femora tegentes, perpetuò erant geminæ, ex eodem paruo breuique tubulo prodeuntes, & sibi inuicem incumbentes, supernâ quidem paullò crassior, infernâ verò tenuior & delicatior, illæque variæ longitudinis, vt in similis auis exuuio, quod Christianus Porretus Leydensis pharmacopœus diligētissimus habebat, obseruabam. Quæ enim in infimâ colli parte breuiores erant, quæ in medio corpore & lateribus longiores, sex videlicet aut septem vnciarum; quæ autem in extremo corpore circa oropygium (nam caudâ carebat) nouem vncias longę, & reliquis duriores. Quāquam omnes duræ aut rigidę, attamen non latæ, sed angustæ, & rarioribus lateralibus pilis ex aduerso sitis præditæ, nigri coloris, quæ tamen circum femora ad cineraceū ferè tendentis, nigro permanente neruo, vt in reliquis: eam verò formam & situm habebant illæ plumę, vt à procul aspicientibus non plumis sed villis dumtaxat tectum eius auis co-

corium existimari possit, quale vrsinũ est, & alis carere, tametsi alas haberet; sed sub plumis latera tegentibus latentes, & quatuor maioribus pennis nigris prędictas, vt in exuuio obseruabam, tametsi illæ abruptæ essent, nec de illarum longitudine certi aliquid pronuntiare possim; caules tamen confracti satis crassi, duriq; & solidi erãt, atque in extimam alæ partem altè penetrabant. Alæ verò pars superior corpori cõtigua pennas siue plumas vestitrices, illis similes quæ adhuc in pectore retinebat; ad hoc enim datas huiusmodi alas censendũ, vt currentem adiuuent, quia hanc auem non esse volucrẽ, nec à terrâ tolli posse arbitror. Crura in ambitu quinque vnciarum crassitudinem superabant, crebrisq; corticibus seu squamis latis tecta erant, præsertim supra pedis inflexionẽ. Pedes habebat crassos, duros, tribus crassis digitis præditos, pronâ parte velut squamis tectos, supinâ prorsus callosos: quorũ medius, qui reliquis longior, tribus articulis constabat, interior vno, exterior binis. Omnium vngues valdè magni, binas pænè vncias longi, crassi, duri & cornei: eius caput exiguum pro auis magnitudine, & ferè glabrũ, coloris ex atro cærulei cum colli supremâ parte, in quo apparebant rari pili nigri: oculi paullò supra rostri fissuram magni, ardẽtes & truces, leonis oculis pęnè similes, quos cingebant nigri pili, quemadmodum & meatus illos aurium paruos & detectos, quos pænè oculos habebat. Rostri prona pars quemadmodum arcuata erat, paulloque supra mucronem binis foraminibus, narium vsum prębentibus, prædita; à cuius medio ad capitis vsque verticem porrectum diadema assurgebat corneæ substantiæ, tres ferè vncias altum, coloris ex flauo fusci, quod cum plumario defluuio cadere, & cùm plumæ renascuntur, nouum crescere intelligebam. Supina rostri pars, ab eius scissurâ ad extremum mucronem quinas vncias longa. Anterior colli pars quatuor pænè vncias infra rostrum, bina velut membranacea palearia, seu barbulas, propendentia habebat duas vncias longa, coloris rubri miniati. Postica similiter colli pars deplumis, à capite secundùm longitudinẽ rubri miniati coloris erat; deinde infima eius pars aliquot rubris plumulis, quibus nigræ intermixtæ tecta. Ceterùm tametsi hæc auis aliquas notas habere videatur cum struthiocamelo communes, velut exiguum caput, naturâ pænè caluum, quodque sine delectu vorat quidquid obijcitur. Pedes tamen bisulcos non habet, sed tribus digitis præditos, vt antè diximus, sine calcari, otidis siue tardæ pedum modo: ideoque adeò firmos & robustos, vt in illustrissimi Comitis horto (quem cum ipso Comite ingressus eram vt auem conspicerem) arborem humani femoris crassitudinem æquantem prorsus contusam viderim, & eius corticem sublatum ab huius auis, Comite id asserente, pedibus & vnguibus: etenim non rostro antrorsum, sed obliquè se conuertẽs, auersis retrorsum pedibus, eos, cum quibus pugnabat, impetere solebat. Licet verò quæcumque obijciebantur voraret, vt aurantia mala integra, & similia; ordinarius tamen eius cibus erat similagineus, siue primarius panis, quem in magna crassaque fragmenta diuisum, obiectum vorabat, maxime enim recentibus gallinarum ouis delectari intelligebam, quæ integra cum ipsâ testâ glutiebat; si autem parum firma esset valetudine, illa ipsa integra per anum reijciebat, deinde rursus ea vorans retinebat & concoquebat. Mihi autem affirmabant, hanc auem fuisse marem, & ex posticâ parte penem, cameli instar, interdum exerere esse conspectum. Audio porrò, illas naues, quæ anno à Christi natiuitate millesimo sexcentesimo tertio ex Moluccis in Hollandiam redibant, binas similes aues quidem attulisse, sed in itinere mortuas proiecisse, tametsi earum exuuiæ siue coria, ob raritatem, conseruari potuissent: illius auis aliquot oua nihilominùs relata certè terna aut quaterna eodem anno Amstelredami conspiciebam à mercatoribus redempta, & paullò etiam antè vnum Leydæ apud Porretum videram, omnium, meâ opinione, maximum & pulcherrimum: dimensi enim per longitudinem ambitus, quindecim vnciarum erat; per transuersum autem, duodecim, aut paullò amplior, vt propter amplitudinem pro quodam vase non minùs haberi posset, quàm struthiocameli oua, quibus, teste Plinio, veteres nonnumquam vtebantur, & adhuc nostra ætas eius rei gratiâ vsurpat; nam non semel videri memini struthiocameli oua argento excepta & inclusa, poculorum vicem præbere. Huius tamen auis oui testa non erat valdè densa, nec alba veluti ouorum struthiocameli, sed extremâ parte virescentis ex cinericeo coloris, & perpetuis, saltem creberrimis, quasi tuberculis saturâ viriditate præditis ornata: illorum autem quæ Amstelredami conspiciebam, vnum eiusdem pænè erat cum illo magnitudinis, formæ & coloris, quædam verò magis orbiculata, aliqua minora, nonnullorum etiam color dilutior, & minùs elegans. Porrò mihi relatum, huiusmodi aues Moluccarum insularum non esse peculiares, sed etiam in Sumatrâ siue Taprobanâ, vicinoque illis insulis continente reperiri.

CAPVT XXXIV.

De tritono aue.

SVauissimi auicula concentus Hispaniolam incolit. Tribus vocibus canit: scilicet penè indiuisibilibus modulis variat cantum, ab acutâ voce in alias subitò dilapsa, vt videatur vnà omnes edere, vnoque spiritu multos formare tonos, tamquam si à tribus gutturibus fabricarentur. Anonymus manuscriptus, testatus se audiuisse, censet nullam auem iucundioris cantus, & oppidò præstare luscinię inexplicabili propemodum dulcedinę. Negat à se visam hanc auem, solùm auditam: sed aliorum testimonio pulcherrimam prodit, & mirifico colorum ornatu variegatam.

CAPVT XXXV.

De passere aquatico.

ACototloquichitl seu passer aquaticus mas, pertinacis cantionis est: non minùs occinit, quàm Sol pergit: ab eius exortu ad occasum contumaci garrit sonitu mures imitante. Iucundior palato est quàm auri: iuncetis & carectis insidet, ibique nidificat. Passerem magnitudine & formâ simulat, rostrum tamen nigrum, crura & pedes fului, inferiora corporis plerumque candida, cetera fulua, candore aliquo & nigrore variegata. Reperitur in Mexicanis plagis.

CAPVT XXXVI.

De aue raucâ.

LVdibrium quoddã & arbitrium ceruicis nobilitat acaca cahoactli, seu auem aquatilem raucũ sonantem; raucedo enim vocis indidit nomen. Halcyonum species illa est, quam nostri martinetum piscatorem vocare solent, circa aquarum fluenta victus gratiâ à congenitâ quadam versantem naturâ. Anate ferâ paullò minor est, colloque & rostro spithameo: hoc tres digitos latos prominet, medio, cùm sortitur crassitudinem, in aciem desinit, ac morsui est peropportunum. Supernè verò nigrum est, infernè album, & pallescens circa latera. Oculi nigri sunt, iris rubra prope pupillam, deinde pallida, ac demum candens. Ab oculis ad rostri vsque exortum fascia procedit viridi pallescens. Crura pedesque in digitos fissi virescunt extrinsecus, intrinsecus verò inclinant ad pallorem, color totius corporis magnâ ex parte albus est, fuluis pennis insertis, verùm superna magis fusca sunt, inferna verò candida. Alæ infernæ cinereæ, ac desuper circa extrema nigræ, mox è fuluo rubescentes, deinde pallescentes ex fuluo, ac demum fuluescentes circa dorsum. Piscibus victitat: mitescit minimo negotio, nec est cantu insuauis, indulgenter tamen ac blãdè vermiculis & alijs animalibus exiguis, quæ in paludibus gignũtur, est alenda. Carne etiam vescitur, & alijs non paucis, vbi fieri aliter non possit. Crassi est nutrimenti, neque dissimile ei quod anates feræ præsentare solent. Indigena est Mexicanæ plagæ, & verè educat inter iunceta sobolem. Mirum est, cùm sit ceruix pro ratione reliqui corporis longissima, in quam breuitatem illam cùm libet contrahat, quod frequentiùs facere solet. Cauda pusilla est nigraque, & nonnihil præ se ferens splendoris, quæ in maiorem procedit amplitudinem. Patrio nomine appellant *tolcomoctli*. Similis omnino esset hæc auis compari, nisi rostrum desuper nigricaret, subtus rubesceret, velut pedes & crura, nec per vniuersum corpus fuluum nigrumque promiscuè cerneretur.

CAPVT XXXVII.

De hoactzin.

VSus Medicæ artis commendauit hoactzin, siue auem edentem sonitum nomini similem. Gallinæ Indicæ ferè est magnitudine, rostro incuruo, pectore candido in luteum inclinante, alis caudaq; maculatis per interualla pollicis, colore candido & pallenti, dorso ac supremâ parte colli fuluis, sed vtrisque in fuscũ colorem inclinantibus; prætereà etiam & temporibus vsque ad rostrũ & oculos. Vnguibus est nigris ac fuscis cruribus. Cristam gestat concinnatam è plumis è candido in pallidum colorem vergentibus, sed dorso earum nigro. Vescitur anguibus. Vox ei est magna, & vlulatum quemdam repręsentans. Apparet Autumno: inauspicata habetur ab incolis, ossa eius dolorem cuiusuis particulæ humani corporis lancinatione sedant. Suffitus quoque plumarum mentem restituit his qui è morbo aliquo eâ parum constantes eua sere. Pennarum cinis intra corpus sumptus medetur morbo affectis Gallico operâ mirabili. Viuit in calidis regionibus qualis est Yautepecensis, magnaque ex parte arboribus iuxta flumina consitis insidet.

CA-

RABIHORCADO.



CAPVT XXXVIII.

De rabihorcado.

IN binas partes distinguit hęc auis bifurcatam caudam, interdum explicans, interdum contrahens, sartoriæ forcipis instar, ideò rabihorcado dicitur, & à Lusitanis *raboforcado.*

CAPVT XXXIX.

De aue auritâ.

EXoticum oti genus talehicuatli videtur. Cornuta auis est siue auriculata, parua corpore, resima, rostro breui, nigra lumine, luteâ erubescens iride, fusca & cinerea plumis vsque ad crura, atra & incurua vnguibus. Cetera naturâ similis nostrati oto.

CAPVT XL.

De bubone oculauro.

TEcoletl genus est bubonis auriti, spectaculo dignum, nigro & fusco colore variegatur, huic oculi magni & aurei.

CAPVT XLI.

De auiculâ floridâ.

NOn ignauum nidificium xochitototl siue auiculę floridæ. Ex arborũ ramis nidum cõstruit pendulum, ibi incubat ouis; formâ & magnitudine ęmulatur passerem nostrum. Multicolor pennâ, pallet, nigrescit, candet: partim quoque est fusca. Vbique incola; vermiculis & exiguis seminibus vescitur: amœna auri & palato, cantat, & editur suauiter.

CAPVT XLII.

De xomotl.

NOn solùm ouibus & quadrupedibus protectionem nuditatis nostræ debemus, pennas etiam xomotl intexebant Indi suis vestibus. Palmipes est hæc auis, dorso & alis desuper nigris, pectore fusco, cristatam iracundia facit.

CAPVT XLIII.

De aue caluâ.

CAluities nobilem fecit auem, à barbaris yacacintli, seu rostrum spicæ maizij dictam. Tres pænè spithamas est longa, virentibus

 tibus

tibus cruribus, capite ventreque cyaneis, sed in purpureum vergentibus, alis promiscuè fuluis nigrisque; luscis oculis ac rostro, sed in coccineum prope exortũ vergente, quod tres pænè digitos latos longum est, anteriori parte capitis depili & caluâ. Ad fulicas recentiorũ videtur pertinere, ac piscibus iuxta lacus & flumina viuere. Edulis est eius caro, sed nec bono nec grato alimento.

CAPVT XLIV.

De aue pulchrâ.

RIdens & iucunda natura auem xlepapantototl pinxit. Anatis ferè species est, importuna Mexicanæ paludi, rostrum tamen in acutum finit: nullus illi negatus color. Pulchritudinem varietas dedit, pulchritudo nomen.

CAPVT XLV.

De aue siccâ.

NEc contemnendi spectaculi est hoactli, siue tobactli, id est, auis sicca, lacus Mexicani alumna, ternas spithamas à rostri ipsius acumine ad caudam postremam longa, ac gallinæ nostræ magnitudine. Crura prolixa, pedem, rostrum cum vnciâ trientem, crassitudine verò pollicem æquans. Supernè id nigrum est, lateribus autem pallens, ac infernè nigrum & subfuscum. Oculi sunt magni, iris lutea, & palpebræ rubeæ: vertex plumis nigris tegitur, itemque cristâ insigni, similiter nigrâ: collum, venter, corpusque vniuersum cãdet: sed cauda cinerea est, velut & desuper alæ, nam infernæ sunt albidiores: superiores alarum partes virore quodam splendent. Dorsum, etsi candidis tegatur plumis, pennis tamen nigris in virentem splendorem inclinantibus vestiri solet. Pedes qui in digitos fissi sunt, & crura quoque, pallescunt. Albâ fasciâ circumcingitur caput, à rostri exortu ad oculos vsque procedente. Lacus Mexicani aduena est, vocaturque ab Hispanis indigenis, velut & quædam aliæ aues, *martinete pescador*, ob piscium quibus alitur capturam. Arundinetis educat sobolem, grauem infert morsum, ac grauem similiter vocem edit.

CAPVT XLVI.

De aue venti.

IDoneum quoque conspectum heatototl, seu auis venti exhibet. Magnâ cristâ exornatur, orbiculari, ac coronæ modo eminenti, & paulisper candidâ. Pectus è fusco vergit in cinereum; venter albus est, ac pedes plani: crura fulua, & pennæ circa ea ortæ: cauda orbicularis & variata infernè candido pulloque colore, supernè verò fusca. Alæ subtus candentes, cinereæ ac pullæ sunt, desuper nigræ, candidis tamen quibusdam insertis pennis; reliqua verò eâdem quæ aquaticis est naturâ, & similis alteri heatototl, quæ anate domesticâ paullò minor est, rostro atro, tenui, obrotũdo, ac prope extrema contorto, plumis infernè candidis, supernè verò iuxta femora fuluis, lineis tamen nigris intercursantibus; circa residuum verò, & caudam fuluis. Alæ sunt subtus cinereæ, supernè verò fuscæ, nigrę atque albę. Caput est nigrum cristratumque, sed ab occipitio teniæ albę vtrimque procedunt ad oculos, qui atri sunt, & luteâ constant iri, cum cetera sint similes auibus incolẽtibus paludes.

CAPVT XLVII.

De auibus torquatis.

SVus quoque torques argenteus honestat achalalactli, seu auem piscium vibratricem. Alij vocant *michalalacti*. Columbinâ est magnitudine & formâ, rostro nigro acuminato, tres digitos longo, & pro corporis proportione crasso; caput cristâ ornatur è colore cyaneo in nigrum tendente, longâque. Venter candidis tegitur plumis, & collum torque candenti insignitur: alæ infernè albescunt, sed postremis partibus videntur fuscæ, & candicantibus maculis interstinctæ, supernè verò sicut reliquum corpus sunt cyaneæ, extremis partibus nigræ, & albis vndique respersæ maculis. Cauda partim nigra, partim cyanea est, sed maculis albis per interualla quoque variata. Crura rubea sunt, pedes diuisi in digitos, in atros vngues desinentes; oculi nigri, & iris candescens. Aduena auis est huic Mexicanæ regioni, versaturque iuxta fontes & flumina, pisciculis & alijs aquatilibus victitans, edulis, sed reliquarum auium palustrium sapore atque nutrimento.

Neque exiguus decor est amalozque seu aui rubescentis colli. Palustris ea est, nostrati turturi magnitudine par, cruribus pedibusque in digitos fissis, atque ex albo rubescentibus, nigris vnguibus, rostro medio circiter longo, exili & nigro, atris oculis, & iride rubrâ, pectoris & ventris & alarum inferna alba sunt, sed cauda, quæ mediocrem magnitudinem nanciscitur, fuluo & nigro colore est inspersa: at collum pectusq; torques bini, minimi ferè digiti distantes interuallo, nigrique cingunt, quorum anterior vndiqua-

quaque circuit, posterior supernâ deficit ac disparet parte. Ex vtroque latere maculæ binæ candentes, pari amplitudine, supra oculos versus collum, illud ferè attingentes, discurrunt. Superna corporis, adeoq; ipsa cauda, albo; nigro fuluoque sunt colore; alæ verò desuper fuluo & fusco. Indigena est auis, lacus Mexicani alumna, ac veris tempore educans sobolẽ. Estur caro, quę eodem quo ceterarum aquaticarum est nutrimento. Vescitur ipsa culicibus, pisciculisque & vermibus lacustribus: vehementiùs perstrepit quàm pro corporis ratione, nec tamen potest garrulis auibus adnumerari.

CAPVT XLVIII.

De pico salutifero.

NObilis est à dolore capitis leuando tleuhquecholtototl, seu auis capiti plateæ similis. Merulâ maior est, rostro longo nigroque, sed infernâ parte longè breuiori, vertice ac pænè toto collo desuper rubeo, infernis partibus omnino cinereis; alis verò ac dorso nigris, sed albis transuersisque lineis variatis. Degit Pauatlanicis agris prouinciæ Totonacapæ. Pici species est arbores perforans, cuius capitis plumæ rubrescentes applicatæ & conglutinatæ, capitis feruntur curare dolorem; siue in eam sententiam venerint, quòd vertici auis adhæreant, siue id ita se habere experimento aliquo deprehenderint.

CAPVT XLIX.

De pico imbrifæto.

PIci quoque genus quatotoni, vpupæ magnitudine, & nigro fuscoque colore variatum. Rostrum, quo excauat arbores perforatque, tres digitos longũ est, firmum & candens, & infernè breuius. Caput est paruum, ac rubris contectum plumis, cristâ quoque rubrâ insignitum, ac tres vncias longâ, sed supernâ parte nigrâ. Alterutro colli latere fascia candida descendit ad vsque circiter pectus. Crura pedesque liuida sunt. Viuit non longè à mari Australi. Nidificat in arboribus excelsis: vescitur cicadis, tlaolli, & vermiculis: imbrium tempore educat, hoc est à mense Maio vsque ad Septembrem: edulis tamen non est, nec alium (quod acceperim) præstat vsum.

CAPVT L.

De pico Martio.

OConenetl dicitur in Nouâ Hispaniâ Pici Martij species maxima, cuius puluis salutaris est hydropicis.

CAPVT LI.

De accipitribus Chiappæ.

QVosdam accipitres fluuiales Chiappa nutrit, monstrosos pedibus: vnus anserinus, alter aquilinus: vno innatat, altero raptat prædam.

CAPVT LII.

De alcatrazl.

ALcatrazl priscus onocrotalus; quare dũtaxat addam pauca de hac aue. Fertur sæpè ne noctu in mari medio à volatu cessare, sed efferre se admodum in sublime, tum collo sub alteram alam reducto, alterâ expassâ, permittere se ventis, donec suopte pondere dilabatur, vbi id sensit, excitare se, ac rursus alta repetere; sic noctem subeundo descendendoque transigere, & laborando quiescere. In nonnullis locis manè & vesperè ducentarum turma ad piscandum prodit. Sublime petunt, inde speculantur prædam: visâ, collectis alis præcipiti se pondere demittunt ad aquas, insequuntur pisces vsque ad fundum, post longum spatium emergunt aliæ cum rapinâ; alię inanes & irritæ. Mirum aspectu, quasdam pręcipitari, quasdam attolli; quasdam immergi, emergere alias.

CAPVT LIII.

De kiczoth.

FOrtasse gryphes per omnem celebrati fabulam fuerunt illæ aues Scythicæ, de quibus Mathias Michouius hæc habet: In Iurâ & locis Septemtrionis non effoditur aurum, argentum, nec aliæ mineræ: nec correspondent fabulæ, quòd illic essent gryphes & magnę aues prohibentes fodere & efferre aurum. Vnde secundùm hoc dico contrarium Auctoribus antiquis, quòd gryphi non sunt in rei veritate in illâ partę Septemtrionis, nec in alijs partibus orbis. Affertur autem ad nos quædã auis rapinis viuens, quantitatis aquilæ, sed alis & caudâ prolixioribus quàm aquila, in similitudinem accipitris, & vocant eam Moscouitæ *kiczoth*, nostri verò

homines vocant illam *byalozor*, quasi albicans splendor, quia subalba est secundùm ventrem. Hanc omnes rapaces aues, accipitres, falcones, & ceteræ raptu viuentes in tantum metuunt, quòd inspectâ eâ tremant & cadant, & extinguantur. Admonet ibidem Michouius contra antiquorũ famam, in Septemtrione post Gothiam, Sueciam, Finlandiam, Iuram, & post mare Caspium, non esse monstrosos homines monoculos, bicipites, canina capita habentes, sed nobis similes, rarò, sparsim, & ab inuicem distantes, paucos numero habitantes, colore frequenter liuidos, propter frigus liuiditatem corporibus eorum imprimens.

CAPVT LIV.

De coruo Sinarum marino.

HVius venationem ex Mendosâ Augustiniano dabo. Habet Rex Sinarum in omnibus vrbibus secundùm flumina sitis quædam ædificia, in quorum singulis multi marini corui aluntur, quorum operâ piscatio peragitur his mensibus, quibus pisces suos fœtus ediderunt. Eductos enim ex illis ædificijs coruos, ad fluminum ripas transferunt, in quibus multas piscatorias scaphas mediâ ex parte aquâ plenas habent: quibus in orbem dispositis, singulis singulos coruos adiudicant. Hos deinde sub alis longo funiculo alligant, eorumque guttur siue ingluuiem alio funiculo adstringentes, ne pisces captos vorare queant, in aquam proijciunt ad pisces capiendum: quod adeò auidè exequuntur, vt admirationem pariat: nam magnâ celeritate sese mergentes, atque sub aquâ tantisper hærentes, donec guttur siue ingluuiem à rostro ad pectus vsque implere queant, deinde emergentes simili celeritate ad scaphas redeunt, captosque pisces in aquam (quam ad pisces viuos conseruandam in scaphis contineri diximus) reijciunt, illicò ad piscationem reuertentes. In simili exercitio quatuor horarum spatio eâ dexteritate perseuerant, vt nullus alteri sit impedimento, donec aquam, quæ in scaphis, piscibus repleuerint. Posteà soluto vinculo quo guttur adstrictũ fuerat ne pisces in aluum transmitterent, dimittuntur vt pisces venentur quibus ipsimet vescantur: sunt enim famelici, quia die piscationem præcedente illis cibus solitus non datur, vt ad piscationem tantò fiant alacriores. Vbi verò aliquanto tempore in aquâ versati sunt piscibus vescentes, denuò ex aquâ retrahuntur, & in suas caueas illati, domum transferuntur. Tertio quoque die hoc exercitium repetitur, totis illis mensibus quibus piscatio peragenda est. Adeò autem ad simile exercitium proni sunt isti corui, vt toto anno in eo perseuerare cuperent.

CAPVT LV.

De auris.

FAmosa fœdâ ingluuie aura est. Alijs dicitur *gallinaça* aut *gallinaço*, & in maritimis locis *zamuro*, Peruensibus *suyuntu*, Mexicanis *tropillotl*. Coruinum est genus, ferè accedens magnitudinem aquilæ: color niger, aduncus vnguis & ater, crus fuscum, rostrum psittaci instar, frons depilis plicatili cute obtegitur, circumstant pili rari & nigri, similes Æthiopum. Morticina & stercus humanum, & aliæ sordes, eius seruiunt gulæ, non sine vsu. Pernoctant in arboribus & rupibus, manè aduolant ad vrbes, speculantur ab editioribus locis plateas, & quidquid immundum aut exanime deuorant. Perspicaces sunt & præpetes, & miri silentij, nec clamant, nec canunt, raro murmure contentæ: siquis illas insequatur, exonerant se, vt leuiores volatui sint, pari festinatione euomendo quidquid glutierunt. Franciscus Hernandus auctor est, ignotæ esse originis; nesciri vbi nidificent & educent prolem, cùm frequentissimę sint propè omnibus Nouæ Hispaniæ angulis. Nihilominùs noster Acosta pullos earum scribit albos esse, adolescentes in nigredinem coruinam degenerare. Gregatim peruolant, sublimipetæ sunt. Odor ab eis ingratus. Pennæ exustæ cinis vetat pilos nasci, æquè ac stercus formicarum, & sanguis vespertilionum. Vulnera quoque medicatur. Caro si edatur, Gallicum morbum iuuat. Stercus drachmæ vnius mensurâ potatum, prodest melancholicis. Cor eius Sole exsiccatum, impensè odorum est. In aliquibus Prouincijs lege latâ pœna infligitur occidenti has aues.

CAPVT LVI.

De reginâ aurarum.

COzcacoauhtli vocāt Indi auem, quam dicunt reginam esse earum, quas Mexicani auras vocant. Non minùs illud nomen meruit constantiâ suâ aduersus omnem auræ vim ventorumque impulsum. Accedit magnitudine gnesijs aquilis. Corpus vniuersum, præter collum & eas partes quæ iuxta pectus sunt, ex nigro purpurascens, fuluum est ac pullum, alæ subtus circa exortum nigræ, cetera cinerea; desuper verò mixtim fuluæ-nigræ, & nonnihil in purpureum vergentes. Crura rubra sunt, & vnci vngues, rostri

ſtri extrema (quæ pſittaci eſſe iudices, tam eſt indiſtincta ſimilitudo) alba ſunt, cetera ſanguineo colore tincta. Amplum eſt narium foramen, oculi nigri, iris fulua, rubeæ palpebræ; frons ſanguineo colore perfuſa, ac plicatilibus rugis torua, quas tamen nonnumquam explicat: quâ in re vocatos gallipauos videtur æmulari, & pilis quibuſdam velut retorridis rariſque, Æthiopum pilis haud abſimilibus. Cauda eſt aquilæ infernè cinerea, foris verò nigra. Anguibus, muribus & lacertis, quos rapit, victitat, ſed morticinijs maximè & humano ſtercore. Sublimipeta auis eſt, & nimium extenſis panſiſque volat alis, vix volatum intermittens. Indigena eſt Mexicanæ prouinciæ: vere educat. Vi incredibili obſiſtit ventis, contranititurque aduerſantibus, eiſdem ſedibus perſtans immobilis. Caro eſt inutilis, & nutrimento à nemine (quod adhuc compererim) niſi medicinæ gratiâ deguſtato. Audio, huius auis plumis admotis mederi Indos vlceribus, carnibuſque elixis alimoniæ loco durante affectu deuoratis, quas etiam aiunt morbo Gallico præſentaneo quodam remedio mederi.

CAPVT LVII.

De garagay.

GAragay dicitur rapax auis, milui magnitudine, capite ex extremitate alarum albo, & breuis volatus; crocodilorum & teſtudinum ouis infenſa. Odoratur illa ſub arenâ in ripis fluminum condita, eruit & vorat. Soliuaga eſt, niſi quòd auræ aues illâ ſequantur, vt potiantur furto; auræ enim ſcalpere terram neſciunt, vt effodiant oua.

CAPVT LVIII.

De hoacton.

ARdeæ cinereæ congener aut ſimilis eſt hoacton femina, paullò maior hoactli mare. Ventrem & collum alba, fuſcis permixtis pennis; ceterùm corpus fuſcum interſertis albis. Oculi magni & nigri iride palléti. Vocatur etiam à nonnullis *xoxouguihoactli.*

CAPVT LIX.

De pterophœnico Indiarum.

ALarum inſigne commendat acolchichi, ſeu auem humerorum rubeorum, impetrauitque ab Hiſpanis honorificum nomen, qui *aues commendadoras* illas vocant; quòd æmulentur Equitum militarium inſignia, ſimili rubore ad latus fulgentia. Sturnorum, quos Hiſpani *tordos* vocamus, videntur ſpecies. Magnitudine, colore & formâ pares ſunt, & cum eis vbicumque verſantur, quamquam humeri primò fului appareant in rubrum vergentes, & cùm ætate proceſſere, in fuluum omnino mutentur colores. In caueas conjecti, voces reddunt humanas, & lepidè garriũt. Quauis re oblatâ veſcuntur, ſed pane maximè atque Indico frumento. Calidis frigidiſque eas aues reperies regionibus, ab Hiſpanis colonis rubeorum humerorum commendadozas, vt dixi, vocatos, ſed numeroſis agminibus ſunt oppidanis admodum moleſti, eoſque audacter incurſant, præcipuè regionibus feruidis & maritimis. Malum inſuauemque præſtant ſuccum, & in arboribus non procul ab oppidis hominumque commercio nidificant, & ſata, in quibus fortè conſedere, deuaſtant atque depopulantur. Cantant luduntque, ſeu caueis includantur, ſeu liberè per domos permittantur incedere.

CAPVT LX.

De pſittacis.

FEruorem cæli pſittacus vbique amat, propterea Aſiæ, Africæ & Americæ alumnus, vbi iracundior Sol. Diligentiſſimus huius auis interpres Aldrouãdus fuit. Adhuc tamen liceat adijcere ſententiam Franciſci Hernandi, Anonymi, & Caroli Cluſij. Ille primus ita ſcribit de Toznene: Pſittaci id genus, viridi & luteo colore micat, oculi rubeo, roſtrum verò candenti & nigro, fuſco pede, ſed in candidum inclinante. Propenſius eſt aptiuſque ad ſermones humanos exprimendos ceteris, ac frequentius apud Hiſpanos. Alterum genus cocho vocant viridi colore, rubro & candenti capite, ac minoris molis; quod loquax quoque eſt, nec admodum diſſimile præcedenti, etſi ſono diſtet. Hos pſittacos vocant Hiſpani catherinas. Tertium quilitoton tinctum virore, talandriæ vocatæ, aut galeritæ non criſtatæ magnitudine. Frontem candidâ maculâ inſignitum, roſtro candido, & nigris pedibus. Humanas voces imitatur, & gregatim cum cõgeneribus volat, cùm reliqui compares tantùm reperiantur. Omnes verò in excelſis arboribus nidificant. Primum de quo diximus genus, certas ſtataſque arbores, quas numquam deſerat, eligit: quæ cùm in heredes tranſeant, dominis illarum haud ſunt parum vtiles. Sunt & quas Haitini quacamayas vocant, Mexicenſes verò alo. Totæ rubeæ, pręter humeros & caudam, quæ cyanea ſunt, & gallinæ cortalis noſtræ circiter magni-

magnitudine, roſtro magno candenti & reſimo, pedibus nigris, ac carne ſimiliter nigrâ, ex quibus nonnullæ offenduntur, quæ ſermonem humanum doctæ æmulentur, ruſticè tamen & inconditè: filioſq; ſuos more aliarum domeſticarum auium educent in domibus vbi aluntur. Offendas & alios virore diluto tinctos, nigrante roſtro pedibuſque, humeris & caudâ virore tinctis exaturato, nec præfatis minores. Viuunt hi iuxta montium cacumina, excelſaſque pinus. Acclamant vehementer, volantque bini. Sunt & montani inconditâ formâ, qui non cicurantur aut aluntur domi. Nullius eorum caro eſt edulis; nam & atra eſt, & guſtus iniucundi. Omnibus eſt commune, vtramque maxillam mouere, quod nulli aliorum contingit animalium. Sunt & alia genera, de quibus alij Auctores latiùs.

PSITTACVS ELEGANS.




CAPVT LXI.

Narratio Anonymi de pſittacis.

HIſtoricus meus Anonymus ſic habet loquens de Hiſpaniolâ: Innumeri ſunt pſittaci virides cum purpureis maculis, quorum tria in hac inſulâ genera, maiores, mediocres, minimi. Maiores ab Indis vocantur *higuaræ*. Hi in eo diſtant ab alijs reliquarum inſularum, quòd maculam albam ſupra roſtrum geſtent, non viridem, aut miniatam. Valdè locutulciæ ſunt hæ higuaræ, ſi humanos doceantur ſermones. Minores vocãtur *xaxauis*, & viridiores ſunt, à pauciſq; interſtinguuntur miniatis plumis. Hi inquieti & turbulẽti, mordaciores, iracundiores, & garruli, licet rudes humanis loqui vocibus, quas numquam diſcunt. Decem ex his inuadunt & fugant centum higuararum. Nulla inter hos pax. Diuerſis gregibus peruolãt: quacũque peruadant, garriunt. Higuaræ integriorem & corpulentiorem ſonum edunt, xaxauis acutiorem & tenuiorem: & licet ignari loqui humanis vocibus, placent tamen in caulis aſſiduo garritu & inquietudine. Tertia ſpecies minimorum eſt, nec excedunt paſſeres mole, virideſque ſunt. Hi ſilent, & pacatiores ſunt: viror dumtaxat in illis placet.

PSITTACVS MINIMVS.



CAPVT LXII.

Narratio Cluſij de pſittacis.

NVnc hiſtoriam Caroli Cluſij interſeramus. Inter Neotericos autem, nemo meâ opinione exactiùs & diligentiùs de hoc auium genere commentatus eſt quàm Vlyſſes Aldrouandus Bononienſis, qui totum librum XL. Tomi primi Ornithologiæ ſuæ ei dicauit: ille enim Philoſophicâ methodo tradidit quidquid ad pſittacorum hiſtoriam pertinere poteſt, & quatuordecim diuerſas eorum ſpecies deſcribit, tredecim verò icones exhibet, quarum duæ priores maximæ ſunt, & coruũ magnitudine ſuperant; tertia & quarta columbæ ſunt magnitudine; quinta, ſexta, ſeptima, octaua, nona & decima, mediocris ſunt magnitudinis, caudamque breuem habent, ſaltem non adeò longam, vt tres ſubſequentes, quæ longiore caudâ ſunt præditæ; decima quarta breuem etiam habet caudam. Priorem illam elegantem, quæ pectoris & ventris pennas flauas habet, tum & eas quæ alas dorſumq; tegunt,

tegunt, tum etiam eas quæ in caudâ cæruleas, non ſemel videre memini, & iconem habeo viuis coloribus expreſſam; atq; illam ipſam eſſe arbitror, quam Ioannes Lerius cap. XI. Hiſtoriæ ſuæ Americanæ, *canide* à Braſilianis appellari ſcribit. Alteram ſpeciem etiam videre memini in arce Cæſaris Eberſdorfianâ ad Danubium ſitâ infra Viennam, tum etiam Lugduni Batauorum apud Sionem Lucium Daniſtam binas aues eius generis, quas poſteà magno Duci Moſcouitarum dono mittebat. Reliquæ verò ſpecies, (præter tertiam quæ illi alba criſtata eſt, & decimamquartam, quæ erythrochloros, etiamque criſtata) mihi etiam conſpectæ, tum plerumque aliæ ab ipſo non deſcriptæ, tam breuiore caudâ præditæ, & maiuſculâ corporis mole, quàm minoris generis, quæ longiores caudę pennas habent, & collum velut torque rubro atque atro ornatum. Humana verba exactè exprimere ſolitæ: quibus ſimilem vnam habuit nobiliſſimus vir Philippus Marnixius Sanct-Aldegondius, quam ſæpè cachinnum humano more extollere audiui, cùm ab adſtantibus Gallico ſermone compellaretur hòc modo: *Riez perroquet, riez*; id eſt, *Ride pſittace, ride*. ſed quod magis mirum, Gallico ſermone etiam ſubijciebat illicò, tamquā ratione prædita, haud dubiè tamen ita edocta, *O le grand ſot qui me faict rire*. hoc eſt, *O magnum fatuum, qui me ad ridendum prouocat*. illaque verba iterùm ac tertiò repetere ſolebat. Sed inter reliquas vnam, pſittacis primæ ſpeciei magnitudine æqualem, apud Illuſtriſſimam Dominam Mariam de Brimeu, Ducem Croyam & Areſchotenſem feliciſſimæ memoriæ, priuſquam ex Hollandiâ excederet, cui ſanè parem in coloris pennarum varietate & elegantiâ videre non memini. Etenim licet omnes ferè pennæ corpus tegentes rubro colore eſſent infectæ, caudę tamen pennæ, quæ valdè prolixæ, partim rubræ erant, partim cæruleę; at quæ in dorſo & alis verſicolores ex flauo, rubro & viridi, quibus cæruleus color etiā permixtus. Caput circum oculos albi coloris erat, ſinuoſiſque lineis nigris, quemadmodum canidę caput, diſtinctum erat. Pſittacum, qui ſimilis eſſet, apud nullum Auctorem deſcriptum memini. Ea porrò auis Annam Illuſtriſſimæ Ducis neptem, nunc Comitem Megenſem & Dominam de Grosbeke, adeò diligebat, vt quocumque per conclaue ſpatiaretur, illam ſubſequeretur, nec quemquam veſtem eius attingere conſpiceret, quin morſu illum appeteret; ita zelotypiâ quadam laborare videbatur. Ceterùm pſittacus ille maioris generis, quem Lerius capite ſuprà memorato à Braſilianis *arat* vocari ſcribit, valdè elegans etiam eſſe debet: nam alarum remiges pennas, & caudæ, quæ ſeſquipedalis longitudinis, mediâ ex parte coccinei coloris eſſe refert, alterâ prorſus elegantis cyanei tubo ſeu neruo, qui medias pennas per longitudinem ſecat, diuerſos illos colores diſtinguente, reliquas verò totius corporis pennas prorſus cæruleo colore tinctas eſſe. Addit, vtrumque genus illud maiorum pſittacorum, arat videlicet & canide, magnâ eſſe in æſtimatione apud Braſilianos, quia illorū pennas ter quaterve in anno vellunt ad veſtem, pileos, clypeos & aulæa conficiendum, tametſi domeſticum non ſit, quia tamen in vaſtis arboribus medios vicos occupantibus frequentiùs verſari ſolet quàm in ſiluis. Pręter binos illos ingentes, idem Lerius tria aut quatuor pſittacorum genera apud Braſilianos inueniri ait. Primum videlicet etiam maiuſculorum, & craſſiore corporis mole præditorum, cui aicurous nomen indūt Braſiliani Tououpinamboutij, caput ornatum habens pennis verſicoloribus, flauo, rubro, & violaceo extremis alis ſuauerubentibus, & caudę pennis oblongis & flauis, reliquo corpore prorſus viridi: hoc genus rariſſimè ad exteros transferri, nullum tamen faciliùs & perfectiùs edoceri ad humana verba pronuntianda, quàm iſtud. Addit etiam, Braſilianā quamdam mulierem in pago, binis milliaribus ab inſulâ in quâ ipſe cum alijs Gallis habitabat diſtante, ſimilem pſittacum in delicijs habuiſſe, qui eo intellectu & ratione præditus videbatur, vt comprehendere & diſcernere poſſet, quidquid ipſa diceret quæ illum educauerat. Nam cùm, inquit, animi recreandi gratiâ in illum pagum profecti, ante illius mulieris ædes interdum tranſiremus, compellare nos ipſa ſolebat his verbis: Vultis mihi pectinem dare vel ſpeculum, & illicò efficiam vt meus pſittacus coram vobis cantet & ſaltet? Si eius petitioni annuebamus, ſimul ac quędam verba aui pronuntiauerat, pſittacus non modò in perticâ, cui inſidebat, ſaltare incipiebat; ſed etiam garrire, ſibilos edere, & Braſiliorum ad pugnam ſe ſe parantium vociferationes imitari. Breuiter, quando in eius heræ mentem veniebat vt diceret, Cane, canebat; Salta, ſaltabat: ſin verò ægrè ferens, ſe quod petierat non impetraſſe, paullò acerbiùs aui diceret, Auge, hoc eſt, ſile, immobilis ſilebat, nec vllâ ratione eum ad linguam aut pedes mouendum excitare poteramus. Secundum genus *marganas* à Braſilianis appellatur, quale eſt eorum pſittacorum, qui in Europam inferri ſolent, nec magni apud illos pretij, propter abundantiā: non verò minùs iſtic frequentes ſunt, quàm apud nos columbæ. Pſittaci tertij generis, ab ipſis *touis* appellati, maiores

res non ſunt ſturno, & vniuerſum corpus tectum habent pennis impense virentibus: caudæ verò pennæ, quæ valde longe, flauum colorem admixtum habent. Illud etiam addebat ſe obſeruaſſe, pſittacos illius regionis nidos ex arborum ramis propendentes non conſtruere, vt topographicis ſuis tabellis quidam perſuadere conantur; at in arborum cauis, eoſque orbiculari formâ, ſatiſque duros ac firmos. Ceterùm cùm ſub extremum annum Chriſti milleſimũ quingenteſimum ſexageſimum quartum eſſem Olyſſipone apud Sebaldum Linſium Germanum Vlmenſem, memini filium ipſius Rodericum ex Fernambuco Braſilianorum, vbi commorabatur, eò appellere, & nauem mercibus onuſtam aduehere, in quâ etiam aliquot mancipia, & nonnulli pſittaci quartæ ſpeciei ab Aldrouando deſcriptæ, atque alij etiam minores, ſturni magnitudinem non excedentes, prorſus viridis coloris pennis tecti, ſed omnes breui caudâ præditi, & albo roſtro: idque genus valdè frugibus noxium referebat. Eos in itinere maizi granis aluerat, cuius multas ſpicas eum adhuc habere obſeruabam.

In ſecundâ nauigatione, quam Batauí in Indiam inſtituerunt Orientalem, in Iauâ viciniſque quibuſdam inſulis pſittacos obſeruabant longè illis elegantiores, quos è Braſiliâ aduehere ſolent, eoſque à Luſitanis, qui in Iauâ & Moluccis verſabantur, *noyras* appellari intelligebant: & illos quidem corporis mole non valdè magnos, ſed adeò elegantis coloris, vt venuſtiores depingi non poſſe exiſtimarent. Pectus enim & ventrem pennæ rubri coloris floridi ſplendentiſque tegebant, dorſum aurei coloris pennæ, alas verò viridis & cærulei commixtorum colorum pennæ ornabant, ſub alis ſuauè rubens color ſplendebat. Valdè autem ingens erat iſtic illarum auium pretium, vt non minoris æſtimarentur, quàm octo aut decem thaleris Germanicis. Linſcotius ſcribit, Luſitanos ſæpiùs periculum feciſſe, an Olyſſiponem transferre viuum aliquem poſſent, ſed numquam voti compotes factos fuiſſe, quòd nimis tenelli & delicatuli ſint: Batauí tamen eam induſtriam adhibuerunt, vt vnum viuum Amſteldamum vſque retulerint, qui tametſi non eſſet è ſelectiſſimis, centum tamen & ſeptuaginta florenis eius Prouinciæ, hoc eſt, paulò pluris quàm ſeptuaginta thaleris venumdari potuit, quemadmodum in diario illius nauigationis adnotatum comperio. Is in itinere pleraque verba Hollandica, quæ à nautis audiuerat, pronuntiare didicerat, adeoque cicurem ipſum eius herus reddiderat, vt roſtrum in os & aures eius inſereret ſine noxâ, piloſque barbæ ipſius componeret; at ſi quis alius manum admouere vellet, illicò morſu illam appetebat, haud ſecùs quàm canis quiſpiam. Anno porrò Chriſti quinto ſupra milleſimum & ſexcenteſimum mittebat mihi Iacobus Plateau pſittaci cuiuſdam iconem viuis coloribus expreſſam, cui cùm ſimilem hactenus non viderim, neque apud quempiá adſcriptum meminerim, in hoc Auctario ad Exoticorum hiſtoriam typis iam expreſſam adiunctam volui. Eum autem ſe plus quàm biennio aluiſſe ſcribebat, columbæque eſſe magnitudine: caput illud habere pænè inſtar accipitris, eiuſcemodi nempe coloris pennis tectum, ardentes oculos. Collum & pectus verſicolores pennæ obſidebant: quas, cùm iraſcebatur, aut moleſtiam aliquis ipſi crearet, admoto ad caueam, quâ concluſus erat, aliquo animali, ſurrigebat, vt criſtatus quodammodò videretur. Erant autem illæ rubeſcentis coloris, & extimâ parte cærulei elegantiſſimi. Ventris pennæ ſimilis fere erant coloris, fuſco tamen inſuper ſuffuſæ colore. Dorſi pennæ virides, & alarum remiges pennæ ſub cæruleæ: cauda frequentibus pennis viridibus, ſed non longis conſtabat.

Prætermittere nequiui, quin pſittaci puſillũ, genus ex Æthiopiâ lociſq; Manicongo vicinis, proximis his annis à Batauis nancleris allatum, ſimul & maris iconem, (femina verò multò eſt elegantior, vtriuſque enim ſexus allatus) Lectoris oculis proponerem. Corpuſculi moles fringillæ magnitudinem æquabat, hoc eſt, duarum vnciarum cum ſemiſſe longitudinem habebat ab infimo collo ad vropygium vſque. Omnes pennulæ corpuſculum tegentes viridis erant coloris, ſed in quibus manifeſtum apparebat diſcrimen: namque in dorſo ſaturatiores erant, quæ in ventre dilutiores. Remiges alarũ pennæ trium vnciarũ longitudinem habebant: & tametſi pronâ parte, eo videlicet latere quo breuioribus villis erant præditæ, quoque ſeſe inuicem tegebant, viridi ſaturo colore eſſent tinctæ; altero tamen, quod longiores villos habebat, & totâ ſupinâ parte fuſci erant. Caudæ pennæ elegantiſſimæ erant & pænè binas vncias longæ, paulò minùs ſemiunciâ latæ, colore eâ parte, quâ vropygio infixæ, viridi cum flauo permixto tinctæ, deinde rubro eleganti, demum nigro, poſtremò viridi: & tres iſti poſtremi colores ab inuicem diſtincti, veluti in quorumdam pſittacorum viridium, maiore corporis mole præditorum, caudæ pennis videre eſt: iſtæ autem vix conſpiciebãtur, niſi cùm caudam explicaret, quia ab alijs eiuſdem longitudinis tegebantur, quæ prorſus virides. Collum breue & craſſiuſculum: plumulæ caput tegentes breues admodum & virides, præter

eas

eas quę verticem supra rostrum, quæque totum guttur tegebant; nam illæ rubrum, elegantem & floridum colorem habebant. De mare loquor, quia feminæ pennulæ dilutiùs rubebant, neque tam amplum spatium occupabant quàm in mare. Oculi erant nigerrimi: rostrum crassum & firmum, superna pars adunca & mucronata, vt in reliquis psittacorum generibus. Eius color subrubens, crura breuia semunciæ longitudinem vix æquabant, cineraceique coloris squamis erant tecta, vt aliorum vulgarium psittacorum pedes, ijque in quatuor digitos diuisi, quorum bini anteriores & imparis longitudinis, bini posteriores & illi etiam impares, breuioribus quidem duobus articulis præditi, hi interni; longiores autem tribus, & hi externi. Vngues albi & satis longi. Valdè exilem habere vocem, & dumtaxat pipire obseruabam. Gaudet consortio. Cùm edebat, altero pede cibum non tenebat vt alij psittaci, sed rostro carptim cibum arripiebat. Cibus autem magnâ ex parte phalaridis semen: illo enim libentiùs vesci obseruabam, quàm vllo alio seminis genere. Mihi autem quidam conspecti sunt adeò edocti, vt panem aquâ tinctum carptim morsicando ederent. Potus est aqua. Illud prætereà in hac auiculâ animaduertebam, quòd femellæ senescentes vix edere volebant, nisi cibum iamà mare carptum, & aliquamdiu in prolobo retentum, & quasi coctum suo rostro exciperent, vt columbarum pulli à matre ali solent.

CAPVT LXIII.

De ingenio psittacorum.

GVacamayan genus psittaci est pulcherrimi, qui cum pueris ludit. Incompositæ formæ est, solo vestitu in pretio habetur, neque prætermittenda industria & mirificus instinctus huius alitis. In Potosi quidam psittacus, quem lorum vocant, admirandi ingenij. Vocabat Indos occursantes patriæ suæ nomine Colla, Iunca, Huayru, Quechua, &c. quasi qui ipsorum mores & vestimenti ritus dignosceret. Dissimulatam Indam nobiliori natu & pænè Regio dignouit. cùm vidisset illam, dixit: *Huayru, Huayru, Huayru.* Ignobilior ista natio est, quàm illa cuius generis se simularet femina. Finxerat se Pallam e regiâ stirpe. Matrona partim pudens, partim irata, sputo & maledicto auem affecit. Hispali etiam alius psittacus agnouit Medicum indignum nomine & arte; quem, quotiescumque occurrebat, conuitijs varijs proscindebat è fenestrâ, donec lite impetrauit Medicus ne suspenderetur ibi. Alius psittacus tabernarij vinarij solitus audire illum domi querentem vinum non vendi, quòd acetum esset, didicit hæc verba, atque ad ianuam suspensus garriebat repetito præconio, *Acetum est, acetum est,* quod facile fuit ementibus credere: donec herus madefaciens (aquam enim odio habent hæ aues) & castigans psittacum dictauit, *Optimum merum, optimum merũ,* quod psittacus sic animaduersus didicit, & posteà ad ianuam idemtidem publicabat, optimum merum esse. Multi psittacorum simplicissimi, vt ad crocitantem psittacum ex arbore, in cuius ramis auceps latet, multitudo ingens conuolitet, capique facilè patiantur: nil enim viso aucupe terrentur, sed vt laqueo trahantur ad collum coniecto expectant, nec aufugiunt vno captato, & in manticâ, quâ præcinctus est venator, ipsis cernentibus reposito.

CAPVT LXIV.

De noyrâ.

NOyræ meminit Clusius iam laudatus: de eadem nihilominùs transscribam Ioannis Hugonis verba. Ex Moluccanis insulis noyra dicta in Indiam importatur, quæ psittaci faciẽ vniuersim exprimit, quem cantu quoque ad amussim æmulatur, nisi quòd pennis rubicundis crebrioribus vestita est. Illarum vna viginti aut triginta pardauis in Indiâ væenit, quæ postquam cum psittacis & aspectus amœnitatem, & garritus iucunditatem communem habeant, hoc sibi peculiare quoque vendicant, quòd educatorum suorum, aut aliàs quoque adstantium capita & barbas, vt & aures dentesque linguis suis blandè defricent aut allingant, quas partes studiosè quasi ad viuum emungunt, & emundant, adeò vt illarum altoribus ex his gesticulamentis oblectationis emergat haud parum. Taceo, quòd acutiùs attendenti coloris iucundâ varietate psittacos haud leuiter exsuperare videantur.

CAPVT LXV.

De auibus pennipulchris.

PRetiosiorem auro quetzaltototl penna fecit, & ideò dicitur auis plumarum. Cristata est, & pauoninis magnâ ex parte ornata plumis, picæ columbęve magnitudine, rostro & incuruo luteoque, & pedibus nonnihil luteis: caudâ tzanatl plumis prælongis vestitâ, atque virentibus nitidisque, & pauonini coloris, iridis folijs formâ similibus opertisque, alijs supernè nigricantibus, infernè verò, & quâ parte pauoninas attin-

gunt, quæ in medio sunt, inclinantibus in virorem, quasi cauẽte naturâ meliorum pulchritudini. Crista constat plumis splendentibus atque pulcherrimis, pectus collumque infernè rubris & micantibus, ac pauoninis supernè, qualibus etiam tegitur dorsum, nec non eæ partes quæ subter alas sunt; interque crura, sed dilutis, exilibus, & mollibus. Plumæ alarum prælongæ sunt, virore tinctæ diluto, & in acumen desinentes. Pennæ tegentes humeros virescũt, sed subter sunt nigræ; quę verò alas interstant, nonnihil incuruæ ac vnguium colore. Plumæ huius auis maximi æstimantur apud indigenas, ipsique auro præferuntur, nempe longiores ad cristas, & alia capitis ac vniuersi corporis belli pacisq; ornamenta; ceteras verò ad textilia opera, & rerum quarumuis, sed præcipuè diuorum exprimendas formas, cui rei pennas quoque auicularũ quas hoitzitzillin vocant, permiscere atque intexere solẽt. Viuunt in prouincia Tecolotlani vltra Quauhtemallan versus Honduras, vbi magnâ curâ cauetur ne quisquam eas occidat, tantùm licet eas plumis exuere, ac deplumes dimittere, nec omnibus, sed tantùm dominis: sunt enim opimorum prædiorum loco, & transeunt ad heredes.

Franciscus Hernandus in Paralipomenis quibusdam notationibus addit circa venationem huius auis nonnulla scitu digna. Aucupes, inquit, se conferunt in montes, vbi tugurijs modicis occultisque conditi, frumentum Indicum coctum diffundunt, fustesq; plurimos perunctos visco defigunt solo: quibus implicatis atque inhærentibus auibus, aucupes pennarum fruuntur spolio. Agminatim volant arboribus, quibus non mediocri, aut insuaui sibilorũ atque concentuum strepitu solent insidere; eamque naturâ duce suarum diuitiarum cognitionem habent, vt visco hærentes sistant, neque contorqueantur, vt plumis suis nullo sint detrimento. cuius pulchritudinis tantus est amor, vt melius ducant capi atque occidi, quàm pennarum integritati, dum libertati student, minimè parcere. Arbores excauare dicuntur, & in earum cauitatibus educare sobolẽ. Vescuntur vermiculis, pineisque quibusdam siluestribus, ex his quas Mexicani *matzatli* vocare consueuerunt. Loca aprica amant, neque compertum est adhuc in domibus voluisse ali aut cicurari. Sonitum proferunt psittacis non admodum dissimilem: verùm sibila edunt læta alacriaque, terque die canunt, nempe matutino, meridie, atque sub occasum Solis.

Post quetzaltototl magni habetur tzinitzian. Auis est parua, columbæ pænè par, plumis multorum colorum vestita, quibus imagines miræ subtilitatis intexunt indigenæ; eo enim opificio vniuerso orbi iamdiu innotuere: & vtebantur festiuis diebus, in bello, templis, ac publicis tripudijs. Rostrum breue est, incuruum & pallidum, columbinum caput ac collum, sed quæ plumis virentibus ac nitidis vestiantur; pectus venterq; rubea sunt, præter eius partem quæ est proxima caudæ; illa enim cyaneo candentique promiscuè tingitur colore. Caudâ supernè virente, ac nigro infernè. Alę partim albo, & partim subnigro atro: iris oculi luteo, sed in coccineum vergente, verùm crura ac pedes cinereo. Viuit in calidis iuxta Oceanum Australem: alitur in caueis, & vescitur fructibus. Pulcherrima auis est, si quæ alia, sed neque cantillat, neque (quod sciam) eduli carne constat.

Totoquestal etiã scribit Antonius Herrera columbinâ magnitudine minorem esse, viridem omnino. Caudæ pennæ longissimæ sunt, magno pretio habitæ, & receptæ in cõmercijs. Occisor huius volucris capitis reus erat, quare depilabant illam dumtaxat, deinde dimittebant.

CAPVT LXVI.

De turdis Chiappæ, & passeribus fabris.

GEnus turdorum Chiappam, incolit quos vocãt passeres fabros. Nigri sunt solùm in pectore, & capite rubri. Fructu quercinò dumtaxat vescuntur. Rostro perforant corticem pinuum, glandem singulis foraminibus aptissimè accommodant, vt manu extrahi nequeat, sic omnem pinum ornatissimè cingunt glandibus incisis. Mox pedibus hærentes cortici, tundunt rostro glandem, & vorant. Alia sententia Gomaræ est de passeribus, quos vocant Hispani *carpinteros*. In Dariene scribit nasci palmas, quarum truncus per extrema attenuatur: in medio nidificare quosdam passeres excauato rostris nido. hos passeres vocat ipse *Pitos*, & putat esse quos Plinius Picos dixit, Hispani *fabros*. Addit ex aliquorum sententiâ, vim recludendi nidos ferro impeditos non esse alicuius herbæ, sed ipsius pici, cuius tactu infringi metallum.

CAPVT LXVII.

De rhinocerote aue.

IN bisulcis hęc habet Aldrouandus. Rhinoceros auis volatu admodum pernici & incitato fertur, corporis magnitudine aquilam superare, rostro incuruo, quatuor pedes longo, inter oculos cornu extante, quod nigrâ lineâ continuo producta disterminatur.

Est

Est auis crudelis & immansueta, sequiturq; exercitus, & cadaueribus depascitur. Visa est vna à Lusitanis è nauigio in Mari rubro, cùm Solimanus eunuchus classem circumduceret. Eadem virtus huius cornu ac quadrupedis, vt narrauit Ludouicus de Vrretâ lib. 1. Historiæ Æthiop. paginâ 344. si fortè præclara sit fides huius Auctoris. Recolo sub annum 1595. in Guianu visam auem, & Gualthero Raleo in portu Moreguito oblatam à Rege (armadillam indigenæ vocant) cuius pennæ ita dispositæ, vt loricæ squamas referant, excrescente longo cornu, quo illi vtuntur pro tubis. Petrus Martyr Decade 3. libro 6. rostrum eius porcino non esse longius, & sub terrâ vt talpam viuere, interdum etiam altum volare: carnem esui non insuauem, cornu præcipuum antidotum haberi, prodit Monardus auctor verax. Ego non maximam fidem indulgeo omnibus his Auctoribus; aliquos veneror.

CAPVT LXVIII.

De aue montanâ.

ADulatio & societas canum non vincit officia tepetototl, seu auis montanæ, quæ valdè domestica est, quam alij tecuecholi, Hispani verò indigenæ phasianum vocant. Auis est anseris magnitudine, colore nigro splendenti, plumis tamen nonnullis internè candentibus circa caudam in postremis alis, cruribus pedibusque cinereis, rostro incuruo, partim cinereo, & partim luteo, ac circum radicem velut tumenti, plicatili cristâ, oculis nigris, sed iride pallenti. Alitur frumentaceis frugibus, seu in massam, seu in panem coctis, alijsque similibus esculentis. Edulis est ac pinguis caro, nec dissimilis illi chortalium Indicarum. Mite animal, amicum hominis, & quod cibum apprehenso domesticorum pallio exigat, pulsetque rostro clausam ianuam, vbi aliquò intrare ei opus sit, herumque sequatur, si liberum sit, venientemque alacriter applaudensque excipiat.

CAPVT LXIX.

De aue longâ, seu hoitlallotl.

CVrsu nobilior quàm pennâ est hoitlallotl, seu auis longa à rostri acumine ad caudæ vsque exortum (quę spithamam quoque longa est) dodrantem prolixa conspicitur. Rostrum desuper nigrum, subter verò cinereum, quadrantem longum, ac mediocriter crassum: cauda virens, sed pauonino splendore. Plumæ totius corporis ex albo fulueſcunt, fulueſcuntque prope caudam è nigro: sed quæ corporis vestiunt superiora, nigrę sunt maculis candicantibus consperſæ. Humipeta auis est, ac modici volatûs, sed adeò pernici cursu, vt equorum velocissimorum agilitatem longè excedat. Calidis regionibus viuit, nec expetendam præstat alimoniam.

CAPVT LXX.

De turture Indicâ seu cocotzin.

SVperstitione quadam aut remedio zelotypiæ famam meruit cocotzin seu turtur Indica. Passere nostro paullò est maior, cuius vniuersum corpus supernè fuscū est, plumas tamen singulas nigro ambiente colore: alarum anteriora partim nigra sunt, sed maiori ex parte fulueſcunt: cauda extrema albo & fusco promiscuè colore tingitur. Plumæ quæ infernum corpus vestiunt, albę sunt, sed in lineas fuscas desinentes atras: alarum infera fulua, cinerea & nigra. Caput paruum est, rostrum paruum ac nigrum, collum breue, crura rubentia, & vngues fusci ac parui. Nomen habet apud Mexicanos ab alarum colore & strepitu, apud Hispanos verò, qui eos turtures vocant, à vocis murmure, sapore ac nutrimento, etsi nostris turturibus longè minores sint. Sonat huhu: bono constat nutrimento, etsi duriusculo. Reperitur in montanis locis, atque etiam iuxta oppida. Indigena auis est, Mexicanique agri alumna ac valdè frequens. Aiunt, si mulieri, nescienti quid edat, cocta loco cibi exhibeatur, zelotypiæ mederi. Est & aliud genus prædictæ auiculæ omnino simile, sed fuluo corpore nigroque, & capite cinereo. Sunt qui tlapalcocotli hanc ob fuluum colorem vocent.

CYGNVS CVCVLATVS, siue GALLINACEVS GALLVS PEREGRINVS CLVSII.



CAPVT LXXI.

De cygno cuculato.

EXoticam auem in insulâ Cygneâ repertam ab Hollandis narrat Clusius, cuius ista sunt: Illa porrò auis peregrina cygnũ quidem magnitudine æquabat aut superabat, sed eius forma longè diuersa: eius etenim caput magnum, tectum velut quadã membranâ cucullum referente, rostrum prætereà non planum, sed crassum & oblongum, subflaui coloris parte capiti proximã, cuius extimus mucro niger. Superior quidem eius pars siue prona adunca & curua, in inferiore verò siue supinâ subcærulea, macula mediâ partem inter flauam & nigram occupabat. Raris & breuibus pennis tectã esse aiebant, & alis carere, sed earum locis quaternas & quinas dũtaxat longiusculas nigras pennas habere: posteriorem verò corporis partem præpinguem & valdè crassam, in quâ pro caudâ quaternæ aut quinæ crispæ conuolutæq; pennulæ cineracei coloris. Crura crassa illi potiùs esse quàm longa, quorũ superna pars genu tenus nigris pennulis tecta, inferior cum pedibus subflaui coloris; pedes verò in quatuor digitos fuisse diuisos, ternos longiores antrorsum spectantes, quartum breuiorem retrorsum conuersum, omnesque nigris vnguibus præditos. Verùm enimuerò, concinnatâ & descriptâ iam quâ potui fide huius auis historiâ, illius crus genu tenus resciſsum apud Petrum Pavvium, primarium artis Medicæ in Academiâ Lugduno-Batauâ Professorem, videre contigit, recèns è Mauritij insulâ relatum. Erat autem non valdè longũ, sed à genu vsque ad pedis inflexionem paullò plus quàm quatuor vncias dũtaxat superabat: eius verò crassitudo magna, vt cuius ambitus pænè quatuor vncias æquabat, crebrisq; corticibus seu squamis tectum erat, pronâ quidem parte latioribus & flauescentibus, supinâ verò minoribus & fuscis. Pedis etiam digitorum prona pars singularibus ijsq; latis squamis prædita, supina autem tota callosa. Digiti satis breues pro tam crasso crure: nam maximi siue medij ad vnguem vsq; longitudo binas vncias non admodum superabat, aliorum duorum illi proximorum vix binas vncias æquabat, posterioris sescunciam: omnium verò vngues crassi, duri, nigri, minùs vnciâ longi, sed posterioris digiti longior reliquis, & vnciam superans. Nautę huic aui nomen indebãt suo idiomate VValgh-vogel, hoc est, nauseam mouens auis, partim quòd post diuturnã elixationẽ eius carò non fieret tenerior, sed dura permaneret, & difficilis cõcoctionis (excepto eius pectore & ventriculo, quæ non contemnendi saporis esse comperiebant, partim quòd multos turtures nancisci poterãt, quos delicatiores & ori magis gratos reperiebant. Nihil igitur mirum, si præ illis hanc auem contemnerent, & eâ carere se facilè dicerent. In eius porrò ventriculo quosdã lapillos inuentos aiebant, quorum binos huc perlatos conspiciebam apud Christianũ Porretum, eosque diuersos formâ, vnum planum & orbicularem, alterum inæqualem & angulosum: illũ vncialis magnitudinis, quem iuxta pedes auis exprimendum curabam, hunc maiorem & grauiorem, vtrumque cineracei coloris. Eos ab aue in maris littore lectos, deinde deuoratos fuisse verisimile est, non in eius ventriculo natos. Ceterùm ea insula, vt in Diario legebam, vno & viginti gradibus ab Æquatore versus Antarcticum polum distat, in quâ neminem habitare, sed desertam esse opinabantur: quia licet aliquot nautæ diuerso tempore emiſsi fuiſsent vt obseruarent, totumque triduum hac illac peruagantes insumpsiſsent, neminem tamen repererunt. Istam opinionem magis confirmabat omnium auium securitas, quæ manu se apprehendi, & funibus cædi sinebãt, tamquàm nullum hominem anteà conspexiſsent. Licet verò huius insulę ambitum circiter quindecim milliarium dùmtaxat esse in Diario sit adscriptum, ex aliâ tamen nauigatione paucos post annos factâ ab Hollandis in insulas Moluccas tendentibus, claſsis Præfecto siue Admirallio Iacobo van Neck, eius verò legato siue Vice-Admirallio N. Ganier, qui ad eam insulã fortè appellebat, maiorem illius ambitum fuiſse compertum est. Is enim totam insulã circuire iubebat, & triginta milliarium siue leucarum ambitum habere deprehendebat, vt mihi ipsemet asserebat Amstelredami anno à Christi natiuitate millesimo sexcentesimo tertio, illo ipso anno è Moluccis & Taprobanâ redux. Istam autem insulam Bataui appellabant Mauritij insulam, à Principe Mauritio, antè à Lusitanis *Ilha do Cirne* vel *Cisne* nuncupatam, id est insulam Cygnæam, forsitan ob conspectam in ipsâ iam commemoratam auem, quam cygnum esse existimaſsent. Vocat Clusius descriptam auem gallinaceum gallum peregrinum.

CAPVT LXXII.

De coturnicibus Indicis.

COturnices vocabat Noua Hispania colin, quarum genera ex Francisco Hernando dabo. Nostratibus sunt similes, etsi ad perdicum species sint citra dubium referendæ.

rendæ. Multa genera apud Nouos Hispanos reperiuntur, nonnulla fusca & cristata, quæ quauhtzonecolim nuncupant, mediocris magnitudinis; alia fusca quoque, sed cristarum expertia, & paulò minora; alia omnium maxima fuluaque, sed capite albo & nigro colore variato, extremis verò alis dorsoque candentibus, pedes verò ac rostrum nigra sunt. Hispanis, vt dixi, coturnicibus assimilantur. Omnia & bono & grato constant alimento, si tamen iugules duobus tribúsve diebus, antequam assa apponantur mensis. Exhibetur earum caro etiam malè habentibus: nec est apud Indos vlla alia post cohortales, quæ illi possit anteferri, aut alimenti salubritate aut gustu. Canunt nostratium instar, etsi aliæ alijs suauiùs. Caueis includuntur: vescuntur Indico nostróve frumento, & sunt quamplurimis huius plagæ locis familiares. Alibi idem Auctor de coyolcozque seu colli sonali inquit: species est colin, seu coturnicis Mexicanæ, inter quamplures alias, de quibus loquemur seorsim. Ergo coturnicibus vocatis à nostris similis hæc est, magnitudine, cantu, nutrimento, volatu, & moribus, sed diuerso colore, qui supernè est ex fuluo candidoque commixtus, infernè verò tantùm fuluus, etsi verticem & collum nigrantes albæque plumæ occupent, & tęnias ab vtroque latere adeoque à collo ad vtrumque collum efforment atque constituant. Oculi sunt atri, & fulua crura. Indigena auis est, campestribusque locis, velut & nostras, frequens, ac simili etiã alimento, & quod ad illud perdicis Hispanicæ (est enim eius species) proximè accedat. Colcuicuiltic seu coturnicis simulacrum, coturnicis quoque nostræ species est, albis, nigris coccineisque variata plumis, & protractis desuper potiùs lineis quàm circumscriptis maculis, subter verò potiùs maculis frequentibus, quàm lineis, pedes cruraque cyanea sunt; sed cantu, magnitudine, moribus, ceterisque cunctis præcedenti omnino similis. Sturno est acolin magnitudine par, cruribus pedibusque viridi pallescentibus, & in quatuor diuisis prolixiores digitos. Rostrum est luteum, & longiusculum pro corporis proportione, tenueque & mucronatũ: oculi nigri, iris fulua, caputque paruum. Inferna corporis candida sunt, lateribus fusco maculatis colore; superiora verò & cauda, quæ breuiuscula est, fulua sunt, sed maculis nigricantibus distincta, & candidis lineis qualuis pennas circumambientibus, eiusdemque coloris punctis nonnumquam conspersis. Lacus incolit, piscosumque est, nec tamen admodum ingratum pręstat alimentum. Vermiculis, muscis, & alijs paruis animalibus quæ volitant circa paludem, victitare solet. Indigena est Mexicani lacus. Caput mirâ colorum varietate micat, quod medium atra linea secat, ac velut cinereæ aliæ latera, maculę verò paruæ & candentes canthos externos: collum pectúsque cinerea sunt, cetera è fuluo in viride potiùs inclinant.

CAPVT LXXIII.

De aue niueâ siue ceoan.

CEoan seu auis niuea, imitatione humani sermonis nobilis, turdo viscivoro paullò maior est, circa pectus, ventrem, atque alarum exortum fuluescens, permixtis ad caudã cinereis plumis; alarum extrema caudaque ipsa infernè cinerea sunt, supernè verò vniuersum corpus nigrescit è fusco: rostrũ, quod paruum est atque exile, cruraque fuluescunt: mentum candet, insertis tamen nigris aliquot pennis. Sermonem humanum æmulatur, velut irridens transeuntes, quos tamen, vbi licet, insequitur.

CAPVT LXXIV.

De aue euocatrice niuis.

MEretur quoque nomen à niue cenotzqui seu auis euocatrix niuis. Antequã ningat, clamitat, posteà silet. Color illustris variegatione: pectore fuluus, crure pallidus, vngue niger, ventre permixtus notis candidis & atris, subtus alas candidus & cinereus, super fuluus, niger, paulò pòst cinereus, infectus atris maculis: sub finem conspersus albis notis, caudâ subtus niger & candidus, super fuluo nigrore maculatus. Caput nigrum est fasciâ cinctum cinereâ; rostrum paruum cinereum supernè atque infernè, sed supernè iuxta exortum lineâ ambitur luteâ. Oculi nigri sunt, & palpebrę pallentes. Quouis cælo gaudet, montana colit, & veris tempore educat sobolem. Ita conuoluit huc & illuc caput, contorto in varias partes collo, vt eodem situ immota perstans, cuncta circumspiciat. Est & alia eiusdem auis species, quibusdam distans colorum varietatibus: capite siquidem fuluo & cinereo est, collo partim nigro, ac partim candescente. Sunt qui loceto vocent.

CAPVT LXXV.

De pauxi.

PAuxi gallinaceum æquat aut superat: nigra est, maculis nonnullis persperса albis & rubris, nonnihil prouecto collo, amplo capite, quod nonnullis simplex, alijs cristatum,

tum, alijs pro plumeâ cristâ lapis aut globus insurgit (lapidem vocant, licet non nimis durus) ouo similis aut maior, ferrumineo colore libenter mansuefit. Ad aulam Philippicam allatam pauxin sic describit Franciscus Hernandus: Non est prætereunda auis illa ad Regem Philippum à Margaritâ (vt ferebant) insulâ delata, quam in horto eius vidimus, galli gallinacei magnitudine, aut paulò maiorem, nigro colore plumarum, sed splendenti, & fermè pauonino, rubro rostro, incuruoq; & psittaci simili, mitem, sed capi & attrectari à quouis renuentem. Erat in hac aue insigne ac peculiare, tumorem quemdã radici rostri affigi, quâ parte erat tenuior, pici formâ, lapidis duritiâ, & cęruleo colore, qualis esse solet lapidis cyanei, aut vocati torcoidis. Alebatur autem (si benè memini) frumentaceis seminibus, & ceterarum cortalium nutrimento, quibus formâ quoque videbatur similis. Adijcit idem Hernandus: Alia auis in eodem horto visa mihi, præcedenti erit annectenda, ciconiæ (nî mente excidit) magnitudine, & cinereo colore. Cristam hæc capite gestabat octo (vt mihi quidem videtur) vncias longam, è multis aggeratam plumis subiectis eiusdẽ coloris, & in amplitudinem orbicularem, præcipuè circa summum, dilatatis atque excrescentibus. Verùm custodum incuriâ perijt.

CAPVT LXXVI.

De picicitli.

PAruula auis picicitli dicitur, post imbres apparet, ignobilitate quadam originis nobilis. Nesciunt adhuc Tetzcoquenses vbi fętificet. Muta est. Educat domi, breuî perit. Palato & stomacho est acceptabilis. Cinerea tota est, nisi capite & collo, quorum vtrumque nigrum: solùm oculos nigros candens ambit macula.

CAPVT LXXVII.

De aue polyglottâ.

VIdi, audiui, miratus sum auiculam Matritum allatam, totius melodiæ Reginam, cuiuscumque vocis arbitram. Indi à concentu multiplici cencontlatolli, seu quadringentas linguas vocant. Sturnum non superat: subtus albescit, superiore parte fusca, pullis & candẽtibus intermixtis pennis, maximè ad caudam & caput, quod imagine quadam coronæ argenteæ redimitur. In caueis ad blanditias auditus, ad ostentum & miraculum naturæ seruatur. Vincit omnes aues suauitate, & arbitrio gutturis; nullius non imitatur, nullius non superat. Philomelæ longissimè præstat. Fateor diu me tenuisse. Contenta est quouis cibo: calidas amat regiones, temperatas tolerat. Huic similis est tzanpan. Aliqui suspicantur feminam esse eiusdẽ speciei, paribus magnitudine, cantu, formâ, nisi quòd plumæ infernè albæ sint, cinereæ & nigræ; supernè pullæ, nigrę, albæ.

CAPVT LXXVIII.

De noctuâ canorâ.

CHicuatli seu noctua nostratem rusticulam exæquat. Rostro est longo, tenui, & pullo, ac tænijs iuxta vtrumque oculum luteis & incuruis. Inferiora corporis pallida sunt, nigris quibusdam plumis circa collum interfertis: iris lutea, ac nigri oculi: cetera ex fuluo, fusco & cinereo permixta. In montibus versatur, humipeta est, & in vimineum alteriúsve materiei coniecta carcerem, haud vulgariter garrit. Alitur facili operâ: nam tlaolitio pane, vermiculis, alijsq; hisce similibus vesci consueuit. Calidis frigidísque regionibus capitur, pingueque & non omnino aspernandum præbet alimentum. Sunt qui chiquatotol vocent, à noctuâ, quoniam non minùs est, quàm illa, auguralis.

CAPVT LXXIX.

De aquilis albis, & venatione gemmarum.

VLtra Regnum Malabar per mille milliaria est Regnum Murfili, quod nemini est tributarium. Habitatores eius lacte, carnibus & oryzo vescuntur, atque idola colunt. In quibusdam huius Regni montibus inueniuntur adamantes: nam cùm pluit, egrediuntur homines ad riuos aquarum qui de montibus descendunt, & in arenâ multos legunt adamantes. Æstatis quoque tempore ascendunt montes cum magnâ difficultate, propter feruentem calorem vndiq; æstuantem, periculo etiam magno sese exponentes propter magnos serpẽtes, qui ibi in maximâ versantur magnitudine, & quærunt in vallibus montium, atque alijs decliuibus & retrusis locis adamantes. Et quidem fit, vt illos nonnumquam in magnâ reperiãt copiâ, idque in hunc modum. Morantur in montibus illis aquilę albæ quæ memoratis vescũtur serpentibus: & homines, qui per montes discurrunt, & sæpè, ob prærupta saxa & præcipitia montiũ, ad conualles peruenire non possunt, proijciunt in illas frusta recentium carnium, videntibus aquilis, & hæc deinceps ab aquilâ sublata, nonnullos habent adhærentes adamantes, quos homines hoc inge-

nio

nio venantur. Aduertunt, quò auis sublatam portet carnis portionem, & accurrentes, abigunt aquilam, & lapillos carni adhærentes colligunt. Quòd si aquilę in valle proiectam comederint carnem, aduertunt lapidũ scrutatores locum vbi aquila noctu dormit, & egesta stercora discutientes, eliciũt adamantes, si quos cum carne deuorauit. Hæc M.P. Venetus. Nec valdè dissimilem piscationem gemmarum narrat Anastasius Nicænus ex Chrysostomo. Hyacinthus est quidem subrutilus, inuenitur autem in interiore Scythię Barbariâ. Scythiam autem soliti sunt vocare veteres omnem regionem Borealem, vbi sunt Gothi & Dani: illic ergo intrinsecus in magnæ Scythiæ solitudine est barathrum, seu fossa profundissima, ad quam non patet aditus hominibus, & rupibus illinc & hinc circumdata, adeò vt quispiam supernè ex summis montibus tamquam ex mœnibus despiciens, non possit fossę fundum conspicere, sed ob profunditatẽ sit velut quoddam tenebrosum chaos. In hac sunt qui à propinquis regionibus condemnati & coacti mittuntur. Cùm autem agnos sacrificauerint & excoriauerint, desuper eos iaciunt ex rupibus in chaos fossæ, ad illas autem carnes agglutinantur illi lapides, quos aquilæ in rupibus petrarum habitantes ad odorem carnium descendentes, & sursum ferunt cum agnis, quorum carnibus adhæresćunt. Deuoratis autem carnibus, lapides remanent in vertice montis. Cùm autem venatores conspexerint, quò ab aquilâ delatæ sint carnes, illuc eunt, & sic auferunt lapides.

CAPVT LXXX.

De seyserach.

De his auibus Tartariæ hæc scribit Haithonus. Abaga fecit fieri magna fossata, & alia munimenta, quodam loco vocato ciba, & ibi stat semper, præcipuè tempore hiemali, custodia armatorum, qui defendunt transitum ab inimicis. Gentes verò Hochtay toties tentauerunt occultè transire per viam, sed non potuerunt, vel possent aliquâ ratione. nam in quadam planicie, quæ vocatur Monga, stant in hieme quædam aues magnitudinis phasianorum, quæ pulcherrimas habent plumas, & vocantur seyserach: vnde quando aliquæ gentes ingrediuntur illam planiciem, statim fugiunt illæ aues, & transeunt per illas custodias & fossata, & illi, qui sunt deputati ad custodiam illius loci, per illas aues manifestè cognoscunt inimicorum aduentum, & ad defensionem continuò sunt parati.

TETRAO.



CAPVT LXXXI.

De tetraone.

Nota Alpinis populis voluptas & delicium palati tetrao. Auis est, cuius meminit Paulus Iouius in Legatione Moscouitarum. Est suprà nigra, puniceis supercilijs, magnitudine anseris, cuius pulpæ sapor phasianos superat. A Plinio vocatur *erythratao*.

CAPVT LXXXII.

De vulture aquatico seu tetetzauhqui.

DE vulturibus aquaticis hæc Ouiedus narrat. Sæpe, inquit, conspiciuntur in hac insulâ Hayti siue Hispaniolâ, tum eâ quæ à D. Ioanne nomen accepit, atque in alijs huic Indię adscriptis, aues meâ opinione valdè mirabiles, dubiæque naturæ, qui tam supra terram quàm in mari & fluminibus prædari & viuere possunt. Sunt autem corporis mole tam grandes, quàm magnus larus siue gauia, pennasq; habent illi similes, mixti videlicet coloris ex albo & fusco: rostrũ etiam simile; sed magis mucronatum: pedes verò habent diuersi generis, sinistrum quidem planum, anatum, anserum, aut aliarum auium in mari degentium instar, dextrum verò curuum, & ad captandam prędam idoneum, vt vultures, falcones, aut aliæ aues curuis vnguibus præditæ. Itaque quando inter volandum piscem aliquem summâ aquâ natantem conspiciunt, ex alto sese pręcipites dant, pedisque dextri vnguibus corripiũt, atque, si lubet, in aquâ persistentes sinistri pedis auxilio istic vorant, aut ex aquâ sublimes elatæ, inter volandum prædâ vescuntur, vel in scopulum aut arborem sese transferunt, vt commodiùs prædam vorare possint. Mihi porrò relatum est, suprà aucupium etiam exercere, & paruas aues, lacertos, aut huiusmodi res terrestres persequi: eam ob causam Christiani in illis insulis habitantes aquaticos vultures eos appellãt. Ceterum Isidorus inter recentiores etiam opinionem habuisse videtur, aues reperiri diuersæ formæ pedes habentes: atque inter eas porphyrionem reponit. Porphyrio, inquit, est auis, cui hoc peculiare, quòd pedem vnum habet latum ad natandum, alterum verò fissum ad ambulandum. In quo notatur, quòd vtroque elemento gaudet, & in aquâ natans vt anates, & in terrâ ambulans vt perdices. Verùm Isidoro porphyrionem numquam conspectum fuisse opinor: nam alterum pedem planum non habet, sed vtrumque fissum, vt habent gallinę, perdices, & aliæ aues per terram gradi solitæ, & vniuersum corpus cyanei coloris pennis tectum habet. At in auibus aliquibus Indiæ vera est hæc monstrositas & deformitas pedum. Eumdem puto aquaticum hunc vulturem Ouiedi, & accipitrem Chiappæ, cuius suprà mentio est facta, & cum tetetzauhqui Francisci Hernandi, de quo ita narrat in Paralipomenis notationibus: Tetetzauhqui, quam Hispani asturem aquatilem vocant, auis est lari magnitudine, similibusque plumis, nempe fuscis candidis quàm promiscuè vestita; rostro etiam simili, sed magis acuto. Ad accipitrũ pariter & aquatiliũ genus videtur pertinere: nam & in terrâ & in aquâ illi vita atque aucupiũ est, habetque pedem dextrum, quo prædam rapit, armatum vnguibus velut ceteri accipitres; sinistrum verò, quo insistit aquis, palmæ simile velut anatum genus: atque ita interdũ eo insistens vndis, fruitur prædâ, vesciturque; atque interdum, si ita facere libeat, raptum piscem aut auem, arboribus confidens, aut in ipso volitans ęthere, velut terrestre & aquaticum animal, dilacerat ac deuorat. Prouenit in Haitinâ insulâ, & D. Ioannis, alijsque permultis, & etiam in Nouâ Hispaniâ iuxta Panutinam Prouinciâ & littora pelagi Septemtrionalis.

CAPVT LXXXIII.

De auibus Farrensibus.

INsulæ Farræ nobilitate auium insignes sunt: afferam quæ de earum auibus in quadam epistolâ Hoyerus collegit. Farræ insulæ, vulgò *Ferroyer*, nomen à plumarum copiâ adeptæ videntur, quippe quæ felices admodum in auium feturâ, quarum præcipuas hîc sub certis classibus recensere libet, easque omnes palmipedes. Primo quidem ordine tres illas species, lundas, atcas, lomvvias, vti vocant, quę multitudine suâ & plumæ vsu reliquis omnibus harum insularum auibus anteferuntur. Lunda est minor illâ, quam superiore autumno miseram, rostro rubente & latiusculo, pectus candida, nigra tergũ & alas, pedes rubra, mole corporis anate inferior (ea est quam cap. 10. lib. 5. Exoticorum anatis Arcticæ appellatione Clusius insigniuit) nidificat in præcipitibus celsarum rupium cauernis. Oua edit gallinaceis tum colore tum magnitudine paria, sub autumnum quò abeat ignotum; reuertitur primo vere. Hac aliquantò maior est alka, rostro lato & nigro, itemque corpore, nisi quòd sub pectore & extremis alis albicat: pedes nigri, caput denique fuscũ, nisi linea alba ab vtroque oculo ad rostri partem proximam duceretur. Nidificat in editissimis scopulis, vt lunda, magnitudine æquās minorem gallinam. Oua eius maculata ex albo & nigro. Grandior illâ lomvvia est. Eius corpus totum nigrum, excepto pectore quod albet: pedes nigri, rostrum nigrum, acutum oblongumque: oua in editioribus scopulorum marginibus excludit, cyanei quidem coloris, sed lineamentis vndique diuersorum colorum mirè variegata ac velut picta.

In altero ordine collocare placet duas diuersas species, quæ terram numquam ingrediun-

diuntur, vtique pedibus ad incedendũ inutilibus prǣditæ, mole corporis anserem minorem æquantes. Prior ildbrimel esto, maior ſcilicet ex illis duabus quas ſuperiore autumno miſi, quamque inſulanos pro halcyone habere dixi, hac ſine dubio ratione inductos, quòd halcyonis more fetum in vndis marinis producere neſcio à quibus acceperint, quamquam ego minimè pro halcyone reputem; longè enim diſſentit deſcriptio Plinij. Caput eius fuſcum, ſub collo circulus albus: pectus item cādidum, tergum & alæ nigricant, maculata paſſim punctis albis: pedes nigri (ea eſſe videtur mergus Farrenſis maximus, cap. 6. lib. 5. Exoticorum à Cluſio deſcriptus.) Altera goifugel colore corporis alkæ non abſimilis, tametſi corpore longè maior. Roſtrum ei admodum latum & incuruum, caput oblongum atque nigrum, oculorum margines candido circulo tinguntur: pedes nigri, quorum nullus ad incedendum vſus, ſed nec alarũ quas admodum exiles habet; etenim nec incedere nec volare vmquam viſa eſt vtraque. Rariſſimè autem hæc & non niſi aliquibus annis viſitur, nec vbi feturę operam det vlli hominum exploratum. Vtramque hanc ſpeciem in mergis ego numerauerim.

Tertiâ claſſe conſtituo tres ſpecies formâ diſcrepantes, ab hoc genio valdè affines, quòd tempeſtatũ prænuntiæ, & in alto tantùm Oceano verſentur. Harũ quæ magnitudine anteit, gallinam mediocrem magnitudine, formâ falconem vtcumque æquat: vulgò *haffhert*, hoc eſt *equus marinus*, non conuenienter appellatur. Cinericio eſt vndique colore, maculis albis paſſim interſtincta, roſtro incuruo velut falconis, ſed breuiori. Ad eius, quemadmodum & duarum inſequentium conſpectum, exhorreſcere piſcatores, & littora legere quâ poſſunt celeritate ſolent, certi tempeſtatem in propinquo eſſe noxiam. Altera Stormfinck paſſere paulò maior. Tota & hæc griſea eſt, ſine maculis, roſtro exili admodũ. Pegaſum præ ſuperiore rectiùs dixeris: ſiquidem ſuper ipſos fluctus incredibili pedum velocitate tranſcurrere, ac nimbi inſtar ferri, non ſine admiratione videas. vt transferri ad hanc verè poſſit, quod de Camilla nimis hyperbolicè Virgilius:

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas,
Vel mare per mediũ fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plãtas.


Cateruatim hæc ſi nauigantibus appropinquet, deponenda eſſe ſubitò vela, intelligentes norunt. Videtur hæc affinitatem quamdam habere cum eâ, cuius Ouiedus lib. 14. Naturalis & generalis Indiarum hiſtorię ſub initium capitis 1. meminit, & *patines* à nautis appellari ſcribit: certè eadem in volando velocitas etiã tempeſtatibus concitato mari, vt per ſummos fluctus celeri curſu ferri quiſpiam arbitrari poſſit. Tertia ſpecies Barnfiard, magnitudine paſſeri par, ſub pectore candicans, collo dorſoque nigricans, roſtro item nigro, & latiore nonnihil, pedibus rubris. Natando velociſſimam hæc ſe præſtat, quantum ſtormfinka diſcurrendo. Hæ tres ſpecies vbi fetum proferant neſcitur; proin meâ quidem opinione ad halcyonis deſcriptionem inter omnes, quas enumerauimus, proximiùs accedere videntur, quamquam colore ad Plinij deſcriptionem prorſus non quadrent. Quartum locũ ſkuæ tribuo, quæ auis aquilino generi videtur adnumeranda, ſiquidem & corporis mole & rapacitate illis reſpondet: roſtrum habet curuum, ſed non admodum latum, pennas corpus tegentes griſeas, ſolâ alarum extremitate albicante; pedes item griſeos. Fetum negligenter in apertis campis producit ex ouis griſeis, grandioribus, anatinis ſimilibus, quæ exilibus nigris maculis notata ſunt: piſce veſcitur, ſed & prædam in omne genus auium infenſiſſimè exercet. Quinto ordine deſcribendæ veniunt duæ diuerſæ anſerum ſpecies, quarum prior helſingegaas: caput & collum habet nigrum, circulo albo cinctũ, pectus album, alas griſeas, tergum cyanei coloris, pedes rubros, & magnitudine anati reſpondet. Altera ſpecies erandgaas, anſere ſilueſtri paulò minor: caput illi griſeum, collum rubro circulo cinctum, pectus griſeum, alæ ſimiliter & collũ, pedes rubri. Hæ ſpecies in Farris rariſſimè conſpiciuntur, neque iſtic fetificant: vnde autem veniãt, & quò migrent, nemini cognitũ. Superſtitio autẽ ex longâ experientiâ nata eſt, hæ vbi apparuerint, mutationem magiſtratus imminere. Aliàs ſilueſtrium anſerum ſatis hîc quoque magna copia.

CAPVT LXXXIV.

De ſkuâ.

SKuam paullò aliter deſcribit Cluſius quã Hoyerus. Erat autem grandioris alicuius gauiæ magnitudine, ab imo videlicet collo ad vropygium vſque nouem vncias longa, corporis ambitus, ductâ ſub alis menſurâ, vncias ſedecim craſſus: collum à ſummo capitis vertice ad tergum vſque ſeptem vncias longum: caput non valdè magnum, nec roſtrum planum ac potiùs longiuſculũ & anguſtum, capitis proximâ parte ſcabrum, extimâ verò leue, nigrum & curuum, inſtar ferè rapacium auium, aut gauiarum, binarum vnciarum longitudinem non excedebat: alæ ſeptemdecim pænè vnciarum longitudinem explebant, & paullulùm extremâ caudam ſupe-

SKVA HOYERI.



ſuperabant: quatuor maiores alarum pennæ remiges nigræ, non albæ in extremitate, vt Hoyerus adſcripſerat, niſi fortè ſimilē notam in alijs eius generis auibus cōſpexerit. A tubo verò ad mediam vſque pennarum longitudinem illas candidas reperiebam, quemadmodum etiam maiores, & ſupernas tres caudæ pennas, quâ vropygio inſerebantur. Reliquâ parte nigra, non ſecùs ac alarū extremâ. Ad ceteras verò pennas corpus tegentes quod attinet, ciner acei ex nigro erat coloris, niger tamen exuperabat, & haliaëti, vel milui pēnas valdè æmulabantur. Crura in extremâ ferè corporis parte collocata habebat, vt pleræque aues aquaticæ, ſupráque genu valdè erant breuia: à genu deinde ad pedem vſque pænè tres vncias longa: pedes plani tribus digitis prædìti, & breui calcari. Interior digitus, qui breuior, binis articulis conſtabat; medius, qui longiſſimus, tribus; medio longitudine proximus, quatuor: calcar vnicum articulum habebat. Omnes autem digiti in paruos vngues curuos deſinebāt, & nigrâ membranâ ſiue cartilagine connexi erant ad vngues vſque. Porrò cùm hæc auis ex Hoyeri relatione perinde graſſetur in omne genus auicularum, ac in piſces, parum abeſt, quin mihi perſuadeam, illam eſſe, aut certè ei perſimilem, quam Conſaluus Ouiedus Historiæ Indiæ Occidentalis lib. 14. cap. 8. deſcribit, vnicâ exceptâ (ſiquidem vera ſunt quæ ſcribit) nam hæc vtrumque pedem planum habet, eiuſdemque formæ; ille autem ſiniſtrum dumtaxat pedem planum ſuę tribuit, alterum verò facit vulturis aut aquilæ pedi ſimilem.

CAPVT LXXXV.

De auibus chagrinis.

IVxta fluuium Chagren inquietes ſimij omnem frondem viſitant, nullus ab his ramus tutus. Quid facient volucres? vbi ſecurè nidum ſtatuent? Docuit natura artem; ſuppeditauit auxilium. Frequentes ijs plagis beſuci, perrepunt vſque ad culmina arborum, deinde pondere inflecti ſolent. Sunt autem beſuci, vt ſuo loco dicam, palmites tractabiles ſine folijs, hærentes & reptantes per arbores proceras, quæ pro funibus barbaris ſeruiunt. Igitur ex his ſuſpendunt nidos aues, vt ſecuræ ſint inquietudine & latrocinio ſimiorum. Mirâ arte penſiles domos faciunt.

CAPVT LXXXVI.

De perdicibus magnis.

IN inſulâ S. Helenæ exæquant perdices gallinam. Cinereæ ſunt, & adeò cicures, vt non facilè auolent, etiamſi homines videant appropinquantes. Magnâ frequentiâ foueis conduntur. Sedecim imò viginti in vnâ ſimul latent.

CAPVT LXXXVII.

De auibus ingentibus.

COndores vocat Acoſta immanis molis aues, quæ vitulum reſecent & deuorēt. Cuntur vocant Perüenſes. Viſæ ſunt quæ vſque quinque vlnas protendant alas. Abſque vnguibus rapaces ſunt: duæ taurum roſtro necant, & vorant velut lupi. Duodennem puerum vna auis occidit, vorauit. Variegātur fuſco & albo colore quemadmodum noſtræ picæ; criſtatæ ſunt. Symbolum ex his auibus conſtruxit in rupe editâ Viracocha priſcus Inga Rex Perüenſis. Latiùs Garcilaſſus Inga deſcribit lib. 5. cap. 23.

Aquila maxima inuenta in Tlatelulco Mexici tantæ magnitudinis ferebatur, vt veruecem vno prandio deuoraret. Stupendæ magni-

magnitudinis alitem narrat Marcus Paulus Venetus in descriptione insulæ Madagascar. Narrāt incolę, certo anni tempore aduolare mirabile auis genus, *ruch* ab ipsis appellatū, aquilæ quidem simile, sed admirādę magnitudinis, adeoque vasti corporis, & tanti roboris, vt elephantem vnguibus corripere atque in altum subleuare possit; deinde cadere sinat, vt mortui carne vescatur. Qui autem viderant eius alas expansas, ab vnius extremitate ad aliam sedecim passuum esse dicebant, earumque pennas octo ferè passus esse longas, earumque crassitudinem longitudini respondentem. Se autem, existimantem gryphum forsitan esse (quia mediâ ex parte auis, alterâ dimidiâ leo depingitur) interrogasse eos qui se vidisse dicebant, an similem formam haberet, respondisse, meram auem esse quemadmodum est aquila. Quæ cùm Magnus Cham intellexisset, suum Legatum in eam insulam misisse, eo quidem prætextu, tamquam de redemptione alicuius è suis qui istic detinebatur acturum, sed reuerà vt insulam exploraret, & ea quæ in eâ erāt admiratione digna obseruaret. Illum redeuntem, vt intellexi, eius auis ruch pennā ad Magnum Cham retulisse, quam affirmabāt nonaginta palmorum longitudinem habuisse, eiusque calamum binos palmos fuisse crassum: illam verò pennam Magno Cham adeò fuisse gratam, vt ingenti munere eum, qui attulerat, affecerit. Præterea apri dentem relatū fuisse quatuordecim libras pendentem; ingentes enim apros in eâ insulâ nasci ferunt, bubalorum magnitudine. Hæc Marcus Paulus. Istud pænè incredibile: sed illud admirabile, quod Ioannes Leo de quadam Africanâ aue scribit, quam *ners* vocat. Auis est omnium earum, quæ in Africâ reperiuntur, maxima, grue procerior crassiorque, prædita rostro, collo & cruribus: adeò sublimè volat, vt oculorum aciem effugiat, & conspecto alicuius animalis cadauere supra terram iacente, illicò in illud irruat. Raro sola, sed gregatim volare solet. Longæua est, nam pleræq; conspectæ sunt caluo & deplumi capite, tamquā vulsæ fuissent capitis pēnæ: inde colligere licet prę nimio senio pennarū defluuium pati: eâ de causâ suos nidos veluti recenter natæ repetunt, vnde à suis pullis educantur. Hactenus Ioannes Leo. Sed auis nihil aliud est quàm aquilæ genus. Fidem aliquā tantæ molis conciliat, quod Georgius Ebricius ad Gesnerum scripsit, inter Misenā & Bresam Germaniæ oppida cùm rustici multa pecora, vitulos, sues, amissa in siluis perquirerent, inuentus est nidus ingens, per tres quercus extensus tanto spatio, vt currus sub illo conuerti potuisset, ex magnis arborum ramis & baculis vel palis constructus. Quâ re in vrbe nunciatâ, homines multi ad nidū missi cùm ascendissent, pullos tres maximos inuenerunt, & in vrbem asportarūt. E quibus mox vnus mortuus est, cuius alæ per transuersum extensæ, septem vlnarum mensuram æquarunt. Vngues viri magni & corpulenti digitis nihilo erant inferiores, crura leonis maiora. In nido multa vitulorum & ouium coria reperta, & hinnulus recens, & capita animātium varia. Similis auis nidum tribus arboribus fundatum, Septemtrionalis tabula Olai Magni exhibuit.

OVRISSIA siue TOMINEJO.



CAPVT LXXXVIII.

De auibus paruulis.

POst tantam magnitudinem miremur paruitatem tomineij. Sunt auiculæ Perūenses, adeò exiguæ, vt apes aut papiliones videantur dum peruolant. Afferam quæ de his aut similibus auiculis prodita sunt. Ferdinandus Ouiedus de aue quē passerem mosquitum vocat, Reperiuntur, inquit, quędam auiculæ adeò exiguæ, vt extremi pollicis articuli magnitudinem non æquent, &, pennis euulsis, eius dimidiam partem vix excedāt. Huius auiculę volatus adeò celer & præpes est, vt alarum motus non magis conspici queat quàm crabronis, neque quisquā præteruolantem videat, quin crabronem esse existimet. Illarum nidi auicularum magnitudini respondent. Ego huiusmodi auiculam conspiciebā, quæ in monetariâ trutinâ, quâ aurum appendi solet, cum suo nido posita, bina pondera, Hispanis *tominos* dicta, dumtaxat pēderet, hoc est, grana viginti quatuor: cui si pennæ euulsæ fuissent, minus grauis haud dubiè futura erat. Pedū & vnguium exilitate, cum illarum auicularum picturâ, quæ ornatus gratiâ in librorum marginibus interdū adijci solet, comparari poterat. Eius plumæ elegātibus coloribus præditæ, aureo, viridi, & alterius generis. Rostrum habebat pro corporis proportione, illudque adeò tenue, vt acus, quâ vestes farciuntur, magis exilis esse nequeat. Nidum è xyli, quod isthic abun-

abundè creſcit, flocco conſtruit. Meminit eius etiam cap.4.libro 14. Hiſt. generalis & naturalis, eique nigerrimum colorem tribuit: quod de dorſi & alarum pennis intelligendum arbitror, alioqui ſibi ipſi contrarius videretur; niſi fortè eius diuerſæ ſpecies reperiantur.

Lerius in Hiſtoriâ Americanâ ait pro ſingulari miraculo: Prætermittenda non eſt, ob inſignem exiguitatem, auicula pennis exalbidis & ſplendentibus prædita, quam Braſilienſes *gonambuch* appellant: nam licet crabrone aut ſcarabeo Lucano maior non ſit, valdè tamen canora eſt, & magnâ ex parte prę alto illi milio, *auati* ab incolis dicto (maizium intelligit) aut alijs plãtis ſimilis magnitudinis inſidens, adeò eſt in cantu aſſidua, vt nemo, qui non audiret, & cõſpiceret, ex tantillo corpuſculo tam ſuauem & ſublimem cantum prodire poſſe ſibi perſuaderet; ſic vt noſtræ luſciniæ cantui non cedat.

Auguſtinus item Carate illius mẽtionem facere videtur cap.8. lib.1. Hiſtoriæ Perüanæ. In montibus Perüanis, inquit, inueniuntur auiculæ adeò exiguæ, vt cicadâ ſint minores, oblongis pennis verſicoloribus præditæ. Theuetus quidem cap.48 ſingularium Franciæ Antarcticæ ſic ſcribit: Prętermittere nequeo aliã auem (*gonambuch* appellant) ſcarabeo Lucano aut grandi muſcâ non maiorem, quę licet omnium auium, vt arbitror, minima, tam elegans tamẽ eſt, vt fidem ſuperet. Eius roſtrum oblongiuſculum, & valdè tenue: color cineraceus. Et tametſi adeò ſit exigua, eius tamẽ cantus admodum ſuauis eſt. Ioſephus Acoſta ſimiliter cap.37. lib.4. Hiſtorię naturalis & moralis Indię Occidentalis tominejo auiculæ meminit iſtis verbis: Reperiuntur in Peru auiculæ, ab incolis tominejos appellatæ, adeò exiguæ, vt illas peruolantes conſpiciẽs, crabrones eſſent an cicadæ, ſæpè dubitarem: veræ tamẽ erant auiculæ. At verò huic auiculæ nomen impoſitum tominejo, quòd adeò leuis ſit, vt vno dumtaxat tomino, hoc eſt duodecim grana pendat. Carolus Cluſius deſcribit aliam auiculam paruulã; ipſe tominejum aut vruſium putat. Erat porrò hæc auicula, vt ex picturâ obſeruabam, à roſtri mucrone ad pennarum caudæ extremitatẽ tres vncias longa, caput verò cum integro roſtro vncialis cum ſemiſſe erant longitudinis: alæ ad extremam pænè caudam porrectæ, parem habebant longitudinem: dorſum vix vnciam latum erat: eius & alarum color ex cineraceo fuſcus, ventris cineraceus, pennæ quæ in caudâ, obſcurè rubeſcentes, earum extrema pars nigra; capitis, colli, gutturis plumæ elegantiſſimi coloris ex auro rubro & flauo mixti, quæ Soli expoſitæ, admirabilem varietatem, prout obuertebatur caput, oſtendebant: roſtellũ nigrũ tenuiſſimũ, & maximè acutum: pedes valdè exiles, nigri, quatuor digitis, vt reliquarum auicularum, præditi; quorum tres in anteriorem partem porrecti, quartus in poſteriorem. Euerardus Vorſtius, Medicinæ profeſſor in Academiâ Lugdunẽſi apud Batauos, ſimilem auiculam in Italiâ apud Antonium Gigantem Foro-ſempronienſem, Cardinali Palæotto à Secretis, ſe vidiſſe mihi affirmabat, quã ille *cinconi* nominabat, & è Mexico allatam dicebat. Vruſiæ ortus admirandus aut fabuloſus. Fertur ex muſcâ procreari. Sunt qui dicant viſam eſſe partim muſcam, partim auem: primum eius colorem eſſe nigrum, mox cineraceum, deinde roſeũ, tandem rubentem: caput eius ſolaribus expoſitum radijs, omnem colorem referre. Fortaſſe hinc nomenclatura. Vruſia Solis radium ſignificat. Diuerſæ ſpeciei ſunt iſtæ paruulæ auiculæ, & promiſcua nomina communicantur viciſſim. De inſigni aliquarum renaſcentiâ Capite 1. ſcripſimus.

CAPVT LXXXIX.

De ſtercore auium.

ILlud non eſt prętermittendum, quod Ioſephus Acoſta narrat, quaſdam monſtroſas aues in Indiâ ali, quarum præter excrementa nullus eſt vſus. In nonnullis inſulis Perüanis littoribus vicinis, è longinquo nonnullibi montes prominent ita niuei & candentes, vt ſpectantibus eminus niue obducti, aut albicante terrâ conſtrati credantur: ad quos ſi accedatur, mera ibi excrementa videntur, ab auibus marinis illic continenter degentibus ibi depoſita. Hæc nonnullis in locis erectæ haſtæ altitudine congeſta ſunt, quod haud paucis fabuloſum videri queat. Ad fimum hunc auferendum, ſcaphis inſulas adeunt. Eo deinde terram ſtercorant, inde feraciſſimam euadentem. Fimum *guano* vocant, vnde locus quoque *Iunaguana* denominatus eſt. Illum in valles Perüanas conuehunt: nam ad reficiendos agros fimus nullus pinguior. Ibidem quæ cotonea, punica & poma alia naſcuntur, ceteris virtute longè præſtant. Cauſam aquæ imputãt, quã hæ arbores rigantur, per terrã nimirum hoc fimo conditam defluenti. Indicarum verò auium non ſolùm carnes pro alimento, cantus pro oblectamento, pennas pro ornamento; ſed excrementa quoque pro terrę condimẽto facere. Ex his abũdè perſpicimus, iſta vniuerſa à ſapiẽtiſſimo rerũ conditore in humanos vſus ac commoditates diſpoſita eſſe: nec eſt vt quiſquã dubitet; pro quã immenſâ beneficentiâ gratiæ ipſi ſint in æternum.

CA-

CAPVT XC.

De puteo Comitlan.

IN valle Comitlan apud Quelenes profundum puteum, quem Castellani vocant *poço Airon*, incolunt plurimæ volucres, ibi nidulantur, ibi fætus suos educant, sed arcanis nidis; nullus enim inuentus.

CAPVT XCI.

De superstitione in esu.

QVidam Barbari abstinent auibus tardis, vt anatibus; & piscibus, vt raijs, rati, similem torporem contracturos, vt hostes effugere nequeant.

CAPVT XCII.

De ouis peregrinis.

VAria auium oua albescunt, pallent, viridia aliqua, & variegata, cineracea, nigris distincta maculis.

CAPVT XCIII.

De vespertilionibus Indiæ Occidentalis.

DE vespertilionibus nihil egregius occurrit narratione Caroli Clusij. Tametsi, inquit, quotquot conspexerim sint ingentes, alij tamen alios superabant magnitudine: etenim nonnullorum longitudo à capite ad crura vsque decem vnciarum erat longitudinis, aliorum paullò minor, aliquorum etiam maior: nam vnum redimebam, pedalem longitudinem superantem. Corporis etiam crassitudo inæqualis: mei enim ambitus pedalem æquabat, imò superabat; aliorum minor erat. Omnes densis & longiusculis pilis præditi. Color autem eorum diuersus: nam quibusdam ex flauo cineraceus, aliorum magis fuscus, nonnullorum spadiceus; mei color à capite ad extremum rictum, siue nares, spadicei erat coloris. Caput, collum, pectus, dorsumque ipsum cum ventre, fusci; circa latera verò, ex spadiceo flauescentis. Pinnæ membranaceæ, quæ illi pro alis, eâ parte, quæ corpori proxima, etiam pilis tectæ, sed rarioribus, earumque supina pars magis quàm prona. Illæ porrò sesquipedalis longitudinis in quibusdam, & octo vnciarum latitudinis; in alijs vel breuiores & magis angustæ, in quibusdam etiam longiores & magis latæ: nam mei singulæ pinnæ vnius & viginti vnciarum longitudinem habebant, nouem latitudinem, vel etiam maiorem: color earum ex fusco cineraceus; summa singulorum pars, octo ferè vncijs à corpore. Officulum binas vncias longum continebat, in acutum, curuumque & firmum vnguem desinens, quo se ad arborum ramos affigebat: totidem ab extremâ pinnâ vncijs alium minusculum vnguem, & vix eminentem. Binæ illi in crasso capite aures, paruæ pro capitis magnitudine, extimâ parte angustæ, & in mucronem desinentes; in nonnullis oris rictus magis obtusus ad felis rictus formam quodammodò accedens: mei verò rictus magis longus & angustus, vulpeculæ rictui propior. Dentes illi in superiore mandibulâ vtrimque seni, in inferiore septeni, quorum anteriores, ceteris longiores, omnes valdè albi. In hoc animali vterque sexus dignoscebatur: nam illorum aliquot, qui mihi conspecti, satis longum exertumque penem habebant, qualis ferè simiarum est, quo masculinum genus à femineo distinguebatur: crura (ad quorum pænè extremum pinnæ porrectæ) binas vncias aut paulò amplius longa: pedes parui semunciales, in quinque digitos, binis articulis constantes, diuisi, quorum singuli in magnos, firmos, acutos curuosque nigros vngues desinebant, ijs similes qui in pinnis membranaceis, quibusque sese de arboribus suspendunt. Quem ego Amstelredami, anno à Christo nato millesimo sexcentesimo tertio recenter aduectum redimebam. In incultâ, & nullis hominibus habitatâ insulâ captum aiebant, quemadmodum & omnes ferè quos conspiciebam. Eam autem insulam ad primum & vigesimum gradum ab Æquatore versus Antarcticum sitam esse existimant, & triginta milliaria in ambitu continere, à Lusitanis quidem antè obseruatam, & ab eis *Ilha do Cyrne* siue insulam Cygnæam, vt antè dixi, appellatam, à Batauis verò, qui anno millesimo quingentesimo nonagesimo octauo nauigationem ad Iauam & Moluccas insulas instituentes, tempestate in eam delati fuerant, & à 15. Kalend. Octobris vsque ad sextum Nonarum eiusdem reficiendorum corporũ causâ istic hærebant, Mauritij insulâ, à Principe Mauritio, Comite à Nassavv, &c. nominatam. In eâ porrò insulâ multos ingentes vespertiliones obseruabant, partim inter se confligentes, partim vncis, quos in membranaceis pinnis habent, ex arboribus pendentes. In multis tamen Orientalis illius Oceani insulis, atque etiam in Guineâ, magnos reperiri, constans fama est. An

verò his sint similes, nemo, quod sciam, tradit. Letius quidem cap. 10. Historiæ Americanæ, vespertiliones Brasilianos monedularum magnitudine esse ait; & Franciscus Gomara cap. 61. Historiæ suæ generalis circa Vrabam turturum magnitudinem adquirere; neuter tamen formam describit: hoc solum addit Gomara, eos mordaces valdè, noxiumque esse illorum morsum, cuius remedium vulneris ex aquâ marinâ ablutio aut adustio. Capite autem 80. eiusdem libri lepidam narrat historiolam. Accidit, inquit, vt in cœnobio, cui nomen Sanctæ Fidei, in prouinciâ Chiribichi, Dominicanorum Monachorum famulus pleuritide laboraret, & venâ, quam ad leuandum morbum secarent, à Medico siue chirurgo minimè deprehensâ, æger desertus est, & de eius salute desperatum. Vespertilio nocte insequente, eius iacentis & decumbentis nudum pedem reperiens, circa malleolum momordit, & sanguine iam satur, vulnus apertum reliquit, ex quo tantum adhuc sanguinis profluxit, vt æger à morbo liberaretur, non sine Monachorũ admiratione, qui pro miraculo illud venditare solebant. De eodem, quo illi, genere Ouiedus cap. 36. sui Summarij agere videtur, magnitudinem tamen non exprimit, sed Europæis similes esse ait, noctuque morsu appetere dormientium præsertim extremum nasum, vel capitis verticem, extremosque manuum & pedum articulos, tantumque sanguinis elicere, vt vix quispiam credere possit, nisi qui viderit. Illam etiam peculiarem naturam habere, vt si quem momorderint, sequente vel tertiâ nocte, illum ipsum sint denuò morsu appetituri, non alium, licet inter centenos alios commixtus iaceat. Remedium aduersus huiusmodi morsicationes esse, vt feruentes cineres, quantum tolerari possunt, supra vulnus imponantur; aut locus præmorsus aquâ tam feruidâ, quàm ferri possit, abluatur: nam illicò sanguinem sisti, & noxam tolli, quin & vulnus, quod exiguum est, statim curari: quia vespertilio non nisi exiguum vulnus rotundum, paucâ carne sublatâ, infigere potest. Illud etiam testari possum, inquit, me præmorsum aliquando solâ feruidæ aquæ lotione curatum. Scribit prætereà idem Ouiedus, alios vespertiliones in insulâ D. Ioannis valdè pingues inueniri, quibus aquæ feruenti immersis & excoriatis incolæ vescantur: nam passeribus non minùs albos esse, nec minùs, vt asserunt, boni saporis, à quorum etiam esu Christiani non abstineant, illi præsertim qui gustare volunt quidquid ab alijs edi vident. Bellonius similiter cap. 39. lib. 2. de Auibus, vespertiliones in Creti insulâ se obseruasse ait, nostris vulgaribus maiores, magnasque aures habentes, curuo vngue, in singulis membranaceis pinnis, siue, vt ille appellat, alis præditos, quo se de saxis suspendunt, quâ notâ à nostratibus differre existimat, sed fallitur: nam nostri eos vngues etiam habent. Cretenses tamen non conferendos censeo cum ijs qui hoc Capite sunt descripti.

CAPVT XCIV.

De vespertilionibus Orientalibus.

CEterùm in Oriente magna vespertilionum natio, numero & mole, vix credas, gallinas æquare magnitudine, & sapore fortasse vincere: infesti tamen sunt fructibus. Noctu opus est seruare agros.

CAPVT XCV.

De vespertilionibus Hispaniæ.

APpendam de vespertilionibus Hispanis, in quarumdam villarum aut castellorum desertis ædificijs hiemare, in cubiculis à tecto vsque ad pauimentum inuicem connexos, quasi catenæ plurimæ supernè penderent. De Indicis illud adijciam, si gallum aut gallinam sub dio noctu vespertiliones deprehenderint, in cristam aculeo infixo eum interimere.

CAPVT XCVI.

De nagualibus.

NAguales dicebantur Indis prouinciæ Cerquim aues, aut aliæ feræ, sub quarum capite pacifcebantur indissolubile cum dæmone fœdus, fuso sanguine, & linguâ & auribus: mortuoque naguali, Indus moriebatur. Piraëræ quidam Cacique repentè obijt, cùm leonem nagualem miles Hispanus occidisset plumbeâ pilâ transfossum.

CAPVT XCVII.

De piscatione auium.

MIris natura astibus instruit aues quasdam in prouinciâ Veræ-pacis: victum enim ibi sibi comparant immisso in fluuios stercore, ad quam escam pisces emergunt, quos tum illæ raptant.

CA-

CAPVT XCVIII.

Facetum aucupij genus.

TEstimonium Petri Martyris edo. Est quoddã aucupij genus inauditum hactenus,& narratu facetissimum. Apud insulares, Hispaniolę præsertim, diximus varios esse lacus, variasque stagnantes lacunas vadosas. Per vadosa stagna solet aquaticarum auium multitudo vagari,quia herbę in fundo succrescunt, & ex eâ humente limositate pisciculi, milleque ranarum, culicum & insectorum genera procreantur, Solis calore ad ima, ad corruptionis & generationis opificium, ex artificis fabricatoris prouidentiâ facilè submeante. Volucrum autem per eas stagnantes aquas natantium diuersa sunt genera: anates, anseres, cygni, fulicæ, gauiæ, mergi,& multę huiusmodi. Diximus & in hortis arborem coli magnarum cucurbitarum altricem. Ex cucurbitis igitur illis per vadosa proijciunt plerasque benè clausas, ne admissâ per rimulam aut foramen aquâ, trahat illas in profundum. Perpetuò vagantes cucurbitę securas nimiùm reddunt volucres. Auceps ergo magnâ cucurbitâ, vti galeâ, iuxta oculos pertusâ contectus, faciem laruatus, & tenus mento stagnum ingreditur: fluminibus enim assueti à cunabulis, minimè recusant in aquis versari. E cucurbitis natantibus putant volucres vnam esse eam, quæ insidiantem incolam cooperit. Passim ad volucrum natantium agmen proficiscitur auceps, cucurbitarum palpitationem capite imitando, vndulasque vento agitatas sectando, proximè ad volucres tendit. Exertâ sensim dexterâ volucrem incautam cæco raptu prehendit pedibus, & demersam subtrahit in manticam ad id paratam. Ceteræ volucres suâ sponte subnatasse comitem arbitratæ, quærendi victus causâ, vti solent omnes, nil sollicitæ suum iter prosequuntur, in aucupis & ipsæ insidias cadunt.

CAPVT XCIX.

De vigiliâ & custodiâ anserum.

APpendam hîc historiam recentem, quæ anno 1628. in Libu accidit. Quidam Nigrita noctu furatus imaginem Pueri Iesu, cùm iam prodiret cum illâ, obuiàm habuit anserum gregem. Hi impetum in furem dirigentes, morsibus eum detinuerunt, partim verò auolarunt ad Cœnobij campanam, quam quidam pulsantes, quidã etiam horribilibus grazitantes clamoribus, excitarunt incolas, qui deprehenderunt furem. Non ergo Roma solùm redempta fuit harum volucrium excubijs.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII
EX SOCIETATE IESV
HISTORIÆ NATVRÆ
LIBER VNDECIMVS.

CAPVT PRIMVM.
De tritonibus.



ELAGVS nunc ſubeſt, ceteræ naturæ ſimius: imitatur enim quæ terrâ gradiuntur, quæ æthera peruolant, quæ cęlis fulgurant. Atriū ſcilicet naturæ, vbi imagines ſuas locauit. Immenſum eſſet conſpicari omnes, aliquas commiremur: & ne non in ſe tranſſcriptum aliquid putemus, humanum etiam miremur genus adulteratum. Tritones in Occidentali Indiarum Oceano repertos Franciſcus Hernādus prodit: Petrus quoque Martyr, qui hanc hiſtoriam narrat. Ataiam eſſe Chiribichenſibus vicinam regionem, ſalinis nobilem, diximus aliquando: eius littora percurrebant Hiſpani. Qui oculos in mare habebant protentos, ceteris aut ludentibus, aut aliàs otioſis, ſupernè rem ignotam vidêre natantem. Intuitu fixo, quid eſſet penſitando, caput humanum crinitum ac denſâ barbâ fultum ac lacertatum ſe vidiſſe profeſſi ſunt. Dum ſic taciti proſpectant, ſecurè monſtrum nauis aſpectui intentum vagabatur. Dum verò clamore ingenti ſocios alios excitant, eo audito monſtrum exterretur, ſubmergitq; ſe: latentem priùs ſub aquis corporis inferiorem partem oſtendit, quæ in piſcem cum caudâ deſinere inſpecta eſt, cuius concuſſu & agitatione locus iſte maris, anteà tranquillus, vndoſus & fluctuoſus reddebatur. Tritones eſſe arbitramur, quos fabuloſa vetuſtas Neptuni tubicines appellat.

Apud Cubaguam inſulam, vnionū piſcatu famoſam, Margaritæ inſulæ vicinam, fuiſſe viſum eius generis monſtrum aliud, retulerunt plerique. In Oceano Cantabrico noſtro virgineæ voces harmonicè cantantes certis anni temporibus auditæ referuntur: horum putant eſſe concentus, quando prolis gignendæ appetitu in Venerem excitantur. Porrò Lerius aliâ narratione idem confirmat. Hiſtoriam, inquit, à Barbaro acceptam prætermittere nolo. Cùm, inquit, die quadam vnà cum nōnullis alijs in ſummâ maris malaciâ lintre quadam veherer, ingens quidam piſcis manu nauigij oram apprehendit, meoque iudicio aut euertere aut conſcēdere volebat. Id ego conſpicatus, falce, quam præ manibus habebam, manum illam abſcidi, quæ in lintrem decidit, digitos verò noſtris perſimiles quinque habebat. Prætereà præ dolore, quo piſcis ille fuit affectus, exerto ſuper aquam capite, ad humanum accedente, aliquantulum concrepuit. Ego Lectori diſpiciendū relinquo, vtrùm (iuxta vulgi opinionem, quâ fertur mare in ſe ſingula animalium genera habere quæ in terrâ conſpiciuntur, præſertim verò habitâ eorū ratione quæ de tritonibus & ſirenibus à nonnullis ſunt ſcripta) ſirenæ an verò potiùs ſimiæ marinæ manus illa fuerit amputata.

CAPVT II.
De hydrâ.

CIrca lacus Areclonam & Caocaum inuenit Nicolaus Fedreman hydrę cuiuſdam famam & ſtragem, enatæ ex quodam fluuio. Renuntiatum illi fuit ab Indis, quædā oppida, quæ in ripâ viderat, deſerta fuiſſe propter natum ex aquâ monſtrū multiplici capite terribile & valentiſſimum, quod paulatim deuaſtaret omnia. Milites ipſius Nicolai audierunt ſibilos aut mugitus. Fuerūt aliqui teſtes oculati monſtri, & ſerpentinum eſſe affirmarunt. Ceterùm anno Domini 1530. ferebatur ſerpentem ſeptemplici capite ad Venetos eſſe delatum, deinde Francorum Regi datū, & ſex millibus ducatorum æſtimatum. Huius tamen mihi fides incerta. Eglo nunc vocatur beſtiolarum quoddam genus, deſertam Babylonem incolentium, quod tria gerit capita.

CAPVT III.
Quodnam animal fuerit Behemoth.

HYdræ hiſtoriâ fulciunt aliqui ex libro Iob, & fuiſſe Behemoth hanc aquatilem beſtiam dicunt. Multitudinem enim

belluarum vox *Behemoth* significat, nec alij bestiæ quadrare aptiùs. Videtur esse vna & mutæ: itaque prolixè defendit Busthamàtinus, reptile fluuiale, at multiplex, Behemoth fuisse. Dissentio: nec enim illi possunt aptare cetera. Ait sacer Textus: *Ecce Behemoth quem feci tecum*, scilicet eodem die quo hominem, sexto inquam. At si ad aquarum iurisdictionem Behemoth spectat, quinto die, non eodem cum Adamo est factum; quare ex terrestribus ista bestia fuit. Quidam elephãtem dixerunt. Eruditissimè noster Pineda id munit. Mihi plausibilius est, taurum extitisse. Dicitur de illo, *quem feci tecum*, scilicet vt non solitarius esset, sed proximè ad vsus humanos. Plurimum adiumenti adfert humanæ vitæ bouinum genus: nec refert quòd dicatur, *Fœnum quasi bos comedet*. illud enim *quasi* sæpissimè non similitudinem arguit, sed veritatem causatur. Ait Ioannes: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre*; & diuus Petrus: *Siue Regi quasi præcellenti*. Ergo sensus est, iuxta naturam suam fœnum pascere. Additur, *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris est*. Genitalis natura hîc notatur in vmbilico, id est in medio ventris. In hac eam parte taurus habet, nõ elephas. Adijcitur: *Stringit caudam suam quasi cedrum*. Genitale membrum cauda dicitur pro vsu Scripturæ, imò cuiusuis honesti idiomatis, à proximâ aliquâ parte significatis membris impudicis. Dicuntur *inguina*, quia inguinibus vicina; item *cauda* & *penis*, quia proxima sunt peni. Horatius vocauit *caudam salacem*, & iterùm, caudam turgentem. A Græcis etiã dicitur οὐρὰ & κέρκος, quâ caudam significant. Satis hoc indicant quæ sequuntur, *nerui testiculorum eius*, & quæ præmiserat, fortitudinẽ eius in lumbis esse & in medio ventris. *Femur* quoque in Scripturâ eâdẽ de causâ appellatur. Quàm aptè tauri membrum dicatur rigere quasi cedrus, explicat Gellius in Accessione ad librum quartũ Æliani, cap. 38. *Taurus*, inquit, *tanto ardore genitalem neruum contendit, ad vaccam adiunctus, vt sine motu vllo semen emittat; ac si à muliebri genitali neruus in aliã corporis partem oberrauerit, vaccam rigidissimâ intensione vulneret*. Hęc ille. Infit Textus sacer: *Ossa eius velut fistulæ æris, illius cartilago quasi lamina ferrea*. Ossa tauri durissima sunt, cartilago eiusdem est naturæ. Aduertit Aristoteles, in terrestribus cartilagines solidas esse, sine foramine & medullâ, quemadmodum ossa; diciturque iuxta phrasim Scripturæ *initium viarum Domini*, quia præcipua subsidia habeat humana vita ex bobus. Hoc sensu dixit Ecclesiasticus: *Initium vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus*. Illud quod dicitur, *qui fecit eum, applicabit gladium eius*, asilum seu œstrum videtur notare, quo tauri percussi exagitantur. Virgilius canit:

——— Cui nomen asilo
Romanum est, œstrũ Graij vertêre vocantes.
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita siluis
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther.

Quæ sequuntur planiora video; nisi illud, *ecce absorbebit fluuium*. Sed hyperbolicè ista dicta sunt, propter immodicã boum in potando largitatem, & nos prouerbiali Hispanorum formulâ dicimus, *Beue como vn buey*, *Bibit sicut bos*. Subijcitur: *In oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius*. hoc enim pacto frequentiùs olim, nunc aliquando taurinum genus domatur & mansuefit. Fortasse illud, quod de potu Behemoth fuit dictum, fortitudinem & robur solum notat, quod vt prædicaret Sẽnacherib, cap. 37. Isaiæ dixerat: *Ego bibi aquam, & exsiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum*. Deus autem dixit illi, quemadmodum & hîc: *Ponam ergo circulum in auribus tuis, & frenum in labijs tuis*. Latiùs hęc disserit Gaspar Sanchez doctissimus meus Magister. Magnitudinem elephãtis aliqui allegãt, quasi pro multis bestijs sit; ideò Behemoth, hoc est bestias numero plurali dici: at bos congruam molem habet, nec priscis facilè notum fuit aliud animal grandius. ideò & elephas, vt primùm visus, ob magnitudinem fuit dictus *bos Lucæ*. In regno Adeæ boues sunt camelis æquales.

CAPVT IV.

De pisce remoranti.

Eruditissimis viris fabula visa est, quod vulgus de remorâ iactat: at nullũ mendacium sine veritate aliquâ radicatur. Occasionem præbuit fortasse similis piscis, ac ille, cuius historiam Ioannes Hugo sic narrat: Indicorum piscium hæc commemoratio occasionem mihi ministrat narrandi historiam quamdam, siquidem non facilè cuiuis creditam, verissimam tamen ipsâ re, nulloq; prorsus fuci puluere aspersam. Hæc in ipso Pro-Regis atrio descripta designataque, à summę & indubitatæ fidei viris & Heroibus subscriptione confirmata asseruatur, additis nomine Præfecti, nauis, anni, diei quando ea res ita gesta sit, & qui illi interfuerint, quorum adhuc multi viui & superstites, fidem veritati struere certiorem possunt. Historia talis est. Nauis quędam Lusitanica per Mozambiquen in Indiã decurrebat. Vento hæc adeò secundo & optato vtebatur, vt vela omnia plenissima nauem proferre felicissimè viderentur. Diebus ergo quatuordeccim in-

tegris cursum versus Lineam æquinoctialem nautæ tenentes,& quotidie Solis altitudinem metientes, tandem obseruarunt, gradus ad metam propositam non minui aut paucio-res fieri, verùm quotidie multiplicari, seque ab æquinoctiali Lineâ quàm longissimè dispelli & arceri. Quæ res non saltem præter omnes naturæ causas esse videbatur, ad admirationem vniuersorum, verùm etiam qui in nauibus erant, certis se præstigijs & incantamentis agitari, liquidissimè rebantur, cùm scirent, illius loci mare huius abpulsus neutiquam causam esse,& vela secundis ventis interim nihilominus ex voto turgida procedere. Sese ergo anxiè inuicem contuentes, partim terrore, partim anxiâ vi & admiratione diu exercebãtur; dum tandem, nescio quo casu, nautarum quidam, attentis & sollicitis in vndam oculis despectans, latam & ingentẽ quamdam caudam proræ intortam innexamque contuitus est, quâ piscis quidam nauem firmiter prehenderat, reliquumque corpus per nauis longitudinem exporrexerat, adeò vt caput ipsius post puppim promineret. Hoc ille situ nauis omnem molem ita violenter torquebat, vt illam contra violentissimũ quoque reflantis venti impetum vi & robore suo immensè retroageret, secumque tot diebus rapidè proferret. Iam itaque hoc pacto causâ repulsus præcognitâ, adactis sudibus furcisque & organis, conferentibus ceteris, ad arcendum eum tamdiu studiosissimè laboratum est, donec tandem, caudâ plicatili auulsâ, nauem ille destitueret, cùm iam diebus quatuordecim integris illi agglutinatus adhæsisset, & violento renisu eamdem, omni impetu ventoque contrario spreto, natando secum abripuisset. In æternum itaque memoriæ signum historiam hanc Pro-Rex in atrio suo depingi accurauit: quam effigiem his meis oculis persæpè egomet cum magnâ admiratione vsurpaui, & circumstantijs supradictis subnotatis diligentissimè perlegi.

CAPVT V.

De pisce Goënsi.

IDem Hugo narrat, ex flumine quodam Goæ proximo, cuius ostiũ hiberno tempore pro loci more obstructum erat, piscatores quosdam monstrosum piscem extraxisse, cuius similem nec in Indiâ nec in alijs locis vspiam videre contigit: qui ob nouitatem Archiepiscopo donatus, eius iussu à pictore ad viuum exprimebatur, cuius icon seu effigies Regi Hispaniarum postmodũ transmissa est. Animal illud mediocris magnitudinis erat, canem domesticum vulgarem altitudine haud excedens, cuius rostrum porcino simile protuberabat. Oculi ei parui erãt, nullæ aures, quarum loco duo saltem foramina hiabant. Pedes elephantinis (respectiuè tamen) per omnia similes erant. Cauda ad dorsi fines lata, sensim in acumen desinebat. Per atrij pauimentũ cursitans, suum porcorúmve grunniebat ritu. A capite ad caudam vniuersum corpus squamis, pollicis articulum prioris æquantibus, constitutum erat tam solidis ac firmis, vt nec ferrum nec æs plus resisterent. Grandibus & frequentibus, non secùs ac incus quædam, à nobis plagis contusus, nihil aliud quàm conuoluebatur, & echini more caput caudamque intrò condebat, vt globi exquisitam rotunditatem præstaret: nemine interim iuncturarum proportionem satis obseruãte. Conglobatus nullâ, vel vi vel machinâ diuelli aut expediri poterat; relictus tamen, sponte se iterùm pandebat aut explicabat,& quà via patebat errabat.

CAPVT VI.

De achkaro.

DE pisce hoc sic narrat Vlricus Faber: Piscis est etiam tam duram habens cutem, vt neque cultro neque sagittâ Indicâ lædi & vulnerari possit. Non exiguç est magnitudinis, & multum damni reliquis piscibus infert. Oua eius, quæ ad tres vel quatuor passus ab aquâ in terrâ ponit, saporem moschi habent. Cibum præbet bonum, & minimè noxium per se. Cauda eius in delicijs habetur. In Germaniâ nostrâ putatur hic piscis admodum noxium & pestiferum esse animal, & vocatur crocodilus, estque communis opinio, eum qui hunc piscem saltem intuetur, etiamsi piscis halitu infectus non sit, certissimâ morte mori. Quod quidem veritati consentaneum esse, nemo negauerit: siquidem homini, etiamsi crocodilum non aspiciat, certo certiùs moriendum. Dicitur etiam vulgò, quòd si piscis hic in fonte quodam reperiatur, aut appareat, nullam esse rationem aliã eum interficiendi, quàm si speculum ipsi opponatur, in quo se ipsum contemplari & intueri possit, tum enim aspectu suæ ipsius deformitatis subitò eum interire & mori. Hæc autẽ omnia quæ de hoc pisce referuntur, figmenta sunt & fabulæ: si enim vera essent, vel centies mortuus fuissem, qui pisciũ illorum vltra tria millia cepi & comedi: neque etiam de hoc pisce aliquid scripsissem, nisi ipsius naturam probè cognitam & perspectam haberem.

CAPVT VII.

De schaubhut.


VOcantur schaubhut siue summere, pisces quidam pileati, tantæ magnitudinis & roboris, vt naues sæpè ingentes subuertant. Quando enim mare placidum est, & nullæ tempestates existunt, tum tantâ sæpè vi ad nauem feruntur, vt omnia in eâ concutiantur. Itaque nautæ hoc animaduertentes, mox dolium vnum atque alterum in mare projciunt, vt cum ijs, relictâ naui, sese oblectent.

CAPVT VIII.

De lupis & canibus marinis.

IN plerisque Indiarum regionibus vber luporum marinorum natio, formidabilis vlulatu, edulis. Barbæ eorum seruiunt purgandis dentibus. Fertur etiam, dentes eorum dolorem sedare dentium, si calentes contingant nostros. Lapidibus vescuntur, à vulturibus necantur. Insiliunt illi in oculos luporum, & excæcant, sic facilè dilaniant. Vultures illi ingentis molis sunt, magno quoque odio & periculo cum tiburonibus pugnant. Luporum pelles, etiam iam aptatæ ad cingula vel crumenas, pelagus sentiunt: erigun-tur pili eorum, exaltato mari; comprimuntur, mari depresso. Cingula lumborum ægritudines medicantur. Profundè dormiũt, vehementer stertentes: ex ronchis enim deprehenduntur, & necantur. Franciscus Bertie de canibus marinis hæc testatur: Cùm Thomas Candisch in suo itinere insulam quamdam ingressus esset, offendit ibi maximam copiam canum marinorum, qui anteriori sui parte, quoad caput, collum & corpus medium, leonem oblongis & crispis capillis crinibusque per omnia repræsentant. Singulis mensibus catulos progenerant, quos lacte suo enutriunt. Hos canes interficere nullis armis potuimus, donec fustibus capita ipsorum percuteremus. quin etiam tanti roboris erant, vt nostrûm tres vel quatuor vnum superare & interficere vix possemus. Carnem habent boni cibi, quæ veruecinam sapore refert.

MANATI PHOCÆ GENVS.



CAPVT IX.

De manati.

INgenuum monstrum manati est. Eius historiam ex Ouiedo vsurpo. Ingens est piscis marinus, tametsi in magnis huius insulæ (Hispaniolæ videlicet) & aliarum prouinciarum fluminibus assiduè capiatur. Maioris est longitudinis & amplitudinis tiburone. Qui plenam adquisiuere magnitudinem, fœdissimi sunt aspectus, nec multùm absimiles illis vtribus, in quibus Medinę del Campo & vicinis locis vehitur mustum. Caput habet piscis iste bouis instar, vel etiam maius: oculos exiguos pro corporis magnitudine, & binos crassos pedes tamquam alas brachiorum loco, quibus natat, circa caput sitos. Corio integitur, non squamis, valdeq; mansuetum est animal, aduersa flumina subiens, & secundũ ripas, quas apprehendere potest, herbas depascens, nec aquam egrediens. In Americæ continenti solent sagittarij ex cymbâ siue monoxylo huiusmodi pisces & alios plerosque occidere, quia in summâ aquâ natant: hamata itaque iacula conijciunt, in quorum summo tenuis, sed validus alligatus est funiculus. Ictus piscis fugit, funiculum autem laxat sagittarius, in cuius extremo ligni aut suberis fragmentum est annexum, ne prorsus mergi queat funiculus, tum etiã vt appareat eius extremitas. Piscis

verò iam fessus, ob profusum sanguinem,& morti vicinus,ad littus appellit. tunc sagittarius, collecto suo funiculo, donec supersit dumtaxat decem aut duodecim orgyarum longitudo,eum ad terram trahit cum capto pisce, vel etiam donec vndis propellentibus terram contingat: sagittarius porrò sociorum auxilio ex aquâ educit. Adeò autem magni sunt isti pisces,vt iugo boum opus sit ad vnum vehendum. Interdum autem cum manati iam saucius ad terram ab vndis propellitur, è cymbâ illum crassis lanceolis feriũt, vt citiùs moriatur, quia mortuus summâ aquâ fertur. Huius piscis caro præstantissima est, & quadrupedis carni adeò similis, vt qui integrum piscem non vidisset,sed eius dumtaxat partem aliquã recisam, bubulam esse sibi persuaderet. Imò omnes mortales fallerentur,quia adhuc recens magis carnem sapit quàm piscem:quæ autem concisa & resiccata, singularis est,& multo tempore incorrupta seruari potest. Anno 1531.ex hac ciuitate S.Dominici in Hispaniam,Auilam vsque,vbi tũc erat Imperatrix,hanc carnem tuli, & in Castellâ ex solo aspectu bubulam Anglicanam optimã esse censebant,coctam verò non minùs quàm thynni carnem sapere,imò illâ præstantiorem esse. Capiuntur etiam hi pisces retibus ad id concinnatis. Habent porrò isti pisces quosdam lapides siue potiùs ossa in cerebro, coli doloribus & nephritidi valdè vtilia, vt ij asserunt,qui in huiusmodi morbis periculum fecerunt. Debet autem hic lapis primùm benè aduri, posteà conteri, & per cribrũ transmitti;deinde puluis ille eâ quantitate,quam Hispanicus regalis excipere possit,ex generoso vino albo vno haustu sorberi. Hac enim ratione sumptus manè diebus aliquot continuis,dolor adimi dicitur, calculusq; comminui, & in arenam resolui, quæ cum vrinâ eijcitur. Istud à viris fide dignis, qui eius periculum fecerunt,intellexi,multosque conspexi eius rei gratiâ diligenter hunc lapidem perquirentes. Solent autem singuli manati binos eiusmodi lapides in cerebro habere,paruæ pilæ palmariæ magnitudine, aut nucis balistæ (orbiculares enim non sunt) ac interdum maiores, pro piscium magnitudine. Eamdem verò facultatem hos lapides habere arbitror,quâ præditi sunt ij qui in coracini & vmbræ capite reperiuntur, si credendum Plinio,qui in cuiusdam piscis capite veluti lapides reperiri ait, valdè commendandos ad coli dolores, si ex aquâ bibantur. Horum piscium nonnulli adeò magni sunt,vt quatuordecim aut quindecim pedum longitudinem superent, octo verò palmorum crassitudinem, circa caudam strictiores,& quasi præcincti: à quâ stricturâ deinceps cauda longior & crassior fit. Habet porrò manati circa pectus capiti proxima bina breuia brachia siue manus, cuius rei gratiâ Christiani nomen manati indiderunt: Hispanis enim consuetudo est, omnium quadrupedum anteriores pedes, manus appellare,& cùm iste piscis anteriore dumtaxat parte pedes habeat, ideò manus & non pedes ei tribuerunt. Auribus caret, sed loco earum,exigua foramina habet, per quæ audit. Eius corium simile vstulati porci corio, digitum densum, cineraceo colore, rarisque pilis præditum. Ex eo parato commoda cingula, & calceorũ soleæ fiunt, aliæque res similes. Huius piscis cauda à strictiore illâ parte ad extremum vsque, tota neruosa est: ex eâ in partes concisâ, deinde soli per quinque aut plures dies expositâ & resiccatâ, tandem in patellâ coctâ,siue veriùs frixâ,multa pinguedo elicitur; tota enim in pinguedinem resoluitur. Est verò illa pinguedo, siue butyrum, ad oua in sartagine frigenda aptissimum:quia,licet vetustum,non fit rancidum, neque mali saporis est. Vtile etiam est ad lucernas: nec desunt qui in medico vsu commendent. Manati feminæ duo sunt vbera in pectore:nam binos catulos parit & lactat; quod de nullo pisce vmquam audiui,pręterquam de hoc& vitulo marino.

Adiungenda sunt quæ Martyr scripsit de eodem mitissimo monstro. Est namque testudineæ formæ,quadrupes,squamis tamen non conchâ munitus,corio durissimo,ita vt neque sagittam vereatur; mille verrucis armatus,tergo autem plano,& capite penitus bouino. Aquatilis est & terrestris piscis,mitis,iners; vti elephas,vtique delphin, hominibus sociabilis,sensu mirabili. Infantulum piscem domi Regulus aluit dies aliquot pane patrio,ex iucâ & panico puta cõfecto, radicibus etiam alijs quibus homines vescuntur. Adhuc paruulum proiecit piscem in lacum suis ædibus proximum, tamquam ad viuaria; qui lacûs & ipse suscepit aquas,nec illas euomit. Est lacui nomen *Guaurabo*, qui dehinc *lacus manati* est appellatus. Liber in aquis piscis vagatus est quinque ac viginti annos. Adoleuit in immensum. Quæ de Raiano,quęve de Arionæo delphinis feruntur,distant ab huius piscis gestis. Pisci nomen est impositum *matum*, quod significat generosum ac nobilem. Quando ergo ex Reguli familiaribus ei notis præcipuè, quisquam in lacunæ ripâ, *Matum, matum*, hoc est, *generose generose*, clamabat, humani beneficij memor caput eleuans, ad vocantem pergebat, pascebaturq; hominum manu. Si verò quispiam transfretandi cupidus,signa dabat, prostratu suo traiecturos inuitabat. Decem aliquando monstrum conscendisse vno receptu, transportatosq; fuisse omnes incolumes

mes psallendo & cantando, compertum est. Sed si Christianum quemquã erigens caput cerneret, submergebatur, & parêre recusabat, quia fuerat à Christiano iuuene quodam petulante affectus iniuriâ, qui in piscem mitem & domesticum iaculatus fuerat hastam acutam. Licet haudquaquam læsus fuerit propter duritiem corij, quod habet verrucosum asperumque, illatam tamen sentit iniuriam: & si quando vocabatur à notis, ex illo die priùs circumadspectabat diligentissimè, nequis vestitus Christiano more adesset. Luctabatur in ripâ cum Reguli cubicularijs, sed præcipuè cum adolescentulo Regulo grato, cum quo domi cibos aliquando sumpserat. Cercopitheco lepidior erat. Fuit longo tẽmpore vniuersæ insulæ singulare solatiũ: nam & incolarum & Christianorũ multitudo ingẽs ad monstri miraculũ quotidie cõfluebat.

CAPVT X.

De hicoteis & ouis testudinum.

REdeo nunc ad Occidentem plagam. Iuxta fluuium Cocama (qui omnes alios excedit, etiam flumen quod *De la plata* siue argenteum dicitur) hicoteæ, quæ genus testudinis sunt, terræ & humori assuetæ, & aliæ testudines inueniuntur, quorum oua ad ripã sparsa inuoluuntur arenis octoginta aut centum, vbi æstu Solis fecundantur, & pulli nullo pædagogo, nec matre nec nutrice accurrunt ad aquas. Sic prouida natura dispensauit ingenia. Frangerent, si incubarent testudines oua; ad minus fouere non possent. Sol nutrix & mater altera est. Fertur morbo Gallico causam esse comedentibus assiduè.

CAPVT XI.

De anguillis arenæ.

IN amne Zenu anguillæ merâ arenâ inuolutæ, & ab aquis procul reperiuntur. Idem alibi alijs piscibus commune.

CAPVT XII.

De xaybis.

XAybæ non tantùm monstrant matrem naturam dispensatricem & velut promum condum, sed diligentem coquũ. In vasculis horum cancrorum inueniuntur ouula cum iure quasi condîta cocco & alijs aromatibus ciborum condiendorum, quæ *especies* dicimus vulgari sermone: sic color, olor, sapor simulat condimentum. Itaque non est opus diligentiâ ad conficiendum pulmentum: satis est calefieri ad prunas. Nam si coquerentur, internum ius dissiparetur alieno humore. Decrescente lunâ sapidiores sunt. In Hispaniolâ reperiuntur.

CAPVT XIII.

De pisce ludicro, siue axolotl.

ILluuies menstrua, & ludicrus gestus, vnde nomen meruit, cõmendarunt axolotl, hoc est, lusum aquarum. Genus quoddam est piscium lacustrium molli cute intectum, ac lacertarum more quadrupes, dodrantis longitudine pollicemq; crassum, etsi interdum cubitum excedat. Vuluam habet muliebri simillimam, ac venter eius maculis fuscis distinguitur. corpore medio ad caudam vsque, nempe prolixam, & quæ iuxta finem tenuissima sit, paulatim ac sensim gracilescit. Pro linguâ est cartilago breuis ac lata. Quaternis natat pedibus, in totidem digitos, persimiles ranarum, fissis. Caput depressum est, & reliqui corporis proportione magnum. Hiscens rictus, aterque color. Huic menstrua singulis quibusque mensibus fluere obseruatum sępè sæpiùs est, haud aliter ac mulieribus; tum venerem abundè excitare, haud secùs ac scinci facere solent, quos terrestres crocodilos quidam vocant, ad quorum fortasse genus pertinet. Salubre ac gratum præbent alimentum, nec dissimile anguillarum carni. Multis modis parari solent, frixi nempe, assi, elixique; verùm ab Hispanis magnâ ex parte ex aceto mulso, addito pipere, caryophyllis, atque siliquastro Indico: à Mexicanis verò siliquestro solo, seu intacto, seu integro, familiarissimo illis ac prægrato condimento.

CAPVT XIV.

De pustâ pisciculorum genere.

CApiuntur in fluminibus Panucinorum quidam pisciculi, minimi digiti vix æquantes longitudinem atque crassitudinem, sed ventre ranunculorum instar paulò protuberantiore, pusta vocati, quibus simul cum miltomame permixtis & admotis, subuenitur passis crysipelata, breuitate & facilitate mirabili.

CAPVT XV.

De catan pisce.

CAtan piscis est quindecim pedes, cùm in perfectam magnitudinem adoleuit, longus, cortice tectus durissimo, laminis rhom-

rhomboidls figuræ, paucisque contexto, testaceæ pænè duritiei, nitidis, ac circa ilia cælatis, qui vicem loricæ præstare posset. Rostrum est prælongū & acutum, serrati dentes, & quaterno ordine dispositi, ac pinnæ crassissimæ binæ iuxta branchias, ac iuxta caudam vnica. Viuit in lacubus aut magnis fluminibus prouinciæ Panucensis. Salubri constat nutrimento: sed cùm parandus est hic piscis, spoliatur corio. Viuit ex aliorum piscium canúmve raptu. homines quoque interdum aggreditur. Editur verò assus, non coctus aut elixus.

CAPVT XVI.

De conchâ nigrâ.


INsolentis formæ est quędam Panucensis concha Veneria. Aurita est, sed altera auris multò minor. Color extrinsecus niger, infernè verò ex nigro in cinereum vergens. Strijs distincta nouem, sed quęob lineas alias transuersim discurrentes in quosdam secarentur orbiculos. Nec quidquam aliud de eâ habeo dicere.

CAPVT XVII.

De cancris Orientalibus.

CAncros maximos Oriens nutrit, licet insuaues palato, insignes naturæ insolentiâ. Non, vt apud nos, sub plenilunium vegetissimi & carnosissimi sunt, verùm contrà sub plenilunium macri, at sub nouilunium pleni & carnosi.

REVERSVS siue GAICANVS.



CAPVT XVIII.

De reuerso siue gaicano.

GAicanus & reuersus idem est. De hoc pisce hæc habet Petrus Martyr. Audi nouum genus piscationis. Non aliter ac nos canibus Gallicis lepores per æquora campi insectamur, illi venatorio pisce pisces alios capiebant. Piscis erat formæ nobis ignotæ, corpus eius anguillæ grandiori persimile, sed habens in occipite pellem tenacissimam in modum magnæ crumenæ. Hunc vinctum tenent in nauis spondâ funiculo, sed tantum dimisso, quantum piscis intra aquam carinæ queat inhærere: neque enim patitur vllo pacto aëris adspectum. Viso autem aliquo pisce grandi, aut testudine, quæ ibi sunt magno scuto grandiores, piscem soluunt. Ille cùm se solutum sentit, sagittâ velociùs piscem aut testudinem, quâ extra conchile partem aliquam eductam tenet, adoritur, pelleque illâ crumenariâ iniectâ, prædam raptam ita tenaciter apprehendit, quòd exsoluere ipsam, eo viuo, nulla vis sufficiat, nisi extra aquæ marginem paulatim glomerato funiculo extrahatur: viso enim aëris fulgore, statim prædam deserit. Prædâ autem iam circa aquę marginem euectâ, in mare saltat piscatorum copia tanta, quanta ad prædam sufficiat sustinendam, donec è naui comites eam apprehendant. Prædâ in nauim tractâ, funiculi tantum soluunt, quantū venator possit ad locum suæ sedis intra aquam redire, ibique de prædâ ipsâ per alium funiculū escas illi demittunt. Piscem incolę guaicanum, nostri reuersum appellant, quòd versus venetur. Quas testudines eo modo captas, quæ nauiculā illis ferè implebant, nostris dono dant: cibus est enim apud illos non illætus. Ouiedus paululum fusiùs piscem ipsum & indolem exhibebit. Dicit, piscem palmum longum, aspectu fœdum, sed ingenti animo atque astutiâ præditum: cum alijs piscibus interdum capi, eumque boni saporis esse, imò etiam ex optimis qui in mari capiuntur.

nam

nam siccâ & firmâ carne, non viscosâ præditus est; quod assero, quia me illo vesci sæpius contigit. Aliqui autem ex hoc piscis genere in venationis vsum seruare volentes, paruũ, necdum adultum deligunt, & in aquâ marinâ escâ eius naturę conueniente alunt, donec eam quam dixi magnitudinem attingat, & ad venationem, quam instituunt, aptus sit. Tum hunc piscem, alligato tenui, sed valido funiculo, secum in cymbâ ad mare deferũt, conspectoque aliquo manati, alióve pisce summâ aquâ natante, illicò Indus sumptum in manus reuersum piscem, alterâ demulcet & blanditur vernaculo sermone, admonens forti & valido sit animo, maximumq; quem conspexerit piscem alacriter adgrediatur; atque cùm commodum videtur, eum in magnos pisces conspectos emittit. Reuersus magnâ celeritate in testudinem aliúmve quemlibet magnum piscem impetum faciens, eius lateri aut ventri sese adfigit, & validè stringit. Piscis se ictum & comprehensum sentiens à paruo illo pisce, nunc in hanc modò in alteram partem se conuertens, per mare fugit. Intereà piscator Indus funiculum multas orgyias longum laxat, & tandem dimittit, quia in extremo vel lignum vel suber annexũ habet, ne subsidat, sed sui indicium præbeat. Post modicum temporis manati, aut testudo, quibus reuersus adhæret, defatigati versus littus feruntur: piscator autem sensim funiculũ in suam cymbam colligit paucarum orgyiarũ tenus, quibus paulatim reuersum cum suo captiuo trahit, donec terram attigerit, vndis etiam illum propellentibus. Illicò Indi piscatores in arenam desiliunt, atque si testudo capta est, eam conuertunt, vel etiam in ipsâ aquâ (nam periti sunt natatores) & in siccum pertrahunt: si verò manati sit, eum feriunt donec mactent, prædâ in littus pertractâ summâ cum animaduersione: & sensim amoliendus est piscis reuersus; nam adeò firmiter prædæ adhæret, vt si quis vi adimere vellet, in partes discerperet. Indi blandis verbis id faciunt, magnas gratias agendo pro prædâ adquisitâ. Habet porrò reuersus piscis squamas graduũ instar dispositas (& oris humani aut equini palatum) easque tenuissimis quidẽ, sed acutissimis & validis spinis præditas, quibus se prædæ affigit, per maximam corporis partem sparsas, præsertim autem toto dorso à capite ad dimidiam corporis partem, minimeque verò in ventre, & quia dorso prædæ sese affigit. Reuersum siue inuersum appellant. Adeò autem stolidi sunt isti Indi, vt istum piscem eorum sermonem & blanditias intelligere existiment, nec animaduertant, hanc esse piscis istius naturalem proprietatem, cùm plerumque contingat tiburones & testudines in Oceano capi, quibus adfixi & inhęrentes inueniuntur reuersi: vnde apparet, postea quam sese alicui pisci adfixerunt, sese ab eo liberare non posse, nisi cum temporis interuallo.

Christophorus Columbus paulò aliter similem piscationem sic narrat: Rursus progredientes, comperêre piscatores quosdam, qui in cymbis, id est, in cauâ arbore piscabantur, qui piscem rudentibus adligauerant naui, eumque post se trahebant. Eius forma est nobis incognita, & nisi grâdiusculum caput haberet, instar anguillæ formaretur. Capite gestat pelliculam quamdam, quæ similitudinem habet crumenæ alicuius. Cùm verò pisces vel testudines emerserint supra aquã, mox is piscis solutus mittitur ad eos, qui telo acrior, ac omni volucre ocyor, condicto vibrat pellem, quam diximus marsupium referre aliquod, pisces corripit, ac retinet suâ pelle impeditos, nec priùs prædam dimittit, quàm aërem senserit, cuius est impatiens admodum: tunc vincto rursus pisce prædam legunt, nam nobis adstantibus cepere calandras quatuor prægrandes, quibus nos donarunt amicè, easque in cibatu suauissimo habuimus.

Ipsum piscem Franciscus Hernandus sic describit: Piscis est ex galeorum genere, tres spithamas longus, figurâ mirabili: nam vix possis diuinare an natet supinus vel pronus, imò iudices, cùm supinus est, pronum iacere; & cùm pronus, supinum. Cauda est nonnihil lunata: pinnæ circa branchias quaternæ, singulæ verò iuxta ventrem & dorsum. Rostrum est acutum, labrum inferius longius superiori latiusque, & ad superiora contortum; compressum caput, ac rastello spinifero, octo vncias longo, & tres lato. Insigne quo adhærere solet tiburoni, & alijs cetaceis magnisque piscibus, fallitque spectatores, corio nigro tegitur, & aliorum nutrimento constat. Viuit in Oceano Septemtrionali, cui est admodum frequens. Vtuntur eo pisce Indi hami loco.

CAPVT XIX.

De pisce romerreo.

DE hoc pisce scribit Franciscus Hernandus in hunc modum: Piscis est spinosus, Oceani Septemtrionalis alumnus, dodrantem plus minùs longus, tres vncias crassus; corio tectus molli, & pęnè teres. Lunatâ constat caudâ, & rostro resimo atque compresso, oculis magnis, si magnitudini corporis comparentur, pupillâ nigra ac luteâ iride. Senis natat pinnis, quarum altera medio pænè dorso in caudam vsque procedit, sen-

ſenſim ſeſe attenuans, & à quibuſdam præacutis ſpinulis ſumens exordium: altera à pudendo pænè ipſo in caudam ferè deſcendit, vtrimque à brachijs ſingulæ, binæque paulò ante initium ventris. Color vniuerſi corporis ex albo in cæruleum tendit, quamquam dorſum caputque cyaneo exſaturato videantur nitere, vniuerſumque corpus ſenis pauonini coloris tranſuerſi in diſcurrentibus orbibus ambiatur. Extrema corporis caudam contingentis quadrata ſunt, & quaternis veluti dorſis diſtincta, quarum bina quæ in latera excurrunt, deſinunt in acumen. Caudæ initium pauonino exſaturato ſplendore. Micant mediæ vtrimque partes, dilutiores ſunt ſequentes exſaturatæ, ac demum poſtremæ candentes. Vocatos tiburones magnâ ex parte ſequitur, aut quia ab eius excrementis nutrimentum ſumat, aut ne è proſpectu occurrens queat ab vſque adeò immani beſtiâ deuorari, cùm aliàs inſectanti difficile ſeſe in latera contorquens, non ſoleat eſſe illi nocumẽto. Salubre gratumque, & ab omnibus expetitum nutrimentum exhibet, quamquam elixus in primas menſas magnâ ex parte venire ſit conſuetum.

CAPVT XX.

De tiburone.

IDem Franciſcus Hernandus de tiburone ait: Cetaceus piſcis eſt, ex genere oblongorum, Oceani incola, quindecim interdum dodrantes longus, voraciſſimus, curſu velox, nec omnino ſtupidus, & bina humana corpora ſæpenumerò craſſus; ore, quod roſtro vnciarũ decem interuallo ſubiacet, lunato, vallatoque ſupernè trino dentium præacutorum, ac ſeſe mutuò ſerræ modo ſubintrantium, ac quaterno infernè binûm dodrantum rictu, & brachijs vtrimque quinis: roſtro ranæ obrotundo, pinnis ſingulis vtrimque iuxta branchias, totidem iuxta pudenda, iuxta caudam vnicâ, alterâ omnium maximâ imminente dorſo ſtatim à branchijs, alteraque iuxta caudam modicâ, à contrario alterius paruæ, ſed in oppoſitam partem vergente caudâ magnâ, craſsâ, falcataque, & ſupernâ parte triplo aut quadruplo longiore atque latiore, & iuxta exortum quibuſdam paruis cauitatibus inſigni: oculis modicis, longo inter ſeſe diſtantibus interuallo: pupillâ magnâ, & ſub luteâ iride, corio verò ceterorum cartilagineorum, cùm ſeſe tendit, nullis ictibus penetrabili: dorſo ac lateribus cæruleis exſaturatis, ac ventre candenti. Mirum eſt, bina pendere mari oſſea pudenda, caua, alba, dodrantem longa, & ternis ſingula, glandis loco, longiuſculis noxia acuminibus, quibus nouaculæ modò facilè quiduis obuium abſcindit. Maleficum animal eſt, atrox, ac hominum deuorator: adeò viuax, vt in perquam tenues etiam diuiſum, apolectos, affixumque veru, palpitet, ac vitam adhuc videatur mordicus retinere. Mediocre præſtat, & quale alij congeneres piſces; dum paruum eſt, alimentum; ſed prouectius, durum, ingratum, inſalubre, & fluxum alui ciens. Vnicum eſt illi inteſtinum, ſatis amplum; vnde tam improba contigit voracitas. Cor paruum ſubalbidum, laxum, & vſque adeò viuax, vt eductum, & in varias partes ſectum, diutiùs conſpiciatur moueri, ventriculiſque diſtinctum. Stomachus vaſtus eſt, hepar candens, in duas partitum tenias, quatuor dodrantes longas, ac decem vncias latas. Splen verò iocinoris longitudine, ſed duas tantùm vncias longus.

Noſter Acoſta de tiburone hæc habet: Hayen verò ſeu tiburonum admirãdorum ſatietas nos numquam capere potuit: quorum vnum in portu capi vidimus; in cuius capite lanionis culter, cum magno ferreo hamo, & grandi capitis bouini cornu adhuc ſtipati, reperta fuerunt. Spectaculum quoddam iucundum viſuri per otium, quartam occiſæ gruis partem, ſupra lacũ proximum in mare affluentem, ſuffixâ appendebamus: quo facto, dicto citiùs odoris vi illectus tiburon aliquis adnatauit. Ergo vt ſpectaculi ex diuturnitate gratia maior eſſet, curatum erat, vt eſca altiùs attolleretur. Nihilominùs tandem tiburon vno momento illicò prædam nactus erat, in ſublime ſeſe tãtâ facilitate ſurrigens, vt propè aduolitaſſe videretur. Prædam arreptam minutim illicò diſcerpſerat, vt qui dentibus acutiſſimis & fortiſſimis donatus ſit. Circa tiburones aſſiduè piſciculi minuti frequentes, romerer vocati, obnatant, quos tiburones à ſe arcere non ſatis queunt. Hi ex prædarum detrimentis, quæ tiburones amittunt, victum ſibi parant.

CAPVT XXI.

De galei quodam genere.

TRanſcribo hîc Cluſij ſententiam. Inter galeorum genera, qualia à Guilielmo Rondeletio libro 13. Hiſtoriæ piſcium deſcribuntur, referendum hunc exoticum piſcem arbitror, & forſitan acãthiæ ſpeciem aliquam cenſendum: nam ſpinam ſiue aculeum habebat, non quidem in dorſo, ſed pænè in ceruice, illamque vnicam. Erat autem corpore longo, trium ferè pedum longitudinem explente, coloris (reſiccatum enim & exenteratum dumtaxat conſpiciebam)

GALEI GENVS.



ciebam) ex cineraceo fuſci, in quo tamen quidam candor, præſertim in tergore, adhuc eluceret: viuum enim & recenter captum argentei pænè coloris fuiſſe intelligebam. Medij corporis ambitus pedis, hoc eſt, duodecim vnciarum longitudinem æquabat. Cartilagineus verò erat, & læui cute præditus; roſtro lato, ſed in obtuſum deinde acumen deſinente. Oculi magni erant, è quorum infimâ parte enata erat membrana, quæ ſurſum ſeſe attollens, velut nubes caliginem illis offunderet. Oris rictus non valdè latus, in ſupinâ capitis parte maxillas in obtuſum angulum deſinentes habebat, ferè vt ſimiæ: quaternis autem dentibus os præditum erat, binis in ſuperiore maxillâ, totidem in inferiore; iiſque firmis, quorum ſinguli quibuſdam ſulcis erant diſtincti, vt pluribus dentibus armatum os eſſe videretur. Corpus à ceruice ſenſim gracileſcebat: ſpinâ ſiue aculeo in eâ parte, quâ dorſum ceruici connectebatur, ſito, eoque ſex vncias longo, infimâ parte lato & cauo, ſupernâ autem valdè acuto. Pinna ſurrecta innitebatur quatuor pænè vncias longa. Binas dumtaxat in lateribus branchias valdè apertas obſeruabam, vtrimque videlicet vnam, cùm aliorum galeorum genera denas habeant, in ſingulis lateribus quinas. Has ſequebantur duæ pinnæ ad natandum idoneæ, longiores quàm in vllo galeorum genere conſpexerim, nouem videlicet vnciarum longitudinem æquantes. Binas alas habebat ex vtraque podicis parte, quatuor vncias longas, illaſque bifidas, hominúmne induſtriâ ſic fiſſas, an à naturâ, nihil pronuntiare poſſum. Alia deinde pinna in dorſo paullò infra eam, quæ ad aculeum erat, exoriebatur, ad extremam ferè caudam vſque inæqualiter porrecta, hoc eſt ad eam vſque caudæ partem, quæ tenuiſſima, & ſeptem vncias longa, muris caudam quodammodò æmulabatur. Podici, qui in ſupinâ parte, vt in reliquis piſcibus, ſitus, vicina apparebant bina foramina, in quem vſum, ignoro. Capitis porrò cutis ſiccitate adeò erat contracta, vt nulla circa oculos, nulla ante eos foramina obſeruare potuerim. Ceterùm quales fuerint piſcis partes interiores, vt deſcribam, nemo à me expectare debet, vt qui exenteratum & reſiccatum (quemadmodum anteà dixi) dumtaxat viderim anno à Chriſti Natiuitate milleſimo ſexcenteſimo primo, anno tamen præcedente captum in Septemtrionali Oceano ab his qui halecibus irretiendis operam nauarant; quos ſi conſulere licuiſſet, exactiorem deſcriptionem dare potuiſſem: ſed ſi oblongum caput haberet, non incommodè forſan dux cetacei generis apud Ælianum cap. 13. lib. 11. de Animalibus, cenſeri poſſet.

CAPVT XXII.

De generibus lutrarum.

VIdetur lutræ genus ahoitzotl, canis Melitenſis magnitudine, nigro & pullo variegatur. Huic proximus eſt leo aquaticus. Pænè ternas prolixus ſpithamas, rufo ad dorſum obſcuriore pilo, longo & molli, roſtro tenui & longo, incuruo vngue, breui crure & aure, caudâ longâ duos dodrantes. Victitat piſce: viuit non procul littore Auſtrali. Eius vſus ſola pellis.

CAPVT XXIII.

De cattiuari.

IOannes Stadius scribit, cattiuare dici animal amphibium, vescens iunceo quodam genere in ripis aquarum dulcium nascente. Si metus ipsum inuadat, fugit in aquas vsque ad imum. Ouem magnitudine superat: caput leporino conforme est, crassius tamen, & minùs auritum: caudam obtusam & breuem habet, crura satis alta. Veloci etiam per terram cursu ex flumine alio in alium fugit. Pilos subnigros, & in pedibus tres digitos habet. Suillam sapit comedenti.

CAPVT XXIV.

De pisce tauriforme.

PIsciculus est, inquit Franciscus Hernandus, vix duos palmos longus, sed pinnâ munitus caudæ instar, sex pænè prolixâ digitos: corio intectus duro, fusco, sed circa ventrem candenti, & vbique pentagonis sex angulísve distinctos figuris. Os est minimum, sed longiusculis munitum dentibus: oculi magni, pinnæ circa aures binæ satis paruæ, quemadmodum & aliæ duæ, quarum altera circa extrema ventris est, altera verò iuxta postremum dorsum; mirum est, in hoc pisciculo duas prominere iuxta frontem spinas acuminatas, infractæ duritiei, instar corniculorum, ac totidem alias eadem magnitudine & formâ circa ventris postrema.

CAPVT XXV.

De pisce gibbo.

ACacana vocatur dodrantalis piscis, insignis prolixitate inferioris labri, & eminentiâ gibbâ, quę à capitis exordio vsque ad os, quod perexiguum est, arcuato descendit flexu. Dorsum lateraque cyanea sunt, venter ac laterum pars alba, ac præter duas pinnas quæ circa branchias sunt vtrimque, vnicam angustam & longam, & aliam paruam, duæ aliæ visuntur breues, altera à medio ventre, altera verò à dorso in caudam vsque procedens. Squamosus non est, & tamen bono constat alimento. Mare illum ad me misit Australe; etsi quidam referant in Septemtrionali quoque reperiri.

CAPVT XXVI.

De pisce tereti.


CAndidos quosdã pisces vniuersim vocãt Mexicani yztacmichin, ad quorum spectant genus tres species magnitudine discordes. Omnium maximus amilotl dicitur, medius xalmichin, minimus yctacmichin. De priori nunc sermo. Est amilotl siue piscis teres, lacustris, squamosus, candescens, maculis aspersus pullis, sesquidodrantem longitudine, & pollicem crassitudine excedit. Binas pinnas habet in dorso, totidem in ventre, vtrimque vnã, ac infra ventrem alteram. Caput est oblongum, rostrũ acuminatum: sed inferna maxilla prominentior. Oculi sunt nigri, iris aurea. Aureum caput, venter luteus, adeoque reliquum pænè corpus. Victum eius sic commendat Franciscus Hernandus. Optimum & concoctu facile prębet alimentum; nam & ouis capitur magnâ ex parte onustus, adeoque gratum, vt cùm grauem quamdam eu asissem ægritudinem, mihique nutrimenta omnia, à sanis hominibus & sagacioris palati vehementer expetita, sordèrent, displicerentque vehementiùs, hoc vno cibi genere suauissimè vsus sim, & ad vires instaurandas non mediocriter adiutus. Sed magnitudo ipsa adeò gratiã commendat, vt quò in maiorem amplitudinem adoleuerit, eò maiori habeatur in pretio, expetatur auidiùs, rariùs inueniatur venalis, inuentusque ematur cariùs.

CAPVT XXVII.

De pisce serrâ.

A Tototepecensibus dicitur tlateconimichin quidam piscis Australis. Excedit dodrãtem: sed angustus satis, lunatâ caudâ, acuto capite, peracutis dentibus exiguis, sed multis; binis (præter branchias supra infraque, & ab vtroque latere) pinnis, vnâ circa dorsum, alterâ circa ventrem: ab his in caudam vsque eminent protensi quidam velut dentes, vnde impetrauit nomen. Diuersę formæ sunt alij pisces serræ, quos pistrices antiquorum Rondeletius putauit. Huic serra vel cornu est vtrimque dentatum, de quibus sententiã Clusij exhibebo. Quamquam autem negare non possim, hunc piscem in ingentem magnitudinem crescere, vt ex plerisque nostris coniecturam facere licet, ipsius tamen formę ratione, inter galeorum aut cunicularum potiùs genera referendus esse videtur, quàm inter cetaceos, cum quibus nullam prorsus similitudinem habet, quemadmodum non tantùm ex icone acceptâ,

PRISTIS siue SERRA.



ceptâ, sed ex integro pisce reficcato obseruabam, quem illo ipso anno Iunio subsequente Amstelredami conspiciebam apud Henricum ab Os; sic vt ex illo coniecturam facerem, in eâ picturâ, quę ad me missa, nimiam corporis crassitudinē fuisse expressam. Erat porrò hic piscis corporis formâ & colore galeorum generibus, aut caniculæ Aristotelis valdè similis: nullis tamen maculis, vt illa, conspersam cutem habens, perinde tamen rudem, & instar zyganæ cutis asperam, fusci in dorso coloris (quem videbam, cineracei erat) in ventre candicantis, & sex pinnas habebat, in lateribus, medio videlicet pænè corpore binas (quibus in illo, quem conspiciebam, vicinæ erant quinæ, vtrimque angustæ oblongiusculæque branchiæ; icon autem accepta nullas expressas habebat) sub podice binas; supra caudæ initium, extremo scilicet dorso quintam; sextâ verò, in quam extrema cauda desinebat. Caput in longum & angustum, planum & firmum rostrum porrigebatur, vtrimque multis dentibus siue osseis firmisque & rectis spinis ex aduerso sitis serræ instar munitum, viginti vel etiam pluribus. Certè piscis illius, quem conspiciebam, rostrum, licet septem vncias dumtaxat longum esset, totus verò piscis binos pedes cum triente, siue octo & viginti vncias non superaret, duodetriginta tamen osseis spinis valdè acutis in vtroque latere erat munitum. Quanta autem esset eius piscis, cuius picturaad me missa, longitudo, ignoro: sed in rostro numerus spinarum, qui in singulis lateribus erat expressus, vigesimum non superabat: binos verò oculos in pronâ capitis parte habebat, binas nares in supinâ, & infra illas oris scissuram, vt zygæna, ferè transuersam, in quâ nulli dentes expressi, nec in eius quem conspiciebam oris scissurâ, tametsi diligenter requirerem, vllos obseruare poteram. Reperitur hic piscis vt plurimum in Oceano occiduo. Certè quotquot mihi videre licuit rostra variæ magnitudinis, ingentia, mediocria, exigua, inde relata dicebātur.

CAPVT XXVIII.

De aurato pisce.

DAbo ex Francisco Hernando venusti huius piscis descriptionem. Piscis est Oceani Septemtrionalis incola, spectatu pulcherrimus, sex dodrātes magnâ ex parte longus, vnicum plus minùs latus, ac sensim ab ano ad caudam, quæ lunata est, gracilescens, rostro incuruo compressoque, & ore, si corporis magnitudini conferatur, paruo, multisque supernâ parte, sed paruis dentibus horrido, squamosus, magnisq; oculis; pupillâ nigrâ, & iride aureâ, quale etiā vniuersum corpus est, sed heliotropio quoq; simili, & ad Solis repercussus in cyaneum pauoninumque & varios colores tendente, ac cyaneis maculis vndique consperso. Pinnâ cæruleâ, quales reliquæ quoque sunt, vnicâ circa dorso ab ipso capite ad vsque caudam procedente sensim se attenuante, binis circa latera ad branchias mediocribus, duabusque alijs infernâ parte, non longè ab his, eadem pænè magnitudine, alterâ verò quæ à postremo ventre ad caudam vsque circiter procedit. Grati est nutrimenti, sed quod duriusculum sit, & quàm citissimè putrescat. Alatis pisciculis victitat, qui cùm ad mugilum genera videantur pertinere, pinnis vtrimque singulis longiusculis, & auium pennas quo-

dammodò imitantibus, & barbâ integrâ, pæne eorum æquante magnitudinem, ab inferiore labro dependente insignes sunt. Hos auidè insectantur, nec non naues, vt eis quæ in mare proijciuntur, ali possint. Ad hæc tria genera pertinere videntur, & ei potissimum speciei esse similes, quam Rondeletius pro priore omnium curauit depingendam.

CAPVT XXIX.

De rubetis lactifluis.

ALit Mexicanus lacus rubetas disparis magnitudinis: tamacoli vocantur exiguæ, aliæ monstrificæ amplitudinis dicuntur aquaquæ: harum lac posteriore fusum parte veneficum.

CAPVT XXX.

De conchis.

VArium conchæ genus in mari Australi Nouæ Hispaniæ, vnũ xochpaltapachtli seu concha minij coloris, auriculata dicitur, mediocri magnitudine, transuersis semicirculis, lineas secundùm rectum procedentes secantibus, ac colore minij rubeo dilutiore, ac luteo in rubrum tendente distinctum: alterum maiusculum, ac lineis simillimum, sed colore candido, rubeo & fusco varium: ac demum tertium, circa auriculas rubeo diluto fuscoq; colore, ex lineis dumtaxat rectis, sed quæ in eo ipso procursu in ternos finiantur orbiculos: quarum nihil insigne accepi, præter formam quæ videtur à maris Mediterranei & Septemtrionalis conchis quadamtenus diffidere.

CAPVT XXXI.

De conchâ muscosâ.

AVstrale quoque Indiarum pelagus alit tapachporcauhqui, seu concham muscosam: meruit istud nomen, quòd muscus illi innascatur.

CAPVT XXXII.

De brage.

COmmunem vtrique Oceano piscem vocat mistecæquatetl, Mexicani axolomichin, Hispani brage: ad duos autem vel tres palmos adolescit. Duas prelongas gestat barbas, cauda lunata, longa pinna supra dorsum, binæ ad ventrem, totidem ad collum: dorsum illi nigrum, pectus candens.

CAPVT XXXIII.

De pisce Metensi.

IN fluuio Metâ & alijs Venecuelæ piscis est inops squamis; anguillæ formâ, non ita longior, & capite & corpore crassior. Hic cùm mordet hamum, arcanâ qualitate trepidare piscatorem facit, vt arundinem sustinere nequeat: idem alijs accidit, si velint illam sustentare. Si piscator in equo sit, eidem animali tremor: dimissâ arundine, omnes tuti & sani. Nihilominùs piscis innoxius est stomacho, gratus palato.

CAPVT XXXIV.

De lumbricis.

VIs quædam tenuissimorum lumbricorum yzcahoitli dicitur, capitur retibus, seruatur vasibus capacibus, deferẽda in mercatus. Postquam concoxerint illam institores, in pullum colorem abit, & odorem spargit, non absimilem ouis piscium, videtur panis. Fiunt ibi placentæ, quas exsiccatas seruant. Enixis & nutricibus auget lac.

CAPVT XXXV.

De pisce volucri.

NOctu volucres quidam palmaris longitudinis in naues classis Indicę cadere solent & capi, habent membranaceas alas, vespertilionum ferè instar: ijs explicatis, ad centum vel ampliùs passuum interuallum superuolant aquas, vt alios pisces insequentes effugiant; sed in rapacium marinarum auium vngues incidunt. Vndique discrimina subeunt, ideò citò merguntur, vt periculo se subducant cæli.

CAPVT XXXVI.

De seecanauc.

IN Virginiâ seecanauc reperitur. Piscis est testacei generis, circiter pedem latus, caudâ crustaceâ, multis pedibus præditus vt cancer, oculis in dorso imminentibus, boni saporis: amat aquas marinas restagnantes.

CA-

MORSS PISCIS.



CAPVT XXXVII.

De morss pisce.

IN Iurâ & Corelâ, vt prodit Mathias à Michou, sunt aliqui montes mediocris tumoris, non altissimæ elationis, prout quidam putauerunt & scripserunt. Supra montes autem Oceani, qui mediocres sunt, per totum Septemtrionem Oceano adiacentes, scandunt ex mari pisces morss nuncupati, dente se supra montem continendo, fricando, & ascensum promouendo: dumque ad summitaté montis peruenerint, ad vlteriora gressum promouendo, ad alteram partem montium volitando decidunt. Hos illæ gentes colligendo, dentes eorum satis magnos, latos, & albos, pondere grauissimos, capiunt, & Moscouitis pendunt atque vendunt. Moscouitæ verò his vtuntur: ad Tartariam quoque & Turciam mittunt, ad parandum manubria gladiorum, framearum & cultrorum, quoniam grauitate suâ maiorem & fortiorem impressionem impingunt.

CAPVT XXXVIII.

De piscibus subterraneis.

CAribes, cùm æstus exsiccauit paludes, effodientes reperiunt breui labore aquam, & varia piscium genera in illâ humiditate seruata, præsertim quos vocant armadillos, gratos palato.

CAPVT XXXIX.

De muscâ palustri.

MAgnam & continuam annonam plebi Mexicanę suppeditat paruula musca lacustris, axaxayacatl dicta, quoniam facies illi aquosa quemdam huius elementi candorem simulat. Vber illarum copia ad feria venit statis temporibus. Ex ijs tritis & commixtis globuli præparantur ad emporia totius anni: coquunt illas indigenæ maizij spicæ membranis conuolutos, coniectosque in nitratam aquam, atque ita bonum, multumque, nec gustu insuaue præstant alimentum: quin & eisdem aluntur mille auicularum domesticarum genera, quæ inclusa caueis, non sine audientium voluptate occinere solent. Sunt earum muscarum maiorum minorumque bina genera, sed in minimis diutiùs immorari, dum ad maiora propero, necessarium non duxi.

CAPVT XL.

De ouis muscarum.

DAt quoque Mexicanus lacus magnam vim ahoautli; sic vocant oua axaxayacatl, cuius muscæ vicina mentio fuit. Simillima sunt papauerino semini: capiturque proiectis in lacum funibus humeri femorisve crassitudinis, laxiùs tamen contortis, quâ parte fluctus tumidiores sunt, quibus commota turbataque solent adhærescere; inde corradunt ea piscatores, atque in magna vasa recondunt. Ex his autem effingunt placentas, illisque ex caolli parãt persimiles, aut orbes, quos tamales patriâ linguâ vocãt; aut digesta in inuolucra spicarum maizij reponunt, vt deinde occasione oblatâ aut torrefactione parent fercula. Piscosum quiddam sapiunt, vt alia piscium oua, nec omnino malum feruntur præstare alimentum, quod licet aridum sit & strangulans, ventriculum tamen debilem ac dissolutum firmat.

CAPVT XLI.

De ouis piscium.

MIchipillin, seu oua piscium, dicitur genus quoddã lacustre album, quod ex omni piscium in lacu degentium Mexicano conflatur multitudine, vnde factum est illi nomen. Statis anni temporibus eadem capitur palude, haud aliter quàm thynni, trichię, scombri, similesque pisces, alij gregatim vagantes in Oceano. Agmen pisciculorum esse creditur, haud lendibus maiorum. Medio id procedit alueo, in neutrum littus inclinans, tam numerosâ multitudine, vt quinque cubitorum interuallum aut amplius occupet.

Non prætermittunt occasionem piscatóres; sed diligenti obseruatione & curâ vagâtes pisciculos captant excipiúntve retibus, atque ita non mediocris solet sępenumerò fieri captura. Coquuntur ijdem ahenis fictilibúsve vasis, ferculisque, vbi opus est, adijciunt, addito siliquastro chillíve: quo apparatu neque modico neque ingrato cibo constant, sed quo non modò Indi, verùm aduenæ quoque Hispani sæpenumerò vesci gaudeant.

CAPVT XLII.

De cicadâ lacustri.

AEnez quoque victum iuuat squillarum pænè sapore. Insecti lacustri genus est aenez, crustatum, paruum, depressum, tres digitos latos longum, ac toto corpore, si ventrem excipias, teres, septem transuersis incisum lineis virentis coloris, ternis vtrimque cruribus tenuibus ac longis, quæ versus caput procedentia, sensim fiunt breuiora. Capite, oculis, totaque corporis formâ terrestri cicadæ ferè similis est.

CAPVT XLIII.

De scarabæo lacustri.

SI non gulæ, seruit fami aut inopiæ scarabæus lacustris, Indis atetepitz, à duritate crustæ. Mexicanis lacubus est frequens; formâ, magnitudine & colore ex pullo in atrũ inclinante, scarabæos terrestres simulat. Tegitur crustâ, quatuor sustentatur pedibus, ijsdem saltitat; quorum bini, quâ parte in alijs vmbilicus situs est, oriuntur, & quibus sese, vbi supinus iacere cogitur, vibrat in pronum atque contorquet. Estur ab incolis, qui Pamphagorum more nulli pænè rei parcunt. Vulgare tamen præbet alimentum, velut & achichimatli & atetepitz, scarabæorum paruorum & palustrium genera.

CAPVT XLIV.

De atopinam.

EDunt quoque Indi atopinam. Similis est nauali scarabæo, quatuor tamen vncias longus, ac duas extensus in latum. Color est fuscus, & crustaceum tegmen. Crepitat volans, & circa lacum Mexicanum noctu versari solet inter iunceta. Editur ab indigenis elixus cum alijs piscibus atque herbis. Similis videtur ropanxacalli, & ad lacustarum palustrium species pertinere.

CAPVT XLV.

De gerynis edulibus, siue atolocatl.

HOrret stomachus Europæus caudatas ranas, quas Nicander gerynas dixit, Aratus gyrinos, inde atolocatl, & in argumentum stoliditatis Plato in Theateto proposuit. Nec absurdè; argumentum scilicet stultitiæ garrulitas est. Indica tamen gula illis recreatur, & auida est totius bestiolæ, nec formicis nec locustis parcit; nec tantùm palato vtcumque seruit atolocatl, sed mercaturæ. Conuehitur ad nundinas venalis.

CAPVT XLVI.

De ranis magnis.

TOlerabilis tamen, imò & iucundæ gulæ sunt ranæ vnius libræ, quas malullas vocant.

CAPVT XLVII.

De vermiculis candidis, siue ocuiliztac.

HActenus gula aut inopia accedit. Ocuiliztac vocant Mexicani quosdam vermiculos candidos palustres, & similes ijs quos putrida caro hospitatur. Crudi nigri sunt, torridi candicant.

CAPVT XLVIII.

De cœno eduli, siue cocolin.

VSquequò non ingluuies? Cocolin, seu cœnũ grauiter olens dicitur quoddam excrementum fuscum Mexicanæ paludis, fluctibus innatans, & simile limo. His sordibus saginatur etiam Indica gula.

CAPVT XLIX.

De simijs fluuialibus.

INter aquatilia refero simios Chiappæ. Sunt quædam animalia simijs non dissimilia, & prolixæ caudæ, tigridum instar variegata. Sub aquis perpetuò manent, pedes hominum & equorum, penetrantium fluuium, caudâ implicant, & suffocant. Inutiliter noxia sunt: non enim edunt quod necant. Alibi nusquam reperiuntur.

CAPVT L.

De bonitâ.

COlligam hîc nonnulla quæ Lerius narrat. In primis de pisce bonitâ ait: Bonita nulli sapore cedit. Cyprinis communibus assimilis, cùm squamis tamen careat. Illas maximo vidi numero circiter quadraginta dies, quibus ferè nostris nauibus adhærere, idque accidere verisimile est.

CAPVT LI.

De albacorâ.

ALbacoræ autem à bonitis formâ non admodum alienæ; tamen cùm & viderim & comederim albacoras quinque pedum longitudine, crassitudine corporis humani, obseruaui, quòd ad earum magnitudinem nulla esse possit cum bonitis collatio. Deinde cùm nullo modo sint albacoræ viscosæ, sed carne vt salar friabili, nullis aculeis, paucis visceribus; inter pisces optimos sunt adnumerandæ. Et quamuis, quæ ad condiendam albacorâ necessaria videbantur, præstò non essent (vt accidit peregrè nauigantibus) ideoque sale contenti, latis orbibus igne tostam ederemus; tantillo tamen apparatu erat nobis gratissima. Quam ob rem si cupediariorum natio, quæ mare tentare non audet, nihiloq; secius (vt de fele vulgò dicitur) siccis pedibus obligurire pisces percupit: albacoram in continenti tam facilè mercaretur, quàm reliqua genera. Ecquid dubitatis, quin vnà cum pisce digitos sæpè circumlamberet? Vt enim dicitur de hirundinibus marinis, cùm albacorę degant inter Tropicos, in altoq; mari versentur, non ita littoribus appropinquant, vt à piscatoribus ad nos integræ peruenire possint. Quod verò ad Africanos attinet, qui mare ad Oriẽtem accolunt, Perusiosque, qui Occidentem versus, eos albacoras facilè piscari, & incorruptè suis apponere, incredibile est.

CAPVT LII.

De suibus marinis.

SVum autem marinorum duo sunt genera, vnum rostro acuto, vt anseres; alterum tam obtuso, vt cùm è mari attollitur, sphæra esse videatur; idcircò ab eâ similitudine quæ est illis cum cucullatis, capita Monachorum appellantur. Ex ijs animaduerti longos circiter senum pedum, caudâ latâ bifidaque. In capite omnibus erat foramen, quo spiritum ducere, & vndam vibrare solebant. Cùm incipit mare commoueri, super aquam eminentes, præcipuè nocte tempestate constictati, virides apparent, viridemque reddunt maris effigiem. Prætereà in morem suum terrestrium altè anhelant stertuntque: quamobrem nautæ illos vagari & respirare conspicati, tempestatem certissimè præsagiunt; quod & sæpè sum expertus. Et quamuis, cùm tranquillitas esset, vndique suum marinorum circumiectâ multitudine, quoad prospici posse, totum mare illis constratum videretur, tamen non tam faciles captu erant quàm reliqui pisces. Itaque vt Lectori satisfaciam cnmulatiùs, quâ tandem arte capiantur explicabo. Qui probè inter eos piscandi modum callet, conspicatus è prorâ, harpagonemque ferreum manu tenens, longurio reuinctum longo crassoque, vt hastâ dimidiatâ; qui etiam funi alligatur viginti circiter pedum. Gregatim accedentibus, quem ferire possit eligens, tantâ vi harpagonem iaculatur, vt si rectè percutiat, ferro sus adunco teneatur: tum relaxato fune quoad fieri potest, dum se, dolore saucius, in omnes partes conuertit, ferroque magis induit, sanguis eum paulatim viresque deficiunt. Nec morati nautæ ceteri, manu ferreâ, quæ & ipsa longurio adhæret, captum in nauem pertrahunt. Hac ratione vigintiquinque in itinere cepimus. Quoad intestina, sicut porco, ita & sui marino quatuor tantùm pernæ demantur, diuidaturque visceribus, spinâ etiam dorsi, costisque ablatis, eumdem in modum pendeat. Hic illi valdè similis est: iecur eodem sapore, caro tamen recens dulcior, & deterior. Pinguedo in omnibus quos vidi, pollicis crassitudinem non excedebat, nullámque puto inueniri, quæ duos superet digitos. Itaque ne ampliùs nobis imponat id, quod Lutetię alibique laridum Quadragesimæ piscatores appellant, suisque marini pinguedinem esse arbitrantur; nam ea cùm plus quatuor digitûm crassitudine pateat, balenæ censenda est. Ceterùm quoniam in quarumdam aluo, quas venati sumus, paruuli sunt reperti, quos vt lactentes assos apponebamus, nullâ contrariæ opinionis habitâ ratione, magis existimo sues marinas, vt scrophas, viuos quàm oua parere. Quâ de re si accuser, ad arbitrium eorum qui experti sunt, potiùs quàm qui scripta tantùm legêre, prouocans: vt rem diiudicare, mei non est instituti, ita nemo, quin ea quæ viderim, certa esse credam, iure interdicturus est.

CAPVT LIII.

De requienibus.

PErmultos etiã requienes, vt à Neuſtrijs appellantur,cepimus. Ij quoque, mari ſedato,virides apparent:quibuſdam longitudine quatuor pedes ſuperantibus,craſſis pro magnitudine corporis: tamen quòd eorum caro minus probetur, neceſſitate compulſi, & meliorum inopiâ,nautę requienem attingunt. Pelle ſunt aſperâ ſerrataque, capite plano atque lato,ore patulo tamquam lupi, moloſſive Britannici. Cùm hac de causâ monſtroſi ſunt, tum dentibus acutiſſimis damnoſi: quemque ſemel corripuerint, aut dilacerant,aut in mare deprimunt. Qui lauant in Oceano,ſibi à requienibus valdè timere coguntur. Nec cùm eſſent educti ſupra foros nauium, quod ſæpè accidit hamis è ferro digitali craſſitudine, minùs ab ijs cauendũ erat,quàm à feris canibus. Quapropter cùm nec capti nec liberi ab iniuria temperarent, parumque ad veſcendum accommodati cenſerentur; quos eramus piſcati lancinantes, atque cruciantes, vt damnoſis animantibus dignum erat,clauâ ferreâ mactabamus: deciſis aliquando brachijs,dolijque circulo per caudam traiecto, in mare proijciebamus: tum ſe ipſi iactantes, quòd diu non mergerentur, ingenti nos voluptate perfundebant.

CAPVT LIV.

De magnis teſtudinibus.

CEterùm etſi ſub Zonâ torridâ non ſint eâ magnitudine teſtudines, quâ in Rubro Indicóve mari Plinius eſſe dicit, vt ſingularũ ſuperficies contegendis habitabilibus caſis parandiſque cymbis accommodentur; tamen cùm tantæ ibi exiſtant, vt parum ſit credibile, breuiter attingere viſum eſt. Proponam igitur ſpecimen, quo de magnitudine Lector iudicare poterit,vnam videlicet in naui Boiſcanâ captam adeò grandem extitiſſe,vt octoginta hominibus,quos nauis acceperat, more nautico prandentibus largè ſuffecerit. Superior teſta ouali effigie, lata duos pedes cum dimidio, & iuſtâ craſſitudine, Centurioni Mario ad clypeum data eſt. Carne tamen proximè ad vitulinam accedunt, vt lardo traiectæ toſtæque eodem ſapore videantur. Hîc quoque, vt animaduerti,earum eſt piſcatus. Tranquillo mari (aliàs enim raiò apparét) in ſumma pelagi euectis Sol ita teſtam accendit, vt pati non poſſint: itaque ſe inuertunt ad temperandum calorem,diuque in gyrum verſant: hoc conſpicati, manu ferreâ commiſſuræ teſtarum impactâ,vi magnâ nautæ quatuor aut quinque connitentes,in phaſelum pertrahunt.

CAPVT LV.

De ambizâ ſeu porco aquatili.

ADnectam quod Philippus Pigafeta ſcribit de quodam piſce zairi,qui membra duo habet manus humanas referentia, & caudam clypei & formâ & magnitudine. Vocatur hic ab incolis ambize angulo, id eſt porcus aquatilis, propter pinguedinem quâ porcum refert. Caro,quæ ab incolis fumo induratur,& ad lautitias reſeruatur,& guſtu & odore eſt grato. Aquam dulcem non relinquit. Pabulum eius eſt gramen, & omnis generis herbæ in littore enatæ. Ore bouem refert. Tantæ interdum eſt magnitudinis,vt quingentas libras pondere eleuet. Capitur à piſcatoribus non vt piſces, ſed ferè vt bos. Obſeruato enim diligenter loco vbi paſci ſolet,ſcaphis ſuis exſpectant, & aduenientem contis aut remis occidũt: occiſum ad aulam regiam deferunt; aliter enim,capitali propoſitâ pœnâ (vt & alios piſces,qui hinc Regij dicuntur, nempe trutas, & cacongo piſcem ſingularem, ſalmonem figurâ referentem, ſed colore diuerſum,caro enim ea eſt alba; & tam pinguem, vt prunis ſuperimpoſitus eas extinguat) vendi non poteſt. vnde diligenter, ne impunitas audaciores reddat, obſeruantur piſcatores ab Aulicis, & deprehenſi abſque vllâ remiſſione plectuntur.

CAPVT LVI.

De aliquibus piſcationibus.

DVas capiendorum piſcium artes narrat Petrus Martyr. Quando piſcationi generali animus eſt intendere, quà ſciunt eorum piſcium verſari copiam, iuuenũ ingens multitudo,à tergo gregem ſilenter,in latam coronam inſtructi,vti leporum venatoribus accidit, circumeunt, ſubmerguntque ſe vnà omnes, & in aquis more chorizantium paulatim virgis, quas dexterâ geſtant, dexterrimè agitatis, & apertâ læuâ,vt in caulam pecudes, gradatim ad littorales arenas impellunt,ibique ſportatim in ſiccum prædã proijciunt. Non miror ego fieri poſſe hoc,quòd in aluco Nili mihi ipſi acciderit,quando aduerſo flumine ad Soldanum proficiſcebar anno abhinc quarto & vigeſimo. Nauibus me comitatumque meum, & Palatinos ad me à Soldano miſſos vehebant. In ripâ nobis recentium commeatuum ſumendorum ratione

tione morantibus, animi causâ, quòd mihi exire in terram, ob Arabes vagãtes, non esset tutum, panis frustula de accolæ vnius consilio proiiciebam in fluuium: pisciculorum aggregata est illicò multitudo adeò secura, vt submitti sibi sportas paterentur, certatim ad natantia frustula panis, vti ad mellitum aliquid rabidæ muscę, accurrũt. Sportas mox eleuabamus refertas, idque ad libitum reiteratò facere licebat. Attamen interrogati accolæ, cur tanto tempore vigerent eorum pisciculorum turmæ; non comedi ab eis pisces, quòd noxij sint, intelleximus. Fui ego monitus, ne vllum ex eis manu caperem; spinam in eorum dorso rubram ostenderunt: studere piscem, vti apes aculeo, spinę cuspide captorem ferire. Chiribichensibus non est ea cura, sunt commodi pisces hi. Genus alterum piscationis tutius est & generosum. Noctu inter scaphas ardentes portãt tædas, & quà experimento norunt magnorum piscium versari greges, proficiscuntur, tædas extra cymbarum spondas circumrotant flãmantes. Ad lumen properant piscium agmina: fuscinis & sagittis iactatis perimunt ad libitum, salitosque, vel sub ardenti Sole deficcatos, in cistas componunt, venturosque ad eorum fora mercatores expectant.

CAPVT LVII.

De piscatione tæclarum.

DIgna quoque narratu est piscatio Nigritarũ, qui nocturno tempore piscatu inuigilãt, accensas faces manu alterâ, vt cernere possint sibi præferentes, alterâ verò manu tridentem seu fuscinam tenentes: hac enim pisces accelerantes confodiunt, & aquâ extractos reponunt. Faces hasce ex ligno arido & leui præparant: fissum enim illud, & oleo de palmâ probè profusum, in fasciculos brachij alicuius crassitie, longitudine verò sex ferè pedum colligunt, qui accensi lucidissimam flammam gignunt. Alij ignem in scaphis suis exstruunt, quarum latera quatuor vel tribus sunt pertusa foraminibus, per quæ radij flammantis ignis in aquam proiecti pisces alliciunt: qui aduenientes fuscinâ postmodum confossi capiuntur. Sunt etiã, qui licet noctu capiendis piscibus operam dent, nullis tamen scaphis & nauiculis vtuntur, sed in littore sese continent: mediâ autem nocte aggressi, alterâ quidem manu ardentem facem, alterâ verò fiscellã scirpeam vel arundineam, quæ corbem repræsentat gallinarũ, pullis insterni solitum, arripiunt. Sic instructi aquam vmbilico tenus ingrediuntur, flumini contranitentes. Cumque pisces lumini appropinquare vident, fiscellã eis statim insternunt, immissãque per orificium superiùs manu, eos apprehendunt, quos captos postmodò funiculo vel chordâ, per oculos traijciunt, & à collo suspendunt, donec quãtum satis est piscium acceperint. Pisces verò tali ratione capti, formâ ad cyprinos & prasemos nostros quàm proximè accedunt, & carnem bonam habent, quæ salmonem ferè resipit.

CAPVT LVIII.

De piscationibus alijs Ternatensium.

TErnatenses pisces maiores capturi, hac arte vtuntur. Pisciculos primò minutos retibus concludunt: his captis, arundinem longam surreptam, in nauiculæ proram statuunt, in cuius summitate foramen excisum est, per quod funiculum hamo donatum dimittunt. Hamus verò folio aliquo contectus est. Sic ergo funiculus vento ante nauiculã propellitur: posteà ad funiculum piscaturus confidẽs, pisciculos aliquot hamo obijcit rectà supra aquã suspenso, quo dolo maiores pisces fallunt & inescant dum capiantur. Sed & ad captandos eos corbibus vtuntur, quos in fundum emittunt: vbi si diutiùs fuerint, de scaphâ deorsum in aquam prospiciunt, & an pisces aliquot capti sint obseruant. Quòd si qui insint, tum ex scaphâ quis in vndam exiliens, corbem cum piscibus ex fundo attrahit. Hîc si quis roget, quî fieri possit, vt corbem infra vndam quindecim, sedecim, septemdecimve orgyiis in fundo iacentẽ videre, & an pisces insint vel non, discere piscator possit: sciat, eius loci aquam tam claram & perlucentem esse, vt anchoræ quoq; nauium in fundo expressissimè videri queant; nec hoc saltem, verùm etiam obnatantes pisces quoquouersum accuratè obnatare posse prænosci; nam vndæ fundus tam clarè prospici potest, ac si vnum saltem pedem à contuentis oculo distaret.

CAPVT LIX.

De balænis pugnacibus.

IVxta insulam Loandam, ad latus maris, plurimæ balænæ conspiciuntur, quæ in se inuicem magno boatu insurgunt ac sæuiunt, adeò vt ob cruentum quod ineunt prælium, plures sæpè in littore extinctæ reperiantur. Has incolæ diligenter per littora conquirunt, atque è pinguedine vnguentum quoddam parant, quo naues picis loco illinunt. Quamuis autem hîc semper balęnę cernantur, ambra tamẽ hîc nulla, non grisea quam vocant, non candida, non nigra. E quo efficitur,

citur, non esse balænarum semen ambram, vti aliquorum opinio est, cùm hoc in loco, vbi tanta illorum copia, ne nomine quidem nota sit.

CAPVT LX.

De piscatione balænarum.

AVdax hęc venatio balęnarum. Duo Indi conueniebant in canoam, vbi monstrum videbatur: alter aquis se cōmittebat, cùm duobus aut tribus magnis cuneis & malleo armatus, per tergus circa aures superabat astu balænam, immissoque per spiraculum cuneo, demittebatur cete, deinde impotens immittendi libere spiritum, assurgebat. Iterùm Indus inflictis malleo ictibus figebat cuneos, donec oppilatis respirandi vijs suffocaretur bestia, quam reste alligatam cymbæ, deducebant quò placeret.

Paulò aliter idem refert Acosta, qui de piscationibus Indorū hæc habet. Inter cetera autem ea pugna admiratione dignissima est, quam Indi cum balænis aggrediuntur: & si verum fateri fas est, mira profectò bonorum apud Deum dispensatio est, quòd Indis, genti tam inermi & imbelli, tātum tum ingenij tum roboris largitus sit, vt cum immanissimis & truculentissimis quibusuis feris pugnam non saltem ordiri ausint, sed de his quoque miris modis triumphare possint. Quam quidē rem quoties his oculis nostris propiùs contuiti fuimus, toties Regij Psaltis egregium illud dictum, *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, nobis in mentem redijt: nam quod vspiam spectaculum ridiculosius esse queat, quàm si videas vnicū, eumdemque pusillum virum Indum balænam, montis instar vastam, leui quodam funiculo religatam, ceu cum triumpho captiuam adducere? Sed quo piscationis genere in captādis balænis, quas Florida numerosas exhibet, Indi vtuntur, hoc ferè se modo habet. Canoam seu scapham inscendunt, & eam vsque ad dorsum conspectæ balænæ impellunt. Pòst Indus è naui super piscis ceruicem exiliens, & illic aliquamdiu ceu in equo sessitans, opportunum tempus venatur, quo acuminatum palum, secum in hunc vsum allatum, in eius narium vnam profundiùs defigere possit. Nares autem hoc loco vocamus ea foramina, per quæ tum aërem bestia introspirat, tum conceptam aquam copiosiùs eructat. Succedente ergo primo ausu, arreptis fustibus ac sudibus, eam vndequaque alacriter contundit Indus: quibus irritatior balęna reddita plagis, immani habitu furere incipit, & nunc huc nunc illuc per vastum mare sese iactat, ingentiq; fremitu magnam aquarum molem in montes excutit: nonnumquam magnâ succussatione in profundam maris abyssum se demittit, paulò pòst iterùm in aëra seu altum erumpit, & motus præ insaniâ miros & aspectu horrendos edit. Interim nihilominùs Indus, ceu expeditissimus eques, in equo suo immotus considet, & vt dolorem ferocienti bestiæ ingeminet, aut acerbiorem reddat, palum secundum quoque in nares alteras pisci abstrudit, tamdiu repetitis ictibus incussum, vsque dum omnes trahendi aëris meatus ei præcluserit. Ita probe confectâ re, pisce relicto, in suam iterum insilit canoam, quam secum interim pertraxerat redalligatam. Eâ ergo paulò longiùs à pisce secedit, funemque, quo illum ligauit, aliquantò extensiùs remittit, sensim tamen post se nonnihil attrahens, ita piscis, quamdiu profundas aquas habet, mirè furit, suum ductorem lentè insequendo. At in humiliorem locum maris excussus, propter corporis inexpediti vastam molem illicò immobilis iacet, nec se prorsum vorsúmve mouere potest. Hoc viso, Indorum magnus numerus, prædæ spe, dicto citiùs approperans, balęnam conficit: cuius posteà dissectæ carnes viritim ex æquo partiuntur, ex quibus reficcatis deinde probam farinam, & ex hac tandem panes longo tempore durabiles pinsunt. Sic ergo, quod in alio Psalmo de balęnâ dictum est, *Dedisti eam escam populis Aethiopum*, id hoc pacto apprimè compertum videtur.


De hoc piscationis genere Adelantado Pedro Melendes nobis frequenter admodum iocundè fabulatus est. Illiusdem quoque meminit Modardes. Sed Indis alius quoque in mari piscandi ritus solemnis est, de quo etsi dicere, æquo prolixius videri queat, meo tamen iudicio non erit inconueniens, cùm de piscatione semel dici cœptum sit, si cursum institutum paulò longiùs vrgeamus. Fasciculum ex iuncis, quas balsas vocant, firmiter colligant aut connectunt. Huic in vndas iniecto ceu equo equites insident, & vtraque manu festucas agitantes, ad duo milliaria versus Oceanum altiorem se promouent: ibi retia sua, eodem fasciculo aduecta, iactant, piscanturque tum interdiu tum noctu, dum piscium numero petito capto, læti domum remigent. Piscatores huiusmodi in Collao de Limâ iucundo spectaculo aliquando spectauimus: quorum cùm plurimi simul piscarentur, mirum erat, quanto studio alter alterum anteuertere satageret. Nam in balsillis seu fasciculis suis, ceu agglutinati sedentes, etiam ingentes fluctus transmittebant, vt piscatores hi meri Neptuni & Tritones putari potuerint. Ab opere, si terram rursus attigerunt, rates

iunceas

iunceas ex vndâ extrahunt, humeriſque ad loca deſtinata proferunt, quas tandem reſolutas, in littore, vt ſiccentur, diſpergunt. Ceteri verò Indi, qui in vallibus Yca habitant, pellibus lupinis follium inſtar exſufflatis, ne mergantur, piſcationes ſuas obeunt. In valle Cannette, olim Guareo dictâ, piſcatorum ingens multitudo habitauerat. quam terram cùm pòſt Inga occupaſſet, fœdus, ſed ſimulatum & inſidioſum, credulis viris obtulit. Illius verò in honorem Indi quid moliturí, memorabilem piſcationem decreuerunt & inſtituerunt, ita vt ſimul vnà aliquot virorum millia piſcatum ſuis balſis in altum maris excurrerent. Sed à piſcatu reuerſos, militibus inductis Inga eos vniuerſos trucidari curauit; vt quæ aliàs admodum culta fuiſſet terra, poſteà ſterilis & inhabitata tota relinqueretur.

Sed & alium piſcationis modum ſpectauimus, cui nos D. Franciſcus de Toledo Pro-Rex adhibuerat. Is non in mari, ſed flumine quodam, quod *el Rio grande*, id eſt fluuium grandem vocant, fiebat. Fluuius verò iſte in prouinciâ Charcas ſitus eſt, cuius incolæ Chiriguani, aquis ſe mergentes, admirandâ velocitate piſces inſectantur. Manu dextrâ aculeos ferreos geſtabant, ſiniſtrâ ad natandum vtebantur. His armis, hac arte in venatu piſces medios trâſfigunt, & correptos in aëra efferunt: ſed hi homines è piſcium potiùs quàm hominû genere orti videntur.

CETE ADMIRABILIS FORMÆ.



CAPVT LXI.

De aquatilibus ingentibus.

ADmiremur quoque aliquid in noſtro orbe, primò illud cete, cuius Ludouicus Granatenſis ita meminit. Admirabilem cuiuſdam piſcis magnitudinem referam, qui anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, decimo Kalendas Maij, ad *Peniche* iam mortuus in littus è mari fuit proiectus (ſinus eſt in Luſitaniâ Occidentem ſpectante, vicinus illi vrbi quæ vulgò *Noua Lisbona* appellatur, circiter ſeptem aut octo milliaribus ab Olyſipone diſtante, pæne ex aduerſo eius inſulę quam *las Berlengas* vocant.) Hoc nihil admirabilius viſum fuit vmquam: erat enim eius longitudo nonaginta cubitorum. Eius corium ex dorſo nigrum erat, in ventre album: caudæ verò amplitudo ab extremitate vnius pinnæ ad alteram, quinque cubitorum erat, & eius latitudo quindecim palmorum. Corporis craſſitudo tanta erat, vt duo homines ſatis grandes in vtroque latere collocati vix ſe conſpicerent. Vterque oculus vnius cubiti erat longitudine. Caput in ſublime elatum ferebat ad quatuor cubitorum latitudinem. Os in capite non habebat, vt alij piſces, ſed in ventre. Maiores illius dentes ſinguli erant octo cubitorum. In ore præterea ſexdecim habebat dentes, & cuiuſlibet circuitus erat dimidij

dij

dij cubiti: interstitium verò inter singulos, erat vnius palmi. In huius piscis fabricâ diuinæ prouidentiæ artificium animaduertendum est, qui altum fert caput, vt pisces prospiciat, quibus nutriendus erat: sed cùm distantia inter caput & aquam magna esset, ei os in ventre accommodauit, vt vicinius & accommodatius ad piscandum esset, quod oculis iam esset assecutus. Illud quoque audiui, hunc piscem in ventre axungiam ad medendum satis accommodatam, & magni pretij habuisse. Hactenus Frater Ludouicus. Adijciam sententiam Clusij. Non, inquit, sine causâ mihi suspecta esse debet admirabilis illius belluæ marinæ apud Fratrem Ludouicum descriptio: nam cùm ea quam exhibet pictura, maiores illos dentes, quos octo cubitorũ longitudinem habuisse ait, expressos non habeat, per illos dentes mandibulas voluisse dicere, verisimile est: nec enim vllius elephantis, quantumuis maximi, cornua tantæ magnitudinis vmquam conspecta fuisse arbitror. Huc accedit, quòd alios dentes sexdecim in ore illi tribuit, vt etiam taceam caput adeò tenue in tantâ corporis mole, illudque sublime in altum. Itaque mihi facilè persuaserim, non valdè absimilem fuisse ei belluæ marinæ, quæ anno à Christi Natiuitate nonagesimo octauo supra millesimum & quingentesimum in littus occiduum Hollandiæ tempestatibus eiecta fuit. Senes Batauì maris accolæ Pot-vvalvisch appellabant: quæ cùm fuerit portentosæ etiam formæ & magnitudinis, abs re me non facturum existimaui, si illius breuem historiam adijcerem. Illo quo dixi anno, quartò vel tertio Nonas Februarij, circiter quartam aut quintam pomeridianam in littus fuit eiecta è regione Berchei vici, quondam, vt fertur, decem aut duodecim tuguriorum, inter Sceuelingam & Catvvicum maritimum, cum tantâ tempestate & maris commotione, vt qui istic aderant, se in fugam conijcerent, & sese abderent inter colles illos arenosos mari obiectos: sedatâ tempestate, decem plus minùs horis adhuc spirans fuit conspecta, & mortua istic iacuit septem aut octo dies, vt ad eam conspiciendam è vicinis vrbibus & locis ingens hominum multitudo conflueret, partim pedestri itinere, partim equis, rhedis aut curru vecta. Eius porrò longitudo quinquaginta duorum aut trium pedum fuit, crassitudinis ambitum nonnulli dicant triginta pedum & vnius fuisse, alij verò longè maiorem faciant: exacta tamen mensura sumi non potuit, quia volutatione & agitatione, antequam interiret, corporis pars quædam sabulo erat immersa. Superior rostri pars ab extimo ad oculos vsque quindecim pedum reperta est: ipsum in eâ parte palatum quadraginta duobus foraminibus siue alueolis præditum erat, hoc est, in vtroque latere viginti & vno, ad excipiendos totidem mandibulæ inferiori inhærentes, qui magnitudinem pollicis alicuius viri prægrandis & robusti habebant. In capite versus dorsum erat etiam foramen circiter tres pedes amplum, per quod aquam in altum eijciebat. Inferior mandibula, in quâ illi dentium bini ordines, septem pedum longitudinem non excedebat, & fragmento crassi & ingentis mali nauis conferri poterat. Linguæ extima pars tam magna & crassa erat ac dolium ceruisiarium. Oculorum magnitudo pro tam vasto corpore nõ erat maior, quàm spatium quod pollex & digitus index extenti comprehendere poterant. Distabant oculi quatuor pedibus à pinnis, pinnæ verò quatuor pedes & totidem pollices erant longæ, ac pedem ferè densæ. Vmbilicus à mandibulis sexdecim pedum spatio distabat, ab vmbilico ad pedem interstitium erat trium pedum. Penis verò iam mortuæ sex pedum longitudinem habebat: à pene autem ad podicem trium pedum cum semisse erat distantia, & à podice ad caudam tredecim cum semisse; ipsa verò cauda valdè crassa, tredecim pedes alta siue lata erat. Post paucos deinde dies fuit illa bestia vendita quibusdam mercatoribus, eâ tamen conditione, vt maiora eius ossa Hagam Comitis vehi curarent, & istic in Curiâ conseruarentur propter memoriam. Reperisse autem mercatores dicebantur in beluæ capite plusquam quartam partem dolij, in quo seruabantur saliti haleces, plenam eius liquoris, quem vulgò sperma ceti, Hollandi VVaschot appellant: è totâ autem corporis mole in partes sectâ, & deinde vstulatâ, circiter quadraginta dolia, prædicto similia, plena pinguedine excepisse, præter magnam quantitatem sponte fluentem ab alijs collectam, & eam quę in vndas marinas effluxerat antequam mercatores redimerent. Dorsi corium nigrum erat, quemadmodum delphinorum aut thynnorum: venter albescebat. Anno porrò millesimo sexcentesimo primo sub extremum Decembrem, decimotertio Kalendas Ianuarij anni insequentis, eiecta fuit alia similis portentosa bellua in littus Batauicũ Beuervvicanum, versus Meridionalem plagam, cuius longitudò prædicti longitudinem excedebat: nam longitudo sexaginta pedum erat, altitudo pedum quatuordecim: corporis ambitus triginta sex pedum mensuram æquabat: cauda pedes quatuordecim erat lata, oris rictus duodecim pedes amplus erat: dentes etiam in inferiori mandibulâ dumtaxat habebat, duplici ordine similiter dispositos, in superiore

riore totidem alueolos, qui dentes cùm rictum clauderet bellua, exciperent. Masculini sexus etiam erat, & eodem colore prædita quo superior, vt mihi relatum. An verò quęstum fecerint ex illâ, vt ex priore, me latet. Ceterùm memini, cùm in Cæsaris aulâ viuerem, similes etiam belluas apud Saftingam non procul Antuerpiâ in littus tempestate fuisse eiectas, & vnius ex illis typum in ære incisum ab amico fuisse ad me missum, quem porrò ad illustrissimum virum Ioannem Pinellum, qui huiusmodi rebus delectabatur, ob illamque mihi cum illo fida & arcta erat amicitia, Patauium ferendum curabam. Corporis autem mensuram obliuioni tradidi. Hæc Clusius. Appendo quod Aloysius Cadamustus narrat. Die septimâ dum redirem secus littus nauigās, vidi Caput album, quo posterâ die superato, circiter meridiem in mari apparuit bellua immanissima, habens effigiem piscis, quæ in nos gradu citatissimo contendebat. Hæc à nobis in prorâ existentibus conspecta est illicò: quam vt vidimus, cœpimus trepidare, quippe qui vastiorem numquam videramus. Ibat igitur bellua huiusmodi tanto impetu ac fragore, celsoque capite, vt nos perterrefaceret plurimùm: quare in re subitâ præsentaneum cepimus consilium. Decreuimus præterea nobis fugâ consulere. Datis itaque vento velis, quam celeriùs potuimus, in altum petentes, euasimus discrimen Deo fauente. Præuentus est ergo piscis spatio vnius milliarij, nec propiùs accessit. Tunc est à nobis conspectus ad regulam, quâ diligentiùs formam belluæ considerauimus. Cùm enim caput supra aquam efferebat, videbatur alas quasdam habere instar alarum molendini, quod vento circumagitur, vbi non adest aquarum copia. Ob id nostrâ sententiâ visa est bellua non minor Liburnicis, id est, galleis nostris: quamobrem Hispani omnes, qui assueuere magnis nauigationibus, fatebantur ingenuè numquam vidisse vastiorem atrocioremve bestiam, quam tantopere formidauissent, licet innumeras vidissent balænas. Confessione igitur eorum, hæc bellua balænam superat magnitudine.

CAPVT LXII.

De pisce mulari.

SVb Philippo II. visa in Oceano bellua duabus velificans alis, nauis specie. Fregit vnam bombardæ ictus. Irrupit per fretum Herculeum bellua furens, & horribilibus frendens mugitibus, atque illapsa per mediterraneas Hispaniæ oras, Valentiam appulit; vbi demum exanimata, centum & quinquaginta dodrantes prolixa; molis circuitus centum, vacuitas cerebri septem homines capiebat. Eques in os consistere posset. Maxillæ seruantur in Escuriali vsque ad decem & septem pedes porrectæ, viginti armatæ dentibus duorum dodrantium, minimi vnius. Genitalia immodica. Appellatum idcircò monstrum *piscis mularis*. Aliqui eruditi lamiam fuisse putarunt, ob fauces & ingluuiem. Duo cadauera in stomacho reperta. Creditum quoque aliquibus, huius generis belluam deuorasse Ionam Prophetam. Quis certò sciet?

CAPVT LXIII.

De cancris maximis.

IN Orientalibus plagis tanta vis & moles cancrorum est, vt formidentur ab hominibus. De illis Licostanus scribit: Quo vero tempore in condendâ naui occupabantur, in periculis funestissimis continuè versabantur, propter infestantes & insultantes vndique cancros marinos, qui tam grandes & sæui ex Oceano in vadum illud agminatim ad operarios prorumpebant, vt congestis & firmatis vallis se condere, & positis excubijs sedulis dormientes tueri cogerentur; & corporis vastitate & roboris firmitate adeò formidabiles fuerant, vt quemcumque chelis suis corripuissent, hunc & in continenti illicò obtruncarent, & obtruncatum vorarent. Hæc commemoratio vt rei haud pridem factæ, sic veritas eius extra omne dubium à quouis acceptanda est. nam & in istâ naui, quâ ex Indiâ in Lusitaniam egomet nauigabam, bini nautæ simul vnà mecum vehebantur, qui priùs submersæ nauis S. Pedro periculo ipsimet interfuerant, & huius rei veritatem iuratò attestabantur.

CAPVT LXIV.

De conchylijs.

IN calce historiæ marinæ naturæ appendam quæ Petrus Martyr de vnionibus & conchylijs refert, captas margaritas auellanis æquales. Adijcit vltrà. Vna reperta est mediocrem æquans nucem. Venum sub hastâ posita, fuit empta pretio mille ac ducentorum Castellanorum auri inter Darienses ipsos. Ad manus tandē Petri Ariæ Gubernatoris aduênit. Hanc eius vxor, de quâ, discedente

dente cum marito, mentionem aliquando fecimus honoratam, apud se habet. Arguimus pretiosam necessariò esse debere, quæ tanti constitit in eà margaritarum multitudine, vbi non iam singulæ coëmuntur, sed libratim, & quando tenuiùs, vnciatim. Neque Venetus ille mercator Paulinam magno emit in Oriente: incidit demum in tempora huiusmodi lasciua, propterea non defuit helluo margariteus. De conchylibus pauca nunc dicamus. Non præterit Beatitudinem tuam, Aristotelem Pliniumque Aristotelis in hac ratiocinatione sectatorem, varia sensisse de margaritarum generatione. Igitur hi pedem & vnâ in re tantùm sistunt, nihil assentientes in reliquis, neque quòd pelago vagentur, neque vllo vmquam tempore moueantur, ex quo natæ sunt, fateri volunt. Esse in maris fundo prata, gramen thymosum gignentia, volunt, & ea se vidisse affirmant; generari, ali, coalescereque ibi, &, vt in ostreis videmus, circum se multiplices natos nepotesque procreare, inquiunt: neque marinorum canum commercio delectari conchylia, neque vno esse, aut tribus, & quando numerosiùs, quatuor vnionibus contenta prædicant, centum viginti vniones fuisse vno conchyli repertos in insularis Reguli prædijs, quos Gaspar ipse Morales Dux, & commilitones eius diligenter annumerauerunt: Regulo namque placuit nostris præsentibus piscationem fieri per vrinatores suos. Gallinæ loculis, quibus oua generantur innumera, conchylis matricem comparant; & sic eniti conchyla. E labijs prodeuntes margaritas, vt maturas & iam genitricis oscitantis aluo egredientes, reperiebant has; alias subsequentes, vt paruo successuro interuallo soluerentur, & ipsi in ventre medio clausas esse margaritas animaduertebant, quo priùs nutritæ coalescerent, velut sugens vbera matris in aluo infans, priusquam è latebris vteri vnio moueatur. Etsi quæ interdum conchylia, vti ego ipse vidi, ostrea in diuersis maris Oceani littoribus arenà inuoluta in littore quis viderit, ea raptatà esse tempestatibus è fundo dicet, non ipsa vltrò venisse, quòd rore nitido matutino candescant, quòd turbido flauescant, quòd sereno cælo gaudeant, quòd tonante torpescant, & cetera huiusmodi, non sunt ab his litterarum ignaris ad vnguem quæritanda. Pingui res tractanda Mineruâ, maiores tamen margaritas iacere profundiùs, mediocres altiùs, minimas in supercilio, fatentur, sed à ratione reliquorum deuiant. Non esse in insectà belluâ torpenti rationem hanc arguunt, in animo sic, & industriâ halituque vrinatorum grandiores propterea non vagari, sed creari, nutririque in profundiori loco, quòd pauci, quodque raro audeant vrinatores ad eas legendas ad ima sese immergere, tum polyporum metu inter conchas venatus causâ vagantium, quia sunt carnium concharum auidi, & monstrorum formidine aliorum; tum etiam ne deficiant in longo tractu halitus. vnde datur conchis profundi maris hospitibus crescendi copia: quoque grandior concha est annosiorque, eò ferunt in eius capaciori vuluâ maiores generari margaritas. propterea è grādioribus paucas adipiscuntur. Emissas in profundum maturas, putant escas fieri piscium: recenter namque solutę, molles esse creduntur. Differunt etiam hi à maioribus in tympano. Negant esse vnionem, qui senescens conchæ cohæreat; sed esse in conchâ ipsâ verrucam, quæ limâ rasa, vnâ facie rotundâ lucidaque contenta sit, nec pretiosam quidem, puta quæ naturam conchylis habeat, non margaritæ. Pati appellat Hispanus tympanum. In scopulis se aliquas vidisse conchas fatentur cohærentes, sed raras ac minimè vtiles. Credendum est, Indicas, Arabicasque ac Erythræas, aut Taprobanicas conchas eo regi ordine, quo scripsere viri adeò celebres, neque horum sententia penitus abijcienda est; puta qui longo iam tempore in hac agitatione versati sunt. Adijcio, Regibus Barbaris conchylia vnionum cibum fuisse laudatissimum.

CAPVT LXV.

De piscatione conchyliorum.

ORientales diuitiæ notissimæ sunt. De vnionum piscatione commemorabo, quæ noster Petrus Iarricus prodit, cùm de orâ piscariâ loquitur. Mense Martio vel Aprili oræ huius incolæ, quos Parauas dicunt (hodie pænè omnes Christiani sunt) aliquot suorum vrinari in maris fundo cogunt, detecturos quo in loco maior sit conchyliorum vniones continentium copia; sunt enim hoc quàm illo loco plures: proinde quotannis piscandi locum mutant, prout conchylia reperiunt. Ad locum igitur designatum scaphas conducunt, & simul vrinatores qui conchylia fundo educant. Haud procul inde in littore plurimas longâ serie casas extruunt, in quas se quisque noctu & interdiu recipiat. Omnem huc secum familiam trahunt: vxores enim naues armant, tum vt piscatores aduersus Barbarorum, piscatum omnem rapere satagentium, impetus tueantur, tum vt Lusitaniæ Regis vectigal gemmarum exigant. Rebus com-

compositis, piscatores cymbis (quæ plerumque octingenta & amplius) funem alligant, quem in aquas fundo tenus demittunt; neque enim vltra octo vlnas hîc maris est profunditas. Qui vrinaturi sunt, nares obturant, & oleo, sumine, aliaque pinguedine, vti & aures, inungunt, canistrum de collo brachióve gestant, pedi verò saxum alligant: deinde sensim per funes cymbis annexos in aquas descendunt. Ad fundum vbi peruentum, saxum è pede demunt, & quantò possunt ocyùs conchylia legunt, scopulis (quibus sinus hic scatet) partim ad latus, partim in profundo adhærentia. Tum fune signum dant, vt ab ijs, qui in cymbâ sunt, extrahantur: quibus egressis ingrediuntur alij, donec vel cymba referta, vel nox piscatum impediat: tunc enim suam casam quisque subit, & iuxta hanc conchylia coacervant. Quindecim dierum hic piscatus est, qui in littore à Lusitanis incolisque asseruatur. Sole verò tacta conchylia aperiuntur, ac tum quid ceperint apparet: in nonnullis enim nihil omnino continetur, in alijs margaritæ aut minores aut maiores. Etsi verò gemma ostrei sit carne indita, quòd tamen eadem aquâ educta putrescat aut arescat, suus gemmam prodit fulgor, carne consumptâ educitur, quæ pro magnitudine, rotunditate & splendore, item pro ementium, huc tum potissimùm confluere solitorum copiâ, pluris minorísve diuenditur. Vndequaque enim huc mercatores conueniunt plurimi, vt interdum ad sexaginta millia pertingant. Vnde hoc littus quinquaginta leucarum longitudinem continet, & oppidula tricena. Sterile aliàs solum est, & nisi gemmarum per piscatum staret, nullus omnino hîc commorari velit.

CAPVT LXVI.


De ostreis magnis.

OStrea in mari Indico ita ampliantur, vt vnius caro viginti quinque pondo sit aliquando. auctor est Pigafeta. Extendit ad libras quadraginta septem in Regno Burneo Maximilianus Transsiluanus.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII
EX SOCIETATE IESV
HISTORIÆ NATVRÆ
LIBER DVODECIMVS.

DOMINA SERPENTVM, siue TEVHTLACOCAVHQVI.



CAPVT PRIMVM.
De dominâ serpentum.



NON sine naturæ vsu reptilia sunt: nec minùs maiestatẽ Creatoris humilitate suâ exaggerant, non minùs bonitatem peste suâ. Scit pessimis Deus iuuare, scit veneno mederi: liberalem medicina opem è noxijs istis vsurpat. Exordium occupet atrox genus serpentum, Teuhtlacocauhqui, seu dominam serpentum Barbari vocant, viperam Hispani, siue ob similitudinem capitis, siue pestis. Anguis hic quaternos pedes aut amplius longus, & humanum, vbi mediocriter crassus est, latus: dorso eminenti, viperino capite, ventre ex albo pallescente, lateribus opertis, candentibus squamis, fascijs tamen pullis per interualla intermixtis: dorsum fuscum est, luteis tamen lineis sese in ipsâ spinâ secantibus insigne. Multæ sunt eius serpentis differẽtiæ, non plurimùm inter se distantes,

tes, & ictu mortem inferentes, nisi celerrime præsidijs occurratur. In spiras, irritatus aut contrectatus, ac inæqualiter caput contorquet, sed ita sibi vndiq; cauet, vt nullâ non parte se vindicet ab iniuriâ. Excogitatum est icta humare membra, terraq; obruere, & ita manere donec omnino cesset dolor, aut morbus sit curatus: prospero magnâ ex parte euentu. Per saxa fertur celeri cursu, at per terrestria planaque (quod mirum videtur) non adeò: ob quod Mexicanorum quidam à vento nomen indidere, vocantes hoacoatl. Quot annos natus est, tot accedunt caudæ perstrepētia sonalia, posteriore in parte caudæ vertebrarum instar connexæ. Oculi sunt nigri, mediocris magnitudinis. Binos habet supernâ maxillâ caninos incuruos, quibus iaculatur venenum: vtroque autem latere oris quinque parui dentes supernæ maxillæ insunt, sed qui facilè cōspici à quolibet aperto ore queant. Et sinuosè graditur. Ictus toto corpore hiantibus rimis fatiscit, & viginti quatuor horis transactis à morsu animam dicitur agere. Apprehensos caudâ Indi, qui eos venantur, tuto tenent appendentes: tamen torquentes collum, perstrepentes sonalibus, corpus illuc hucque iactantes, ac nihil non molientes, vt pœnas de venatore sumant. Narrant multi, qui eum serpentem domi alere solent atque educare, annum integrum durare absque cibo vllo potuque: abscissumque caput decem aut amplius dies ferunt apud Panucenses in femoris crassitudinem & longitudinem incredibiliter adolescere. Norunt cicurari posse permulti, qui eos domi alentes habent in delicijs. Venenum iaculatur caninorum tubulis; caui enim sunt. Nec desunt, qui affirment, viuum parere, etsi falsò, quemadmodum ex aliorum narratione constat. Cùm læsus irascitur, sonalibus concussis vehementer perstrepit, erigitque collum non sine adstantium timore: nec tamen mordet, nisi compressus aut incitatus. Caninis in vsus medicos seruatis, pungunt Mexicani Medici collum ceruicemque, doloris capitis placandi gratiâ, pinguedineque animalis omnium ferè nocentissimi lumbos perungunt, sedando illorum dolori, aliasque corporis partes dolore infestatas, ac discutiunt præter naturam tumores. Edunt Indi eorum carnes, ac verissimum esse statuunt, cortalium carnibus esse præstantiores, ac gustu gratiores. Linteo conuoluta quantum velis tenui raroque, ita tepescit illa feritas, vt vel à puero deferri quolibet citra formidinem aut noxam vllam possit. Aiunt caput huius serpentis alligatum collo, instar viperini, gutturi morbido ferre suppetias; febrientibusque medentur. puncturæ serpentium omnium, quibus natura appendet sonalia, humano stercore duarum vnciarum pondere ex aquâ congruenti propinato, aut commanso picietl & admoto vulneri, item corniculis cuiusdam arboris vulgaris nouo orbi tusis atque applicatis. Est etiam huic malo conuenientissima chipahoac. Prouenit in calidis locis Nouæ Hispaniæ vbique ferè.

Est & alius serpens, teutlacotzauhqui quoque nuncupatus, quinque dodrantes interdum longitudinem superans, & humerum crassitudine, nec dissimilis alteri eiusdem nominis tum formâ, tum veneni atrocitate, præterea etiam & sonalibus, in quæ finitur cauda: sed huius color pullus est, vergens in luteum, pallidis maculis (quod alteri quoque contigit) obliquè sese intersecantibus. Aiunt eam esse veneni huius vim, vt non ictu tantùm, verùm contactu quoque officiat, vnde sortitum nomen.

CAPVT II.

De hæmorrhoo Indico.

HAbet nouus orbis suum hæmorrhoum, ahucyactli dictum, similem teutlacotzuahqui, nisi quòd sonalibus careat, maiorem hæmorrhoo antiqui mundi, sed eiusdem veneni. Per omnes corporis meatus & cicatrices perfundunt sanguinem morsi. Est alius, qui etiam per iuncturas prodigè cruorem faciat. De Kokob posteà dicemus.

CAPVT III.

De aliquibus viperis Chiappæ.

GEnus viperarum Chiappa nutrit magnum, simile putrido ligno, pestilentem spiritum quatuor narium fenestris fundens. Quædam morsu equum intra diem occidunt, fuso per omnes iuncturas sanguine. Sunt aliæ variegatæ, aliæ nigræ & prolixæ. Quemcumque momorderint, perimunt: crescente Lunâ mitescunt, decrescente irritantur. Aliæ sunt pallidæ, nigris distinctæ lineis, interstinctæ maculis albis: morso ab ijs decidit per frusta caro. Alijs tanta pestis superest, vt si fuste contingantur, subeat virus vsque ad brachium. Aliæ huius sunt conditionis, vt si mordeant manè, morsus euomens sanguinem pereat; si sub vesperum tamen, non sunt lethales. Visus ibi serpens, in cuius vtero inuenti triginta & vnus fætus.

CAPVT IV.

De serpente armato.


IN litteris Patris Iosephi Adei anno 1628. narratur, non procul à Tunâ Pumâ in quodam nemore, esse locum capacem, in quo aliquot abhinc annis coluber fuerit maior bouinâ grossitie. Longitudinis proportio respondebat moli. Eius annona testudines & cerui sopiti. Quà transit, adurit, velut publicam viam vestigium sui reliquit, vltra vlnam exsiccatâ herbulâ. Procul odorantur serpentem mulæ, nullisque stimulis instigatæ procedent. Idem contigit canibus, fugam retrorsum captantibus, cùm primum excrementa anguis nare bibant. Sunt hæc tumuli ossium eorum animalium, quæ vorarunt, nec fœtent, potiùs suauem moschi instar efflant spiritum. Quidam miles inuasit illum tormentis, sed irritis ictibus, tamquam si in rupē impingeret pilula plūbea. Armatus est conchis seu laminis, quæ manū exæquant.

CAPVT V.

De caymane seu crocodilo.

IMportunus Nilo, & celebris antiquis fabula crocodilus. Cocatrix vocatur ab Haithono, Indi aquetzoallin, alij caymanem vocant. Addam hîc dumtaxat minùs vulgaria. Immanem hanc bestiam vsque ad septem passus esse prolixam, imò reliqui crocodili vsque ad triginta pedes laminis proteguntur innatis, vt pilæ plumbeæ resistant. Dentium ordo triplex illis, singuli trigintaquatuor cōstant, præter molares. A pueris Indorum trahi ludibrio ad littora per collum alligatam, impotentem caput noxiè contorquere. Tam facillimè domatur, si transuerso occursu per latus inuadatur. Famelicus vescitur saxis. Lapides in ventriculo reperiuntur pęnè digesti & corrosi, qui in puluisculum redacti, & sumpti, conferūt lithiasi. Inuenta est in ventre bestiæ femina integra cū vestibus, quam pridie vorauerat. Vincunt in siccis taurum, vincuntur tamen in aquis ab homine. Indi enim vrinantes ligant has bestias pedibus manibusque, hoc pacto extrahunt. Credo in aquis vinci quòd careant linguâ, & ideò submersi non commodè aperiant os patulum, ne influente humore suffocentur. Inflantur enim statim, & supini torpent, tandem exanimantur. idcircò extra aquam vescuntur, aut emerso capite. Prædā non in eadem ripâ quâ ceperunt, deuorant: penetrant in alteram, vt securiùs fruantur raptu. Oua pariunt vsque ad viginti octo. Primo die Lunæ contegunt arenâ, vltimo effodiūt editâ iam prole. Non minima pars perit inertiâ parentū, compressa dum exhumant. Barbari teneris illis vescūtur, & maiores pisces partim variâ fluuiorum alluuie dissipantur, sic prouisum, ne in immensum iret fecundū malum. Oua sunt anserinis magnitudine paria: si saxis allidantur, contunduntur quidem, nec tamen franguntur; cultello recludi est opus. Sapor qualis moschi semiputridi; nihilominùs edūtur: vitello carent. Iuxta crocodilorum fauces inueniuntur glandulæ fabarum magnitudine, moschum suauissimè spirantes, quæ febres sedant, & extinguūt; hîc odorem sui emittunt, moscho vel castoreo redolentiorē. Nili habitatores de crocodilo feminâ idem narrant. Anonymus Auctor de Hispaniolæ rebus addit, adipem genitalium verum moschum referre, tam efficacissimi odoris, vt fastidium ciborum efficiat: se seruasse particulam iam post decimum sextum annum, recentissimâ fragrantiâ. Ventriculus bestiæ ablutus, & Sole exsiccatus, deinde contusus, & sumptus, confringit renum & vesicæ lapides, promptissimè vrinā euocat. Sed & illud de Niloticis commemorandum est, aues illas, quæ dentes eorum mundant, albas esse, & pares turdo, in capite aculeatam spinam eminere, vt si bestia vellet concludere os, & vorare illas, cogatur vulnerato palato recludere vt elabantur. Non gratia tantùm feræ est securitas auicularum: alius passer viscera crocodili subit, & corrodit iecur. Virginea insula pluribus infestabatur bestijs; sic illos venabantur. Casulam rimis & foraminibus plenam apud flumen faciunt, in quâ vigil, qui crocodilos procul conspicere & exaudire potest; nam fame pressi è fluminibus & insulis erepunt prædæ causâ: quâ non inuentâ, tam horrendum clamorem edunt, vt per dimidij milliaris spatium exaudiri queat. Tum vigil excubitores conuocat ad id paratos: illi deni aut duodeni longam arborem corripientes, huic vasto animali obuiàm procedunt (hiante rictu, si quempiam illorum apprehendere posset adrepenti) atque summâ agilitate tenuiorem arboris partem, quàm altissimè possunt, in rictum eius adigunt, vt inde ob inæqualitatem & corticis scabritiem eximi nequeat. Crocodilum igitur in dorsum obuertentes, eius ventrem, qui mollior est, clauis & iaculis feriunt & aperiunt; dorso enim, ob duras quibus tectum est squamas, impenetrabilis est, præsertim si vetulus. Hæc est apud Indos ratio venandi crocodilos, à quibus adeò molestantur, vt noctu & interdiu non minùs excubias agere cogantur, quàm nos aduersus infestissimos hostes.

I G V A N A.



CAPVT VI.

De iguanis.

Aquaticos colotes, quos Mexicani dicunt aquaquetzpallin, Haitini vocant iguanas, alij iuanas, quæ multis distát formæ & naturæ indicijs à coloto, licet quodam modo referant. Caput & collum arietum gerunt: quinque dodrantum æquant longitudinem, si caudam pariter metiare, quæ reliquo corpore triplo prolixior est, humanoque humero inter vtraque crura crassior. Digiti tenues sunt, & pro magnitudine corporis longissimi; brachia cruraque crassitudinem recèns nati æmulátur pueri, ne dicam æquant. Venter candescit ex viridi, & reliquum corpus squamiferum est, colorisque medij inter argenteum & virentem. Vngues sunt mediocres, cauda prolixa, & in extremum vsque à posterioribus pedibus sensim gracilescens. Dorso imminent quædam pinnæ angustæ, & vnciam vnam longæ, spissæ & protractæ ad extremum vsque caudæ, licet sensim fiant breuiores. Caput superne deforme & horrendum est, prędurum, ac velut clauatum, sicut superior colli pars. Oculi nigri, & mandibula inferior cærulea, è quâ pédet membrana lata digitos quaternos, orbicularis, tenuis, squamosa & palearibus similis, nonnulloque circa exortum clauata interuallo, pinnatáve, à viridi in flauum colorem vergens. Eadem mandibula cæruleis tegitur laminis, rotundis magnisque, ac præcipuè alterutro latere vnica, quæ nostratem assem dimidiúmve argenteum, vocatum denarium, æquat amplitudine; coloreque & nitore piscium æmulatur squamas. Aliâ præterea paulò minore iuxta aurium sedem, & quæ rutilescat vehementiùs. Oris rictus magnus est, ac dentes pauci. Innocuum animal, & aquarum incola. Oua parit innumera, grata gustui, optimique nutrimenti, velut & ipsa eius est caro (ita enim vocare libet, quoniam carni potiùs quàm piscoso generi similis est) quæ pullis nostratium cortalium minimè cedit, seu gustum spectes, seu alimoniam. Vix est, qui cùm primùm incidat in hoc animal, timorem animo non concipiat, etsi alioqui mite innocuumque; aut qui semel degustatum summâ non prosequatur auiditate.

Sunt etiam in hoc genere terrestria, quetzpallin vocata, nonnihil tamen distantia colore, & meliore atque iucundiore alimento, sed reliquâ naturâ pænè eadem: in quibus omnibus illud videtur mirabile, per terram raptato eorum abdomine vel ventre, pinguescere, ac fieri longè sapidiores. Calidis verò regionibus degunt, vnde ad Mexicanam vrbem Quadragesimali præcipuè tempore deferuntur.

Ceterùm sententia Ouiedi prætermittenda non est. Iuana, inquit, animal dubium est; & caróne sit, an piscis, incertum: nam & in fluminibus versatur, & arbores scandit. Eam ob causam dubius sum, terrestriáne inter animalia, an inter aquatica reponere debeã. Serpentis autem genus est horribile aspectu ei qui non agnoscat: pedes lacerti habet: caput etiam eiusdem formæ, maius tamẽ: caudam quatuor aut quinque palmos longam, vel longiorem aut breuiorem, pro corporis ratione: maioris corpus binos palmos cum semisse longum est, palmum aut paullò ampliùs crassum. Pauca ex hoc animantium genere eam magnitudinem superant; eorum autem, quæ infra eam magnitudinẽ, magna est varietas, sic vt paruis lacertis pares repeeriantur. Secundùm dorsi longitudinem spinam habent dentatam, & aculeis præditam, dentes acutissimos, & guttur satis longum & amplum, à mento ad guttur vsque propendens. Adeò taciturnum est hoc animal, vt neque strideat, neque gemat, imò quocumque etiam loco alligatum, nullum strepitum edat, aut cuipiam noceat, sed istic decem vel etiam viginti dies sine cibo & potu hæreat: si tamen præbeatur, aliquantulum edet vel ex cazabi (placentæ id genus est ex yucæ radice factum) aut herbâ, aliáve re quadam. Anteriores pedes longi sunt, longis etiam


vnguibus præditi, quales auium vngues, sed infirmis, vt nihil apprehendere possit. Melioris est saporis, quàm blandi aspectus: eius enim facies adeò est horrifica, vt nemo, nisi generoso animo præditus, expectare audeat; nemo contrà ab eius manducatione abstineat, nisi qui eius mansuetudinem & bonum saporem ignorat. Hæc autẽ animalia adhuc pusilla, tam celeri pedum motu per summã aquam, fluuios & riuos traijciunt, vt nec aqua impedire illorum natationem, nec ipsa mergi possint. Eam autem natandi rationem obseruare solent, donec palmum sint longa: nam eam magnitudinem excedentia, per terram infra àquam gradiuntur, quia propter grauitatem natare non norunt. Generant in terrâ secundùm flumina & torrentes, & quasi assiduè in aquâ versantur. Est igitur hoc animal, vt dixi, horribile, & terrorem initio incutiens, sed boni saporis, præferendũ optimis etiam cuniculis Hispanis; sic vt Christiani, qui hoc animal semel gustarunt, valdè æstimare cœperint, nec pecunijs parcant, quandocumque redimere possunt. Vnam tamen noxam afferunt, de quâ multorum querimonias audiui, illis videlicet, qui aliquando lue Venereâ laborarint, si huius animalis carne vescantur, veteres dolores recrudescere, tametsi iam aliquãdo sanati fuerint. In Americæ continente viuens, sæpiùs ex hoc animali manducaui, & non contemnendum cibum esse comperi. Eos autem, quos meam historiam his locis legere continget, edoctos volo (si Indi desint, quos consulere possint) vt iuanæ oua frigere volentes, oleum aut butyrum non adijciant, quia numquam percoquere possent, sed eorum loco aquæ momẽtum addant: certum enim id esse, expertus sum. Vnum porrò animal iuana pariet quadraginta, aut quinquaginta, vel etiam plura oua, quæ boni sunt saporis, vitellumque & albumen continent perinde ac gallinacea oua, tenuiore autem testâ sunt prædita, & rotunda, nucisq; magnitudinem non superant. Gomara addit, caudam inflectere atque conuoluere instar venatici canis leporarij: tum pinguescere, si aluus in arenâ fricetur. Anonymus ait, cùm capiunt, deducto ritu ostentare dentes, sed innocenter.

CAPVT VII.

De serpente aquatili siue acoatl.

NOn est sine æmulatione partus vipera. Acoatl dicitur serpens aquatilis (alij mioacoatl vocant, quòd imitetur colore spicam maizij) qui etiam viuum parere fertur. Dentibus paruis est, & innocenti morsu: longus quinque dodrantes, pollicem crassus; tænijs nigris & cyaneis alternis distinctus supernè, infernè verò cyaneus est: capitis superna nigra, inferna lutea; latera cyanea. In paludibus regionum temperatarum inuenitur.

MATER FORMICARVM, siue TZICATLINAN.



CAPVT VIII.

De matre formicarum, siue tzicatlinan.

TZicatlinan seu formicarum mater dicitur serpens, qui in formicarũ cuniculis viuit, & eas sequitur cùm foras prodeunt statis anni temporibus. Pulcherrimus est omnium serpentium, nec cuiquam noxius. Minimi digiti crassitudinem æquat, ac duorum dodrantium longitudinem. Fascijs distinguitur candidis rubrisque trãsuersis & alternis: non viuit nisi cum formicis, aut alibi quàm regio-

regionibus calentibus. Quod verò ſpectat ad medicinam, tuſus appoſituſque, dicitur tumores præter naturam diſcutere.

Aliam quoq; deſcribit matrē formicarum Franciſcus Hernandus, quauhtzicatlinā appellatam. Id nominis, ait, ſortitus eſt hic anguis, quoniam cum formicis habitare ſolet, eodemque antro degere. Dodrantalis atque innocens eſt, & minimum craſſus digitum, maculiſque diſtinctus cinereis. Vētre cyaneo diluto ac velut tranſuerſis lineis nigrantibus cinereiſque vel ſubalbidis ſpectabili. Eſt & alius eodē nomine ſerpens, ſed colore igneo, de quo alibi. Antonius Herrera de matre formicarum ſcribit, rubrā eſſe, lineis diſtinctam nigris, maculis interſtinctam albis. Hanc pro luſu circumuoluunt Indi collo.

CAPVT IX.

De angue ceruino, ſiue macacoatl.

ILluſtris ſenio macacoatl, ſeu anguis ceruinus, ſerpens eſt femoris & interdū humani corporis craſſitudine, longitudine verò vicenûm quandoque pedum, maculis conſperſus fuſcis vergentibus in nigrum, fuluiſque; ceruino capite, vnde nomen, niſi fortè id contigit ob cornua, quæ iam ſeneſcenti feruntur naſci, accommodatiſſima excitandæ Veneri. Prouenit regionibus calidis, vbi quò calidiora ſunt, eò in maiorem creſcit amplitudinem.

Alius quoq; eſt anguis, ceruino capite conſtans, ceruinamque manſuetudinem cicuratus præfert, ſed minor eſt, maculis licet ſubluteis & nigricantibus diſtinguatur.

CAPVT X.

De amphisbænis.

IN naturâ amphiſbænæ, quòd biceps non ſit, videtur conſentire Greuinus & Franciſcus Hernandus. Vtriuſque narrationem exhibebo. Greuinus ait: Serpens, quem Græci & Latini ad ipſorū imitationem amphiſbænam vocarunt, à Gallis *doublemarcheur*, vocabulo ex duobus compoſito, vt Græcum quoque nomen, & quemadmodum de cherſydro diximus, appellari poteſt: ſic autem dicta eſt, quòd nunc in hanc nunc in illā partem, hoc eſt & poſteriorē & anteriorem repat, magnitudine vermem terreſtrē æquat, nec è craſsâ in tenuem abit, aliarum inſtar, ſed quemadmodū vermes, æquali eſt craſſitie. Hinc factū eſt, vt qui, quo in loco caput eſſet, exactè diſtinguere non poterant, & ex vtraque progredi parte, ad modum nauigiorum vtrimque proram habentiū, eam viderant, bicipitem eſſe exiſtimauerint. Vnde etiā biceps, vt Lucanus aſſerit, dicta fuit: quod tamen à veritate alienum eſt; quamuis Galenus ipſe idem in libro ſuo de Theriacâ ſcripſerit. Nam quemadmodum Ariſtoteles de Generatione animaliū refert, cauſa, obquam ſerpens aliquando biceps viſus eſt, alia non eſt, quàm quòd quandoq; natura monſtroſè agit, præcipuè in animalibus quę vno partu plures fætus edunt, & cùm duo aut tria germina ſe contingunt inuicem, corpus cum multis capitibus vel cruribus vel alis procreabunt. Ex hac Ariſtotelis ſentētiâ ſequitur, eum nequaquā duo capita ſerpentibus, niſi quatenus monſtroſè, hoc eſt, præter naturę inſtitutum & communem conſuetudinem hoc accidet, attribuere. Greuino inclinare videtur Franciſcus Hernandus. Maquizcoatl, inquit, quem alij tetzauhcoatl vocare cōſueuerunt, ſeu anguem abuſus, quòd rarò aut per miraculū videatur ab aliquo, ſeſquidodrantem longus eſt, ac minimi digiti æquans craſſitudinē, coloris argentei, nitidi, ac veluti tranſlucidi; in vtramq; partem, vt libet, graditur, etſi capite vnico inſignitus. Amphisbęnæ antiquorum fortaſſis ſpecies. Eſt & alius anguis, eodē nuncupatus nomine, non modò ancipiti inceſſu, ſed capitibus quoque binis, quem adhuc mihi non licuit videre, niſi fortaſſis is de quo diximus eſt, quem conſpeximus Itztolucæ. Nihilominùs aliquas amphisbęnas eſſe bicipites credo: nā & hîc Matriti à diligentiſſimo naturæ ſtudioſo Cortauillâ accepi, inuentā à ſe eſſe amphisbænam duplicato omnino capite, à ſe diligentiſſimè obſeruatam. Scribit quoque Antonius Herrera, in Chiappâ inueniri ſerpentes bicipites duorum dodrantium, formam Tau referentes. Fundunt peſtiferū virus. Nec ſolùm morſus perit, ſed qui calcauerit terram quâ proximè irrepſerat. De quibuſdā amphisbænis fertur vno ore fundere virus, altero antidotum. Dubia mihi hæc hiſtoria.

CAPVT XI.

De aguaſen.

SVbita peſtis aguaſen ſerpens, duas ſpithamas longus dumtaxat, fuſco colore, lato capite atque compreſſo: adeò verò lethali eſt ictu, vt intra dimidiæ horæ ſpatium interimat, decidente carne vulneri vicinâ, ac miſerè putreſcente. Verſatur montoſis locis editis atque arentibus. Alexiterium eius pangaguaſen, de quo inter plantas Franciſcus Hernandus. Naſcitur in Philippicis.

CA-

CAPVT XII.

De oto.

PRodigi quoq; veneni otus est. Quatuor serpens hic spithamas longus est, ac pollicem crassus: caput est paruũ, venter candet, totus vero albis & nigris punctis ternisque lineis rubris transuersim procedẽtibus distinguitur. Adeò lethalis est morsus, vt intra quinque aut sex horas hominẽ morsum occidat. Amat loca humida vmbrosaque, & gressu tardo incedit. Aggreditur occurrentes sponte, & nullâ priùs illatâ iniuriâ. Reperitur passim in insulâ Cubu.

CAPVT XIII.

De dopone.

PRoxima pestis in dopone, qui longus quaternos aut quinos pedes, nec pollice crassior. Diluto virore vniuersum eius corpus tingitur, si caudâ excipias, quæ fusca est. Caput est magnũ, & octangulâ figurâ, vsque ad oculos, qui sunt nigri, nigraque iride & tenui circumdati, à quo loco sensim extenuatur ad vsque os, quod longum est & simum, sex armatum supernè dentibus, ac totidem infernè, præter alios minores. Lingua nigra est, tenuis & mobilis. Intra diem vnicum mortem infert, corpus scilicet vniuersum attollit in tumorem. Remedio est alexiterium pangaguasen.

CAPVT XIV.

De attaligato.

NEque innocens attaligatus est, licet inops veneno. Paruulus hic anguis, neque pennæ anserinæ excedit aut crassitudinem aut longitudinẽ. Centeni semper pluresve offenduntur, neque vmquam à sese inuicem separati. Veneni expertes, sed aliàs adeò perniciosi, vt aggressi dormientem, si fortè quemquã reperere, nullâ arte auelli queant, donec tandem hominem interemptum ictibus hinc inde illatis, totum absumpserint atque deuorauerint.

CAPVT XV.

De angue venti.

ECatotl seu anguis venti dicitur serpẽs sex spithamas longus, binasq; vncias crassus, innocuus, dentibus paruis, ventre argenteo, lateribus ac dorso lineis septem candidis, luteis, cyaneis & nigris alternatim interstincto, linguâ prolixâ, tenui, bifidâ & nigricante, quam vibrat velocissimè, atris oculis, & pro magnitudine corporis amplitudine insignibus, & iride pallidâ.

CAPVT XVI.

De angue laqueo.

QVidam serpentes in prouinciâ Verę pacis inueniuntur crassi: & licet sine peste, non sine aliquâ noxiâ. Mordent velut canes, quà pertranseunt alia animalia. Componũt se miro astu in speciem laquei: cùm transit fera, etiamsi sit ceruus, implicant, deinde glutiunt quæ sunt venati.

CAPVT XVII.

De angue stupido, siue canauhcoatl.

MIra spiritus vis canauhcoatl est. Hominis ęquat crassitudinem, eumdemque duplâ longitudine excedit. Incolit saxa antraque, & occurrẽtibus animalibus, ad se tractis halitu, victitat. Accidit aliquãdo, vt Indi iter agentes insederint ei, rati truncũ esse (tãta est eius vastitas atq; stupiditas) nec intellexerint, quàm instabili terrificęq; sedi institerint, donec angue sensim præterlabẽte, perterriti surrexerint. Innocens tamen esse dicitur, ac nullo pænè noxius morsu. Inuentus est tantus hic colobrus, vt octo & decem milites consederint in illo, trabem aliquam esse putantes. Vocant Hispani hos angues *culebras bobas*. Ceruis insidiantur, occultati frondibus circa vias quà cerui solent transire. Cùm propè accedit ceruus, vi spiritus sui attrahit ad se vt magnes ferrũ, nequeunte ceruo euadere auidum os colubri (carent hoc imperio in homines.) Detentum halitu ceruum complectuntur, circumcompressione extinguunt, deinde adlambunt, & saliuâ suâ linentes præparant & condiunt vt faciliùs glutiant, alioqui pilorum asperitas impedimento esset. Paulatim exsugunt illum integrũ à pedibus vsque ad caput; quod quidem propter cornua deglutire nequeunt, sed donec putrescat in ore deferunt. Accidit interdum, vt formicæ patulum os eius colubri subeant, eumque interimant, vlciscentes hoc modo ceruicidam. Hoc genus venationis his stultis anguibus indulsit natura, alioqui nulla prouidentia esset tantæ ignauiæ. Tota œconomia & cẽsus huius anguis est spiritus.

Viscachas (genus sunt dasypodum) ex antris suis attrahit anhelitu. Exemplũ aliquod arcanæ istius violentiæ in bufonibus aliquibus magnis vidimus. Vi quadam sui spiritus in os contrahunt aues & animalia. Perdix

dix in cuiusdam rictum ruit, quasi sponte iret; item & mustela paruula alterius fauces subiuit.

CAPVT XVIII.

De bitin serpente.


INcola montanorum locorum bitin est, aspectu serpens terrifico, nigris punctis, rubeis ac candidis, vitulino capite, amplâ fronte ad vsque oculos, qui nigri sunt lucidique, sed virenti circumdati iride, rictu oris magno, munito multis & acutis dentibus, caninis quaternis, digitum prolixis, sese mutuò inuicem excipientibus, quatuor vlnarum longitudine & crassitudine hominis. Conscendit arbores, vnde se vibrat appensus caudâ. Rapit boues & apros, & alia huius generis animalia, deuorans ea quandoque integra, ex hoc venatu viuens. Amat insulam Cubu, visusque est in insulâ Lutay à militibus Hispanis, cùm vellent naues exonerare.

CAPVT XIX.

De lacertis Indicis.

COnuenere Mexicani, inquit Franciscus Hernandus, lacertarum innocentium vulgariumque differentias omnes, quasque feruentium regionum incolæ cuetzpallin vocant, tecoixin nuncupare, venenatas verò, quæ in sepas, Chalcidicas, sepedonesve quadrupedes referri possent, aut citra venenum aliquantò vulgaribus maiores, nempe lacertarum genera, quę multa apud ipsos nascuntur, acaltetepon. Venenatarum tria adhuc apud nouos Hispanos offendi genera, morsus noxij, sed minimè (si tempestiuè occurratur ei) lethalis: quarum duæ priores magnitudine, formâ & colore conueniunt, sed picturarum distinguuntur varietate. Altera namque luteis tantùm ornatur sphærulis, in fuscum candidumque inclinâtibus colorem; altera verò candidis lineis in rectitudinem procedentibus luteisque, & secundùm transuersum fuscis & pallescentibus è candido. Postremũ genus peculiari nomine tetzauhcoatl, quòd rarò occurrat, nuncupatum, ac prorsus à tetzauhcoatl serpente diuersum, paruulo ac pænè nullo, sed lethifero (vt ferunt) morsu. Omnium est minimum, fusci coloris in fuluum inclinantis, sed caudâ magnâ ex parte cyaneâ. Est & quartum genus, ita vocatum, non quòd venenatum sit (est enim innoxij morsus) sed quòd venenatis maiusculâ corporis mole videatur respondere, cùm cetera vulgaribus lacertis prorsus sint similia.

ACALTETEPON, seu MONOXILVS MVCRONATVS.



CAPVT XX.

De monoxilo mucronato.

CEterùm aspectus potiùs quàm virus horrendum fecit acaltetepon, seu monoxilum mucronatũ. Alij temacuilcahuya dicunt,

dicunt, Hiſpani ſcorpium. Lacerti genus eſt coloto ſimile, duas longum ſpithamas, prolixâ caudâ, breuibus cruribus, linguâ, quam interdum verſat, rubrâ, latâ ac bifidâ, toruo capite, inceſſu graui tardoque, & cruſtâ intectum durâ, fuluis candidiſque punctis, paruulas margaritas imitantibus, aut lithoſpermi ſemina, variatâ, quæ à cruribus poſterioribus, vſque ad extremum caput, in varias digerunt formas; ab eiſdem verò ad extremum caudæ in lineas, anulis ſimiles, cingentes tranſuerſim corpus per interualla, etſi fuluæ longæ ſint numeroſiores. Huius animalis morſus noxius eſt, ſed minimè lethalis: quo fit, vt viſu quàm ictu ſit horridius; nec quemquam impetat, niſi læſum & concitatum. Lumborum caro ingeſta, duorum obolorum pondere, Venerem mirum in modũ dicitur excitare, neque eâ in re ſcincis cedere: cruſtam verò ſcorpionum aduerſari morſibus. Nec deſunt Gentes, quæ arcus ſuos eâdem operiant muniantque, putantes ita venenatorum animalium noxiam naturam hebetari atque coërceri.

CAPVT XXI.

De tapayaxin.

ADmirandam hanc beſtiam ad lacertæ differentias retulit Franciſcus Hernandus, quamquam orbiculari pænè planoque conſtet corpore, ac raiæ quadâtenus formâ, ni longè minor eſſet, nec vncias quatuor longitudine æquans aut latitudine. Cartilagineum autem eſt, & multis variatum coloribus. Gelidum ſemper tactu repertum, tardi inceſſus, ac rarò mutans locum, etiam contrectatum atque apprehenſum; ſed caput eſt duriſſimum, & quibuſdam clauatum horrenſque aculeis corollæ modo diſpoſitis. Gaudet ab hominibus apprehendi, manibus geſtari contrectarique, placidâ quadam ſecuritate ac tranquillitate immobilis, quamobrem amicus hominum ab indigenis nuncupari ſolet. Illud eſt in eo mirabile, & nulli alij (quod ſciam) commune, compreſſis vexatiſve oculis aut capite, aut parum indulgenter tractatis, ſanguinis guttas inde effundere, ac longiùs iaculari, qualis detrahi ſolet ab homine temperatiſſimo, & ſanâ fruenti valetudine: tanto interdum impetu, vt ad trium paſſuum diſtantiam contingat reiectari. Siccatum hoc ad ignem, redactum in læuorem, & ſumptum, ex vino aut aquâ drachmæ vnius menſurâ, morbo Gallico & doloribus ab eo euenientibus magnopere auxiliari ſolet. quod multis certiſſimiſque experimẽtis eſt comprobatum, euacuatâ morbi causâ per ſuperna infernaque, ac demum euocatâ vrinâ permixtâ pituitæ alijſque longis craſſiſſimiſque filamentis. Viuit in montibus frigidarum regionum, vbi paſſim offenditur.

CAPVT XXII.

De cuti.

APud Totepecenſes innocens lacerta cuti dicitur, mediocris magnitudine albo & nigro variegatur. Præcipuum illi eſt, in poſteriores pedes ſe attollere, & anguino ritu ſibilare.

CAPVT XXIII.

De taletec.

DIcuntur taletec paruulæ lacertæ. viuunt in platanis aut ædibus, meliores in platanis. Hiſpanicis ſunt formâ ſimiles. Fuſcæ & nigris oculis. Aſthmati opitulantur, ſi extractis viſceribus conuoluantur rizo ac pariter includantur platani folijs intextis in fiſcellâ, atque ita ex aquâ elixæ cum ſale & igni admotæ, donec rizum percoctum ſit, tandem manduntur.

CAPVT XXIV.

De haro coloti genere.

HArus quoque lacerti genus eũ, femoris æquans craſſitudinem. Caput decem vncias longum, initio latum, ſed quod deſinat in acuminatum os. Quaternis incedit pedibus, velut quaquetzalli Mexicenſe, cuius eſt fortaſſis ſpecies, eidemque perſimilem caudam geſtat, & lento quoque incedit gradu. Verſatur in arboribus natis iuxta riuos, aut dulcia flumina, neque deſcendit ad iunceta, niſi cùm ſeſe conatur vendicare à Solis iniuriâ. Venatur gallinas, quando celeritate nequit, malitiosâ quadam & aſtutâ arte. Colludens enim illis, volutatur ſolo, atque adeò rapit improuiſas, natiuâ quadam ſimplicitate ad eum accedentes. Naſcitur in Philippicis.

CAPVT XXV.

De lacertâ ſoporiferâ.

QVetzpalcochiton dicitur alia lacerta, à perpetuo ſopore. Huius puluis ſi ſumatur in aquâ drachmæ vnius pondere, mirè confert euocando ſudori.

CA-

CAPVT XXVI.

De cantore lacertâ.

TEque dicitur lacerta, in domibus montanisve locis oberrans, & interdum etiam in cauitatibus lignorum aut arundinum. Dodrantalis est, oculis paruis, nigris ac lucidis, & fusco prædita colore. Expurgat, cùm libet, cantores imitata, guttur; mox canit sonatque chacon, vnde etiam illi obtigit nomen; (sunt enim qui ita vocent) & tandem velut cantu delassata conqueritur. Paratur ex huiusmodi animalibus lethiferum ad inficiendas sagittas venenum, toxicúmve; inclusis arundinum internodijs mox punctis, actisque in rabiem, donec mortem obeant; atque ita demum earum sanie perunctis sagittis.

CAPVT XXVII.

De bufone Indico.

MOdici veneni, immodicæ magnitudinis est bufo Indicus, aquaqua dictus. Mediocres galeros exæquat: inuenitur in calidis regionibus, & sub maris vtriusque littora.

CAPVT XXVIII.

De rubetis siue tamacolin.

DE natione tamacolin seu rubetarum, hæc habet Franciscus Hernandus. Plura reperias apud Nouam Hispaniam tamacolin, rubetarúmve genera, distantia inter sese colore, magnitudine, & veneno. Quædam enim maritimorum locorum incolæ, venenatæ sunt, & scutis mediocris amplitudinis, vmbellisve similitudine pares. Aliæ sunt mediocris magnitudinis, sed non vsque adeò monstrificæ, & venenatæ, in regionibus calidis tam frequentes, imbrium præcipuè tempore, vt vix pedem figas, quin aliquam calces. Aliæ verò longe minores, expertesque veneni. Quædam sunt atræ, nonnullæ fuscæ, atque aliæ virentes. Reperias quoque inter ranas nonnullas nigras, atque adeò ita rubetis similes, vt horreas illarum aspectum; edules tamen ac expetendas, ob gratum probatumque nutrimentum.

CAPVT XXIX.

De serpente raro.

PVsillitas sua nobilitauit tetzauhcoatl seu serpentem rarum. Minimus est coluber, & tamen morsu lethalis: vix enim quatuor vncias longitudine æquat, aut pennam anserinam crassitudine. Venter rubeus est, punctis nigris distinctus, & dorsum fuluum eiusdem coloris punctis variatum. Frigidis regionibus familiaris est, siue editæ sint siue humiles, adeoque ipsis Indorum tectis.

CAPVT XXX.

De serpente oculipeto.

EGregium cupidinis simulacrum statuit natura in venenato reptili oculorum iusidiatore. Hoc ingenium amoris; oculos primùm petit. Virulentus est, nec vltra cœnum assurgit. Texminani dicitur, seu serpens inuolans oculos: serpens prælongus & tenuis, cuiusmodi etiam caput cernitur, ventre liuido, ac fusco dorso. Sunt qui micoatl vocent, quoniam sagittæ sit similis. Vibrat se ex arboribus in homines, & in hominum oculos iaculatur. Iaculi censetur species: nam tametsi crassitudine cedat, mirũ in modum similis est proprietate & naturâ: rectà incedit, corpus in spiras minimè conuoluens. Nascitur apud Quanahuacenses.

CAPVT XXXI.

De ignitis serpentibus, seu tleoâ.

IMmisit Deus in contumacem Israël ignitos serpẽtes. Qui fuerint, dubitatur. Certè in Nouo orbe inueniuntur aliqui ita appellati, quorum descriptionem ex Francisco Hernando, vt plura alia, exhibeo. Tleoa, seu igneus coluber, anguis est sesquidodrantem longus, ac digitum crassus, squamis albis, nigris, fuluis fuscisque distinctus. Caput est viperæ nostratis capiti simile, caudaque iuxta finem subitò attenuata, interualloq; binûm tantùm digitorum, quæ desinit in sonalia. Lethalem infert morsum, vrentemq;, vnde euenit ei nomen. Cũ incedit, in latera vtrimque se conuoluit, ac lento procedit gressu. Contra eius morsum aiunt conferre tusam radicem herbæ, quam vocant amola. Idem auctor scribit de thecoatl seu ignito serpente: Coluber est sex dodrantum mensuram adolescens, triumque digitorum crassitudinem. Viuit montanis locis, & lethalem infert

fert morsum: color est fuluus, sed dilutior circa ventrem, ac vergēs in cinereum sinuosè incedit, in vtraq; sese latera contorquens. Viuit in montibus Tepoztlanicis.

CAPVT XXXII.

De serpentibus sanguineis.

SVnt tamen alij serpentes, qui aspectu referant ignem, octo pedibus longi, colore sanguinei, qui noctu inflammati apparent, vt ignis aliquis videatur, quemadmodū Antonius Herrera prodidit. Scribit quoq; Franciscus Hernandus, vocari cumeoatl colubrum, qui nocturnis tenebris splendeat, qui & letifer morsu, quatuor longus cubitos, & brachium crassus.

CAPVT XXXIII.

Qui fuerint igniti serpentes Scripturæ.

OBuia ista curiositas, cùm de serpentibus Indiarum igneis historiā tetigerimus, qualesnam fuerint illi igniti angues, quibus Deus puniuit murmuratores sui populi? Fortasse si non fuerunt huiusmodi & aduentitij, innati erant, quemadmodum eruditè illucidat Fortunius Licetus. Nam ex humano corpore serpentes nasci, plerique testātur sapientes viri. Neapolitani Portæ relatu legitur, in Vngriā iuxta fluuium Theisan accidisse, vt in multorum hominum corporibus serpentes & lacerti, naturalibus similes, enascerentur, vt circiter tria hominum millia (antiquorum Israëlitarum more) sic perijsse memorētur Bonamico insigni Philosopho. Scribit Galenus, in Æthiopiā, Indiā & Ægypto montanā nasci in cruribus, & brachiorum musculis, atque lateribus vermes, quos dracunculos nominant, quādoque magnos, nonnumquā verò minores, specie terræ vermibus similes, qui sub cute mouentur viui, nec quidquam molestiæ facessunt, processu verò temporis ad alterum eius finem suppurari, aperiri cutem, & dracunculi caput eminere. Hic, si curando trahatur, præsertim quando rumpitur, dolores affert vehemētes, & illa pars maximè, si qua relinquitur. Hisce consimiles arbitratur vermes, qui in veruecum hepate nascuntur. Pherecydem Syrum copia serpentum, ex eius corpore erumpentium, interemisse testatur Plinius, licet alij eum pediculis enectum asseuerent: sed vermium ex eius corpore viuo emanantiū, alij fortasse minores pediculorum formam referebant, maiores alij serpentum; atque hinc orta scriptorum varietas. Consimili morte plerique homines interiere seu vermibus, seu pediculis è proprijs carnibus enatis erosi, vt de Pherecyde Syro, ac de Syllā Dictatore testatur Serenus Medicus ita concinens:

Sed quis non paueat Pherecydis fata tragœdi?
Qui nimio sudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore peresus
Corruit, & fœdo se vidit ab agmine vinci.

Eidem Syllę & Plinius proscriptionis crudelitatem exprobans, ait exitum vitę eum omnibus à se proscriptis crudeliorem habuisse, erodente sese ipso corpore, & supplicia sibi gignente. Idipsum de Alemane Poëtā, & de Syrio, ante Plinium atque Serenum testatus est Aristoteles. Photius in Bibliothecā ex Agatharchidis libro quinto de his quæ sunt circa Mare rubrum, agens de Acridophagis, nempe de his qui locustis victitant, scribit in hanc sententiam: Appropinquante senectute, nascuntur in eorum corporibus pediculi alati, similes ricinis, paullò minores his qui cernūtur in canibus. Hi ducto initio à pectore & à ventre, absumunt breuì vnà cum totā facie summas corporis partes. Illi principiò ita afficiuntur, vt quibus scabies molesta est: deinde sedulò se ipsos lacerant. Cùm autem morbus euasit ad summum, & vnà cum pediculorum eruptione tenuis etiā sanies profluit, intolerabili dolorum acerbitate miseri afficiuntur. Et illi quidem mali siue succi, siue cibi, siue aëris causā ad hunc modum pereunt. Hæc Photius. De his ipsis legendi sunt etiam Diodorus & Strabo. Diodorus quidem, asserens eadem ferè ijsdē verbis, quę nuperrimè legimus apud Photium: hoc tamen addens, pediculorum vermiumq; alatorum visu variorum, specie horridorum ac turpium, tantam è corpore copiā affluere, alij super alios tamquam è perforato vase scaturientibus, vt deleri nequeant. Strabo autem, dicēs, Æthiopibus Syllis homines finitimos, qui ceteris & nigriores sint, & minores, & vitæ breuioris (rarò enim quadragesimum annum transscendere) *eorum carne iam* (non *in ferinam versā*, vt malè non solùm vetus, sed etiā Xylander recentior vertit interpres; nec *in pediculos versā*, vt alijs placuit) sed *in paruos serpentes versa*, vt Græca verba sonant, viuere ex locustis, quas verni Lybes ac Zephyri vehementiùs flātes in ea loca compellunt. Plutarchus in eamdem sententiam ex Agatharchide ait: Circa Rubrum verò mare morbo correpti (vt Agatharchides narrat) cùm alijs inauditis accidentibus sunt vexati, tum anguibus exiguis, qui nati, exertis capitibus suras & brachia perdunt, & tacti rursum carnem subeunt, ac per musculosa serpentes, inflammationum vim intolerabilem excitant: idque morbi genus priùs aut posteriùs vllis alijs obtigisse

nemo

nemo comperit. Quam planè ſententiã Agatharchidẽ arbitror legiſſe apud Moyſen, ſummi Dei Chroniſtam in ſacris Litteris, & eam explicaſſe. Quod ſanè miror non obſeruaſſe nec adnotaſſe in ſuâ ſacrâ Philoſophiâ doctiſſimum Valleſium, qui ex inſtituto conſimilia ibi tractat argumenta. Et re verâ de corporibus Hebræorum viuentium exortos fuiſſe legimus in Teſtamento veteri ſerpentes illos inflammatorios, quibus peruicaciſſimam illam gentem Deus optimus ad Mare rubrum antiquitus punire voluit: nam ſacra Pagina hæc ad verbum habet in Numerorum opere, capite 21. *Profecti ſunt autem & de monte Hor, per viam quæ ducit ad Mare rubrum, vt circumirent terrã Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutusq́ contra Deum & Moyſen, ait: Cur eduxiſti nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te; ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauitq́ Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum; & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Sic ſuis verbis habent ſacræ Moyſis hiſtoriæ. Ac reuerà Deus exercituum ingratiſſimæ nationis illius peccatum punire voluit, eos morbo afficiens, quo ex illorum carnibus etiam tum viuentibus exoriri iuſſit paruulos ſerpentes, ac vermes vſque adeò malignos, vt crudeliter eroderent eorumdem membra, magnamque eis afferrent inflammationem, acerrimos ardentiſſimoſque dolores incutientem: vnde ignei ſiue igniti ſerpentes ab effectu denominabãtur. Huiuſmodi plagam à ſcelerũ vindice Deo perpeſſi ſunt Hebræi, cùm anteà & in Ægypto à Rege Pharaone, & poſt tranſitum illum Rubri maris ſiccis veſtigijs admirabilem in vaſtâ deſerti ſolitudine inauditis alijs afflictionibus famis ac ſitis eſſent vexati, quod ex Agatharchide retulit Plutarchus: qui auctor ſerpentes à Moyſe ignitos appellatos, aptiſſimè declarat ſerpentes inflammationum vim intolerabilem per muſculoſa corporis excitantes. Neque ineptè Plutarchus ex eodem Agatharchide refert id morbi genus, quo angues exigui nati ſunt in eorum hominum corporibus etiamnum viuentibus, ac poſteà exertis capitibus extra cutem corporis humani, ſuras & brachia perderent, & tacti rurſum carnem ſubirent, ac per muſculoſa ſerpentes inflammationum vim excitarent intolerabilem. Non ineptè, inquit, *id morbi genus priùs aut poſteriùs vllis alijs obtigiſſe nemo comperit:* quia quæ ſuperiùs ex Photio, Diodoro, atque Strabone allata fuere, omnia ex Agatharchidis eodẽ loco ab eis Auctoribus deſumpta ſunt; licet illi omnes morbi huius originem in mali aut aëris, aut cibi aut potus naturam phyſicè referant, cùm eam referre debeamus in pœnam perpetrati ſceleris, quia mirabiliter Deus vltionum ingratiſſimos illos Hebræos punire voluit. Si enim Photius ac Diodorus id morbi genus ijs ex Agatharchide tribuerunt qui locuſtis veſcebantur, quoſque finitimos Æthiopibus aſſerüit Strabo; etiam illa Hebręorum gens ex Ægypto veniens, cùm in deſerto prope Mare rubrum finitima fuerit Æthiopię, quæ aliquâ ſui parte Rubro alluitur mari, vrgente fame in ſolitudine locuſtas eſitaſſe potuit; quibus etiã inſectis, ex eodem populo multò poſteà exortum Ioannem Baptiſtam, præcurſorem Domini, apud D. Marcum Euangeliſtam legimus in deſerto victitaſſe. Nihil autem mirum eſſe debet, ſi quę profani ſcriptores è ſacris Litteris tranſſcribunt in ſuas hiſtorias, aliquatenus variata legantur: is enim mos eſt tranſſcribentium vulgatiſſimus. Eamdem fortaſſe luem Paulus Ægineta, Medicus non obſcuri nominis, aliquando etiam deſcribit, dicens: In Indiâ & ſuperioribus Ægypti locis dracunculi generantur, ſeu animalia quædam lumbricos incitantia, in partibus muſculoſis, puta brachio, femore, tibiâ; in pueris etiam latera ſub cute perreptant, & palàm mouentur, deinde cùm diu extremum aliquod dracunculi remanſerit, locus ſuppurat, & cute ipſius adapertâ, initium ipſius progreditur: cùm trahitur, dolores mouet, præcipuè abruptus. Hæc Medicus illuſtris. Non idem ſanè, ſed aliud, huic tamen admodum ſimile morbi genus illud fuit, dudum à Neapolitano Portâ relatum, quod Vngaros malè habuit; de quo non pigeat, quę Iobus Fincelius, Franciſcus Bebeccius, & Ægidius Aquila Auctoris relatione Chronici Chronicorum Politici ex Rubeaquenſe huc ad verbum recenſuere. Anno, inquiunt, milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, in Pannoniâ, cùm viperæ ac lacerti in hominum corporibus naſcerentur, magna hominum copia, cùm remedium deeſſet, cruciatibus ac doloribus multis extincta eſt. Quidã demum ad Solem expoſiti, ſerpentes calorem naturalem ſentientes euomuerunt, ac liberati ſunt: quorum omnium ſanè origo vel à Deo, naturalibus cauſis ad ſupernaturalem vltionem naturaliter vtente, phyſica eſſe potuit, quin etiam ſpontanea eſſe valuit. Hanc

Fortunij narrationem ampliabo Capite sequenti ex morbo verminoso, cuius fortasse meminere potiùs aliqui Auctores quos Fortunius citauit.

CAPVT XXXIV.

De morbo vermium.

HÆc nostræ naturæ misera conditio, hæc sæuitia nostri sceleris, viuos posse homines exedi vermibus. Non erit molestũ, si obuiâ excursione immorer paulisper in narratione molesti huius morbi. Eorum transscribam sententiam, qui circa regiones Nigritarum, maximè circa portum & castellum de Minâ nauigarunt. Inaudita res est, quòd in corporibus eorum, qui hoc itinere & in has regiones frequenter nauigant, vermes nascantur, præsertim si circa castellum illud frequenter sese contineant; cùm qui ante aliquot annos nauigationem hanc susceperunt, nihil horũ deprehenderint, nihilque de plagâ & affectione hac cognitum habuerint. Non tamen apud omnes vermes hi apparent, nec eodẽ tempore sese exerunt. Quidam enim citiùs, quidam tardiùs illis torquentur. Sic enim inuenias, qui dum in itinere adhuc sunt, eos accipiant, alij peracto itinere; alij post mensium aliquot, alij post totius anni à reditu suo decursum illis infestantur. Sunt verò etiam quidã ab eis prorsus immunes, etiamsi aliquoties hæc loca frequentarint Nigritæ & Æthiopes ibi habitantes ipsimet etiam illis valde torquentur, potissimùm tamen illi, qui castello de Minâ sunt viciniores. Nam qui vel ad vigintiquinque milliaria tantùm Septemtrionem versus à castello hoc remoti sunt, dolores hosce prorsus ignorant. Historici veteres multa quidem de hisce vermibus annotata reliquerunt, scribentes inter alia, vermes eos veros esse, & vermium aliorum instar vitam etiã habere, nihil tamen de origine & causis eorum afferunt, vnde nimirùm in corporibus hominum existant, & vnde nutriantur: quod quidem argumento est, veram eos causam æquè ac nos ignorasse, cùm verisimile sit, eos, si verè hac de re cognitum habuissent, illud posteris etiam communicaturos fuisse; nam & Græci & Æthiopici scriptores eorum mentionem facientes, incolas quidem huius loci valdè ab eis torqueri affirmant, sed circa causarum & propagationis eorum inquisitionem, vel piscibus magis muti deprehenduntur. Quinimò non paucos inuenias Doctores, qui probare conantur, nec vermes eos veros esse, nec vitam habere: qui quotidianâ quidem experientiâ satis refutantur, ex quâ manifestum est, veros, naturales ac perfectos eos vermes esse, & vitam verè obtinere. Sed & hoc admiratione dignum est, hanc solam regionem cum paucis adhuc alijs, quarum Ioannes Hugo meminit in Itinerario suo, huic malo subiectam & expositam esse. Aliæ etiam insulæ omnes in Indiâ Orientali & Occidentali, quemadmodum etiam in Chinâ, Brasiliâ, & alibi sitæ, vermes hosce prorsus ignorant; & quod magis mireris, ipsam etiam sanctiThomę inhabitantes insulã, qui locus tamen omnium in toto mundo insaluberrimus habetur, de hoc morbi genere nihil quidquam nouerunt. Quod attinet verò ad causas, vnde nimirum hi vermes in humanis corporibus nascantur, Nigritæ quidem varias afferunt, sed nullam verè confirmare possunt. Quidam enim prouenire eos dicunt ex nimiâ cum mulieribus familiaritate & cõsuetudine: alij dicunt, ex certis quibusdã piscibus, quorum quotidianus ibi vsus est, eos oriri; vnde reperiuntur, qui piscibus in vniuersum omnibus, qui istis quidem locis capiantur, abstinent: alij ex nimio aquæ vsu eos procreari asserunt, nempe ex natando & potando: alij terram ipsam incusant: alij vino de palmâ causam imputant; sed & panes, quos kankiens vocant, aliqui hoc nomine accusant, vt verè hîc dicere possis, Quot capita tot sensus: quilibet enim peculiarem sibi causam fingit, eamque ceteris omnibus præfert, & præ alijs tuetur, cùm nemo tamen sit, qui rationes sententiæ suæ vel in speciem probabiles afferre possit. Certum enim est, causas hasce nullas esse, nec vllam etiam veram causam dari posse, cùm contrarium sæpè acciderit. Deprehensum enim est, aliquos, quibus cum Nigritis mulieribus nulla intercessit familiaritas, qui à piscibus, panibus, vino palmarum, aquisque marinis planè abstinuerunt, lauando sese non oblectarunt, nec pedem etiam ex naui in terram posuerunt, plus tamen à vermibus hisce doloris perpessos esse, quàm qui cum mulieribus crebrò conuersantes, pisces panesque eorum comederunt, vino palmarum sese ingurgitarunt, denique & in terrâ & in aquis sese frequenter oblectarunt. Præsumitur tamen omnium maximè, ex aquâ potabili eos progenerari, quæ à Nigritis redimitur, qui eam ex lacunis & stagnis suis haurire & afferre solent. Et sanè si rem altiùs perpendere velimus, videbitur quidem hanc verissimam eorum causam esse. Nam & in insulâ quæ Ormus dicitur, & huic malo etiam subiecta est, qui à vermibus tuti esse volunt, aquam dulcem, quam bibant, ad octodecim sæpè orgyias sub aquâ salsâ existentem, mergorum beneficio ex mari extrahi curant. Verum quidem est, quos-

quosdam hoc malo non infectos esse, qui multum tamen aquæ illius biberunt: sed hi nauibus suis in portu Aekræ ciuitatis substiterunt, & in portum Mourre ciuitatis venerunt, vbi potissimùm malum hoc vires suas exercet. Nam qui ad Aekram ciuitatem & loca vlteriora commercia sua exercent, raró hoc morbo corripiuntur, quemadmodum etiam Nigritæ in hac ciuitate habitantes, parum vel nihil de eo cognitum & perspectum habent; cùm econtrà, qui ad Mourram negotiationibus operam dare solent, malum hoc euadere vix possint. Nihil tamen certi, vtut sit, hîc definire de causâ huius mali volumus, litem sub iudice relinquentes. Qui illis corripiuntur, dolorem percipiunt incredibilem. quidam enim nec stare nec incedere, quidam verò nec sedere nec decumbere possunt: aliqui quasi exanimes iacent, quidam in furorem aguntur, & vt vinculis tempestiuè constringantur necesse est. Sed & varijs sese modis exerunt & ostendunt: quidam enim cum ingenti frigore & horrore, quidam cum ingenti æstu & calore præsentiam vermis alicuius deprehendunt. Quidã cum eo confli ctantur, antequã id ipsum sentiant. Sic vermes ipsi sese in aliquibus per exiguam pustulam, apud alios per puncturas rubentes, & pulicũ vestigia æmulantes, ostendunt. In quibusdam cùm ingenti tumore coniuncti sunt, vt sub cute latentes cernere exactè possis: apud alios per vlcera & carbunculos erumpunt. Prætereà in diuersis etiam locis apparent, nempe in suris & pedibus, in genibus & poplite, in crure, in brachio, in femore, in inguine & scroto, plerumque tamen in partibus carnosis. Intensissimum autem dolorem experiuntur, qui eos in partibus occultis accipiunt, neque enim vllo in loco alio dolor ab illis magis exquisitus & vehemens deprehenditur. Iam quod ad curationem attinet, non est quidem necesse, vt, antequam appareant, remedia eis adhibeantur, sed quamprimùm in corpore animaduertuntur, necessarium est vt à labore quis abstineat, & ad quietem se componat, idque potissimùm, si pedes eo infestentur; tunc enim motus crebrior perniciosissimus, quies verò gratissima est, & frigus diligenter caueri debet. quò enim quis magis quieti & calori studet, eò curationem magis promouet & citiùs hoc malo liberatur. Neque verò etiam promotione aliâ, vtpote cutis apertione, sectionibus, & alijs opus est; ipsimet enim sibi exitum quærunt, & caput perforatã cute exerunt. Ceterùm cùm eo vsque peruenerunt, vt apprehendi digitis possint, paulatim extrahendi sunt, donec sequantur. Cauendum autem est, ne nimis eos vrgeas: vbi enim subsistunt, respirandum est, & à vellicatione protractioneque abstinendum, donec ipsi sese rursus mouere incipiant: interim verò pars illa, quæ extra cutem prominet, diligenter vel baculo implicanda, vel alliganda est, ne remeando corpori sese rursus insinuet. Quoties autem exitus ita promouetur, toties copiosa tabi & puris materia simul excernitur. Promotio verò hæc singulis diebus tentanda atque reiteranda est, donec prorsus extrahantur. Interim tamen videndum, ne abrumpantur, antequam exitum inuenerint; veneno enim constant præsentissimo & nocentissimo, quo infectum vulnus ita intumescit, vt in magno versari ægrotum periculo necesse sit. Non raró tamen accidit, vt vno extracto alius statim ei succedat, & per idem foramen exitum sibi quærat. Quin etiam alij pluribus, alij paucioribus torquentur. Quosdam enim inuenias, qui decem vel duodecim vermes simul, & ex diuersis corporis partibus prominentes habeant, qui quantum inde percipiant doloris, quilibet æstimare facillimè potest. Ad quantitatem eorum quod attinet, ea quidem non vniusmodi est. Quidam enim inueniuntur vel orgyiam vnam in longitudine excedentes, alij verò breuiores sunt. Quidam crassitie sua fides crassiores æmulantur, alij verò vix minores in testudine, quinimò vix tenuiora bombycina vel lintea fila assequuntur & attingunt. Nigritæ quidem remedia illis nulla adhibent, sed exitum ipsis liberum relinquunt: quo absoluto, vulnera solâ aquâ marinâ eluunt, quam illis admodum conuenire affirmant. Vt autem in pauca contraham, dolor hic tantus est, vt quis hoc iter abiurare, & locum hunc in perpetuum vitare deberet potiùs, quàm cruciatum ab vno tantùm horum vermium persentiscere & experiri. Ioannes Hugo Lindschottanus de his vermibus in Itinerario suo scribit, morborum omnium maximè detestandum ab his vermibus existere, qui cruciatus exquisitissimos gignant, homines in insulâ quæ Ormus vocatur infestent, & ab aquâ quam bibant suum ortum habeant. Alsaharanius verò quidam in Praxi suâ capite 11. de his vermibus ita scribit: Reperiuntur loca quędam, vbi in humanis corporibus vermes nascuntur: quam alibi passionem bouinã nominant, eò quòd boues eiusmodi morbis plerumque obnoxij deprehendantur. vermes enim intra carnem & cutem nascentes sese extendũt, & tamdiu oberrantes serpunt, donec perforatã cute exitum inueniant. Curatio autem consistit in purgatione & excretione abundantis pituitæ siue phlegmatis. Vulnera post vermium eruptionem butyro recenti, cui salis

 nihil

nihil admixtum sit, inungenda sunt, quo dolor quidem linitur, & sanitas mirabiliter promouetur.

CAPVT XXXV.

De tetzauhcoatl.

TEtzauhcoatl serpens est tres dodrantes longus,ac digitum crassus, cuius ictus pestilens est;dorsum nigrum, venter candescens ex pallido,& rubescens infernâ caudâ; venter autem & cauda punctis nigris conspersa, caput nigrum, ac torque circumcinctum luteo. Remedium morsûs est, ictum locum sugere, sed cõmanso priùs picietl, ne venenum noceat præsidium adferentibus, quod etiam velut egregium antidotum admouere expedit vulneri; nec solùm aduersans illatæ noxæ, sed ipsis quoque serpentibus infensum & inimicum.

CAPVT XXXVI.

De alatis serpentibus.

ALati serpentes in Floridâ reperti, alis eatenus instructi, vt posse tolli è terrâ & volare demissè viderentur. Americus Vespucius quoque inuenit Indos piscatores,qui serpentem alatum craticulæ ligneæ impositum assabant. In tugurijs complures eiusmodi serpentes viuos habebant, quorum pedes vinculis alligati, faucesq; funibus constrictæ erant, ne quid hominibus noxiæ inferrent.

CAPVT XXXVII.

De dracone bipede.

LVbet in alium orbem redire, & intermiscere quæ Philippus Pigafeta describit in descriptione Congi. Reperitur ibi animal bipes, ouis magnitudine, formâ verò draconis:alatum enim est,& caudam habet longam: caput quoque oblongum, ore pluribus dentium acutissimorum ordinibus referto. Carnibus crudis victitat. Cutis glabra, quasi sub viridibus squamis depicta. Gentiles id venerantur pro Deo,& in hodiernum diem magnâ curâ & admiratione educatur à Primatibus, qui propter vberem ex oblatis prouentum,aliquando id populo adorandum proponunt.

CAPVT XXXVIII.

De serpentibus Bambæ.

NEc prætereundum silentio, quod præmiserat ille Auctor. Serpẽtes sunt magnitudinis horrendæ, si conferantur cum nostratibus, & præcipuè palustres, quorum aliqui longitudine viginti quinque, & in latitudine quinque spithamas excedunt, ventre tam capaci, vt totum ceruum, aut aliud eius magnitudinis animal vnâ vice deuorent. Ex aquis egrediuntur, & pasti eò redeunt: vnde & ab incolis magnæ natrices appellantur. Ascendunt quasuis altissimas arbores, in quibus vagabunda animalia quasi è speculâ contuentur:& vbi ea victum quærentia accesserint, summâ vi se in ea demittunt,atque ita & morsu & mole occisa, in solitudinem aliquam vicinam tracta, totum cum pelle, ossibus & carnibus degluttiunt. Et sæpiùs etiã accidit,vt cibo nimiùm repleti,quasi ebrij reddantur,& in somnum maximum incidant; ita vt puer etiam illos occidat. Durat hæc satietas ac somnolentia per quinque aut sex dies continuos, post quos demum experrecti, ad consuetas suas venationes redeunt. Pellem statis temporibus mutant. Aliquando etiã nimiâ dilatione ex cibo nimio rugosam ante tempus exuũt, quę inuenta,homines in admirationem,belluę magnitudinem inde cognoscentes,rapit. Magni eius carnes tostas faciunt Æthiopes, & gallinarum habentur multùm delicatiores, sed vix eas adipisci possunt,nisi cùm aliquando nimio calore incenduntur siluæ, & tum omnes, quæ à suis lacubus aliquando fuerunt remota, semitostæ inueniuntur, & in magnis habentur delicijs. Viperæ præterea inueniuntur ibi adeò venenatæ, vt morsi ab ijs, post viginti quatuor horas summo cum dolore moriantur. Incolæ itaque diligenter se muniunt herbâ,quam eius antidotum esse norunt.

CAPVT XXXIX.

De serpentibus medicinalibus.

IDem ait: Est etiam ibi adhuc serpentum genus, qui cùm omnium sint venenatissimi,facillimè, naturâ etiam in hoc præmonente, euitari possunt; magno enim incedunt strepitu, vt statim exaudiri & occidi possint. Bullam habent in caudâ rotundam, quam, vt caput, contra febres & cordis horrores singularem habere facultatem autumant. Adijcio quæ Petrus Iarricus narrat, vbi de serpentibus Bambæ loquitur. Tota eius historia hæc est. Sunt hîc etiam serpentes immensæ magnitudinis. Si enim ijs, quæ ante hæc relatu eorum qui viderunt scriptis prodidere, fidem adiungere fas est, reperiemus hîc qui viginti quinque palmos longitudine & quinque latitudine superabunt. Modò in terrâ, modò in aquâ dege-

re

te perhibentur. Quoque commodiùs prædam captent, arbores interdum ascendunt, è quibus magnâ vi in animalia, non inde procul pascentia, insiliunt: quæ vbi occiderint, in siluarum conuehunt latibula, per otium deuoraturi. Qui vbi cibis sese ingurgitarũt, adeò vecordes & stupidi redduntur, vt vel puer occidat. atque hic stupor ad quinque sexve dies durare solet. Incolæ, si quem inuadere queunt, esui adaptant: nec minùs illis serpentum quàm nobis gallinarum caro sapit. Est & aliud serpentum genus adeò virulentum & noxium, vt si quem momorderit, intra quatuor & viginti horarum spatium is expiret, nisi antipharmaco, quod aduersus morsus huiusmodi pręsentissimum norunt remedium, ęgro succurrant. Sed hominum saluti diuina prouidentia consulens, signum serpenti huic dedit, suum quo aduentum prænuntiat: habet siquidem in caudâ rotundam lagenulam, quæ, dum se mouet, strepitum edit: hac cardiacis doloribus ac febribus, vti & serpentis huius caput, mederi perhibetur.

CAPVT XL.

De serpentibus mansuefactis.

ALi vidimus ab Indis, ait Franciscus Hernandus, deliciarũ gratiâ colubros quosdam virides, qui allati ab agris, pollicari tantùm magnitudine, in femoris crassitudinem amplificentur & adolescant: vbi pro antro est illis dolium stramento indulgentiæ gratiâ emollitum, vbi magnâ ex parte quiescunt, viuuntque, nisi cùm edendi est tempus; tunc enim egressi cubile, aut humeros heri amicè conscendunt, beneuolè terrifici animalis amplexus tolerantis, aut è pistillis, in medio contracti in spiras, rotamque magnam æquantes, innocentissimi vescuntur oblatis, atque quiescunt.

CAPVT XLI.

De serpenti forti.

COntumax viribus serpens quidam est, temacuilcahuilia dictus ob fortitudinẽ: temacuilcahuilia enim idem est, atque cum quinque pugnans, in obuios enim impetum facit, eâque vi opprimit, vt si collo semel se aduoluerit, strangulet interimatque, aut saluo homine ipse coluber disrumpetur suo obnixu. Qui huius naturam nouere, eum deludunt, opponentes arborem aut aliud, cuius nexu disrumpatur, putans comprimere hominem, vt ita tandem conuulsus intereat.

CAPVT XLII.

De animalibus insulæ Iamboli.

APpendix ista sit Boëmi ex Diodoro in narratione de insulâ Iamboli; esse eâ in insulâ animalia magnitudine quidem parua, sed naturâ & sanguinis virtute admirabilia. Corpore sunt rotundo, ac testudinibus simili, duabus lineis inuicem per medium transuersis, in quarum cuiuslibet extremo sit auris & oculus, vt quatuor oculis videant, totidemque audiant auribus, vnicis ventre atque intestinis, in quæ comesta confluunt. Pedes circũ habent plures, quibus in vtramque partem ambulant. Huius belluæ sanguis mirabili asseritur pollere virtute: omne enim corpus occisum dum spirat, hoc tinctum sanguine cohæret. Hæc narrantur inter alia fabulosa.

CAPVT XLIII.

De serpentibus Senegæ & incantationibus serpentum.

INgens est & rara serpentum natio in regno Senegę, Aloysij Cadamusti fide. Inueniuntur ibi, inquit, multiplices animalium species, præsertim serpentum ferè omnium generum, venenosi alij, alij innoxij sunt. Duorum pedum mensuram excedunt: alas, nec pedes habent vt serpentes, alioquin immensi, & tantæ quidem vastitatis, vt integras capras hauriant, nec lancinent, solidè deuorant. Ferunt incolæ, serpentes huiusmodi congregari statis anni diebus, & migrare in loca quædam, vbi formicarum est vis magna, quibus & color albicans, quæ suapte naturâ humiles quasdam casas instar specus serpentibus extruunt: nam ore terram portant & ferruminant absque calce. Diceres clibanos aliquos vel ruscula in ordine disposita: nam ex huiusmodi casis videbis centum & centum quinquaginta continenter subordinatas, vt alteram sequatur altera, miro naturæ ordine. Sunt etiam hi Nigritæ fascinatores, id est incantatores eximij: fascinant præsertim serpentes. Huius rei me certiorem reddidit quidã adolescens, qui anno superiore agens apud nepotem Principis de Budomel, & cùm hospitio receptus dormiret, audiuit innumeras serpentum sibilationes, quibus experrectus, dum attentiore animo euentum rei expectat, intelligit nepotem Principis euigilauisse, & domum egredi velle. Percunctatus est propterea adolescens nepotem Principis, quónam nocte intempestâ concederet: cui nepos (iam

inclamauerat seruos à pedibus, vt sternerent camelum.) Sum, inquit, profecturus non longè, mox rediturus. Iuit igitur nepos, & fascino compescuit serpentes, illicoque rediens, rursus alloquitur hospitem Ligurem. Audistíne, inquit, circiter noctem mediam exsibilantes serpentes? At Ligur: Audiui quidem. Subiecit itaque Principis nepos, dictus Bisboror, Erant, inquit, serpentes quibus hæc plaga scatet; obsederant enim domum, gregem deuastaturi, ni ego occurrissem malo tanto incantatione, quâ vtimur frequentiùs. Ligur verò his auditis dixit, se mirari plurimùm, & hanc rem Christianis incredibilem fore. Tum nepos ad Ligurem, Non est, inquit, cur mireris ob hæc minima: nam Princeps noster multò maiora efficit incantatione, cùm libet. Cùm enim, inquit, cupit præsentaneum venenum habere, quod illicò mortem afferat, inficit ibi arma veneno, designato in terrâ circulo, & fascinatione serpentes eò concedere compellit: quò cùm venerint, speculatur venenosiorem quem interficiat, veneni colligendi gratiâ, reliquos verò missos facit. Occiso itaque serpente, eius sanguinem cum semine cuiusdam arboris commiscet, & ex mixturâ arma illinit, quæ sic illita vbi sauciauerint, condicto mortem afferunt, licet paruum vulnus existat, modò sanguinis nihil non elicuerit. Subdidit etiam Ligur, nepotem prædictum hortatum eum fuisse, vt rei videret exemplum. Verùm Ligur parum huius rei curiosus, renuit experiri rem huiusmodi. Omnium igitur consensu Nigritæ sunt incantatores eximij.

CAPVT XLIV.

De anguibus maripetis.

CAlliditas serpentum, vitæ emolumentum est; ab vno tamen dispendium nostræ fuit, cùm immortalitatem amisimus. At non tantùm sciunt repuerascere, exutâ senectute; norunt etiam naturam exuere & transmutare, vt in alterâ producant vitam, & veluti renascantur. A reptilibus in marina etiam facessunt. In Orientali Indiâ nonnulli angues, vt fallant instans senium aut fatum, post certum tempus petunt mare, vbi concussâ in vndas caudâ, & velut flagellante, scinduntur in multos ramos velut pedes; quâ astutiâ miro naturæ miraculo euadunt in genus quoddam polypi, tam simile illis quos Lusitani vocant *poluos*, vt fallant ignaros. P. Christophorus Borrus enarrauit mihi, se vidisse quosdam Lusitanos cepisse in India aliquos, rati *poluos* esse, vt ijs repararent famem: incolas tamen admonuisse ne facerent, noxios esse, nec *poluos* suos esse, & distingui pedum numero, nam angues illi impares illos habent.

CAPVT XLV.

De apachycoatl.

SErpens quidam est apud Panucenses, quinos prolixus cubitos & quatuor digitos latus. Squamis nitidis, albo nigroque variantibus colore: apachycoatl vocatur, & morsu minimè exitiali.

CAPVT XLVI.

De tzinhuitzli.

SErpens est Panucinus, longus ac latus, albis & nigris distinctus maculis, tzinhuitzli vocatus, quòd caudâ, quæ præacuta est, lethaliter pungat.

CAPVT XLVII.

De yxhunpezkin.

HOc lacertę venenatę genus est fuscum, incessu tardum, paulò dodrante longius, ventre candenti & exilibus contecto squamis, caudâ prolixâ, pedibusque magnitudini corporis respondentibus, ac singulis quinis vngulis insignibus, oculis viuidis splẽdentibusque à dorso ad caudam vsque nitenti, ac sudore, quo perpetuò manat, spissi mellis formâ commaculato, quo adeò truculenter contacta necat (alioqui innocuum animal) vt si calceatis etiam pedibus calcari contingat, exuri cutis vniuersa caroque ac vehementer dolere videatur, & in atrum colorem degeneret, quâ parte venenum in cor vsque sese diffundit, non plus quàm in trium quatuórve vnciarum latitudinem dilato veneno, atque ita breuî hominem occidit: neque adhuc inuenta est antidotus, quæ obsistat huic morbo, cuius venenum vsque adeò exitiale & vehemens est, vt calcato etiam stramento aut storeâ cui subest, idem sequatur exitium, cùm tamen, si non attingatur, sit, vt diximus, innocẽtissimum. Cùm Indi, in id animal incidentes, illud interemerunt, tum vel lapidem vel lignum, quo cædem ei intulere, securitatis gratiâ aut terrâ condunt, aut vertunt in cineres, ne aliquid supersit, quod vsque adeò perniciosâ veneni vi possit nocere.

CAPVT XLVIII.

De polpoch.

IN agris prouinciæ Iucatanensis offenditur monstrificum quoddam serpentium genus, tres dodrantesq́ cùm maximè longum, brachium crassum, ac fusco exsaturatoque tinctum colore, sed à capite ad quinque vnciarum longitudinem nigro & candenti varium, lato & compresso capite, oculis magnis & splendentibus, & caudâ, quæ reliquo corpori crassitudine non cedit, non dissimilis scorpioni, nec vnguium terrore ælurorum magnitudini cedit. Nec verò vno tantùm modo maleficum est animal, sed caudâ pungens, & ore mordens. Visuntur magnâ ex parte hi serpentes arbores amplexi: cùm verò ictu virus iaculari volunt, si solo consistant, visum hominem è longinquo insectantur, caudâ supra caput contortâ atque conuolutâ se rotantes in eum, atque ita breui saltibus attingentes; cùm verò arboribus inhærent, ita caudã capiti adiungunt, vt arcus repræsentent figuram, & iaculi sagittæve more sese non sine strepitu, qui sentiri possit, iaculentur atque contorqueant. Ictus est exitialis, intra tres dies ictæ partis carne deciduâ atque putrescente: ossibus verò nudatis, & in colorem fuluum vergentibus, & adeò fœtido odore exhalante, vt omne rapacium auium genus inuitetur ad carnificinam. Aiunt indigenæ, ictu eius non inferri vehementem dolorem, sed vniuersi corporis sensum potiùs hebetari atque torpescere, atque ita ictum hominem velut temulentũ mori. Sibila edit coturnicum cantui haud dissimilia, quæ præterquam quòd longiùs audiuntur, nomen serpentis, quod polpoch esse diximus, exprimunt, non sine vehementi formidine atque fugâ indigenarum.

CAPVT XLIX.

De kokob serpentis genere.

OFfenditur in agris Iucatanensibus quidam serpens ad hæmorrhoi nostratis pertinens genus, quatuor longus dodrantes, fusco colore, sed cyaneis & rubrescentibus maculis consperso. Huius ictus adeò pestilens est, vt intra horæ vnius spatium cogat ictum hominem sanguinem reiectare, & intra diem vnum ex omni corporis parte effundere, atque ita demum mori. Antidotum esse inquiunt siliquastri succum liquori tabaci permixtum, ex quo alia contusa atque resoluta sint, epotumque. Saxorum colit cauernas, & in his cubilibus educat prolem. Egressus antrum, cùm strepitum audit, impetum facit in obuios.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER XIII.

CAPVT PRIMVM.

De apibus.



X minimis quoque magnitudinem Dei commendemus. Adeò magnus est, vt in minimis appareat maior: maiorem animam nouit includere corpusculo minori. Parua apis mole, maxima mente est, hoc est, industriâ: adeò nobilitas animę excusauit vilitatem materiæ, vt Sole ipso, pulchritudinis metropoli, deformis auicula excellentior & mirabilior sit. Multiplex apiarium genus in nouo orbe semper admirabile, licet in mellificio diuersum. Quędam in arborum cauitatibus, sed sine fauo, corticem cereum priùs effingunt oui instar, quem imbuunt penitus liquido & suaui nectare. Hæc oua copulata simul, & racemata, vsque ad viginti vel triginta inueniuntur. Indi truncum cædunt, & deferunt ad vsus suos plenum melleis globulis, cerâ quoque vtilissimâ. Aliæ glandes minores conficiunt, alię non excedentes nucem auellanam. Hoc genus apum exiguum est, & mansuetissimum. Aliæ sub humo laborant, quædam tres aut duas vlnas, quædam non ampliùs quàm dodrantem profundæ, prout opportunum illis. Harum quædam mellificant in cereis quasi fistulis oblongis, quædam orbicularibus & rotundioribus. Ex his quædam mites & innoxiæ, aliæ maiusculæ efferæ, & suos labores acriter tuentur. Aliæ quoque sunt feræ diuersi opificij, rotundum conficiunt fauum instar mali citrei circulando fistulas, suspenduntque ex arborum fronde, imponentes fauos aliũ super alium: aliquando sustinet frons racemum eiusmodi trium dodrantium longum. Exiguiores apes suspendunt minores racemos, & tenuioribus ramis; grandiores ex firmioribus (vocant has Indi Mateecas) quarum morsus æquat dolore ictus serpentium, & viginti quatuor horis perseuerat. Alia mitis apum natio est in terris Guairuensium, quas industria Europæorum in aluearia concludit, vbi nec pungunt, nec irritantur, nec inquietes fiunt, recluso alueare. Mirum dictu, nec cessant à labore, tam sunt officio intentæ. Hîc curiositas non indigeret vitreis nec transparentibus vasculis, vt exemplum sedulitatis disceret. Regina & magistra plurimùm à plebe distat. Est quoque apum nigrum & exile genus, quod in siluis sine cerâ mellificat. Cera subterranearum apum percommoda ceratis ad dolores ex quauis causâ frigidâ accidentes: tumores resoluit: ad alia medicamenta etiam idonea. Albæ apes sunt in Guatemalâ, mel quoque album & ceram fabricantes, nec nimis noxię.

Nunc ex aliquibus Auctoribus dabo aliqua. In Ceybâ vastæ arboris & aliarum interdum cauis nidulantur apes, atque suum mel elaborant, non minùs bonum quàm in Hispaniâ, teste Cieçâ: quarum tria sunt genera. Vnum paulo maius culicibus. Ad faui, quem probè communiunt, orificium, tubulum dimidij digiti longitudine aptant ex materiâ ceræ simili, per quem apes, alis eo quod è floribus decerpserunt onustis, ad suas operas ingrediuntur. Acidiusculum est mel istud, cuius paulò amplius librâ præbent singula aluearia. Aliud genus paulò maius nigrum, superiùs tamen candidum est. Orificium, quo in arborum cauum ingrediuntur, confectum habent ex cerâ alteri materię commixtâ, lapide durius. Harum mel superius bonitate longè superat, illiusque tres mensuræ, siue veterum congius nonnumquam ex vnico alueari eximitur. Tertium genus Hispanicas magnitudine excedit, sed aculeis caret, impetu tamen in eos fertur, qui fauos eximere volunt, mireque sese capitis & barbæ pilis implicat. Harum interdum aluearia duodenas aut plures libras mellis, multò quàm reliquarum præstantioris, continent. Americanæ, inquit Lerius, apes nostris dissimiles, [& exiguas illas muscas, quæ æstate, præsertim maturis vuis, nobis infestæ sunt, potiùs referentes, suum mel & ceram conficiunt per siluas in arborum cauis, vnde incolæ vtrumque probè eximere norunt. Fauum, è quo mel nondum exemptum, yra-yetic appellant:

lant: yra enim illis *mel* est, yetic cera. More nostro melle vescuntur: ceram verò, quæ instar picis ferè nigra est, in massas conuoluunt brachiali crassitudine. Sed neque funalia neque candelas ex eâ parant, (noctu enim nullo alio lumine vtuntur, quàm certi ligni fragmentis accensis, quæ lucidam flammam præbent) at ingentium cannarum lignearum tubos (in quibus suas plumas, ne à certo papilionum genere, ipsis *trauers* dicto, corrumpantur, conseruant) istâ præsertim obturant. Antonius Herrera in Prouinciâ Verę-pacis scribit reperiri apes sine aculeo, clarum mel conficientes; quarum aliæ sint armatæ & noxiæ, quemadmodum nostræ, aliæ paruæ vt muscæ, optimè tamen mellificantes; aliæ noxij nectaris, quod dementet gustantes. Nullæ fauum conficiunt, sed condunt liquorem sub humo, aut in cauis arboribus mel liquidissimum, & acescit nonnihil. Vlricus Faber scribit, in terrâ Marchkasiorum, si quis siluas ingressus in arbore quacumque foramen faciat, posse ex arbore quinque vel sex mensuras mellis accipere, quod instar mulsi ab exiguis apibus neminem cædentibus conficitur. Hoc mel ad comedendum optimum est, & vinum inde suauissimum præparatur.

CAPVT II.

De scorpionibus Guatimalicis.

SCorpiones Guatimalæ maximi sunt: superant sorices. Ibidem bufones parui per arbores veluti volucres vociferantur, magnum sonum vituli instar edunt. Sunt quoque in eadem regione quidam vermes villosi & crassi, tactu solo venenantes.

CAPVT III.

De cucuijs.

IN Hispaniolâ ceterisque insulis Oceaneis loca sunt palustria, pabulandis armentis aptissima. Sitas in marginibus eorum colonias, diuersarum specierum culices, ex humenti illo calore creati, acriter infestant. Propterea humiles ædificant incolæ domus, & paruas extruunt in eis ianuas, domini vix capaces, ac sine foraminibus, ne culicibus pateat aditus. Abstinent etiam ob id ab accendendis cædis, quòd natiuus culicum instinctus sit, lumen sequi. Ingressus tamen sæpè reperiunt. Dedit pestem illam natura, dedit & remedium: vti nobis cattos ad fœtidam murium progeniem extirpandam præbuit; culicum dedit illis lepidos & multis modis commodos venatores, cucuios appellatos. Hi sunt alati vermes, innoxij, vespertilionibus paulò minores Scarabæi genus ego potius dixerim, quòd eodem ordine sub alari durâ vaginâ alias habeat alas, quas intra vaginam reducat quiescens à volatu. Huic animanti, veluti noctu splendescere noctilucas videmus muscas, & inter sepium densitatem vermes quosdam inertes, prouida mater natura quatuor præstitit lucidissima specula; in oculorum sede duo, in ilibus sub vaginâ latentia duo: quæ tunc ostendit, quando more scarabæi, euaginatis tenuibus alis, aërem captat; vnde quatuor cucuius quisque secum affert lucernas. Sed quo pacto sint medela tanti mali, quantum est, à culicum aculeis infestari, qui sunt alicubi apibus paulò minores, gratiosum auditu est. Qui vel culices domi habere hospites infensos intelligit, vel qui vt ingrediantur timet, cucuiorum inuigilat venatui, quos fallit hac industriâ, quam opifex mira necessitas exquisiuit. Primo noctis crepusculo exit domo cucuiorum indigus, titionem manu gestat ignitum, tumulum, vnde queat à cucuijs prospici, ascendit vicinum, elatis vocibus cucuium appellando, circumrotat titionem, cucuie, cucuie inclamitando, aërem obtundit. Ad vocantis reboatum simplices putant nonnulli, cucuios, eo delectatos strepitu, conuolare: veniunt namque properanti ac præcipiti accessu. Ego verò accurrere arbitror ad titionis fulgorem cucuios, quòd ad lucem quamcumque agmina culicum aduolent, quibus cucuij vescuntur in aëre ipso, vti cipselli & hirundines. En cucuiorum numerum optatum. titionem venator manu proijcit. Titionem aliquando sequitur cucuius aliquis, & solo se dimittit: captu facilis tunc est: vti scarabæum ambulantem vaginâ clausâ, licet viatoribus, si quis eo indigeret, capere. Negant alij hoc pacto solere capi cucuios, imò aiunt paratos habere venatores frondosos maximè ramos aut latam lineam, quibus altò circumuolantem percutiunt cucuium, in terramque impellunt, vbi iacens torpescit, & capi se patitur; vel, vt alij dicunt, secuti volucris lapsum frondoso eodem ramo, vel linteo proiecto super eum, prædam assequuntur. Vtcumque fit, venator venatore cucuio apprehenso, domum reuertitur. Ostiolo domus clauso, prædam soluit. Totam circuit præcipiti volatu domum quæritando cucuius culices, sub lectis pensilibus, & circum facies dormientium, quas implere culices assueuerunt. Custodum officio, vt quie-

scere

ſcere queat incluſi, fungi videntur. Faceta v-tiliſq; à cucuiis manat alia vtilitas, quot ocu-los quiſque cucuius pandit, tot candelarum lumine fruitur hoſpes. Ad volitantis cu-cuij lucernas nent, ſuunt, texunt incolæ, ducantq; choreas. Putant incolæ cantan-tium concentibus oblectatum cucuium, ad tripudiantium actus ſuos & ipſum in aëre motus exercere. Ipſe autem pro varijs cu-licum circuitionibus, varias neceſſariò cibi causâ vias circumambit, raptim volitando. Legunt etiam noſtri ac ſcribunt ad eam lucem, quæ ſemper viget in cucuio, donec habeat vnde benè paſcatur. Culicibus verò iam expurgatis aut exploſis, eo fameſcente, lumen deficere incipit: idcircò vbi langue-ſcere vident eius lucem, oſtiolo aperto, dant operam vt liberetur, & eſcam quæ-rat. Ioci causâ, vel quo vmbras quaſcum-que formidantibus terrorem incutiant pe-tulantes, pleroſque aiunt perempti cucuij carniculâ noctu aliquando faciem confri-caſſe, obuiàm ituri flammante vultu vici-nis, exploratis quà erant profecturi, vti apud nos interdum laſciui iuuenes, ſumptâ in faciem hiante laruâ dentatâ, pueros aut facilè pauentes mulierculas deterrere ſo-lent. Reſplendet enim cucuij maſſâ facies illinita, more flammæ ignitæ, breuî tamen tempore ignea virtus ea langueſcit & extin-guitur, cùm ſit lucidus quidam humor, in tenui ſubſtantiâ receptus. Eſt à cucuio mira commoditas alia. Noctu gradiuntur inſu-lares, à noſtris deſtinati libentiùs, duobus cucuijs ad pedum pollices alligatis. Non ineptiùs pergit viator luminibus cucuiorum ducibus, quàm ſi totidem ſecum afferret candelas, quot lumina cucuij patent. Ge-ſtat & manu alium, quò vtias noctu quæ-ritet. Sunt vtiæ cuniculi quoddam genus, paulò murem ſuperantes magnitudine cor-poris, quem ſolum quadrupedem, ad no-ſtrorum vſque aduentum norant, & eo ve-ſcebantur. Piſcationi etiam, cucuijs lumen præbentibus, intendunt. Legendis quoque epiſtolis cucuij lumen ſatis, & dignoſcendo noctu humanos vultus. Hæc Petrus Mar-tyr. Adijcit Anonymus ſcriptor non con-temnendi iudicij, qui hiſtoriam Hiſpaniolæ idiomate vulgari compilauit, cuius apud me manuſcripta ſunt, poſſe in Breuiario mi-nutæ litteræ abſolui matutinas Horas ad eorum lumen. Idem Auctor ſcribit, viſce-ra horum ſcarabæorum volatilia luminoſa eſſe, plena ſcilicet & ebria luce, & cutem ventris diaphanam; ideò cùm volitant, aut cùm explicantur alæ, vibrare ſplendorem. Ad primam noctem prodeunt, montes & campos luminibus implent, tamquam ſi candelæ accenderentur: nec enim valdè in ſublime attolluntur. Capto vno, plurimi capiuntur; conuolant illò vbi aliquem com-prehenſum viderint. Quæcumque illinun-tur humore & viſcere eorum coruſcant, ſiue humana caro ſit, ſiue veſtimentum, ſed non diuturno fulgore. Sunt aliquæ horum ſca-rabæorum differentiæ, grandiores aliqui ſunt, ſunt & minores.

CAPVT IV.

De gryllis.

LVes quadam ingruens in ciuitatem S. Thomæ, & morticina, fœtore for-taſſe mortuorum, & calore ægrotantium aduocauerunt innumeros gryllos, infenſos ſtramentis & veſtibus, & ipſis languenti-bus: quâdam enim aſperâ rotulâ, quâ ſtrepitum & cantum edunt, omnia cor-rodebant, etiam aures ægrotorum, & na-rium tenuiores partes.

CAPVT V.

De arauers.

QVoddam papilionum genus appel-latur à barbaris arauers, vt Lerius ſcri-bit, gryllorum magnitudine. Gregatim ad focum, vt & grylli, accedunt, & ſi quid offendant, exedunt. Thoraces coria-ceos & calceos ita corrodunt, vt ſuperfi-ciem penitus abſumant: gallinæ, & alia ci-baria negligentiùs condita, manè reperien-tur ad oſſa vſque carnibus nudata.

CAPVT VI.

De vermibus montanis.

INueniuntur in arboribus Chiappæ ver-mes, quos vocant montanos. Indi quo-que illos nutriunt quibuſdam pannis, vbi emittunt ſemen, ſuo viuificandum tempo-re inſtar bombycis. Reponuntur in arbo-ribus poſtquam creuerint, premuntur vt ex-primant butyrum rubrum, mox in placen-tulas redactum, & Sole toſtum, palleſcit, vtiliſſimum tumoribus mitigandis.

CAPVT VII.

De alijs vermibus Chiappæ.

ALij vermes ſunt in Chiappâ, quos ſi equus peſſumdet, vnguem mutat. Alij pro cauſtico ſunt: impetigines ſe-mel

mel impositi medicantur, sed incredibili adustione. Alij sunt nigri, glandi æquales, & maioris adustionis, quibus achar mundatur.

CAPVT VIII.

De miguis.

Miguæ, importunum & molestissimum pulicis genus, saltitant, pulueris amicæ. Inter ipsas carnes humanas nidificantur, ibi ouula sua pariunt. Temperiem cæli amant: vbi frigus aut æstus vincit, non gignuntur. Feruntur noxiæ pedibus dumtaxat, ibi sub cute plures lendes parturiunt. Lendes rursus alias pariunt, miraque fecunditate multiplicantur, nec nisi igne aut ferro ijs medicina. Multi pedum suorum digitos amiserunt hac plagâ, nonnulli pedem integrum. Coacti sunt incolæ cum calceis dormire, aut aliter contectis pedibus. Ioannes Stadius scribit, hoc genus pulicum vocari attun, & ex sordibus humanis per tuguria prouenire. Lerius vocat ton.

CAPVT IX.

De yetin.

Vocat Lerius yetin pulices adeò lancinantes leuiùs indutos, vt mucrones acuum referant.

CAPVT X.

De culicibus paruulis.

Anonymus meus Hispaniolæ scriptor, commemorat paruulos pulices, inuisibiles præ exiguitate, qui pungant & adurant manum quasi ardenti acu. Discernas obtutu culicem. Littus maris amant hæ bestiolæ: neque enim inueniuntur in locis interioribus. Aduersus eos cinguntur domus ramis arborum, interdum flatu diurno dissipantur, nulla tunc ab illis molestia.

CAPVT XI.

De axin, quæ pinguedo quædam vermium est.

Plurimum vsum vilissimæ etiam naturæ hîc videbimus. Nascuntur, inquit Franciscus Hernandus, in arboribus guampatli, aut alijs, quas nostri ob similitudinem prunos vocant (cùm tamen ad myrobalanorum Arabicorum pertinere genus alicui fortassis videri possit) vermes quidam hispidi, axocuillin, seu ferentes axin, pallentes, vix longi binos latos digitos, ac pennam crassi anserinam. Hos indigenæ ab arboribus deturbatos permittunt ad ignem ex aquâ elixari ac discoqui, donec comminuantur, & adeps eiusdem coloris, axin nomine, supernatet atque emineat. Colligunt hunc ad vsus multiplices incolæ, & conformant in globos, è butyro vaccino parari solitis haud absimiles, olei odore & lenitate, & ad omnia, quibus oleum conferre solet, præstantissimos, non tamen in nutrimenti vsum adhuc venêre. Dolores, quamcumque partem corporis obsederint, sedant: neruos tensos laxant emolliuntque, discutiunt tumores, aut, si natura in id potiùs propensa sit, maturant: erysipelatis desinentibus conferunt, vlceribus ferunt suppetias, conuulsisque, nec non enterocelis, additâ resinâ ac picietl, collectionesque cuiusuis generis breuî admodum minuunt atque discutiunt.

CAPVT XII.

De tetlatoca.

Tetlatoca genus est vespæ aculeatum, pungensque, ita vocatum, quoniam singulis quibusque diebus, effossâ terrâ, & aliò delatâ, parat cubile, sed fauos minimè construit. Nigrum inclinat in cæruleum, si alas excipias, quæ fuluæ sunt, & cornicula, quæ luteo colore tinguntur. Viuit in montibus Tepoztlanicis.

CAPVT XIII.

De formicis.

Reperiuntur in Philippicis insulis duo formicarum genera, sulum dicta, quarum aliæ sunt sex digitos longæ, ac crassæ digitum latum, coloris nigri nitidique, rictu dimidij digiti, prædurâ maxillâ, & eodem quo corpus colore, cui tres hærent dentes tenues & firmi, viuuntque in montium arboribus. Aliæ sunt alatis formicis similes, & aliquantò maiores. Viuunt in campestribus, atque aduersus hyemis iniurias congerunt arenæ aceruos incredibilis magnitudinis, intra

intra quos fauos construunt, vbi & tutæ & munitissimæ degunt. Circa montem Leçnæ album genus formicarum est, idolis inclusarum. Vocāt idola quędam Chinas, quæ pyramidis artificiosæ formam referunt, in quibus formicæ albæ, quæ foras non prodeant, sed internis cellulis distinctæ, vt quo viuant cibo incertum sit, reptantes cursitantesque apparent. Has Chinas formidant barbari. Quoties mancipium coëmunt, ante pyramidi huic vinum aliaq; offerunt, mancipium sistunt, eique quodammodò deuouent, orantes vt ipsum, si fugam ineat, serpentes, lacertæ tigridesque dilacerent. Quas serui minas adeò exhorrescunt, vt etsi ab heris acerrimè vapulent, inire fugam minimè ausint.

CAPVT XIV.

De temictli.

HAbet nouus Orbis æmulum bombycis alium vermem, temictli dictum: qui se, postquam in iustam magnitudinem adoleuit, in membranam feralem ab ipso filis intextam condit; & deinde, ac si parum esset, suapte sponte detrusum in carcerem exhalasse animam, se libitinamque suam à surculo aliquo suspendit, vt procedente tempore in volatilem papilionem vertatur, ac insperatas subeat transformationes.

CAPVT XV.

De hocitexca.

IMportuna & magna cimex hocitexca dicitur, denarium argenteum æquat magnitudine, teterrimo odore, & haustu sanguinis infensa: morsu excitat rubeas eruptiones.

CAPVT XVI.

De verme cornuto.

APud Michoacanenses vermis inuenitur, ytzuaqua & sipantipe dictus. Duobus corniculis rubris iter prætentat, nigro fuscoque variegatus.

CAPVT XVII.

De igneo verme, siue teocuilin.

TEocuilin genus est cantharidum paruarum, rubri capitis, pectoris smaragdini, & reliqui corporis fuluidi. Aiunt, lepræ illitas, atque confricatas, mederi. Viuunt apud Hocitalpenses. Est autem teocuilin igneus vermis, & ab igne aut vrente naturâ impositum est insecto huic nomen.

CAPVT XVIII.

De pollin.

MIrificam vim excludendi spicula pollin habet. Insectum est paruulum, centipes: tritum & impositum, aculeos & sagittas ocyus extrahit.

CAPVT XIX.

De hirudine tenui.

LVmatec appellatur molestissima hirudinis species, inter herbas & montium arbores viuens, semidigitum longa, & impensè tenuis. Adhærent iter agentibus, subeuntque quosuis humani corporis meatus, etiam angustos & fœdos, neque priùs discedunt, quàm humano satientur sanguine: tunc enim sponte cadunt, ac minùs infestant Sole vigente. Remedium est, arundinibus quibusdam præacutis eas auellere, aut sese tueri intra aquas, confidendo saxis, si quæ fortè adsunt, aut pyram construere, atque interponere ignem.

CAPVT XX.

De scarabæis Indicis.

VArium scarabæorum genus noui orbis, temolim dicuntur. Quorumdam cornua derasa, & sumpta aquâ, aiunt mirificè excitare Venerem.

CAPVT XXI.

De marsupio terrestri.

TLaxquipillin seu marsupium terræ, dicitur vermis quidam niger: eius puluis insperfus medetur lepræ.

CA-

CAPVT XXII.

De coyayahoal.

PRædurus vermis eſt coyayahoal, alijs tzinchoillin,alijs ichcaton dictus, ſupernè fuluus, pede numeroſo purpuraſcens. Arefactus, tuſus, & aquâ dilutus, maxilliſque quotidie bis illitus, dolores dentium placat.

CAPVT XXIII.

De tenamaznanapaloa.

HOc inſectum tenamaznanapaloa nomen meruit à lapillis pedibus apprehendendis,quæ eſt eius natura.Cornua fert tenuia, longa, ac ſeipſo triplo prolixiora. Locuſtæ videtur genus, eiúſve inſecti quod apud Hiſpanos vocant ceruam paruam. Cruſtatum animal, ternis vtrimque pedibus, longiſque, ſed qui ſenſim procedentes verſus caudam fiant breuiores. Innoxium eſt.

CAPVT XXIV.

De araneo aureo.

DIuitiarum ſimulacrum erexit natura in laualauâ. Aranei paruuli ſunt,aureique, & punctis rubris diſtincti. Vulnus eſt noxium, ictuſque agit in inſaniam, membriſque ſubinde ſtuporem inducit, non ſine anxietate & dolore. Præſidium eſt, tubæ prioris tambalaguiſæ & pilipoc ſingulorum tres obolos tundere, atque ex vino palmarum reſolutos deglutire, aut oleum, cuius mixtionem narrauit Franciſcus Hernandus inter plantas nouæ Hiſpaniæ,illinere vulneri.Cauendum tamen primis tribus diebus à potu; aut ſi bibendum ſit, vinum palmarum aut noſtratum, quod præſtantius eſt ſumendum; præterea ab aëre & Sole. Viuunt in pratis herbiferis Philippicarum inſularum.

CAPVT XXV.

De atocatl.

ATocatl ſeu araneus verſans in aquis, rubro, aureo & nigro variatum colore telam ducens magnâ ex parte, vitamque agens iuxta plantam vocatam ab incolis metl, leuiſſimi atque innocentiſſimi ictus, mirum quâ dexteritate opus peragat, filis hinc atque illinc diſtractis, & in orbem velut circino quodam compoſitis ſtaminibus, deinde verò intexto atque ſtipante ſubtegmine.

CAPVT XXVI.

De araneis magnis.

EXcellit columbinum ouum ahoachtocatl. Alij quitlalhochocatl dicunt. In tâtâ mole nullius veneni eſt. Aliç apud Caribes araneæ exæquant dimidium malum citreum,ſed cruribus exiguis. Dentes illis longi & acuti: elaborant telam ſatis conſtantem (poſſet feminis pro calanticis ſeruire) & cum orâ ſeu fimbriâ texunt. Ablui poteſt, & alba redditur. In aliquarum telis ſi paſſer incidat aut alia volucris, irretietur.

CAPVT XXVII.

De araneo ſpinoſo.

HOitztocatl,ſeu araneus ſpinoſus,morſu dementat, ſuperiore & mediâ corporis portione ater, cetera luteus, forma aculeata & ſimilis tribulo, inde impetrauit nomen. Hoitztli ſpina eſt.

CAPVT XXVIII.

De araneorum generibus.

TOcatl dicitur natio araneorum. de quibus hæc Franciſcus Hernandus. Primum araneorum genus teacoltocatl, ſeu ſtercoris araneus vocatur, mediocri corporis magnitudine & colore, inter nigrum & fuſcum conſtans. Secundum, quod maius eſt,tocamaxacualli dicitur eodem pænè colore. Tertium tocatl zintlatlauhqui, minus prædictis, ac nigri coloris, valdè venenatum, & quod contuſum admotumque dicatur lateris ſedare dolorem. Quartum tzintlatlauqui nuncupatur, quod etſi toto ferè corpore nigreſcit, maculâ tamen rubeâ inſignitur. Eſt & aliud dictum tocamaxacual,corpore magno,fuluo atque hirſuto.& ſeptimum,omnium maximum,tlalhocheltl, coloris nigri, palleſcentis atque cinerei eſt; & ocolotocatl,ita nominatum, quòd tigris pellem colorum quadam varietate tenus imitetur: nec non hoitztocatl ab ſpinis nomen ſortitum; & atocatl ab aquis iuxta quas ſolet verſari, interſtinctum nigro coccineoque & pallido colore. In maritimis locis maximos audio reperiri,

nec scio quodpiam eorum genus valdè nocentis esse veneni, etsi nonnulli morsu sint noxij, & tocamaxacualli difficilè sanabilia infligere vulnera, quæque (si cicatrice obduci contingat) alijs atque alijs locis renouentur, eademque non morsu aut ictu excitata, sed incessu, confricatione, & redditis alui excrementis.

CAPVT XXIX.

De papilione.

HOitzitzil papalotl, seu papilio similis hoitzitzillin, vnde nomen meruit, oblongo est corpore desinente in tenuitatem, & transuersis quibusdam lineis, auri coloris distincto, sed maculis nigris interfertis, alarum superiora eodem colore distincta sunt, sed inferiora rubescunt, lineis haud absimiliter per transuersum discurrentibus. Cetera papilionum reliquo generi consona. Sunt & aliæ innumeræ apud nouam Hispaniam differentiæ admirandis variatæ coloribus, pulcherrimæ. Illud hîc obiter monebo, in quibusdam papilionibus magnis huius antiqui mundi pro linguâ esse filum sanguineum oblongum excedens reliquum corpus, quod conuoluit vt in buccâ recipiatur, quam habet, vt illud commodiùs extrahere possit, sectam à superiore parte capitis vsque ad inferiorem, vt pænè totum caput scissum sit.

CAPVT XXX.

De nopal ocuillin, seu tunarum vermibus.

FAmiliare est huexutlæ, prouinciæ Panicensis, tunarum genus, folia ferens longa, & angustiora ceteris, intra quæ solent vermes generari lineis candidis cyaneisque distincti, mirabilis facultatis in curandâ insaniâ, si bini tusi, & resoluti ex aquâ semel intrà sumantur; aut si inueteratus sit morbus, bis aut ter: inducitur enim è vestigio somnus, permissusq; ęger dormire, paulò pôst mente constans expergiscitur, atque resipiscit. Sunt autem hi vermes innoxij, neque vllum inferre nocumentum solent, si intra corpus deglutiantur: quo fit, vt intrepidè possint propinari. Addunt, paralyticis atque epilepticis eâdem mensurâ conferre.

CAPVT XXXI.

De cuchipilutl, seu verme qui inducit somnum.

VErmis genus est iuxta moros aut salices versans, bombycis magnitudine, & pænè formâ, sese illius instar Octobri mense firmâ conuoluens membranâ, ac prodiens Aprili, conuersus in papilionem. Suspendunt hunc Indi infantium cunis, atque ita somnum illis conciliari credunt. Vnde imposuere ei nomen. Idem in puluerem redactus, ac ex vino patrio, quod pulque vocant, totus potus, Venerem stimulat. Mexicanis agris prouenit, & ex his quas dixi arboribus victum sibi quærit.

CAPVT XXXII.

De spongijs formatis.

AMacpalli seu manum coccineã appellant Indi quoddam spongiæ marinæ genus in Australi pelago. Imitatur manus effigiem, in digitos longos & teretes discissa: durioris est quàm ceteræ calli. Nec hîc prætereunda est alia spongię forma à Clusio exhibita, quæ quasi infundibulum imitabatur, aut floris imaginem exprimebat; nam tota caua erat, & firma parte quâ saxo inhærebat, valdè angusta, deinde sensim sese attollens, expandebatur, inæqualiter tamen, cùm vno latere ad nouem vnciarum latitudinem dumtaxat assurgeret, aduerso autem ad vndecim vncias pertingeret. Oræ inęquales erant & sinuosæ in interiorem partem, interdum adeò reflexę, vt foliorum formam quodammodò exprimerent. Amplitudinis diameter supernâ parte tredecim erat vnciarum cum semisse, exteriore parte lobũ quasi foliolum adnatum habebat, interiore verò bina foliola instar calycum formata: tota autem materia vulgares spongias referebat. Longè quidem maiores videre memini, sed informes: vnam tamen cùm Mompellij viuerem, tempestatibus eiectã in maris littus, quæ amplissimi petasi formam exactissimè imitaretur. Hæc satis collegisse, demirando naturam sentientem, & nouis celebrando hymnis Auctorem. Plura narrare possem: nullus terminus potentiæ diuinæ; quare nec historiæ. alij aliter fortasse scribent aliqua, sed non est vna natura. Loco accommodatur, & pro regionibus varia. Possumus dicere vera, licet differentia. Successiuis ista collegi horis, contemplationem naturæ miscens alijs studijs. Exactiùs digeri possent, & diligentiùs

gentiùs requiri, ſed de affectu magis quàm de curioſitate mereri volui: illi hæc ſuffi-ciunt. Appendam dumtaxat, ne alia natu-ræ membra, licet ignobiliora quàm ſen-tiens claſſis, contemnere videam, quæ de plantis & mineralibus minùs communia occurrunt, ſine nimiâ diligentiâ; diſtractus fui alijs occupationibus: furtim iam ſolùm naturam mirari licuit. Dabo nihilominùs aliqua exotica ceteræ naturæ, fortaſſe ali-qua nondum nota.

CAPVT XXXIII.

De alcyonio peregrino.

PRoxima narratio ſpongiæ inuitauit, vt colligerem priùs nonnulla quæ humor concipit. Viſum alcyonij genus, quod ma-nus aut chirothecæ figuram imitetur, in quatuor lacinias digitalis longitudinis, ca-uas, inanes ac velut tuberibus cineracei co-loris exteriore parte obſitas, ſectam, valdè referebat; interiore parte leuiores minutiſ-ſque foraminibus exciſas. Tota planta ſpon-gioſæ cuiuſdam naturæ & leuiſſimæ erat. Aliud etiam deſcribit Cluſius alcyonij ge-nus ex Americâ allatum. Illud autem erat monſtrum, & valdè admirabilis formæ, quia ceruina cornua cum cranij, cui adhæ-ſiſſent, parte, quemadmodum referebat, in varios ramos ſparſa, infernâ parte denſo corpore & craſſo, ſpongioſo tamen, & re-tinente ſcopuli cui adnatum fuerat, & in-hæſerat fragmenta. Cornua ipſa ſeſquicu-bitalis erant longitudinis, & palmaris aut amplioris craſſitudinis, in varios ramos ſatis craſſos ſparſa, cauos tamen & ſpongiosâ, rudi craſſaque materiâ conſtantes, ac velut reticuli inſtar compoſitas, vt lumini oppo-ſiti tranſparentes eſſent & peruij. Color ad ſpadiceum tendens: ramulorum nonnulli ſingulares erant, quidam etiam gemelli, & ex parte interdum coaleſcentes: ſapor val-dè ſalſus erat, nam illo ipſo anno è mari erutum.

CAPVT XXXIV.

De arbore lapideâ.

MArinis innaſcitur ſaxis atexcalque-huitl, ſiue arbor lapidea aquæ: ger-minat ſaxeos ſtipites, fuſcos & orbos folijs. Aliquibus placuit antipaten Dioſcoridis eſſe, aut charitoblepharon ſeu Iſidos plo-camon Plinij.

CAPVT XXXV.

De fungo lapideo.


AD littora Auſtralia Nouæ Hiſpaniæ lapis fungiformis inuenitur. Variega-tur ille coloribus albo, cinereo & ſub ru-beo. Salſitas edax aquarum fortaſſe ſic ip-ſum effigiat.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER XIV.

CAPVT PRIMVM.

De arbore illustri.



PRODIGA vegetantis animæ natura latissimum campum offerebat: non vacat metere omnia; carpam aliqua, & velut spicilegium, prout obuersantur res, faciam, imitatus in hoc ipso naturam, quæ inordinatâ variegatione prata comit & amœnat. Creditum est insulanis Zeilan, patriam suam fuisse paradisum. Cuiusdam montis culmen vocant verticem Adami, cuius pedis vestigium ibi dicunt expressum, ibi pœnituisse. Ibidem aiunt esse arborem mediocrem, sed crassam, exigui folij & crispi, puluerei coloris in cortice cinerei, quæ noctu coruscet, & fuget tenebras. Alibi de loco paradisi disserui.

CAPVT II.

De arbore aureâ.

IN Hispaniolâ arborem quamdam auri venas habere compertum fuisse, scribit Petrus Martyr. Quacumque pateat iter, è radice, inquit, per apertas mollesque scatebras ramos ad superna supercilia montis emittit: neque vmquam datur quiescere, donec cæli auram assequatur. Formare ibi, viso aëris fulgore, bracteas & grumos pro fructu, animaduerterunt. Hæ sunt quæ per vniuersam disseminantur insulam, per alluuies raptatæ ad ima, de naturâ ponderosorum. Non autem illic procreari putant, vbi leguntur, in sicco præsertim; in fluminibus aliter. Radicem arboris aureæ tendere ad terræ centrũ, inquiunt, & ibi coalescere: quò namque profundiùs effodiatur, eò truncos reperiunt crassiores, si per montis scatebras liceat. E ramis filo subtiliores aliquos captant, digitos æquãtes alios pro scissurarum hiatu. Accidit & incidisse in cauernulas auro fultas. Per ramorum tamen ascendentium vias, quibus repletis ex substantiâ trunci serpente, ab imo carpit iter ramus, quà pateat. Intercipitur sæpè saxi soliditate, in ceteris rimis tamen nutritur ex halitu & virtute radicum. Hæc ille. Hîc appendi posset Alexander Neapolitanus, qui certis ac fide dignis Auctoribus, se comperisse scribit vites prope Danubium quandoque emersisse, quæ clauiculos & folia ex puro auro candicantia tulissent, eaque Regibus & summis Ducibus donata fuisse. Gaudentius Merula adnotat, iuxta Schemnitium vrbem Pannoniæ idem contigisse. Idque referunt Fulgosius & Mizaldus lib. 2. Mirabilium, cap. 1. Causam putant auri fodinas sub vite latentes; quare & aureum virgultum apud Virgilium haud fabulosum omnino, fidem plantis auriferis præstare posset. Dens pueri Silesij innatus ex puro auro, de quo scripserunt Libanius & Horstius.

CAPVT III.

De arbore Iucaiæ.

MIrandum genus plantæ Iucaia fert. Arbos est malo punico similis, neque minor, sed frondosior: cortice denudatur, quemadmodum suber. Quotannis excorticatur, non propterea læditur, nulla glandium iactura: quod etiã de cinnamomo dicitur. Cortex ille garyophylli suauem odorem præ se fert, cinnanomi saporem, gingiberis amarorem. Eius rami hospitia columbarum. Tot ibi recipiuntur, vt ex proximis regionibus illuc traijciant ad venationem, & referant naues onustas. Credo pellici has aues suauissimo frondium odore.

CAPVT IV.

De mulli arbore.

EIus fructus minuti & rotundi, frons exigua & pertinacis viroris. Granula superficie tenus dulcia, amarescunt intus. Inde

Inde iucundus potus, contrectato in aquis fructu donec nectar suum concedat; statim extrahitur, percolatur aqua, & triduo aut paulò plus seruata satis conditur. Leuat affectos iecore, renibus, vrinâ. Mixta potioni ex maizio, perficit illam, & condit delicatiorem. Ipsa aqua cocta condensatur in mel. Ad Solem acesit, ad vsus alios vicaria aceti. Lac & resina arboris vulnera claudit. Aqua quibus folia decocta, emundat scabiosos, inueteratas plagas sanat. Testucæ ex ramis, idoneæ expurgandis dentibus. Carbo ex trunco optimus, tenax ignis sui.

CAPVT V.

De gacirmâ.

GAcirma arbor moro similis, fructus quoque mora, Europæis duriora: recentia idonea esui. Ex illis madefactis extorquetur sapa, optima purgando gutturi & raucitati. Ignis velut à silice percusso elicitur ex ramis exsiccatis.

CAPVT VI.

De mocarice.

MOcarix arbor patulam æquat morum. Gossypium in ramorum cuspidibus creat, fruticeo, quod seritur quotannis, non minùs vtile. Lanam fert alia vti apud Seres, filatui & intextui aptam: sed eâ minimè fruuntur, quòd arietina illis lana iam superet in immensum, neque opifices habeant lanificio deditos ad hunc vsque diem. Decennio hanc arborem dicunt perire.

CAPVT VII.

De platanis.

NIhil dissimilius platano, quàm planta illa quæ istud vsurpauit nomen in recenti orbe, & alijs plagis veteris. Fructus vulgaris est. Plantanus siue platanus, dictus minor, digitalis, oblongus & rotundus; longior ad dodrantem accedit, iucundus est crudus conditúsve; truncus è terrâ frondosus, folijs vsque duodecim dodrantes productis, quatuor latis. E germine ipso racemus vnicus pendet, aliquando ferè ducentis plantanis copulatis onustus, si paruuli, vsque ad trecentos. Mors plantæ, fructus: eo maturo, statim siccatur. Semel fecunda est, ideò fecundissima; & cum successore decedit, stipata nouis surculis. Fortasse excellentia aliqua nomen plantæ commune traxit ad istam plantanum dictam, inde pronus lapsus, vt abiecto vno elemento, platanus diceretur. Noster Blasius Valera, in Fragmentis diligentissimi Operis, immaturos racemos secari scribit, ne arborem pondere confringant. Tenera & segnis est, & inutilis ligno, & igni. Bottros in dolijs maturos fieri, quadam herbâ opertos. Petrus Martyr putat appellandam caulem, quòd sit velut carduus medullosa, non solida, quamuis ad lauti celsitudinem surgat. Neque aliquam huius Auctoris sententiam de hac plantâ subticebo. Qui eâ, inquit, fruuntur, platanum appellant, cùm longissimè distet à platano, nec vllam habet cum platano propinquitatem. Est namque platanus arbor solida, ramosa, ceteris arboribus frondosior, sterilis, alta, procera, viuax, vti audiuisse aliquando Excellentiam tuam credendum est: hæc, vti dixi, ferè inanis, fructifera quidem, parum frondens, hebes, fragilis, vno tantùm vimine, sine ramis, paucis contenta folijs sesquilacertalibus longitudine ab summo, latitudine bispithamali constat; ab imo acutis arundineisque folijs persimilibus. Cùm languida per hiemis rigorem fiunt, caput demittunt, & terram spectant, suo pondere tracta. Vegetæ suæ vitæ adeò est prodiga, vt nono, vel, quando diutiùs, decimo ab ortu mense deficiat, senescat intereatque. Repentè crescit, adulta racemos enutrit paucos ab vtero. Racemus quisque triginta fætus, interdum paulò plures procreat. Hi ad hortensis cucumeris formam præcisi ac magnitudinem, in insulis, in continenti grandiores nascuntur in racemo, & crescunt. Acerbi sunt virides, maturi candescunt. Pulpa butyro est recenti mollitie ac sapore persimilis, nec primò gustanti gratus, assuetis est gratissimus. Protoplasti primi parentis nostri Adæ pomum, quo genus humanum labefactauit vniuersum, esse, vulgus Ægyptium blaterat. Peregrini aromatum inutilium, & suffimigiorum, Arabicorumque odorum, effeminantium ac futilium gemmarum emptores, ad eas terras lucri causâ proficiscentes, musas nuncupant eos fructus; mihi verò, quo nomine arborem illam siue caulem Latinè queam appellare, non occurrit. Versaui Auctores quosdam Latinos, & è iunioribus eos, qui se Latinissimos esse profitentur, percunctatus sum: nemo dirigit. De mixâ fructu quodam facit mentionem Plinius. Non ignarus litterarum quidam, mixam dici debere, quòd à musâ paruo


discrimine vocis distare videatur, inquit. Non sum assensus, quòd ex mixâ Plinius vinum fieri dicat, ex hoc autem vinum confici posse absurdum sit. Plures ex his ego vidi, comedi non paucos in Alexandriâ Ægyptiâ, quando pro Catholicis meis Regibus Fernando & Elisabethâ Soldanicâ fungebar legatione. Abest à meo iudicio, vt vinum inde queat extorqueri. Nunc vnde ad Hispanos earum terrarum colonos hæc insilierit, & cur iam ingrata sit, referamus. Ab eâ Æthiopiæ parte, quæ vulgò Guinea dicitur, vbi est familiaris, & suâ sponte nascitur, primùm aduectam ferunt. Sata in tantum protenditur augmentum, vt multos pœniteat in suis prædijs illam plantasse ac fouisse. Vbicumque semel seratur, inutilem ad reliquos prouentus tellurem reddit (contra lupinorum liberalitatem, qui campos pinguefaciunt gramine complicato) aut montano filice fecundiùs nutrit distenditque radices, ita vt neque vomere vllo aut ligone purgari vlteriùs ager eius receptor queat, quin perpetuo exortu à quacumque tenui vel capillari radiculâ inter glebas latente repullulent nati nouelli, qui matrem viuentem, quando ab eius imo trunco prodeunt adeò sugunt, vt vim eius omnem emungant, & ad intempestiuum exitum trahant. Idem natis ipsis, dein tamquam in maternæ impietatis vindictam accidit, vt fructu præbito statim intereant. Est fragilis, adeò vt quamuis ad humani femoris intumescat proceritatem & lauri altitudinem, vti est dictum, emicet, facili tamen gladij aut baculi percussu vti ferulæ vel cardui planta sternatur. Hæc Petrus Martyr, coniungenda ijs quæ de Musâ arbore habentur Lib. 18. cap. 74, pag. 1839. in Historiâ plantarum.

CAPVT VIII.

De cocco arbore.

COccus est arbor palmæ quàm proximus in similitudine formæ, in modo procreandi valdè dissimilis. Arbor hæc racemos generat duodecim, plures interdum, ad vigesimum vsque; in quolibet racemo botros, vti ex vuâ, sed mille tegminibus vestitos. Botrus quisque denudatus, paruo meloni valdè rotundo est similis, sed cortice testudineâ ferè concham æquans duritie. Coccos appellant fructus illos: textis exterioribus est pluribus tunicatus coccus quàm palmula comestibilis, cum eisdem costulis retibus interligantibus:

COCCVS.



nec minori labore purgari tunicas illas oportet, quàm palmulæ denudentur. Aperti cocci, potum præbent & escam, liquore suaui plenum esse reperiunt. Intra corticem nutritur spongiosa quædam altitudine duorum digitorum inhærens cortici massa, butyro vel abdomini candore mollitieque similis, gustu suauior. Massa illa de interno cortice abrasa, est esui aptissima. Si paucis diebus conuoluta parumper, in ipso vase perstiterit, dicitur liquefieri conuertique in oleum oliuarum, oleo suauius, & ægrotis valdè salubre. Aliud ministerium naturæ vtile recipitur ex hac arbore. Perforant arboris latera, quà folia ex arbore prodeunt: stillare guttatim aiunt in supposita vascula liquorem potabilem, gustui aptissimum, & valetudini consonum. Hæc Petrus Martyr. Meruit tamen huius palmæ dignitas maiorem historiam. Nota antiquis fuit, Strabo ait: cetera verò ex palmâ præbet; ex eâ enim panis, mel, acetum & oleum fit, & textilia vasa. Nu-

Nucleis pro carbonibus fabri ferrarij vtũtur, qui in aquâ macerati, bobus & ouibus in pabulum cedunt. Quare in hoc videtur Horta deceptus, quòd huius palmæ notitiam neget priſcis Græciæ ſcriptoribus. concedit aliquàm, ſed ignobilem, Arabibus. Exhibeo eius ſententiam. Auicenna lib. 11. cap. 498. eam vocat Giauſi albend, quod nucem Indicam ſonat. Serapio lib. Simp. c. 228. & Rhaſis lib. 3. de Remed. cap. 20. arborem ipſam iaralnare, id eſt arborem nuciferam. Vocatur autem arbor ipſa maro, & fructus narel, quod vocabulum narel commune eſt Perſis & Arabibus. In Malabar arbor ipſa tingamaran, fructus verò maturus tenga, ſed viridis adhuc & immaturus eleni, & Goæ lanha: in Malaio arbor trican, ipſa nux nihor, cui à Luſitanis nomen coquo inditum, ob tria illa foraminum veſtigia, quibus cercopitheci, aut alterius ſimilis animalis caput repræſentat. Arbor eſt vaſtæ magnitudinis, folijs palmæ aut arundini ſimilibus, aliquãtulum tamen latioribus, materie fungoſâ & ferulaceâ, flore caſtaneæ. Gaudet arenoſo ſolo, & mari vicino, vt in Mediterraneis haud facile ſit reperire. Seruntur ipſæ nuces, è quibus enatæ plantæ tranſplantantur, & paucis annis adoleſcunt, & fructiferæ fiunt, præſertim ſi diligẽter colantur. Nam hieme cinere aut ſtercore conſpergi volunt, æſtate aquâ rigari. Lętiores tamen euadunt, ſi ſecus ædificia pangantur, quia videntur ſordibus & luto gaudere. Materies ligni cùm ſit procera, ad plurima perquam vtilis eſt, ita vt interdum in Nalediuâ inſulâ (Maldiuâ vulgò vocant) ex hac arbore naues fabricentur, atque clauis, malis, velis & rudentibus armentur. Ex ramis, qui in Malabar olla appellantur, fiunt ædium tecta, & nauium tabulata & opercula. Porrò has arbores in duo genera diſtinguunt: alterum enim fructus ferendi causâ ſeruant, alterum çuræ cogendæ gratiâ, quæ eſt vinum muſtum; hæc autem decocta ab incolis orraqua vocatur. Çura verò in hunc modum cogitur. Præciſis ramis vaſcula alligantur, ad liquorem, çuram eum vocant, exeipiendum: quem vt ex altioribus ramis colligant, arborem conſcendunt, aptatis ad pedes compedibus, & laqueis, aut faſcijs vinculiſque quibuſdam, arbores per interualia colligantes. Hæc çura deſtillatur aquæ ardentis modo, vinumque extrahitur aquæ ardenti per omnia ſimile, vt etiam pannus lineus eo madefactus non ſecùs ardeat, quàm ſi aquâ ardenti intinctus foret. Vocatur autem ſtillatitius hic liquor fula, id eſt flos. Quod reliquum eſt, orraqua appellatur, admiſto ſtillatitij liquoris momento. E çurâ, vel ſurâ (ita enim pronuntiandum eſt) antequam exſtilletur inſolatâ, fit acetum ſatis interdum acre. Sublato priore vaſculo, ſi vulnus in arbore factum adhuc ſuram exſtillet, ſeruatur ea, & Solis æſtu vel igne denſata, ſacchari modo coit; id iagra vocãt. Optima cenſetur quę in Maldiuâ inſulâ naſcitur, etenim nõ nigricat velut quæ in alijs regionibus gignitur. Legitur nux adhuc recens tenero admodum cortice, cinaræ, dum guſtatur, ſaporem referente. Conſtat tenerâ valdè & dulci medullâ, quæ in ſe concluſam aquam ſuauem & dulcem habet, & faſtidium non parientem, multoq; tempore durante. Quantò autem recentior eſt nux, tantò eius liquor ſuauior, tum etiam medius cortex, qui amygdalis ſuauitate non cedit, editurq; à nonnullis cum iagrâ, cuius paulò antè meminimus, aut cum ſaccharo, aut ex eo trito lac exprimitur, cum quo coquitur oryza non minùs ſuauis, quàm ſi cum lacte caprino decocta eſſet. Aut ex hoc & auium quadrupedúmve carnibus edulia parantur, caril illis nuncupata. Maturior verò facta nux, continet quidem etiam liquorem, ſed non adeò ſuauem vt prior, quiq; interdum aceſcat. Nuces iſtę recentes ſiccatæ, atque ſuperiori cortice delibratæ & confractæ, ab indigenis copra vocantur, deuehunturq; in Ormus, Balaguate, aliaſq; regiones, quibus minore copiâ naſcuntur quàm vt exſiccari poſſint, aut in eas prouincias quæ his omnino carent: ſuaueſq; ſunt, ijſque vtimur tamquam caſtaneis ſiccis. Gratiores multò ſunt palato, quàm quæ integræ in Luſitaniam perferuntur. Ex ijſdem fragmentis, ſiue coprâ limpidiſſimum oleum magnâ copiâ torculari exprimitur, non modò ad lucernas vtile, ſed etiã oryzæ coquendæ aptum. Duplex verò exprimitur ex his nucibus olei genus. Vnum ex nucibus contuſis, aquâ calidâ affuſâ, quibus expreſſis, aqua ſupra oleum enatat. Huius vſus eſt ad purgandum excrementis ventriculum & inteſtina; purgat enim leniter, & ſine noxâ. Multi tamarindorum expreſſionem addunt, quod & vtile medicamentum eſſe, ſæpiùs ſum expertus. Si hoc oleum intelligunt Auicenna lib. 11. cap. 498. & Serapio lib. Simp. cap. 228. cùm id butyro prǽferunt, rectè ſentiunt meâ ſententiâ; in eo verò falluntur, quòd ventrem minùs lenire dicant quàm butyrum. Alterum genus olei id eſt, quod ſuperiùs ex coprâ exprimi diximus. Id præter iam dictas facultates, neruis admodum eſt vtile: ſiquidem magnã huius vtilitatem quotidie experientia oſtendit in neruorum contractionibus; & articulorum doloribus antiquis. Hoc enim inunctum ægrum, cupæ grandi, quæ hominem capere poſſit, imponimus, ibique dormire & quieſcere concalefactum ſinimus, magno cum admi-

adminiculo. An verò lumbricos enecet, vt ſcribunt Auicenna locis iam citatis, & Serapio, nondum expertus ſum. Quòd verò ipſam nucem eadem facultate præditam ſcribant, non modò rationi conſonum non eſt, ſed ipsâ quotidianâ experientiâ manifeſtiſſimum eſt, eius eſu lumbricos generari. In Serapionis autem lib. Simp. cap. 228. ſententiam facilè conceſſero; qui Manſarungæ (quem antiquum Meſuen eſſe ait) auctoritate fretus, nucis huius ſiue cocci eſu alui profluuia ſiſti auctor eſt. Alienum enim à ratione non eſt, ipsâ nuce, quæ terreſtrium eſt partium, aluum ſiſti; oleum verò, quod tenuium & aërearum eſt partium, ventrem ſubducere. Nullum autem oleum exſtillat ipſa arbor, ſed dumtaxat ex ipſo cocco exprimitur: tametſi Lacuna in Comment. in Dioſc. lib. 1. cap. 29. ſcribat, in eâ opinione quoſdam eſſe, vt credant dulce id oleum, quod ex hac palmâ ſtillat, Dioſcoridis eſſe elæomeli. Ceterùm duplici cortice integitur hæc nux. Extimus villosâ materiâ compactus eſt, ex quâ fit cairo Malabaribus dictus, hac in prouinciâ magni vſus. Nam & ex eo rudentes & funes nauibus neceſſarij fiunt, qui incorrupti manent iu aquâ marinâ. Ex eodem ſtupæ loco naues obturantur ac ſtipantur, ipſiſq; adeò ſtupis præſtat, quòd putredini minùs ſit obnoxius, & aquâ marinâ imbutus infletur denſeturq;. Nulla certè ex hac villosâ materiâ fiunt aulæa, vt perſuadere nobis nititur Lacuna Comment. in Dioſc. lib. 1. cap. 141. Ex putamine illo interno & præduro, vaſa in tenuiorum vſum tornantur, & etiam carbones fiunt aurifabris perquam vtiles. Sed ea vaſa paralyticos, ſi inde bibant, minimè iuuant, vt putauit Sepulueda, & vulgo Luſitanorum creditum eſt: nam nihil huius fructus neruis ſalutare eſt, præter oleum de quo paulò antè. Sed nec ipſi incolæ huiuſmodi facultates talibus vaſculis tribuunt, nec quiſquam probatus Auctor meminit. Sed minimè prætermittendum putaui, quòd harum regionum incolæ iſtarum palmarum germinibus veſcantur: gratiora enim ſunt palato, quàm aut caſtaneæ molles, aut humiles palmæ, quas vulgò palmitos, Itali cefaglioni vocant. Quò autem vetuſtior eſt palma, eò tenerius & delicatius germen producit; at eo ſublato, perit palma. Hinc fit, vt qui huiuſmodi germen edit, non immeritò palmam vorare dicatur.

CAPVT IX.

De cocco Maldiuenſi.

LAudatur hic coccus, inquit idem Auctor, aut hæc nux (ſed præſertim eius medulla) aduerſus venena. Ab ipſis earũ incolarum inſulis, & à viris fide dignis accepi, ad coli dolores, paralyſim, epilepſiã, alioſq; neruorum affectus ſe vtilem ſenſiſſe. A coli quidem doloribus, quòd vomitũ excitaret: ab alijs verò ægritudinibus immunes reddi ęgros, ſi aquã in ijs nucibus (adiecto medullæ momento) aliquamdiu conſeruatam ebiberent. Sed cùm non ſim expertus, minùs fidei his tribuo: nullam autem periculũ faciendi occaſionem habui; cùm vti malim medicamentis, quorum facultates iam mihi perſpectę, & multâ experientiâ comprobatæ ſunt, qualia lapis bezar, theriaca, ſmaragdi, terra ſigillata, & alia pleraque medicamenta (de quibus ſuo loco) quàm recentibus minuſq; certis. Nam quòd nonnulli dicant, ſe huius vſu commodum ſenſiſſe, an id imaginatione & perſuaſione factum ſit, ignoro. Hinc fit vt nihil affirmare poſſim. Sed ſi quid certius cum tempore exquiſiuero, ſententiã reuocare nõ pudebit. Niger eſt autem huius cocci cortex, & nitidior vulgari cocco, figurâ ouali magnâ ex parte, nec ita rotunda vt vulgaris. Medulla ſiue pulpa interior, quæ ſiccata dura eſt admodum & candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans. In ſuperficie rimoſa eſt, & valdè poroſa, nullo ſapore excellẽs. Doſis verò eſt huius medullę ad grana decem cũ vino & aquâ, pro morbi ratione & naturâ. Inueniuntur interdum iſti cocci pręgrandes admodum, interdũ etiam exigui, omnes autẽ in littus eiecti. Vulgari porrò famâ accepimus, Maldibas aliquando continentem fuiſſe, ſed inundatione maris ſubmerſum, has inſulas effeciſſe, in quibus obrutæ palmæ fuerint, quæ hos coccos protuliſſent, qui terrâ indurati in hunc modũ conſpiciuntur. Sintne verò eiuſdem generis cum noſtris, facilè iudicari non poteſt, cùm hactenus nemo folia aut arboris truncum videre potuerit, ſed ſoli cocci in littus eijciantur, nunc bini coniuncti, nonnũquam verò ſinguli ſeparatim. Sed hos nemini colligere licet, niſi cum capitis periculo: quoniam Regis eſſe aſſerunt, quidquid in littus è mari eijcitur; quæ res maiorem auctoritatem huic nuci conciliauit. Eximitur autem ex his coccis pulpa ſiue medulla, deinde exſiccatur eadem ratione quâ copra, atque indureſcit, eoque venditur modo. Diceres eſſe caſeum ouillum.

GRANADILLÆ RAMVS.



CAPVT X.

De granadillâ.

IN Peruanis montibus sponte nascitur granadilla. Nomen hoc impofuerũt Hispani, ob similitudinem quam cum nostris malogranatis habet: nam fructus eiusdem ferè est amplitudinis, atque etiã coloris, quando maturus est, nisi quod coronâ careat: nunc in siccato si agitetur, sonitũ edit semen intus occlusum, quòd pyri semini simile est aliquantò maius, tuberculis quibusdam eleganter elaboratum, & aspectu iucundum. Pulpa candida est, & saporis expers. Planta hunc fructum ferens hederæ similis est, eodemque modo repit & scandit quocumque loco ponatur. Elegans est, cùm fructu onusta conspicitur, propter eius amplitudinem. Florem habet albę rosæ persimilem, in cuius folijs passionis Christi figuræ delineatę conspiciuntur, quas magnâ diligentiâ istic pictas existimes; eam ob causam elegantissimus est flos. Fructus ipse sunt granatula iam dicta, quæ matura, acidulo liquore abundant, & semine plena sunt. Aperiuntur vt oua, & liquor ille cũ magnâ voluptate sorbetur cùm ab Indis tum ab Hispanis; nec, etiamsi multos sorbeas, vllam vẽtriculi grauedinem senties, sed potiùs aluũ emolliri. Herba rara est, quæ

quæ dumtaxat vno in loco hactenus inuenitur. Fructus temperatus esse videtur, & aliquantulum humidus. Floris descriptionem clausit hoc epigramma:

Pulcher in Americâ Moscho redolentior est flos,
Qui gerit occisi nobile stemma Dei.
Conscia flagrorum croceo stat in orbe columna,
Circumstant granis Vulnera quina rubris.
Cum clauis residet spinosum in vertice sertum,
Respersus violam pingit vbique cruor.
Visitur in plantæ folijs penetrabile ferrum,
Sacrum quo fodit lancea dira latus.
Sed quæ vulnifici flores dant poma cadentes
Ambrosius miscet nectareusq́; sapor.
Portenti nouitas, & consona rebus imago
Adstruit antiquam clarificatq́; fidem.
Missaq́; Pontifici Romano circuit orbem,
Fertq́; salutiferæ nuntia læta Crucis.
Nam Deus omnipotens nostros tulit ipse dolores,
Ipsius est nobis Crux paradisus. Amen.

CAPVT XI.

De maguey.

AB Hispanis maguey, ab Indis metl, & chuchau dicitur arbor fœda aspectui, leuis ligno, viginti pedes longo, dimidium ad minus lato. Nucleus spongiosus & leuissimus, idcircò in vsu pictoribus sculptoribusq́;. Folia corpulenta, & longa vltra cubitum, ex trunco imo nascuntur velut carduus. Spinosæ quoque sunt, ideò arbor ab Hispanis quoque dicta cardon. Eorũ succus amarus emaculat vestes, vulnera infecta cancere & nimis inflammata sanat, vermiculos in plagis extinguit. Eodem succo decocto cum radicibus qui lauetur, lassitudinem non sentiet. Aqua pluuia in folijs recepta, multos morbos iuuat. Miscetur potionibus è mayzio & quinau, inde mel, inde acetum. Ex radicibus tusis panes fiunt, quorum abluendo capite vsus, cuius dolorem sedant, maculas oris abstergunt, nutriunt capillos, redduntq́; nigros. Folia quoque triplex lini genus ad varios vsus præstant. Hanc arborem ita describit Franciscus Hernandus. Radicem fundit metl crassam, breuem, & fibris scatentem; folia aloës, sed longè maiora, & crassiora. Arbores etiam mediocres aliquãdo æquant longitudine; vtrimque spinifera, & in rigidum acutumq́; desinentia mucronem: caulem triplo maiorem, & in eius parte summâ flores luteos oblongos, iuxta cacumen stellatos, ac procedente tempore semen asphodelino persimile. Innumeri pænè sunt vsus qui desumuntur ab hac plantâ: tota enim illa lignorum sepiendorumq́; agrorum vsum præstat. Caules tignorum, folia verò tecta tegendi, imbricũ, lancium, papyri filique, ex quo calcei, lintea, & alia vestium genera, quæ apud nos ex ligno, cannabe, gossypio, alijsq́; huiusmodi parari solent. E mucronibus fiunt claui & aculei, quibus perforandis auribus macerandi corporis gratiâ Indi vtebantur, cùm dæmonum vacarent cultui: item aciculæ, acus, tribuli militares, & rastella, idonea pectendis subtegminibus. Præterea è succo manante, qui euulsis germinibus internis, folijsve tenerioribus cultris yztlinis in mediam cauitatem stillat (plantâ vnicâ quinquaginta interdum amphoras, quod dictu mirabile est, effũdente) vina, mel acetum ac saccharum; qui succus menses ciet, aluum lenit, vrinam euocat, renes & vesicam emundat, lapides frangit, vrinæq́; extergit meatus. E radice quoque restes firmissimæ ad multas res perquam accommodæ. Crassiores foliorum partes, truncusq́; decocta sub terrâ, quod genus elixandi barbacoam vocant Chichimecæ, edendo sunt apta, sapiuntq́; citrea frusta saccharo cõdita. Quin & vulnera recentia mirè conglutinãt: fit enim succus assatione glutinosus, qui suapte naturâ frigidus ac humẽs est. Folia quoque assa, & affecto loco imposita, conuulsionem curant, ac dolorem leniunt, præcipuè si succus ipse calens bibatur, quamuis ab Indicâ proficiscatur lue: sensumq́; hebetant, & torporem inducunt. Succus distillatione fit dulcior, decoctione verò & dulcior & spissior, donec tandem cogatur in saccharum. Seritur ex germinibus, quæ circumcirca matrem oriuntur quouis solo, sed præcipuè fertili atque frigido. Planta hæc vnica quidquid vitæ esse potest necessarium, præstare facilè posset, si esset rebus humanis modus. Non enim tempestatum, aut inclementioris cæli patet iniurijs, aut per siccitatem statim marcescit. E nullâ re prouentus est amplior. Vinum fit ex eodem succo, dilutâ fontanâ aquâ, additis corticibus malorum medicorum, limonumq́; quapatli, & alijs quibus faciliùs inebrientur; quod ea gens maximè affectat, quasi pertæsa rationalis suæ naturę, & auida sortis brutorum atque quadrupedum. Fit ex eodem succo minimè ignem experto, adiectis radicibus quampatli cõtusis, & Soli aliquamdiu expositis, ac demum exemptis, vinum quod album vocant, vrinæ euocandæ, & vrinarijs meatibus expurgandis vtilissimum. E saccharo, quod ex eodem succo cogitur, parant acetum, nempe resoluto ex aquâ, & nouem diebus insolato. Sunt autem eius plures differentiæ, de quibus est statim à nobis dicendum.

CA-

CAPVT XII.

De mecoztli, seu maguey luteo.

SPecies est metl, sed marginibus foliorū luteis, spinis paruis & nigris, folijs verò modicis, si cum folijs metl prçcedentis comparetur. Caule binos cubitos alto, digitumque lato & rubro, cum flore è rubeo pallescenti cacumen eius occupante, & radice surculosâ. Vis trium quatuórve foliorum, additis siliquastris ternis, frigentes ac crassos humores per secessum & vrinam paulatim euacuat. Idem propinari solet ab Indis enixis mulieribus aliquot diebus à partu, corroborationis gratiâ. Succus expressus ex semiassi folijs, diastromati conferre dicitur. Frigidâ verò constat & lubricâ naturâ. Sunt qui cozticmetl & macozticmetl vocent: nec desunt qui hoeimetl. Campestribus locis Mexici nascitur quouis tempore, etsi solâ æstate floreat. Seritur è germinibus ortis iuxta parentem.

CAPVT XIII.

De maguey magno.

EST quoque tlacametl species metl, eâdem pænè formâ & viribus quibus ceteræ, & eisdem quoque vsibus, sed inter reliquas vigorem & robur addit feminis imbecillibus, aut syncope tentatis. Nomen habet à magnitudine.

CAPVT XIV.

De mexcalmetl, seu maguey apto vt assum comedatur.

PArua est species metl valdè spinosa, & virore admodum exsaturato tincta, cuius folia eduntur assa, & sunt præ ceteris grata gustui.

CAPVT XV.

De mexocotl, seu maguey prunorum.

SPinosæ etiam plantæ, & ad metl genera quoque referendæ species est, sed fructu dulci & acido multiplici, ac persimili prunis (vnde nomen) & in orbem, Indicæ pineæ quadamtenus parem, composito, quâ pingitur magnitudine, & interdum ampliori, eduli succo pleno, & grati saporis. Folia sunt metl, aut illis potiùs pineæ Indicæ similia, spinosa, fulua, ac velut marcida. Radix fibrata crassaque; caulis verò breuis, teres, ac crassus. Pruna sunt oblonga, candida, glandibus similia, & ex candido pallescentia, obducta membranâ, intra quam continetur callus candens, ac (vti diximus) dulcis & acidus, pinearum Indicarum sapore refertus, semine principio candido, ac posteà nigro, obrotundo & duriusculo. Temperies est frigida ac sicca. Medetur oris vlcusculis è calore ortis fructus commansus ac gestatus ore. Nascitur in saxis regionum calidarum Tepecuacuilci.

CAPVT XVI.

De tepe mexcallin, seu maguey montano.

FOrmâ metl constat, sed tenuibus spinulis. Contusa folia aut intra corpus sumpta, aut illita, curant eos, quorum artus motu priuati sunt ob neruorum conuulsionem. Montosis saxosisque locis gaudet calidarum regionum, qualis est Tepoztlanica.

CAPVT XVII.

De teometl, seu maguey diuino.

SPecies est maguey, eadem pænè facultate & formâ, longâ radice fibrataque, & exilibus spinis. Duas spithamas tantùm longa sunt folia. Succus epotus aut illitus febres extinguit. Nascitur in frigidis & calidis locis, editis atque campestribus.

CAPVT XVIII.

De xolometl, seu maguey serui.

MEtl est species tribus velut orbiculis aggregatis, radice constante firmata, & fibris apta rubrescentibus, vnde proferuntur folia coccineis torrida aculeis, raris, & à medio adusque mucronem procedentibus. Succus foliorum expressus ac bibitus decem vnciarum mensurâ, vniuersi corporis dolores articulorum tollit, ac motum impeditum restituit: verùm tempore quo bibitur magnâ corpus est operiendum curâ. Nascitur Huexoncinci iuxta fauces fluminum.

ARBOR TRISTIS.



CAPVT XIX.

De arbore tristi.

DE hac arbore inquit Christophorus Acosta: In nonnullis Indiæ locis, præsertim verò in Malabar, frequentissima nascitur arbor quædã magnitudine & formâ ferè pruni, multis prædita ramis tenuibus, & certa per spatia nodulo distinctis, è quo vtrimque singularia folia enascuntur pruni foliorum magnitudine, mollia & lanuginosa parte auersâ, quemadmodum ferè saluiæ folia, & viridia, nonnihilque aspera parte interiore, non adeò serrata in circuitu vt pruni folia, neque tam multis venis prædita. Singulorum foliorum sede nascitur pediculus quinque capitula summâ sui parte sustinẽs, quæ quatuor foliolis subrotundis constat, è quorum medio quinque flores exiliunt candidi, elegantes, aureæ mali floribus magnitudine & figurâ pares; tenuiores tamen, elegantiores & odoratiores, pediculo magis ad rubrum quàm ad flauum colorem tendente, quo in illis regionibus edulia tingunt, quemadmodum apud nos vulgò fit croco. Fructus magnitudine lupini est, virescens cordis effigie, per medium secundùm longitudinem sectus, continens in vtraque parte quoddam receptaculũ, in quo semen occluditur, magnitudine seminis ceratij sine siliquæ, cordis effigiem retinens, album, tenerum, membranâ subuirente tectũ, nonnihil amarũ. Vocatur hæc arbor in Canarin parizacato, in Malayo singadi, in Deian pul, ab Arabibus guart, à Persis & Turcis gul. Res est profectò obseruatione dignissima, conspici hanc elegantissimam arborem nocte pulcherrimis suauissimeque olentibus floribus onustam & hilarem, & simul atque à Solis radijs illustratur, non modò flores omnes in terram abijcere, sed totam arborem cum suis folijs quasi marcidam apparere. Inter omnes sanè quos vnquam odoratus sum flores, nullum meo iudicio memini cum hoc comparandum, præsertim initio, dum quis repentè ingreditur vbi hæc arbor est consita; nam postquam manu contacti sunt, exiguus & euanidus est odor. Indigenæ istos flores cor reficere censent: sed amariusculi sunt, nam recenter ex arbore collectos, in cibis degustaui, & nonnullam amaritudinem semper deprehendi. Gentiles etiam Medici eius semina inter medicamenta cor reficientia recensent. Multi Pro-Reges, tribuni, atque alij priuati, hanc arborem in Lusitaniam transferre voluerunt, sed irrito conatu. Noui etiam quosdã, qui semen commodo tempore collectum & maturum, vasculis figulinis, vitratis atque benè obturatis, item argenteis pyxidibusque ligneis in Lusitaniam detulerunt, ibique cum omni curâ & diligentiâ seuerunt, sed numquam nasci voluit. In Malabar autem, & Goâ, locisque vicinis cum tantâ facilitate nascitur, vt quilibet rami in terram depacti radices agant.

Nos in Gnomoglyphicis nostris sic lusimus de hoc flore:

Parizacati floris est ver vna nox.
Viget, viret, floret; sed æstas vna lux.
Quid concitus vigor iuuat? Par marcor est.
Indigna luce concitata studia sunt.

Aliud in iniuriarum memores:

Iniuriæ tabet memor flos luridus hic:
Quotidiana est æmuli præsentia mors.

Aliud in inuidos:

Claro inuidens tabescit obscurus videns,
Parizacatum Solis obfuscat iubar.

Alludimus ad fabulam, cui ansam præbuit hęc arbor, & narrant Garzias Horta & Leonardus Argensola. Fabulantur indigenæ, satrapæ cuidam, nomine Parizacato, elegantem fuisse filiam, quæ Solem deperiens, ab illo compressa fuerit. Cùm verò posteà illam relinqueret, alterius amore irretitus, Parizacati filiam præ amoris impatientiâ sibi ipsi mortem consciuisse, ex cuius crematæ cineribus (nam adhuc vruntur in illâ regione cadauera) hæc nata sit arbor, cuius flores adeò Solem abhorrent, vt eum videre non sustineant.

CA-

HERBA MIMOSA.



CAPVT XX.

De herbâ mimosâ.

ALia planta inuenitur quibusdam hortis, quinque palmorum longitudinis, & vicinis arbustis aut parietibus incumbens, tenui caule, eleganti virore prædito, nec admodum rotundo, per interualla exiguis & pungentibus spinis obsito, folijs superioribus haud absimilibus, filicis feminæ folijs minoribus. Gaudet humidis & petrosis, & herba mimosa nuncupatur, quoniam manu admotâ senescit & marcescit; manu verò remotâ pristinum virorem recipit, sed non adeò celeriter vti prior. Naturam habet plurimùm ab arbore tristi differẽtem: nam singulis noctibus Sole occidente senescit & siccatur quodammodò, sic vt contabuisse videatur, oriente verò Sole vigorem denuò recipit: quantoque Sol magis feruet, eò magis viret, totoque die folia ad Solem conuertit. Odore & sapore est glycyrrhizæ, vulgoque ab indigenis folia manduntur aduersus tussim, ad pectus repurgandum, & vocem clariorem reddendam. Renum etiam doloribus vtilis esse censetur, & recentia vulnera glutinat. Multis notis (annotat Clusius) hęc planta conuenit cũ fænogręco siluestri Tragi, siue polygalo Cordi, & glycyrrhizâ siluestri Gesneri, cuius folia & radices degustata glycyrrhizam sapiunt: nam eius folia noctu interdum contrahuntur (quod in multis leguminaceis plantis vsu venit) at spinis caret caulis, nisi pro spinis sumere libeat tenues illas & mucronatas appendices, sedi foliorum alatorum inhærentes.

CAPVT XXI.

De dutroâ herbâ.

DVtroa herba, in omni Indiâ notissima, passim in campestribus prouenit. Huius folia cuspidem hastæ præfigunt quoquouersum in ambitu incisa specie, seu modo vrsinæ branchæ, quam & magnitudine æmulatur. Iuxta longitudinem multa filamenta seu fibras habet, aliàs ferè insipida, nisi quòd modicum de amaro adsciuit: in cetero humida est, & raphani odorem reddit. Flos eodem cum rorismarini flore colore est, cui decidenti folliculus papauerino similis succedit, qui intus nucleis quibusdam, melonum semen referentibus, prægnans est. Hi aut ex aquâ, aut ex vino, aut quouis alio liquore hausti, aut cum oryzâ cocti esitatique, aut quouis alio cum cibo ingesti, hominis mentem ita percellunt & alterant, vt fatuo similis perpetuùm rideat, & nihil eorũ, quæ aut sunt aut præsenter fiunt geruntúrque agnoscat discernátve: quosdam etiam in tam profundum somnum agunt, vt à mortuis nihil distẽt, quem ad horas persæpè 24. protrahunt, nisi frigidâ illis pedes fricentur lauenturque; hoc enim pacto ante statutum id tempus expergiscuntur. Herbæ huius vsus Indicis & Lusitanis feminis frequens est ad dementandos & consopiendos maritos suos, quoties infami libidine pruriũt, & cum adulteris suis incestuoso concubitu se permiscere satagũt. Vbi primulùm etenim per dolum de herbâ istâ viro suo mulier appropinauit, tum illicò etiam ad conspectum & latus eius, absque omni vel pudore vel metu, adultero in omnibus studet, eousque temeritatis progressa, vt iacentis viri quoque barbã vellere, eumque expressã voce cornutum proclamare, & scurrilia his similia alia addere confidentissimè audeat. Et licet maritus apertis oculis incoràm hæc omnia videat, nihil quidquam tamen eius aut intelligit, aut reprehendit, sed perpetuo arrisu quatitur, & gesticulamenta morionum omnia æmulatur: tum quoque, quando expergefactus ad se redijt, actorum ne in minimo recordatur, sed se dormijsse vnicè credit attestaturque. Eamdem herbam serui quoque & mancipia suis nonnumquam dominis admiscent, vt illis ita sopitis, cistas & arcas commodiùs

expilare queant. Sed cùm dutroa quodammodò venenum ſit,ad miſcendam eam cura & moderatione eſt opus: nimiâ ſiquidem copiâ indita,vitâ exuit haurientes, niſi paratis antidotis vis eius malitioſa infringatur. Hæc Lincoſtanus. Adijcit autem Bernardus Paludanus: Contra dutroæ hauſtum illa remediorũ genera conferentiſſima ſunt, quæ vomitum cient, quo quidquid in ventriculo continetur, promptè euacuetur, à quo & potiones purgatoriæ & clyſteres conducunt: nec minus frictiones & ligaturæ manuum pedumque, nonnumquam etiam venæ in pedis pollice ſectio proſunt.

CAPVT XXII.

De herbâ viuâ ſiue ſentidâ.

ALia quoque eſt herba Indiæ ſatis nota, quam Luſitani ſentida, id eſt ſenſificam hac de cauſâ nuncupant; quòd ad acceſſum hominum,aut contactũ, aut quemcumuis pulueris obuij inſperſum,illicò flacceſcat & ſe claudat conſtringatque, nec ſe pandat priùs, quàm inde iterum diſceſſum ſit; quo facto, confeſtim & quaſi nouiter vireſcit & dilatatur ampliter. Aditum abitumque quotieſcumq; inſtituas,idem conſtanti ingenio facit, vt & ſpectaculum illud intuentibus iucundiſſimum ſit, & naturæ myſtis iure profundiſſimè trutinandũ. Aliquam huius herbæ notitiam habuit fortaſſe Plutarchus,nec fabulæ penitus ſunt,quæ de herbis ſentientibus dixit. nos alia infrà dabimus.

CAPVT XXIII.

De arbore frondiuiuâ.

INſulæ Cimbubon vicina eſt alia, in quâ naſcitur arbor,cuius folia cùm in terram deciderint,gradiũtur perinde ac ſi viuerent. Ea mori folijs multùm ſimilia ſunt, parte vtraque binos pedes breues & acutos habent, quibus abſtractis,ſanguis minimè manat. Statim atque folium quis attigerit,illud mouetur & abit. M. Ant. Pigafeta octo dies vnum in ſcutulâ habuit, quod cùm tangeret,circa ſcutulâ ibat:nullaque aliâ re quàm aëre viuere exiſtimabatur. Hæc referuntur etiã in Hiſtoriâ generali Plantarum.

CAPVT XXIV.

De cornubus plantabilibus.

IN Goâ inſulâ ſi cornua aliquando iacuerint, radices deorſum in terrã defigunt, medullâ eius in plurima quaſi filamenta diſſectâ & protuberante, hoc modo in ſolum ſubditũ innitente. Radix eius braſſicæ ſimilis eſt. Huius cauſæ examẽ multos ſummos naturæ myſtas miſerè torſit: & licet multi omni tempore fuerint, qui rem hanc ad ſtuporem vſque admirati fuerint; qui tamen cauſam veram & immotã ſcrutaretur & aſſequeretur, nemo,quod ſciã, vſque huc comparuit. nam & terra in omni illo confini valdè ſaxoſa & lapidoſa eſt, atque cùm in ceteris locis omnibus cornua ad radicem vſque extirpari & detruncari queant, apud Goanos nullo pacto id fieri poteſt: nam etſi illic ſemel quidem reſecentur, abiecta tamen adeò fecunda ſunt,vt illicò repullulare & augeſcere incipiant.

CAPVT XXV.

De cocâ.

HAyo dicitur frons cocæ arbuſti,ab Indis cuca dicti, ſimilis lentiſco, quam ferè continuè mandunt. Propterea ex nimio vſu non leuis ex eâ quæſtus inter Hiſpanos. Dicunt Barbari, ſpiritus & vires hauriri ex illâ cum calce præmanſâ. Credunt id nonnulli ſuperſtitioſum. Credo,immeritò,licet alioqui in ſummâ ſuperſtitione ſit Barbaris. Valera noſter ſimilem dicit eſſe viti, raro ramo,multo delicatoque folio,optimi odoris, ſed haud nimiùm ſuauis. Hanc plantam auro, argento & gemmis anteponunt Barbari; ſummâ diligentiâ plantant, colunt, decerpunt folia ſingillatim, exſiccant ad Solis æſtum, ſicca mandunt, non glutiunt, contenti odore & ſucco: diurnant cum illis ſolis, fortes & conſtantes in operis & laboribus, licet ieiuni. Maximæ & plurimæ eſt operæ puluis in arte Medicâ: ſtabilit oſſa confracta, vulnera tumentia componit, frigefactiones & frigiditates pellit, aut obſtat, putrefacta & verminoſa mundat & recreat. Cùm plantatur, ſi radix duplicetur, areſit ſurculus. Folia ter aut quater in anno poſſunt colligi. Tanta plantæ vtilitas religioni ſiue ſuperſtitioni mancipauit; crebrum inde ſacrificium dæmonis: eo tempore quo colliguntur folia, maximè interdicta licentia ſcelerum. Ipſe dæmon punit peccantes: torquet plures ad tempus. In nonnullis regionibus virginibus ſolùm licet legere, eximio ornatis cultu, ſummaque reuerentiâ; alijs nec accedere. Verebantur, ne audaciam lueret ſubitus languor, aut turbo. Multi paralyſim aut membrorum contractionem,aut æſtum febris comparabant. Arbuſta pro numinibus habita, vocata Mamacocæ, hoc eſt matres cocæ, ſeu deæ cocæ.

De hac plantâ hęc habet Frãciſcus Hernãdus: Herba eſt, vt audio, quatuor ſpithamas plus minùs lõga, folijs myrti, ſed paulò maioribus mollioribuſq; diluti viroris, & in quibus alterius minoris folij imago eſt expreſſa, ſemine verò racematim dependẽte, ac myrti inſtar; cùm matureſcere incipit, vergente in rubrum colorem, & tandem nigricante. Quo tempore folia colliguntur, in cratibus exſiccantur & reconduntur in vſus. Quod ſpectat ad culturam, in primis ſemen ſerendum in ſeminarijs eſt, deinde transferendũ, atque ordine velut fabæ aut ciceres diſponendum, repaſtinato & culto ſolo. Miſcent folia dentibus commanſa pulueri tellinarum vſtarum, in catapotia conformant, exſiccantque, atque ita illis ſunt vſui. Ore ſiquidem geſtata, atque hinc & inde conuoluta, ſitim dicuntur extinguere, egregiè nutrire corpus, famem ſedare vbi cibi & potus copia non eſt, & tollere perlonga itinera laſſitudinis. Quin eiſdem catapotijs vti ſolent, permixto yetl deliciarum gratiâ, in oppidis domicilijſque ſuis manentes, ad ſomnum conciliandum, ebrietatem inducendam, & laborum curarumque omniũ obliuionem atque quietem. Eſt etiam illis pro numo, & eius plantæ commercio feruent emporia.

CAPVT XXVI.

De cereo ſpinoſo.

ADmiranda cerei ſpinoſi natura. Rariſſimæ venuſtatis plantam plebecula, effigiei argumento, cereum vernaculè vocauit: haſtas enim ſurrigit quaternas & quinas nouemdecim & vicenûm cubitorum, virgatis & ad normam directis ſtrijs cannulatas, in externis extantibus ſtriarum angulis obtuſis exeruntur ſtellulæ, corneis ſtylis radiatim è ſuo centro quoquouerſum minacibus, vno dumtaxat prominulo, æquè directo longiùs. Tota quamdam effigiaturam, & concolorem ſuperficiem echino melocacti præfert, ſed brachium æquabili ductu æquante, columellæ aut cerei funalis pręlongi inſtar. Eius è medio, & ſtriarum dorſis anſatim anguſtiore ceruice cucumeris ventre ſurriguntur brachia terna, quaſi folia, teretia, craſſa, eumdem commenſum proportionis & figuram ſortita. Intus torulus ligneus carpi craſſitie, obductus eſt calloſâ carne, & ſucco aloës: gummeo enim turget perquã amaro lentore. Flores in veſtigio ſummo proijcit, referente digitalis purpuræ fructus. Hilari purpurâ miniata, rubet, ficus ferè effigie, guſtu non inſipido.

CAPVT XXVII.

De ahoëhoëtl, ſeu de tympano aqueo.

NOn ob aliud, inquit Franciſcus Hernandus, nũcupata eſt hęc arbor à Mexicanis ahoëhoëtl, quàm quòd iuxta fluminum ripas ac aquarum fluenta naſci ſoleat, & ex eâ Indi tympana, quæ hoëhoëtl & teponazeli vocant, conſueſcant parare: etſi alij dicant, non ob id, ſed quia iuxta aquas ab aëre tacta, edat fragorem, id nomen ſortitam eſſe, præcipuè cùm tympana potiùs ex materiâ tlauci lolquahuitl, & capolin quahuitl, fabricentur. Hiſpani qui ad has oras transfretarunt, & ſabinam & cedrum, ob materiei rubrum colorem, vocant. At neque ſabina neque cedri ſpecies eſt vlla, ſed in abietum genus citra dubium referenda. Nam præter fructum omnemque faciem, quæ noſtræ penitus fauent ſententiæ, materies, vt diximus, mollis ac lenta eſt, corruptionique & vitio abundè obnoxia, maximè ſi terræ defigatur (cùm cedrina dicatur eſſe viuaciſſima, ac pęnè immortalis) intra aquas namque integra diutiùs perſeuerat. Quo factum eſt, vt conſueuerint Mexicenſes heroës atque Reges eam velut baſim & fundamentum ædibus, quæ ſibi circa hanc paludem fabricabant, ſubijcere. Demum Mechorianenſes peñiamum vocant. Sunt autem quatuor, quod adhuc intellexerim, huius arboris differentiæ, inter ſe magnitudine, colore & fructu diſtantes: quædam ſiquidem illarum altiſſimas pinus longitudine atque amplitudine ſuperant, & candidæ eſſe repe riuntur, earumq; nonnullæ quatuor & viginti aut ampliùs pedes craſſitudine æquãt; aliæ, quarum materia quoque candens eſt, & rubrum cor ſiue medulla, his cedunt magnitudine, & nuces pineas reſinâ refertas producunt, ſed quæ vulgares oleas minimè magnitudine vincant. Aliæ his quoque inferiores ſpectantur, ſed rubrâ materie, & orbiculatiore comâ. Poſtremæ, & quæ omnium minimæ ſunt, vix malos medicos vulgares vincunt magnitudine: quibus materies rubra eſt, & candens medulla. Cortice omnes tegunt rubeo, foliaque ferunt abiegena, etſi minora, & exiliora, ex omnibuſque reſina, ſi non ſponte, at flammis liquata fluit. Forma eſſet eadem quæ noſtrati abieti, ni folia, vt diximus, tenuiora, rami depreſſiores, ac faſtigia magis acuminata aſſurgerent. Aſſulæ in vaſa fictilia coniectæ, opertæque, igne ſuppoſito reſinam effundunt, ſed ea non ſponte manat, aut quidquam ſimile quod vocant oleum; quod è bullantibus ve-

ficis circa ftipites abietum Indicarum ftillat, erumpere confueuit, quas tamen à noftratibus nec digitum latum difcedere, quorumdam fententia eft. Ergo fapor eius arboris, de quo fit nobis fermo, acris adftringenfque percipitur, non fine quadam amaritudine & odoris fuauitate. Temperies calens eft, & ficca ordine tertio. Nam & refina eius abietinâ longè acrior & calidior eft, & viribus, vt diximus, vehementior. Cortex vftus adftringit, fanat ambufta, defquamatamque & exefam cutem; cum lithargyro & polline thuris vlcera curat, ac cicatricem obducit exceptus cerato myrtino. Tufus cum atramento futorio, ferpentia vlcera cohibet, fœtus ac fecundas fuffitu trahit, ventrem adftringit, & vrinam euocat. Folia tufa atque illita, crurum fcabiei & tumoribus medentur, molliunt inflammationes, & ab eis arcent vulnera. Dentium dolores prohibent, fi eis colluantur ex aceto, vanos & citra vllam rationem obortos tumores pellunt. Sex obolorum pondere ex mulsâ epota, conferunt hepaticis. Fructus tædæque idem præftant. Refina huius arboris acerrima eft, vehementiffimi odoris, & quarto ordine calefaciens. Dolores ortos ex frigore fanat, morbo articulari è frigidâ causâ profecto mirabili celeritate medetur, flatus difcutit, diffipat ex pituitâ ortos tumores, laxat neruos qui ab humoribus craffis funt diftenti, & refolutos purgat atque corroborat, denique eis omnibus prodeffe folet, quibus curandis cetera mitiora medicamenta fruftrà funt tentata, parúmve promouere. Quibufuis regionibus Nouæ Hifpaniç proueniunt, atque ita poffent facilè transferri ad Hifpanos, fi circa fluenta & ftagnantes aut lentè fluentes aquas, vliginofáve loca, femine taleâ, aut viui-radice fererentur, etfi omnium minima longè etiam ab aquis & nafci & feruari foleat. Toto anno proueniunt, toto anno refina ab eis euocatur; fed nullo tempore aut loco inueniuntur florere.

CAPVT XXVIII.

De arbore metrofiderâ.

GRæcum fortaffe nomen à nobis inditum, inquit Scaliger, plus hiftoriæ conueniet, quàm ingenio noftro. Animi tamen gratiâ reponetur hîc. In Iauâ maiore aiunt raram effe arborem, cuius medulla ferrea fit, exilis illa quidem, ceterùm porrecta ab imo ad fummum plantæ faftigium. Ex eâ fruftum qui gerat, ferro effe impenetrabilem. Eadem refert Nicolaus Coftinus in Itinerario fuo.

ATATAPALACATL.



CA-

CAPVT XXIX.

De atatapalacatl, seu testâ aquis impositâ.

HErbam quamdam Mexicani vocant atatapalacatl, quoniam testis lacunarum aquis impositis similis sit. Paludibus, lentis fluminibus, & stagnantibus aquis est familiaris, non secùs ac nymphæ species reliquæ, ad cuius differentias & hæc videtur pertinere, etsi folia longè minora sint, cauleque & flore careat. Pediculis appendent folia vmbilico Veneris quadamtenus similia, crassis, rotundis, læuibus, rubentibus, ac circum exortum implexis, ex quorum inferiori portione radices prodeunt similes capillis, limo ac velut ipsi aquæ innixæ. Folia sunt pinguia, obrotunda, mediocria, exsaturati supernâ parte viroris, ac dilutioris infernâ, summis aquis velut illa Potamogeti aut nymphæ innatantia. Sapore atque odore caret, frigefacientique & humenti temperie prædita est, cuius gratiâ pro nympheâ vulgari vsurpari & substitui commodè poterit. Inflammationes atque erysipelata arcet, curatque imposita; infantium febres drachmæ vnius mensurâ sumpta sedat, atque ita morbum obortis eruptionibus ad caput dicitur pellere. Pudicitiam seruat, ac demum vitijs omnibus à calore & siccitate pendentibus aduersatur. Toto anno viret, ac toto anni procursu vulsa confert. Temperatum cælum amat, aut paulò frigidius, quale est Mexicanum, & paludibus (vt dictum est) nasci gaudet.

CAPVT XXX.

De genipat.


MAgni æstimatur in Americâ arbor quæ genipat dicitur, vt Theuetus scribit. Fructus eiusdem nominis causa, non quòd esculentus sit, sed quòd alios vsus Barbaris præbeat. Arboris folia nuci iuglandi similia sunt: fructus ferè in ramorum extremo prouenit, alijs alijs impositis mirando quodam modo. Is magnitudine coloreque persicis nostris similis est, ex cuius succo vniuersum corpus inficiunt. Hoc modo miseri illi & bruti homines, cùm succum ex hoc fructu aliter exprimere nesciant, illum mandunt ac si voraturi essent; deinde ore reijciunt, & manibus veluti spongiam exprimunt, vt succum emittat, qui admodum limpidus est. Profecturi illi aut ad stragem aliquam edendam, aut ad inuisendos amicos, aut ad solemne aliquod, totum corpus hoc liquore madefaciunt. Is quò magis in corpore exsiccatur, eò magis natiuum colorem acquirit, qui vix verbis exprimi potest: est enim quodammodò inter nigrum & cæruleum, siue eum colorem qui vulgò azurus dicitur, medius. Hoc infecti Barbari incedunt, non minùs ornatos sese æstimantes, quàm nos nostris coccineis ac sericis vestibus. Est alia arbor etiam genipat appellata, cuius fructus maior est, & edulis.

CAPVT XXXI.

De atepocapatli, seu gerynon medicinâ.

RAdice atepocapatli firmatur transuersâ, è quâ aliæ multæ prodeunt gerynis ramunculísve similes. Hinc assurgunt caules duas spithamas longi, tenues ac purpurei, & in his amygdali folia aspera, flores promiscuè pallidi, coccineique. Radices gustatæ resinam sapiunt, & glutinosæ, non sine quadam amaritudine sentiuntur. Præterque odoræ etiam, suaues, calidæque & siccæ gradu circiter tertio, atque ita sex obolorum mensurâ ex aquâ sumptæ, ventriculum renesque frigidâ distemperie laborantes restituunt & confirmant, medenturque sterilitati ab eadem causâ obortæ. Sunt ex Indis Medicis qui afferant, decoctæ radicis ius, aquæ fontanæ aut fluuialis loco bibitum, extinguere febres. Frigidæ etiam partes in hac plantâ latent, quarum ope id possit aliquando euenire. Temperatis exultat regionibus, montosis aut campestribus locis nasci gaudens. Septembri floret: radices verò, quarum est vsus in medicinâ, velluntur à Nouembri vsque in Ianuarium, & in vniuersum annum reconduntur.

TEOAMATL, VITÆ ET MORTIS INDEX.



CAPVT XXXII.

De herbâ mortem & vitam indicante.

ANno 1562. Comite de Nieuâ in Peru commorante, in eius familiâ mulier quædam, illi inseruiens, maritum habuit graui morbo decumbentem, cuius causâ cùm ipsam admodum tristem Indus quidam primarius conspiceret, interrogauit an scire cuperet, vtrùm ex eo morbo periturus esset maritus, an non: herbæ ramum se illi missurum, quem in finistrâ mariti manu poneret, eamque diutiùs deinde comprimeret: nam si superstes futurus esset, quamdiu eam herbam manu teneret, alacrem & lætum, sin moriturus, mœstum & anxium fore. Missum ab Indo ramum marito in manum dat, comprimereque iubet; sed illicò tanta mœstitia & anxietas ipsum oppressit, vt illa metuens ne subitò extingueretur, ramum ex manu tolleret & abijceret: is deinde paucos post dies extinctus est. Cupienti mihi, inquit Monardes, an ista vera essent, perscrutari, Nobilis quidam, qui multis annis in Peru vixerat, certum esse affirmabat, & vsitatum esse apud Indos in ægritudinibus id facere, quod sanè magnam mihi admirationem attulit. Hæc eadem in Historiâ omnium plantarum inuenies. Nec pudet narrare quod lubet, licet interdum concurramus in aliqua. Plurima narro quæ ibi desiderantur. Quòd bis aut ter eadem dicamus, parum curabo. Hæc lex scriptorum, vt ab vno possint fenerari duo, possint multi. Nunc adiicio, quod à me poterunt accipere alij, teoamatl quoque esse vitæ aut mortis indicem. Nam si huius herbæ vel fruticis succum haustum euomat ægrotus, signum mortis est; si non euomat, vitam promittit.

CAPVT XXXIII.

De ayotli, seu de cucurbitarum Indicarum naturâ & generibus.

CVcurbitarum, quas Indi ayotli vocant, genera, omissis his quæ nostro orbi cœpere esse familiares, multæ reperiuntur differentiæ. Omnium folia similia inter se magnâ ex parte sunt, adeoque viniferæ vitis, ni essent longè ampliora. Flores lutei calycum magnorum atque oblongorum formâ, at fructus & formâ & nomine omnino varij, qui modò sunt à nobis breuiter & perspicuè tradendi. Ergo omnium prima cucurbitarum differentia, tzilacayotli cucurbitáve sonans, & ab alijs cuicuil ticayotli, seu picta vocata, caua est, vel sonitu ipso, si ver-

AYOTLI.



verberetur, atteſtante, in tantamque augetur amplitudinem, vt tres ſpithamas ambitu compleat. Semen eſt nigrum, modicum, candidum, callum, fibris intextũ, cutiq; ipſi pænè adhæreſcẽs: ſuperficies ex virore exſaturatiore & dilutiore promiſcuè variata. Secunda, quæ zticayotli ſeu pallida cucurbita à quibuſdã, ab alijs verò hacayotli & hoeyacayotli, quoniã bono nutrimẽto, & oblongâ conſtet figurâ, vocatur, callo extat luteo, vt nomen ipſum indicat, palmũ craſſo, candido ſemine, ſtrijſque per interualla lineiſve profundioribus, cauatiſque canaliculis, melopeponum quorumdam modo ſecundùm longitudinem diſtinguitur. Cortex huius, quamquam virore quoque exſaturato & dilutiore principio niteat, vt plurimùm tandem palleſcit, cuius rei gratiâ coztiecayotli eo tempore, mutato nomine, vocatur. Tertia tamen alayotli nuncupatur, quæ impensè amplâ & rotundâ formâ conſtat, vnde nomen eſt ſortita. Cortex huius durus eſt, callum ſpithameum luteum, & in cibarijs ſuaue, & ſemina, quæ complectitur, candentia. Quarta, tamalayotli quoque vocata, luteo eſt cortice, formâ protuberante in latitudinem, pallenti callo, candidoque & lato ſemine, quam hæmorrhoidibus & oculis inflammatis aiunt mederi. Eſt & alia eodem nuncupata nomine, oblonga fuluaque, eduli callo, rubeo ac candido ſemine, ſed prouueniens in regionibus calidis; quin quauhayotli melopeponum conſtat formâ, rubeo callo, binos lato digitos, ſemine exili & candente, fuluoque cortice. Alia eſt eiuſdem nominis, quæ ad arbores pertinet. Eſt & tzonayotl


nayotl seu capillata cucurbita, ita vocata ob callum fibris similem, & in cibis inutilem, seminis verò expetiti, & coloris candidi, viridis atque pallescentis, etsi non desint qui tamalayotli pallentem tzonayotli quoque vocent. Hamcuero etiam yztacayotli est & yztactzilacayotli, candido & lato semine, callo candenti & fibrato, binos crasso digitos, salubri edulique: est & tlilticayotli, candido semine & longiusculo, callo tres digitos crasso, luteo dilutiore, & mediocri magnitudine. Est & yztacayotli, ex maximis candentis corticis seminisque, quod formâ est oblongum, callo verò candido, eduli, ac ternos crasso digitos. Possunt etiam his adijci, quæ etsi edendo non sint, ad cucurbitarum tamen genus pertinent, velut atecomatl Hispanensibus similes, hortensis campestrisque, expers calli, inepta dapibus, & quâ Indi non nisi ad aquam perferendam vtuntur, vnde inuenit nomen. Præterea axicalli seu aquæ cucurbita, clypei formâ & magnitudine, crasso cortice, & callo nullo. Hac secundùm latitudinem diuersa bina solent vasa parari, magnorum lancium vicem præstantia, ex integris verò septenis connexis cymbę, traijciendis hominibus atque equis, & quibusuis alijs perquam accommodæ. Calli hæ sunt expertes, & cibis inutiles, velut & allacatl, ita vocatæ, quòd siphonum vsum præstent. Sapore omnes & odore, velut & nostrates, carent. Frigidam & humidam pręstant alimoniam. Parandis ferculis, & cibandis his qui febres patiuntur, aut renū ardorem, opportunas, & si conditæ saccharo habeantur, nostratibus insalubriores atque insuauiores, in hortis locisque humectis & cultis nascuntur. Huius plantæ flores, & capreoli oleris vicem Indis cocti, sed maximè è iure pinguium carnium præbent. Quo tempore decidunt, imbres nascuntur, etsi toto etiam anno prouenian apud Mexicenses, & veniant in cibos. Sunt verò alia cucurbitarum genera, quarum diuersa est natura. Inueni quoque ayotli purgare atque seruare intestina: salsamentum enim ex tenellis cucurbitis pariter & testudine confectum, seruat intestina, & fulcit stomachum, cùm eius dolor ex immodicâ cibi sumptione, vel ex simili causâ nascitur.

CAPVT XXXIV.

De cohyne.

IN Americâ regio est Morpion nominata (hæc ex Theueto cum Historiâ plantarum fœneror) quam hodie incolunt Lusitani; ea plurimorum & optimorū fructuum ferax est, eius præsertim quem nana appellari diximus. In ijs etiam est fructus eius arboris quam cohyne vocant, quæ foliū habet lauri, fructum citrulli mediocris magnitudine, oui struthiocameli figurâ, qui edulis non est, aspectu tamen pulcher, præsertim in ipsâ arbore, ramis eo onustis. Barbari ex ipso pocula faciunt, præterea arcanum quoddam & planè stupendum mysterium. Excauatum hunc fructum milio seminibúsve alijs implent. Deinde baculo parte vnâ in terram defixo, alterâ in fructum inserto, eum toto ambitu speciosis plumis exornant, singulique in singulis tugurijs binos ternósve huiusmodi fructus seruant, magnoq; habent in honore, quòd ijs miseri idololatræ diuinitatem quamdam inesse existiment, nihilque aliud quod sensu percipiatur adorent, quàm hoc instrumentum, quod cùm tangitur percutitúrve, tinnitum reddit; adeoque sunt vecordes, vt cùm tinnit, & percussum resonat, summum illum Deum esse putent, quem suâ linguâ Toupan nominant, qui loquatur, quique ipsis, maximè verò ipsorum Prophetis omnia præsagiat. Recitatur eadem Historia à Clusio in Scholijs cap. 11. lib. 2. de Aromatibus Indicis, vbi ait, fructum huius arboris vocari maraka & tamaraka.

TVNA, SIVE NOPALLI SAXIS INNASCENS.



CA-

CAPVT XXXV.

De tunâ.

INcompoſita arbos tota ſpinoſa, folio, fructu, trunco (ſi truncum habet) tuna dicitur. Mira frondium fecunditas. Folium ſupernaſcitur folio: ſi decidat aliquod, radices rurſus agit, ſurgitque altera arbos. Fructus eius haud inſuauis, ruber eſt ſpinoſuſq; horridè. ſpinas ſubſtituunt feminæ pro aciculis metallicis. Locupletiorem hiſtoriam exhibeo ex Franciſco Hernando, etſi planta illa, quam Haitini tunam, Mexicani nochtli, & antiquiores (vt quidã decepti putant) opuntiam ſeu pallam arborem aut ficum Indicam vocant, noſtro orbe non paucis ab hinc annis innotuerit, cœperitque eſſe frequens, in maximamque ſui, ob monſtrificam formam, & craſſorum ſpiniſque horrentium foliorum portentoſum nexum, ſpectatores in admirationem traxerit: tamen quoniam nullibi præterquam apud Indos fructum perficiat atque maturet, concoquatque, nec poſſit de eâ alibi certius fieri iudicium, quàm vbi complet poma, & frequentiſſimè in menſas tum ægrotantium tum benè valentium hominũ venit, libuit, omiſsâ formâ toto pænè iam orbi notiſſimâ, varias eius differentias enumerare, facultates percenſere, palamque facere quæ amet loca, quâ cæli regione gaudeat, quo tempore ſerenda ſit, & quo fructum maturet, proferatque flores. Sumuntur ergo tunarum differentiæ interdum à floribus, qui iam crocei albique per extrema reperiuntur, iam extrà luteo, intrà verò ipſius pomi colore, velut in tatonochtli eſt videre; iam extrà lutei, intrà verò ex albo in coccineum vergentes, & nonnumquam quoque lutei. Sumuntur item à foliorum arboriſque magnitudine & formâ. omnes enim in fruticis altitudinem tantùm attolluntur, ſi excipias tacanochtli & xoconochtli, quæ interdum quoque arboreſcunt. Item à folijs: alia ſiquidem craſſa ſunt, alia tenuia; hæc ſpinis ſtipata, illa raris breuibuſque horrentia; quædam rotunda, alia oblonga: & cùm nonnulla maxima ſint, alia admodum parua reperiuntur. Sed potiſſimùm ex fructu, vnde & nomino, quas latiùs proſequimur. Septem ergo tunarum ſpecies, quod adhuc nouerim, in Mexicanâ prouinciâ reperiuntur. Prima yztacnochtli vocata, quòd albus fructus eius ſit, folia fert rotunda, parua, leuia rariſve horrentia aculeis; florem luteum, fructum ſpiniferum & candentem, ac in fruticis attollitur magnitudinem. Secunda, quæ colnochtli dicitur, quòd pallentem proferat fructum, folijs conſtat amplis, orbicularibus, flore coccineo per extrema palleſcenti, & pomo luteo ac raro. Atlatonochtli, ſeu tuna ex albo in rufum colorem inclinans, folia fert anguſta, oblonga, impensè aculeata, & nonnihil purpureſcentia, quod eſt huic tantùm generi peculiare, cùm ceteris omnibus viridia ſint: fructum item valdè ſpinoſum, florem extrà luteum, intrà verò ipſius tunæ colore. Quartum genus tapalnochtli dictum, id eſt coccineum, folia fert tenuia, anguſta & oblonga, ſed breuiora præcedentibus, ac minùs ſpinoſa, florem ex albo ruſeſcentem & paruum, pomum item non adeò ſpinoſum, & coccineo flammatoque colore præditum. Quintum tzaponochtli, ob ſimilitudinem quam habet cum fructu à Mexicanis vocato tzapotl, folia fert ſqualentia, oui figuræ, quibuſdam horrida ſpinis, & flores in his luteos, ex albo in coccineũ colorem vergentes. Cacanochtli verò, ſeu herbacea ſilueſtriſve tuna, quæ in arboris magnitudinem attollitur, multis alis concaua eſt, folijſque conſtat rotundis, paruis & ſpinoſis, ſilueſtris fructu vix iuglandem nucem magnitudine ſuperante, ſed ſpinis horridiore, & pallidis floribus. Eſt & xoconochtli, ſimilis formâ cacanochtli, ſed tam folijs quàm fructu acida, vnde nomen. Frigidæ ſunt omnes ordine ſecundo, humentiſque (ſi excipias grana, quæ ſicca & adſtringentia ſunt) naturæ. Sunt etiam frigida & humida folia, ſaliuoſaque: quo fit, vt foliorum pomorumque ſuccus expreſſus ardentes febres magnopere extinguat, ſitim expleat, & arentia viſcera humefaciat. Poma cum granulis loco cibi ſumpta, aluum dicuntur ſiſtere, præcipuè ſi calor fluxionis cauſa ſit. Gratum præbent alimentum, refrigeranſque, etſi flatuoſum, ac velut ceteri orarij fructus, obnoxium corruptioni, atque æſtuantibus iucundiſſimum. Quamobrem æſtatis tempore commodiùs auidiuſque manduntur, præcipuè ab his in quibus bilis aut calida diſtemperies redundat. Gummi fert renum & vrinæ calorem temperans. Succus aut aqua ſtillatitia mirabilis eſt aduerſus bilioſas & peſtilentes febres, præcipuè ſi cum ſucco pitahayæ fructus miſceatur. Honorem dedit huic pomo præcellens vir Martinus Enrricus Nouæ Hiſpaniæ præclariſſimus Prorex, qui eius vſu frequenti à multis morbis ad bilem coloremque attinentibus, quibus vexari ſolebat, eſt pænè liberatus. Auxiliantur radices eius enterocelis, eryſipelatis medentur, ortum à febre calorem, aut aliâ quauis ex cauſâ extinguunt, & iocinori vehementer

mentet

menter concalescenti remedio sunt. Folia eadem præstant, & decocta parataque cum chilli, in frigidorum esculentorum veniunt vsum. Vngunt Mexicenses carpentorum rotas nimio motu æstuantes foliorum succo, atque ita peruri atque inflammari prohibentur. Radicem etiam eius, quæ nonnihil amara est, aiunt mirè vlceribus subuenire. Montanis calidisque magnâ ex parte locis proueniunt, quamquam in frigidis quoque nascantur, in calidis autem aut temperatis saltem maturent fructus. Florent primo vere, & fructum æstate cum ceteris arboribus proferre solent. Quouis anni tempore, sed vere maximè, defossis vtcumque folijs, aut pedibus conculcatis, proueniunt, nullaque adhibitâ curâ agunt radices, in iustamque attolluntur magnitudinem. Ad tunarum species pertinere videtur tetlihoactli, quæ cùm naturâ tuni & formâ similis esset, nisi brachia caulésve teretem formam & striatam sortirentur, & aliæ permultæ.

CAPVT XXXVI.

De nopal nocheztli, seu cocco Indico, in tunis quibusdam nascente.

REperiuntur apud Mexicanos in tunarum quodam genere, nopalnocheztli vocato, hac solâ ratione à pecorum armentorumque iniurijs quibusdam in locis naturâ munitis asserto vindicatoque, vermiculi rotundi, extrà candidi, intrà verò coccinei coloris, interdum sponte ipsius naturæ, interdum hominum industriâ atque diligentiâ, semina superioris anni stato tempore tunis admouentium, quę Indi nocheztli, nostri verò cochinilla, fortassis à cocco seu grano, cuius species sunt, appellare solent. Sunt qui diuersam rem hos esse vermiculos arbitrentur, verùm etsi non me lateat, coccum nostri orbis, inquit Franciscus Hernandus, non tunis, quæ nullæ ferè ibi reperiuntur, sed illicis cuiusdam, quam tusculium recentiores vocant, folijs adhærere, ideoque facultate pollere minimè adstrictoriâ, eiusque interna præstantiæ & honoris gratiâ vocari chermes seu chermesi, exteriora verò, quæ magis sunt vulgaria, adhuc Græcam nuncupationem mordicus retinuisse: tamen cùm vermiculi vtrique sint, & æqua tingendi lanas coccineo colore natura atque conditio, & promiscuè sint pictoribus tinctoribusque vtiles, firmum habeo, ad coccineum genus, vnde (velut diximus) fortasse Hispaniense nomen emanauit, non minùs ac hi, quos vocatæ pampinulæ, teucrijve radicibus apud Perüinos innasci fama est, esse referendos. Ergo ex nocheztli purpureus interdum, interdum verò coccineus, pro variâ parandi formâ, conflatur color. Fitque exquisitissimus, si teratur ex aquâ decocti arboris tezohoatl, addito alumine, atque subsedimento formato in placentulis. Adstringit ex aceto, tusúsque admotus in modum emplastri vulneribus opitulatur; cor, caput & ventriculum roborat, ac dentes egregiè extergit. Purpurarum sanguine vsa est antiquitas, quibusdam in venis gutturis earum contento, dum lanas tingendas curabat, & tyrio honore decorabat vestes. Verùm iam diu eo medicamine vti desijt orbis, eadem repetiturus, cùm libebit pigmenta, neque vnquam nouis inuentis satiandus, aut pedem aliquo in tempore fixurus.

CAPVT XXXVII.

De yohualxochitl, seu flore nocturno.

YOhualxochitl, quam quidã colcaquahuitl vocant, alij verò yahoalxochitl, seu florem orbicularem, arbuscula est folia ebuli sambucíve ferens, ad quorum species fortassis erit referenda, nisi quis malit ad vitis siluestris genera pertinere, sed minimè serrata vmbellas sambuci è flosculis aggeratas orbicularibus, & pallentibus interdiu (vt ferunt) contractis & hiantibus noctibus, vnde acini fiunt racematim dependentes, in initio virides, deinde coccinei, ac tandem purpurei. Radices verò resinosi saporis, glutinosas, & gustus nonnihil odori, callida siccaque ordine secundo constat naturâ, & sapore amaro, tumores apposita discutit, aut maturat & rumpit, quibusdam epota ex aquâ sudorem euocat, & alijs aluum ciet. Puluis eius medetur inspersus vlceribus insanabilibus, & confert scabiei, lepræque auxiliatur etiam resolutis, & vterino affecto laborantibus. Sunt qui edant folia frixa, expresso prius succo medicinæ gratiâ, asserantque ad eum modum, infusáve corpus extergere, atque impinguare; & vt carnem instaurat exesam, & casu aliquo exhaustam, sic superuacaneam citra vllam noxam sensúmve doloris corrodere & absumere, vanos timores pellere. Pectori imposita, folia & syncopen inde profectam tollere.

CAPVT XXXVIII.

De mangle.

MAngle arbos littora marina amat. Postquam ad quamdam magnitudinem surrexerit, frondibus innascũtur calli, qui in terram decidentes hęrent, & pro radice sunt; inde dicitur per frondem radicari. Latiùs huius arboris naturam ex Ouiedo exhibebo. Mangle, ait, arbor est inter eas quæ in Occidentali Indiâ vulgariter nascuntur selectissima, cùm ad ædificiorũ fabricas, tum ad reliqua fabrilia. Crescit vliginosis locis, littore maris salsuginosisque fluminum & torrentium in mare dilabentiũ ripis. Folia habet maioribus pyri folijs similia, crassiora tamẽ & paullò longiora, siliquas binos palmos longas, aut maiores, easque crassas. Cassiæ solutiuæ fructu pares, fusci coloris, pulpam instar coaguli siue ossium medullæ similem continentes, quâ Indi aliorum eduliorum penuriâ vescuntur etiam. Licet amara sit, salubrem tamen cibũ esse ferunt. Ego nihilominùs ab eius esu in morbum incidi, tametsi adeò delicatulus non sim, nec ab ijs cibis abstinere in penuriâ soleam, quibus alios vesci video; quinimò nullâ etiam vrgente necessitate, degustare non piget, vt commodiùs describere queã, eaque de causâ hunc fructum degustabam: sed brutorum animantium & siluestrium hominum potiùs cibus dicẽdus videtur. Admiranda autem eius arboris est natura: plurimę enim simul crescunt, multique eius rami deorsum vergere, & in radices conuerti videntur. Nam pręter multos, quos erectos folijsque onustos, atque ab inuicem seiunctos, reliquarum arborum instar, habet, frequentibus etiam alijs crassioribus, & tenuioribus ἀφύλλοις sese ad aquam demittentibus, & sub terrâ aut arenâ radices figentibus prædita est, qui vbi apprehenderint, alios ramos sursum resurgentes proferunt; etenim non minùs firmiter hærent quàm primarius arboris truncus, sic vt ex multis caudicibus simul connexi conflata videatur arbor, egregio sanè spectaculo, & singulari huius arboris naturâ. Eiusdem miraculi arborem Oriens nutrit, maximè Goæ: eius descriptionem ab oculato teste Fabricio Mordente Clusius præstabit. Eam porrò arborem, inquit, de quâ nobis sermo, in magnam altitudinem, vnico trunco, eoque admodum crasso assurgere solere, afferebat, ramos deinde in omnia circum latera expandere, qui tenues quasdam, easque singulares, fibras siue filamenta, cerei siue aurei, dum recentia sunt, coloris, deorsum mitterent, ijsque, vbi terram attigissent, firmarentur, nouamque quasi prolem generarent, & veluti in nouos arborum caudices trãsirent, qui rursus summâ sui parte nouos ramos in latera spargentes, nouis denuò fibris deorsum missis sese propagarent. Sic alij deinceps rami in infinitum, vt interdũ vnica arbor, siue omnium istarum prolium parens diiudicares, præterquam ex trunci crassitudine, quam nonnumquam in matre tantam esse dicebat, vt trium virorum vlnis vix apprehendi quiret. Ceterùm non modò inferiores ramos similes fibras spargere, sed etiam in arbore summâ; ideoque vnicam arborem densissimam siluam efficere. Sub eas verò arbores aditum sibi paraturos incolas, fibras iam in truncos conuersas tenuiores scilicet rescindere solere, atque eâ ratione veluti cõcamerationes & vmbracula facere, arcendi æstus gratiâ: adeò enim densis ramulis reliqui maiores luxuriãt, vt Solis radij nullâ ratione penetrare queant; imò concauos istarum fornicum sinus scindere inæqualiter, inde resultantem aërem, quæ causa esset, vt echo multis in locis ter atque etiam sæpiùs humanas voces reddere affirmaret. Vidisse autem mihi referebat, interdum octingentos aut mille viros, quo in numero ipse fuisset, vnius huiuscemodi arboris vmbrâ tegi, sed terna etiam hominum millia sub tali arbore latere posse. Nouellos ramos ferre aiebat folia mali cotoneæ folijs similia, supernè viridia, infernè candicantia, & lanugine sicut illa pubescentia, mirum in modum ab elephantis expetita, idcircò in illorum pabulum cedere solere. Fructus esse extremi pollicis articuli magnitudine, colore foris & intus sanguineo, granisque pleno, vti vulgares ficus, dulces quidem & edules, verùm minùs grati saporis quàm illas. Nasci autem inter folia quemadmodum vulgares ficus, hoc est in nouellis ramis, quâ parte illis inhærent folia; prouenire autem in Insulâ Goâ locisque vicinis. Ficus Indica à nonnullis appellatur, ab Hugone Lingotio arbor de raiz, à Ferdinando Lopez castagneda mangue. Nota priscis fuit, Theophrasto, Straboni, Plinio; nec absimilis arbos est, cuius Pigafeta meminit in descriptione regni Congo. In Loandâ insulâ, ad ostia fluminis Coanza, Regni Congo partem perluentis, sitâ, scribit nasci arborem, enlandam ab incolis nuncupatam, quæ celsa est & semper virens, & singulari naturâ prædita: nam ex eius ramis in sublime elatis deorsum demittuntur veluti funiculi, siue fidiculæ, quæ terram subeuntes agunt radices, è quibus deinde aliæ plantæ exurgunt, & hac ratione multiplicãtur. Sub harum externo siue primo cortice inuenitur quasi tela

quædam, quâ contusâ, purgatâ, deinde in longitudinem atque latitudinem expansâ, sese tegunt tenuis fortunæ viri & feminæ.

CAPVT XXXIX.

De caphuræ arbore.

COlligam aliqua de cognitis iam plantis ex Francisco Hernãdo breuissimâ narratione. De caphurâ inquit: Arbor est magna, pulchri aspectus, nuci iuglandi similis, salignis folijs candicantibus, materiâ mediocriter solidâ. gummi fundit caphuram dictum, non plurimum à nostrâ distans, niui condensatæ, & puluere infectæ persimile, vehementisque odoris: quale ad nos delatum est ex Sines regione, vbi prouenit; quamquam alijs quoque locis Orientalibus nascatur, temperie frigidum atque humens; quidquid alij, ob partes quasdam admixtas, tenues & calentes, iudicare solent.

CAPVT XL.

De cubebis.

ARbor est siluestris à pipere siluestri, myrto & carpesio longè differens, similis vulgari malo, minor tamen; folijs piperis, sed angustioribus; fructu rotundo, racematim dependente, sed è singulis pediculis vnico, velut contingit oxyacanthæ; & flore odorato. Arbores conscendit hederæ aut piperis modo. Tusus fructus, atque è vino bibitus, ventriculum calefacit, Venerem excitat, corroborat, frigus pellit, flatum discutit, ac vtero confert, calidæ enim est & siccæ ordine tertio naturæ, odorus, ac subtilium partium. Prouenit Iaoæ & Cundæ insulis Indiæ Orientalis.

CAPVT XLI.

De cardamomo.

HErba est quę leguminis modo seritur, cubitum ad summũ alta, paruâ radice, ac siliquis viginti, magnâ ex parte granulis refertis, cinereis, acribus gustu, odoratis, ac tertio calidis ordine. Oris halitũ commendat mansum, ac pituitã è capite trahit. Duo sunt eius genera fructus magnitudine tantummodò distantia. Sacolaa vocatur Arabibus. Prouenit vtrumque genus in Indiâ, præsertim ab emporio Calecuti vsque ad Cananorum, Malabari quoque & Goæ; sed non adeò copiosum, aut cortice adeò candenti.

CAPVT XLII.

De calamo aromatico.

CAlamus aromaticus Officinarum non est galanga, aut acorus, sed verus calamus, aromaticus antiquorum, qui varijs in partibus Indiæ seritur, varijsque nominibus pro locorum diuersitate nuncupatur, adeoque in ipsâ vrbe Goâ, Lusitanorum Regiâ, vbi eo potissimùm vtuntur aduersus muliebres affectiones, neruorum dolores, & frigora iumentorum, permixtis tamen alijs quę modò non oportet referre.

CAPVT XLIII.

De fructu, quem Suzaratenses carambolas vocant.

FRuctum, quẽ carambolas vocant, describit Horta, arborem nõ describit. Est igitur, eo teste, fructus oui parui magnitudine, flauescens, quibusdam gratus, & si saccharo condiatur, gratissimus. Exhibetur aduersus febres, quæ quotidie repetunt, & acetati syrupi supplet vices, oculorumq; lippitudines, alijs congruentibus medicamẽtis admixtus, curat. Multis Indiæ locis est vulgaris.

CAPVT XLIV.

De carandas.

ARbuscula est vnedonis magnitudine, & folijs vndiquaque florens, odore periclemeni, & fructu nigricante, exiguis malis persimili per maturitatis tempus, & gratissimo vuarum sapore, ex quo à multis succus vinosus exprimitur. Editur à nonnullis fructus maturus cum sale, viridis verò muriâ aut aceto condĩtur, ad excitandam appetentiam.

CAPVT XLV.

De coru.

COru Canaricâ linguâ dictus, frutex est arbuti magnitudine, folijs maliperficæ, floribus candidis periclemenum olentibus. Cortices radicum exsiccatæ, lacteque ab eis emanante prorsus absumpto, redactiq; in farinam, ac sumpti, medentur dysentericis, vacuatâ tamen prius morbi causâ. Solẽt etiam indigenæ aduersus eamdem affectionem aquâ eius stillatitiâ vti, permixtis quibusdam alijs medicamentis, coërcendis dysenterijs opportunis.

CA-

CAPVT XLVI.

De curcas.

HOrtensis plantæ fructũ esse aiunt nucis ponticę magnitudine, sed nõ adeò orbicularem seminis facere copiam, & choleram morbum excitare. Nascitur Malbari.

CAPVT XLVII.

De arbore ferente sirifoles.

ARbor est oleæ magnitudine, folijs mali persicæ, odoreque, floribus raris atque deciduis, fructu per initia tenero, ex viridi in nigrum vergente colore, magnitudine cotonei, ac tenui cortice vestito, qui tamen exsiccatus putaminis nucis Indicæ contrahit duritiem. Fructus hic dysenteriæ egregiè opitulatur, saccharo etiam conditus, illitúsve. Nascitur Bengalæ atque alijs Indiæ mediterraneis locis.

CAPVT XLVIII.

De costo.

ARbor est sambuci effigie, & vnedonis magnitudine, flores ferens odoros, intus candida, extrà cinerea, aut buxi modo pallescens. Odoratissima est, & adhuc recens acri gustu, senescens verò aliquantisper amaro. Nascitur in Caguzarate, vbi vnicum tantùm esse genus profitentur. Defertur verus costus ad nos, etsi non in omnibus myropolis verus offendatur.

CAPVT XLIX.

De croco Indico.

CRocus Indicus, quem Dioscorides typerum, Arabes curcumam, nos verò zingiber aurificũ vocamus, radicem fundit intus croceam, extrà vulgari zingiberi persimilem. Compacta folia, vt caules foliaceos. Radix est calida & sicca ordine quarto, impensè amara & acris, cùm sicca est, & cùm viridis, non adeò, ob redundanté humorem, & acrimoniam obtundentem. Prouenit in Cananore, Calecute, & Goâ.

CAPVT L.

De colubrino ligno.

TRium reperitur generum. Primum efficacissimum omnium, de ramensul vocatũ ab indigenis; caules mittit tenues ac teretes, rarosq́; & duos aut tres dodrantes longos; radices geniculatas, & tenues, ex cãdido cinereas, solidas, ac amaras gustu, folia mali persicæ virore exsaturato tincta, flores rubros, longè à folijs racematim cohærentes; fructum sambuci, sed rubrum durumq́;. Radix tusa, atq; ex liquore aliquo cordi amico vinoque sumpta succurrit ictibus serpentum venenisque. Quin puluis plagis ipsis inspersus mirè confert. Secundum genus ad eadẽ vtile, arbor est spinifera, volubilis, punicæ malo similis, cortice cãdido, denso, rimoso, solidoque & amaro, folijs luteis, asperis & spectatu pulchris. Tertium genus ramos profert paucos, tenues, quinque cubitorũ longitudinis; & nisi alligentur, per terrã sparsos; folia rara, lentiscinis proxima, & nigricantibus ex candido maculis respersa. Ad eadem est huius herbæ radix perutilis. Nascuntur priora duo genera Goæ, in multisq́; alijs Indiæ regionibus; tertium verò in insulâ Iafanapatan, Zeilan conterminâ. Aiunt, harum plantarũ vim cognitam animali cuidam paruo, viuerræ simili, earumq́; radicibus sese munire, quoties pugnaturum sit aduersus venenatissimum serpentis genus, vocatum à Lusitanis indigenis *cobra di capelo*, atque ita tandem illud superare atque occidere. Adijci hæc possunt Hisp. plant. lib. 18. cap. 140. pag. 1911.

CAPVT LI.

De colot.

HErba est folijs magnis, cordis figurâ, leuibus brachijs, crassis & rotundis, flore & semine nullo, radice candenti, magnâ & hirsutâ, venenatâ. Attamen per annonæ charitatem egregium præsidium, ac veluti sacra quædam anchora, rizi, milij, & aliorum cerealium supplens vices, ad quos vsus illam accommodare solent corrasâ cuticulâ extimâ, comminuto reliquo, & in fiscellam effuso: hanc immergunt mari, additis, ne vacillet, lapillis, trium quatuórve dierum ita relinquentes interuallo; mox lauant exprimuntque liquorem, deinde flumini aquæ dulcis rursus submergunt, permittuntque alios duos manere dies, agitantes ter quotidie, iterumque exprimentes exponentesque Soli decem dies, donec humor vniuersus absumatur. Implent statim ollam aquâ, ac supra eâ interuallo trium quatuórve vnciarum intexunt bacillos, quibus imponant radices, obturantque os vasis plantarum folijs, ita vt omnino perspiratus arceatur, & admouent igni donec absumatur aqua, atque ita demum eo vtuntur velut nutrimento, cùm alterius melioris est inopia, obstructiones siquidem ventriculi, hepa-

hepatis, aliorumq; viſcerum creat. Montoſis locis Philippicarum inſularum copioſè prouenire ſolet.

CAPVT LII.

De aparequâ, ſeu herbâ calidâ.

VRticæ genus eſt aparequa, folijs conſtans magnis, ſerratis & obrotundis. Ea quæ delata eſt ad nos, eſt alia ſpecies, humilioribus caulibus, ac vix palmum æquantibus, longeque minoribus folijs. Pungunt his frigeſcentes ac ſemimortuas carnes, non ſine vtilitate magnâ, aut eos qui aliquâ parte corporis citra inflammationē dolent. Quin & contra perfricationes eſt vtraque indigenis laudatiſſima, & ex prædictâ cauſâ ortos dolores, ſi tuſa folia calefactaque emplaſtri formâ applicentur. Naſcuntur frigidis humidiſq; regionibus, qualis eſt illa Paquari prouinciæ Mechoacanenſis.

CAPVT LIII.

De atochietl tertiâ.

ATochietl tertia, quam alij dictamum vocant, herba eſt purpureis & longiuſculis conſtans floribus, craſsâ & fibratâ radice, folijs paruis ſerratis, formâ & odore pulegij, cuius citra dubium eſt ſpecies. Ad hanc herbam conſtat fugere ceruos vbi ſagittis ſe ſentiunt transfixos, lethalibuſque confectos vulneribus, illaque deguſtatâ nouas recipere vires, reddiq; ad curſum promptiores. vnde etiā cognitum expertumque, plagis recentibus mirè prodeſſe, his præcipuè quæ toxico infectæ ſunt.

CAPVT LIV.

De tragorigano Quauhnahuacenſi.

AN nectunt aliqui pulegij ſpeciebus hâc plantam, quam multi ex indigenis Hiſpanis pulegium quoque vocant, cùm tragorigani formæ & naturæ videatur propinquior. Herba eſt magna, fibratis radicibus, caulibus purpureis, folijs maioranæ & ſapore origani pulegijque, floribus verò oblongis, & ex albo rubreſcentibus calyculorum figurâ. Ius decocti eius menſtrua egregiè euocat, cachecticis & hydropicis medetur, obſtructiones aperit, colorem vitiatum reſtituit, diſcutit flatum, euocat ſudorem, impeditos motus explicat, humoreſq; altè infarctos educit, lentos verò craſſoſque extenuat & pellit; appetentiam intermortuam excitat, & vetuſtis, rebellibus, atque alioqui inſanabilibus medetur morbis. Temperie eſt pulegij aut origani. Naſcitur montoſis locis humidiſque calentium regionum, quemadmodum eſt Quauchnahuacenſis.

CAPVT LV.

De tlatochietl, ſeu humili pulegio.

SPecies eſt tlalatochietl pulegij, peregrina aut tragorigani, radice longâ, tenui & fibratâ, vnde prodeunt cauliculi tenues, & in eis folia parua, ſerrata, origano ſimilia, binaque per interualla, & minora, ac flores purpuraſcentes ex albo. bini quoque, & ab ipſo foliorum prodeuntes exortu, calidâ ſiccaque ordine quarto naturâ conſtat; & cùm ceteris generibus vrentior ſit, linguā tamen quamprimùm calefecit, paulò pòſt velut prior atochietl ſpecies, reddit impensè gelidam. Ius decocti eius diſcutit flatus, dolorem ventris tollit, colicis medetur, frigus pellit, vrinamque & ſudorem euocat. Prouenit montoſis ac planis Xalatlanhei locis, vbi ſeruari in manipulos redacta in totius anni vſum paſſim conſueuit.

CAPVT LVI.

De alterâ Motinenſi herbâ expurgante.

RAdici inſiſtit fibratæ, ex quâ prodeunt caules rubri atque volubiles, & in his folia parua hederæ figurâ, & flores rubri calycibus ſimiles, vaſculaque obrotunda, vbi includitur ſemen, quod tuſum atque ex aquâ potatum drachmæ vnius pondere, omnes humores citra noxam vllam expurgat. Naſcitur Xiquiple & alijs partibus prouinciæ Michuacenſis.

CAPVT LVII.

De amohuitli Tyauhtepecenſi.

HErbæ morali ſimilis eſt, ſed maioribus alarum cauis, floribus purpureis, vnde nomen obtinuit. Inſigne in hac plantâ eſt, quòd indiſtinctâ ſimilitudine oleat ferculum, ex carne arietinâ, ouis, pipere, & butyro apud Hiſpanos parari ad veſpertina ientacula ſolitum.

CAPVT LVIII.

De mexixquilitl, ſeu naſturtio, iberidéve Indicâ.

NAſcitur apud Mexicenſes ſuapte ſponte, paſſimque in ruderibus atque macerijs, naſturtij quoddam genus noſtrati perſimile,

ſimile, mexixquilitl ab eâ gente vocatum, dolores à causâ frigidâ exortos mirè alleuans, crurium tumores diſcutiens, iure decocti eius illito; & calce permixtâ ſanat impetigines. Quin ex eodē parari ſolet medicamentum egregium aſthmaticis, miſtis mexixquilitl, epacotl, perſicorum præcociûmque nucleis, ſemine citoniorum, ficubus nigris, & gummi tragacanthi, æquali portione. Teruntur verò omnia, & tragacanthi ſeminiſque citoniorum ſaliuæ immixtorum ſtillatitius extrahitur liquor, bibiturque cochlearis menſurâ matutino, quoties expedit; atq; ita curatur morbus, redditis excrementis, pituitoſiſque expurgatis humoribus ter aut ampliùs, quoties ſumi contigerit. Fit autem medicamentū, ſi opus ſit, vehementius auctis nucleis: eſt enim mirabile, adeò acrem herbam atque calentem, butyro vaccino ſalis experti commiſtam & applicatam, renum calori mederi, atque ita ſedare vrinæ ardorem, quemadmodum in meipſo (inquit Franciſcus Hernandus) cùm eius premeret morbo, euentu læto atque felici ſum expertus. Sunt qui tlachhoihoilan vocent.

CAPVT LIX.

De naſturtio Perüino.

TRanſlatum quoque eſt ad Mexicanos, quorum viridariorum ſepta feneſtraſq; exornat, quod noſtri Perüinū naſturtium vocare ſolent, Mexicenſes verò pelon mexixquilitl, ſeu pelonchili, folia ferens obrotunda, & veneris labro ſimilia, ſed exilia, & angulis quibuſdam interdum variata, appendentiaque pediculo, nequaquam mediâ parte ſui, ſed è loco in alterum circumferentiæ habitum inclinante, infernè ſquallentia, & virentia ſupernè; caulem rotundū, tenuem, volubilem, perguliſque, quibus ornatus gratiâ adhiberi ſolet, ſeſe implicantem: flores è luteo rubreſcentes aquilegiæ oſyridiſve inſtar gerentes, infernâ parte contortum tubulum, ſuperiori verò ſeptem foliolis conſtantes, quorum duo magnitudine præſtantia ceteris, ac duo alia minima lineas quaſdam rubras inſcriptas gerunt, plagis Chriſti Optimi Maximi, quibus cruces paſſim ornari ſolent, haud diſſimiles; tria verò reliqua, quæ mediocria inter prædicta ſunt, tria veluti clauorum capita. Calida & ſicca eſt hæc herba ordine ferè quarto, ſaporeque & viribus noſtras naſturtium indiſtinctâ æmulatur ſimilitudine, adeò vt inter naſturtij ſpecies, etſi formâ longè differat, poſſit impunè recenſeri. Viridaria pergulaſque, & figlinis vaſibus ſata feneſtras atriaque ipſa exornat. Viret toto anno, floreſq; producit, niſi cùm frigoris vehementioris obſtat inclementia. Adhibentur flores acetarijs quæ ex oleribus parantur, gratiamque ita & ſaporis & aſpectus addit. Ventriculo ex frigidâ causâ imbecilli, aut flatu dolenti, ſubuenit: tuſſi auxiliatur. Tritus idem cùm alumine dolores dentium ſedat, auſert dolorem & tumores à causâ etiam calidâ ortos, nempe, eadem diſcuſſa ſi frigidioribus adiungatur medicamentis, & vlcera curat inflammata: nam & eſt contra excitatos à frigore dolores: noſtrate naſturtio admodo eſt præſtantior. Quibuſque locis, ſed præcipuè calidis, totoque (vt dictum eſt) anno, niſi vehemens frigus ſit impedimento, & viret & edit flores.

CAPVT LX.

De memeyâ Tepecuacuilcenſi.

INter memeyarum ſpecies alibi deſcriptas eſt alia Tepecuacuilcenſis, quæ etſi viribus ceteris memeyæ peplyóſve generibus ſimilis ſit, ob ſpectandū tamen rubrum foliorum colorem, non erit hoc in loco tacenda. Cubitalis herba eſt, radici innitens fibratæ, vnde profert rubros ſtipites purpureóſve, tenues ac teretes, & in eis folia temporis procurſu in rubrum colorem mutata, oblonga, obtuſaque, & mali punici folijs formâ & magnitudine ſimilia, floreſque exiles, orbiculares & luteos, in poſtremis coaceruatos ramis. Aiunt Indi frigidam eſſe, quemadmodum ceteras & congeneres plantas, febribuſque extinguendis, & conglutinandis vulneribus mirabilem. Cuius rei gratiâ non cenſui tacendum, non priùs eorum ſententiæ acquieuiſſe, quàm experimentis permultis id veriſſimum comprobaſſem, etſi ſententiæ Dioſcoridis poſſit quiſquam iudicare contrarium; quin & cùm eas herbas lacte manantes deguſtaſſem, nullum penè caloris ſenſum percipiebam. Fateor in lacte ipſo nonnullam acrimoniam & calorem perſenſiſſe, verùm adeò exiguum, vt ſi experimentum ipſum adiungas, facilè credas in eâ herbulâ frigus dominari atque excellere. Fieri tamen potuit, vt ab eis, de quibus Dioſcorides fecit iudicium, ſoli natalis ratione lac efflueret copioſius, & ideò maior ineſſet illis acrimonia, & calor vehementior; quod etiam apud alium orbem, aut quaſpiam eius regiones facilè poſſet euenire. Naſcitur in calidis Tepecuacuilcæ plagis.

CAPVT LXI.

De macaxocolt, seu pruno ceruino.

FRuctus illi, quos Indi ab acido sapore xocotl vocare consueuerunt, nostri verò non à fructus tantùm similitudine, sed arboris quoque ipsius, pruna inquam, in quintuplici sunt differentiâ. Quoniam verò omnium arbores in parem magnitudinem attolluntur, eam scilicet quæ nostratium prunorum est, simili constant materiâ, stipites item, radices, & folia omnino sibi respondent, de eis promiscuè erit in hoc Capite à nobis agendum. Commune ergo est omnibus, fructum adhærescentem stipitibus ramisque, priusquam folia, proferre, quod paucis admodum arboribus euenire solet. E folijs salsamenta condimentáve acida concinnari: emollire aluum: non admodum suaue aut salubre præstare alimentum, atque earumdem arborum cineris ope puellarum flauescere capillos. Ergo prioris speciei pruna (liceat enim ita nobis harum arborum nuncupare fructum, quando non aliter ab indigenis Hispanis vocitari consueuit) cacaxocotl dicta, rubra sunt, atque in oblongam protracta formam, nucum iuglandium mediocrium magnitudine, ossibus magnis, firmis, extrà & intrà lentis, striatis, & dactylorum formâ, callo modico molliq; & succo manante intus luteo, quale est ipsum os. In cibi hæc vsum veniunt, & à multis sagacioris palati, sed quibus diutiùs consueta sunt, nostratibus præferuntur. Aluum emolliunt, & dulci acidoque sapore sunt grata, sed qui cum nostratium prunorum delicijs, (vt equidem censeo) comparari minimè possit. Secundæ speciei poma, vocata atoyaxocotl, longè minora sunt, colore luteo, orbiculari formâ, odore præstantiori, minori nucleo rotundoque, & gustu iucundiore. Tertium genus est Haitinorum, quod à Mexicanis vocatur coztiexocotl, à multis nec omnino præter rationem in myrobalanorum refertur genera, quod, vt vel ipso nomine constat, pallidius est, maioribus maculis inspersum, gratiorisque calli; cetera primo fructui persimile est, & quartum genus atoyaxocotl, chichiltic dictum, minimum omniũ, coloris coccinei, quod tamen suauitate odoris reliqua vincit genera, & matzatli, pineámve ab Hispanis huius orbis colonis vocatam, de quâ suo dicendum est loco, videtur imitari. Postrema differentia eius generis, quod nucum iuglandium magnitudinem superat, passeo constat colore, & chichioalxocotl, hoc est sudore manans, quoniam manus attrectantium ab eo euestigiò inficiantur, nuncupari solet. Vberiore hoc callo quàm reliqua abundat: nucleum minorem continet, & cetera prædictis est simile. Corticum harum arborum decocti ius scabiem ac crurium tumorem curat, puluis verò, vt qui frigidâ siccaque & adstringenti naturâ constat, vlceribus medetur. Nascuntur in calidis quibusque locis, campestribus hortensibúsve, & humectis. Sunt & alia plura genera colore tantùm distantia, quæ non iudicaui exquisitiùs recensenda.

CAPVT LXII.

De texoctl, seu pomo saxeo.

ARbor est mediocris, folijs nostratium malorum, sed asperioribus & serratis. Montosis locis sponte prouenit, & permultis horret spinis. Mala fert nostratibus similia, sed parua, nec nucibus iuglandibus maiora, lutea, præduraque ante maturitatem, sed postquam maturuere, adipi mollitudine pænè paria, ingrato, (vt mihi quidem videtur) sapore, sed qui à multis nõ habeatur insuauis. Semen lapidi duritiâ non cedit, quod triplex in singulis offenditur pomis, lunatum magnumq; , pro pomorum magnitudine, duobusque angulis, & vnico dorso insigne. Condiuntur saccharo ac melle multis modis, atque ita mitescunt, nec sunt nostratibus minùs iucunda. Indi Mexicani permissâ priùs putrescere venditant in emporijs, atque ita siluestrem illum gustum exuunt. Quòd si diutiùs studeât seruare incorrupta, id nitri aquâ inspersâ assequuntur. Germina tusa atque ex aquâ sumpta, exanthematis dicuntur mederi, & calorem sedare, præcipuè si germinibus capolin misceantur.

CAPVT LXIII.

De mizquitl, seu siliquâ.

ARbor est mizquitl frequentissima Nouę Hispaniæ, suâ sponte quibusque locis, sed maximè montosis, temperatisque aut frigidis proueniens, incondita & spinosa, folijs exilibus, pennas auium imitantibus, ordine vtraque ex parte ramorum dispositis, flore betullæ nostratis proximo, ac siliquis edulibus longisque, & dulcis prægratique saporis, & refertis semine, vnde sortita est nomen, hinc & inde dependentibus, è quibus placentulas parat Chichimecarum gens, vicem illis præstantes panis, velut ex varijs seminibus, radicibus, ac fructibus alij. Hæc est verissima antiquorum acacia; at quæ germanum gummi, vocatum Arabicum, ferat, cuius hîc est ingens copia, incuriâ

riâ fortassis pudendâ adhuc incognita, & in nostrum orbem nondum deportata. Neque est vnica eius species, sed plures: frigidâ, siccaque & adstringenti constat naturâ. Liquor è tenerrimis huius arboris turionibus defluens expressúsve, aut aquâ, vbi aliquamdiu iidem maduerint, illita, mirum in modum oculorum morbis auxiliatur. At ius decocti corticum nimium mensium fluxum compescit, qui menses si primiparæ sint (vt & hoc obiter attingatur) tineæ & lichenibus medentur. Sunt qui hoaxini nacazcolotl, & alias nonnullas arbores, quæ apud Nouam Hispaniam proueniunt, in acaciæ referunt differentias.

CAPVT LXIV.

De tomatl, seu plantâ acinosâ.

PRæter ceteras solani species nostri orbis, inueniuntur in nouo aliæ, quarum fructus quoniam orbiculares sunt, vocant tomatl. Membranâ includuntur. Siccâ frigidaque ordine primo constant naturâ, nonnullumque participant acorem. Verùm maiores ex his xitomame nuncupantur, tomamæ cucurbitæ formâ, minores verò miltomame, id est sementini, qui cum tlaolli seu frumento Indico seri consueuere. Ex prioribus quidam iucundi sunt aspectus, & nucibus iuglandibus paulò maiores: cumque virides primò appareant, in pallidum tandem colorem degenerant, dicunturque coatomame, quod est anguini. Alij eadem formâ & magnitudine constant, sed in rubrum demum mutantur colorem. Alij è viridibus fiunt lutei, & mali aurancij circiter æquant magnitudinem, vtroque latere leuiter compresso, & à parte quâ pediculo adhærent, ad mediam vsque orbitam incondite rugoso. Alij rubri sunt, cùm exactè maturuerint, atque in eum quoque colorem è viridi abeunt, postquam pallidum ac rubrescentem priùs induerint, eademque pæne magnitudine constant atque figurâ, etsi rugosis quibusdam eminentijs inconditè extuberantibus non modò muliebre pudendum referant, sed hæmorrhoidas quoque, & quidquid in feminis horridum & obscœnum potest videri. Ex minoribus quidam nuces iuglandes æquant magnitudine, & colore virescunt: alij yzhoatomatl dicti, Ponticis nucibus sunt maiores, minores verò iuglandibus, membranulâ vesicæ instar inclusi (vnde nomen) qui è viridi pallescunt aut purpurascunt. Minores verò, dicti miltomame, prædictis nucibus pares sunt, & eodem quo præcedentes colore: tales habentur coltomatl & tomatl, quem xalatlacensem vocant à natali loco, referto semine paleis exilibus pari, & in medicamenta calore prędita potissimùm referuntur. Sunt & aliæ species, quæ nomina sibi vindicant certa, statásque sortiuntur naturas. Quod autem attinet ad prænarratas, ad vnam omnes solano similes videntur spectare, imò eius species esse, atque maiorem ferunt fructum, maiores sunt, & folijs serratis constant; quæ verò minorem, vulgari etiam sunt magnitudine Europæi rhizotomi. Fructus poma amoris vocare consueuerunt, fortassis ob veneream & lasciuientem quam diximus formam. Demum, adeò plantæ figura, vires, fructus, pelliculæ, & poma quædam solani speciebus respondent, vt sine dubio tomatles omnes in solani differentias referendi sint. Ex his intritis ac permixtis chilli intinctus gratissimus paratur, vt qui omnium ferè ferculorum & ciborum saporem commendet, & emortuam orexim exsuscitet. Vis eius frigida & sicca. Tam folia quàm fructus ignibus sacris conuenientissimè illinuntur: ægilopia, capitisque dolores, tusa atque imposita sanant: æstuanti ventriculo auxiliantur, & parotidas cum sale illita discutiunt. Valet eorum succus aduersus gutturis inflammationes, & quæ serpunt vlcera. Cum cerusâ, rosaceo, & lithargyro ad ægilopas, cum pane infantium adustioni, quam syrrhasin vocant, cum rosaceo perfusus proficit. In collyrijs aquæ vel oui vicem exhibet, contra acutas fluxiones illitus. Aurium dolori instillatus prodest: mensium, in vellere subditus, sistit abundantiam. Idem gallinarum cortalium fimo subactus, & in linteo appositus, ægilopijs præsentaneo est remedio. Quibuslibet regionibus proueniunt, sed præcipuè calidis sponte, aut indulgentiâ & culturâ.

CAPVT LXV.

De tlalcacâ meca xochitl, seu flore funis pabuli terrestris.

HErba est transuersæ & fibratæ insistens radici, vnde multos agit caules, & in eis saligna folia, oleaginàve, & in summo flores ex albo rubrescentes, comantes, exiles & modicos. Radix est calida siccaque ordine secundo, atque odora. Medetur eadem semunciæ pondere sumpta interpellatis febribus, mentemque reducit his qui eam casu amiserunt.

CAPVT LXVI.

De mecaxochitl.

VOlubilis genus est mecaxochitl: binos dodrantes longum, per terram repens, ac circa singulos foliorum exortus fundens fibratas radices, capillisve pares. Folia sunt magna, pinguia, obrotunda, odora, & acris saporis: caules teretes, contorti, & (prærerquam, vnde oriuntur, pediculi) leues: fructus piperi longo persimilis. Quarto gradu calida est siccaque naturâ, & tortassis ad piperis longi species pertinens. Bibitur cum cacaçoatl, gratumque illi saporem conciliat. Corroborat, ventriculum calefacit, oris halitum commendat, attenuat crassos & lentos humores, aduersatur venenis, iliacis & colicis confert, vrinā euocat. Quòd si adiungas triginta granis cacahoat tlilxochitl xiperis tauasci, xochinacaztli, siliquastrum, tlaolli, & achiot, certâ mensurâ, mirabilem parabis potionem, ad morbos renum & vesicæ curãdos & coërcendos: quâ vsi Hoastemalenses, numquam ea morbi genera sensere. Menstrua ac partus emortuos trahit cum tlilxochitl, viuosque accelerat: obstructa referat frigora, & ex eis ortos dolores tollit, rigoribus febrium opitulatur, & alia his similia præstat iuuamenta. Nascitur humectis locis regionũ feruentiũ, qualis est Quauhnahuacensis, & Hueiacocotlensis. Prouenit etiam axuchitlani vbi chilpatli, necnon tiznacan ytlacual. Aiunt etiam ius decocti foliorum capillos denigrare, & fructus puluerem inspersum dolores capitis tollere, succum verò subassę illitum dentium dolorem tollere.

CAPVT LXVII.

De mecapatli seu çarçaparrillâ.

ITa vocant Mexicenses nobile illud medicamentum, quod nostri çarçamparrillam nuncupant, cuius apud Nouam Hispaniam non inuenies paucas differentias, à nobis suo ordine enarrandas seorsim, maioris distinctionis gratiâ. Prior omnium est illa species, quæ apud Hispanos, ac præcipuè apud Hispalenses, in vallis & aggeribus passim nascitur, refertúrq; à rhizotomis & herbarijs peritis in smilacẽ asperam, descriptam à Dioscoride, repertâ in nouo orbe nõ longè ab vrbe Mexicanâ, in Sanctæ-Fidei oppido, locis frigidis, & aquosis, iuxta fontem aquæ dulcissimæ atque saluberrimæ, quæ aquæductibus ducitur in vrbem. De formâ eius nihil dixero, quoniam illam affabrè descripsit Dioscorides. Quod spectat ad vires, eædem prorsus sunt quæ ceterarum specierum, etsi Dioscorides nihil de temperie protulerit, aut de vi quâ sudores eliciuntur, dolores articulorum, ceterarumque particularum sedantur, rebellesq; & alias insanabiles profligantur & euertuntur morbi, sed solùm explicuerit facultatem quæ venenis aduersatur; ac alexipharmaci vices subeat. Ceterùm çarçeparrillæ speciem esse (quamquam Hispani, qui nouum orbem non penetrarunt, vix id sibi persuadeant) nullo modo tergiuersabuntur, qui eam cum ceteris çarçæparillæ speciebus contulerint, etsi Indica semine careat. Sed mos est hominum ita admirari extera, vt nihil putent apud se nasci, & quod longiùs deuectum, in maximo habeatur pretio. Vis est frigida siccaque, etsi partes habeat calidas atque subtiles permixtas, quarũ gratiâ sudores elicit. Ventriculi calorem roborat; renes & vrinæ meatus expurgat; & lotium ciet. Nascitur optima apud Elompaneum, & vocatas Honduras, quas tueimolan vocant Mexicenses.

CAPVT LXVIII.

De quauhmecapatli.

HÆc est illa çarçæparrillæ species, cuius radices in nostrum orbem deferuntur, folijs magnis, cordis figurâ, caulibus volubilibus & spinosis, & radice surculosâ, fructu nullo, & capreolis hinc & inde exorientibus. Nascitur Tototepecensibus agris, Metzitlanensibus, & Quauhchinancensibus, sed omnium melior in eâ regione, quæ à profunditate nomen accepit.

CAPVT LXIX.

De quauhmecatl alterâ.

SPecies est çarçæparrillæ, radicibus surculosis innixa; vnde profert caules volubiles & spinis horridos, capreolos multos, ac semen nullum: folia verò ocymi acuminata, & nullis secta crenis, nerueis verò discursibus secundùm longitudinem discurrentibus. Vis eadem quæ ceteris. Inuenta est alia species in radicibus Ætnæ, non longè ab oppido Atatacio, per omnia quauhmecaxochitl similis, sed radicibus tenuibus, nec fibris crassioribus, cuius etiam vis eadem. Sunt qui contendant, has omnes pertinere ad chihæ genera; sed quoniam radicibus longè differunt, sui generis potiùs esse plantas existimandum est, quamuis foliorum figurâ volubilibus caulibus capreolisque videantur esse similes, nec non frigidâ siccaq; sint præ-

prӕditӕ naturâ; etsi non ita adstringenti, placandis doloribus articulorum, alijsque è Gallicâ lue profectis. Sunt omnes vtiles sudoribus euocandis, curandisq; obscœnis vlceribus, morbisque inueteratis & insanabilibus; & qui è crassis lentisque humoribus habent ortum, aut ad neruos pertinent, & tumoribus prӕter naturã, qui rebelles sunt, discutiendis, curandis vlceribus, & alijs ad hunc modum persanandis, quӕ toti pænè mundo innotuere. nam iure decocti per aliquot dies propinato eâ mensurâ quâ à multis iamdiu prӕscripta est, cum notâ quoque victus institutione, ceterarumq; rerum quas non-naturales vocant, aut puluere radicum duarum drachmarum pondere, ex vino aut aquâ sumpto, aut euocato sudore, aut in sensili quodam perspiratu, ægrotantes restituuntur, siue id contingat ob partes quasdam tenues & calidas, permixtas frigidioribus & crassioribus, aut ob siccitatem, siue ob occultã quampiam vim, siue ob prӕdictarum rerum commodam institutionem. Sed huius rei inquisitio non est admodum necessaria nostro instituto. Yanguitlanenses vocant cozti, huiztipalancapatli: Michuacanenses verò ychuanitzoz, qui aiunt, inspersum puluerem vlceribus mederi.

CAPVT LXX.

De cocolmecatl, seu cunarum fune.

COcolmecatl, quam alij olcacatzan vocant, ad chinæ Mexicanæ species videtur attinere: radice enim crassâ constat, obrotundâ, rubrâ, graui cùm viridis est, sed procedente tempore leui & fibratâ, vnde profert caules iuxta radicem rubros, geniculis interceptos, tenues, spiniferos, arundinaceos & lentos, refertos capreolis, volubiles, & arbores propinquas in cacumina vsque ascendentes: folia obrotunda, mediocris magnitudinis, & venis secundùm longitudinem ternis discurrentibus, fructumq; refertum semine. Mira audio de hac plantâ narrari, etiam ab ijs qui eius vsi sunt remedijs. Sanguinolentos nempe oculos breuì illustrari, ac pristino restitui nitori, apposito tantùm folio: vlceribus oris mederi, pudendorumq;, Gallicâ etiam lue infectorum, radicis puluerem carnem superexcrescentem absumere, & decentem restituere: ad temperiem spectare, & tamen occultâ quadam vi calidis ac frigidis aduersari affectibus. Nec solùm admotã, sed intrà quoque sumptam conferre, siue folia siue radix ipsa referatur in vsus; esseque qualibet mensurâ aut pondere innocentem: vires augere & firmare, sarcireque exhaustas & defectas, vel solùm attrectatam, & calorem semiextinctum ita reparare, atque morientes etiam homines reuocare in hanc lucem: admota folia dentium dolores, capitis, articulorum, & ceterarum corporis partium velut per miraculum lenire, & his dolenti loco adhærescentibus certissimam salutis habere posse spem. adhærent enim cùm sedandus est dolor, aliter statim irrita cadunt. Venerem mirè excitare iuuareque, capiti impositam conciliare somnum, & intrà sumptam ex vino, colicӕ mederi, flatum discutere, aduersari venenis, corroborare, & adesse coctioni, Veneris vsu nimio exhaustos ei incubantes magnopere vires resumere, febres tollere, & firmare gingiuas. Denique vix est morbus aliquis in tam variâ numerosâque eorum siluâ, cui negent opem ferre: imò vel hac solâ plantâ inuentâ, atque nostro orbi declaratâ, non fuisse irritos Regios conatus affirmant, aut frustrà adhibitos sumptus & Historicorum labores. quӕ omnia, tempora quӕ nos sequuntur, rerumque exacta peritia firmabunt, & facient manifesta. Prouenit in oppidis Ioannis Conchensis, calidis nempe regionibus Mecatlanique, editis humilibusq; locis, nec non Totonacapæ, vbi addunt, duas esse huius volubilis species, alteram de quâ sumus locuti, nempe fructiferam & saluberrimam, è cuius stipitibus parentur scipiones perpulchri, lineis nempe fuluis & nigris vicissim variati; alteram verò fructu carentem, quӕ potiùs pertineat ad venena.

CAPVT LXXI.

De alterâ olcacatzan, seu pahuatlanicâ.

SPecies est chinæ Mexicensis, radice contortâ, geniculatâ, fuluâ, & arundinaceæ simili, sed densæ ac graui, vnde profert caules volubiles & tenues, & in eis folia oblonga, acuminata, & lineis secundùm longitudinem discurrentibus insignia; fructum acinosum, ac racematim dependentem in summis caulibus, qui cùm maturuit, nigrescit. Arbores excelsas scandit, atque complectitur. Seritur interdum, excoliturq; vsus gratiâ in viridarijs ac hortis. Stillat gummi quo vtuntur indigenæ ad corroborandos dentes, idem ferentes atque mandentes ore, vocatum tlietli. Ius decoctæ radicis contusæ infunditur aduersus inueteratos morbos, felici euentu. Idem ius epotant aduersus Gallicam luem, ac chronicos alios & diuturnos morbos. Differt ab Orientali chinâ, cuius radix leuior sit, rarior, albidior, tenera ac minùs adstringens; & tamen eosdem pænè præstare vsus compertum est,

quos

quos lignum Guayacun, aut çarçaparilla eadem arte & victus institutione administrata. Quâ de re vt à multis scriptâ, ac pro diuersis regionibus, morbis varijs ac hominum temperaturis variabili, nihil hîc est adijciendum. Est autem hæc, de quâ loquimur, radix frigidæ siccæque & adstringentis naturæ, sed amara, partiumque subtilium particeps; quo fit vt ius decocti eius præter iam dicta ventriculum debilem corroboret, flatum discutiat, absumatque & vacuet per poros eam atræ bilis & pituitæ portionem, quæ pharmacorum refugit vim; dolores exstirpet ac leniat, aliaque præstet iuuamenta, quæ in prædictas plantas solent referri. Nascitur Pahuatlanicis agris, vnde cognomen habet.

CAPVT LXXII.

De chinâ Mechoacanensi.

EST & altera chinæ species, quam à loco natali Mechoacanensem vocat Franciscus Hernandus, arundinaceâ radice, rubraque, sed densâ & graui; caulibus leuibus ac ferulaceis, arundineis, longis, ac pollicem crassis; folijs ornatis, per interualla magnis, cordis figurâ ac neruis secundùm longitudinem discurrentibus; quod euenit in ceteris, quibus etiam viribus & hæc similis est. Nascitur Michoacani, vbi phacao vocatur.

CAPVT LXXIII.

De cacalitlacopatli, seu sudus glutinosæ medicinâ.

VOlubilis genus est radicem ferens luteam, & raphano similem, digitum minimum crassam, nec omnino fibris carentem, ex quâ profert caules tenues, refertos folijs cordis figurâ, multis distinctis interuenijs magis acuminatis & prolixioribus: folia glutinosa quadamtenus sunt, & saliuosam naturam participantia, vnde factum est huic plantæ nomen. Vrinam egregiè euocat semunciæ pondere intrò sumpta, & quartanam curat, ante paroxysmum sumpta. Hydropicis medetur, dolorem ventriculi tollit, vterum reducit, & conuulsionem enixè curat, si ex vino bibatur, elicitusque seruetur sudor: inflammationibus oculorum opitulatur, verùm cùm calida sit, & eisdem pænè facultatibus polleat quibus tomahuactlacopatli, eademque prorsus formâ, nisi magnitudine longo interuallo superaretur; non aliter euenire putandum est, quàm discussis humoribus oculisque delinitis, aut repulsu quodam roboratis. Sunt inter nostros, qui hanc plantam cinnamomum vocent, quoniam radix impensè est odora, gustusque iucundi & resinosi: inter Indos verò qui hoelicpatli, tlacocacalic, tzontololotic, & à fluxu coërcendo apitzalpatli: nullum enim horum nominum prætermitti debet, ne nominũ & linguarum diuersitas pariat maiorem caliginem. Nascitur in calidis, qualis est ager Hoaxtepacensis, & Quauhnahuacensis.

CAPVT LXXIV.

De quauhyyae, seu arbore fœtidâ.

ARbor est magna, ferens mali medicæ folia, sed tamen acuminata. Cortex adstringit, grauem odorem spirat, calidaque & siccâ constat temperie: fluxum alui coërcet, ac elicit sudorem. Naribus instillatus succus, sternutamentum excitat: caput purgat, atque ita febres tollit, & capitis arcet dolorẽ; quarum rerum gratiâ, in annuos vsus recondi consueuit. Nascitur saxosis locis.

CAPVT LXXV.

De tlaolli maiziòve, deque potionibus, & placentarũ generibus ex eo parari solitis.

QVid mirum, si circa mundi primordia, inquit Franciscus Hernandus, atque rudimẽta illorum temporum, nondum excogitatis rebus ad vitã commodè transigendam inseruituris, Cerere carentes (mirabili sanè inuentro, & naturæ omnium parentis bono tuendæ sanitati apprimè vtili) confugiebant ad glandes & hordeum, quibus modo sues, & si quæ sunt sordidiora animalia, consuescunt saginari; quando nostrâ quoque tempestate alij oryzâ & milio, alij siliquis arborum quarumdam, yucâ alij herbæ notæ radice, alij iliantho & guayaris, & (vt cetera, quæ innumera sunt, prętercam) alij tlaolli, quod nostri frumentum Indicum, Haitini verò maizium appellant, vescuntur loco panis. Neque hoc dictum volo in vilipendium tlaoll; quod tantum abest vt vituperem, vt maximè laudem, mirerque Hispanos, rerum externarum diligentissimos imitatores atque translatores, & alienorum inuentorũ picas, suis vsibus adhuc non accommodasse, & in suas oras transtulisse excoluisseque frumentaceum genus, & valentibus & malè valentibus, si decenter eo vtamur, impensè salubre, cultu facile, vberrimi & securissimi in quouis ferè solo prouentus, siccitatibus & alijs cæli terræq; iniurijs parum obnoxium, & cuius satu fortassis

tassis à fame,& mille,quæ inde emanare solent, malis vindicari possint.Sed ne cui miraculo sit, gentes esse quæ sine tritici vsu vitam transigant, & peregrinis & pæne ignotis cibis, iucunde magnaque cum vtilitate & voluptate viuant & vescantur, quale est tlaolli; de illo instituitur nobis sermo. Mexici enim non solùm apud Indos incolas, sed apud aduenas Hispanos est maximus creberque eius vsus Tlaolli ergo, à nobis dictum maizium (notior enim & vulgatior est hæc vox) à quibusdam recentiorum frumentum Turcicum,ab alijs verò consultiùs Indicum appellatum (vt formam silentio transigam, toti ferè iam cognitam mundo) multas habet differentias (siluestre enim maizium seorsim describetur) à colore, magnitudine & mollitudine granorum, quibus spicæ ipsæ stipantur, desumptas. Reperies enim quamplurimas granis constantes albis, alias pallentibus,nigris multas, quasdã purpureis, nec paucas flauis, cyaneis, & multorum colorum permixtis: demum alias,quæ licet granis candentibus,vt priores,constent, longitudine ea habent maiora,teneriora, ac triplo maiori spicæ inhærentia.Seritur Martio in singulos scrobes,inter se passum vnum distantes, quaternis quinisve granis cõiectis; & reponitur Nouembri, Decembri, & Ianuario, repastinato solo; etsi pro varietate regionum, quæ apud hos Indos ob dierum noctiumque pæne æquale interuallum, & varios Solis situs, modicis spatijs mirum in modum euariant, tardiùs citiúsve soleat demessum trituratumque recondi. Temperatum est,aut ad siccitatem & humorem paululùm decliue,substantiâ mediocri,concoctu facile, præcipuè his qui eo victu vti consueuere, non crassã, aut,veluti quidam opinantur, obstruenti & viscosã, quod vel ex Indis ipsis, qui ex eo pane in placentulas conformato viuunt,nec tamen obstructi aut decolores conspiciũtur,comprobare licet,ijsdem affirmantibus, nullam in ventriculo grauitatem sentire post epulas, imò ante paucas horas rursus, ac si nihil ingessissent, esurire, & magnâ auiditate, si adsit copia, repetere nutrimentum, nec vel de nomine solo, ad aduentum vsque Hispanorum,lithiasim nouisse. Quid?quòd nullus est apud Mexicanos celebrior ægritudinum acutarũ & commodior victus, qui etiam ptisanæ præfertur, quod mille experimentis confirmatũ comprobatumque est: celeriter siquidem aiunt coctum descendere, corpora quantum fat est nutrire, nullum inferre grauitatis sensum,mollire ventrem & pectus,calorem febrilem demulcere, præcipuè si puluis eius ex aquâ permittatur brumali tempore gelascere, quo vti solent Chichimecæ; tum vrinam euocare. Cumque mille videatur abundare commodis,si aptè paretur,nullamq; noxam inferre (nisi quis dicat, sanguinis & bilis copiam generare atque augere) non est cur consentiamus dicentibus, frumento esse calidius, difficilè & concoqui & distribui, viarumque moliri obstructiones. Imò cur laudemus Mexicanos Medicos, qui posthabitâ hordeaceâ ptisanâ,velut ingratâ gustui, & ægrotantibus inimicâ, pultes è maizio, quas atolli vocant, permixtas præferunt, huic genti consuetas & gratas, & quæ citra vllam noxam suauem saluberrimamq; alimoniam præstent. Quamobrem quot modis soleant parari,quâ breuitate potero, tum sanis, tum morbo aliquo affectis deinceps sum edocturus,modum placentularum ex eodem frumento parandarũ differens in id quòd sequetur Caput. Sumitur nequatolli, seu atolli melleum, cui calx sit permixta, ita vt aquæ sint partes octo, frumenti huius Indici partes sex, & calcis pars vna. Tunc carbonibus pauculis impositum in fictili obturato emollitur. Quo tempore ab igne amouetur,linteis cooperiendum est, & tandem lapide metlatl vocato pinsendum, mox in fictili decoquitur, donec cogi inspissaríve incipiat, & eo tempore decima pars mellis, quod metl dicitur,permiscetur; tamdiuque permittitur bullire, quamdiu opus est, vt ad pultium polentæve Hispanicæ perueniat modum. Refrigerat hoc, humectatque distemperie calidâ & siccâ obsessa corpora,emollit pectus,plurimum nutrit, corroborat impinguatque extenuatos, & amissas vires instaurat atque restituit; extergit quoque, & est ægrotantibus conueniens victus. Quid?quòd tabidis exhibitum, ptisanæ hordeaceæ gerat vices, & à grauissimis morbis resurgentibus manus auxiliares præbeat. Sunt qui adijciant piper Indicum modicâ mensurâ, sed tum benè valentibus propinatur, & his quos calida distemperies non infestat; ita enim gratus palato redditur, & Venerem concitat. Vtuntur eo alimento Indi quibusuis horis diei, seu valeant seu ægrotent,sed potissimùm manè,potum adiicientes. Cœpit iam huius victus placere quoque Hispanis, sed præcipuè his, qui ab Hispanis & Indis,seu Indis & Æthiopibus, aut Æthiopibus & Hispanis (eò turpitudinis deuenere mores, atque is factus est inter nationes tam varias circa vitia consensus) nati sunt parentibus. Parant aliud genus atolli, quod vocant yltac, siue albũ, eodem quo dictum est modo; quamquam iam confectum, & in vasa,vnde sorbendum est, transfusum, virenti conspergant chilli, & vocatis tomame, admixtâ insuper salis debitâ portiunculâ. Solent verò tria hæc aquâ dilui,

dilui, etsi multis sat esse putetur ingenitus illis humor, vt debitè inspergi queant. Quin & acidum vocatum atolli, quod xocoatolli Mexicani nuncupant, solent quoque parare, permixtâ librâ vnicâ fermenti, seu massæ acidæ, libris binis maizij, quemadmodum diximus, emolliti atque contusi. Fermentum autem parabitur, si capias maizium nigrum, & conficias massam ex illo, quemadmodum dictum est, quatuorq; aut quinque diebus seruaueris, donec acescat, & tunc demum permiscueris, vt atolli gratum quemdam contrahat acorem. Mox in vas transfusum, sale & chilli conspergatur, atque ita demum ab ægrotantibus matutino hauritur, vt corpus extergat, vrinam euocet, atque aluum expurget. Hoc eodem fermento, ex aquâ frigidâ resoluto atque epoto, corpus refrigeratur, cùm aut per vehementem æstum, aut ex itinere aut labore quispiam defatigatus sit, vel vehementiùs concaluerit; aut quando renes ita vruntur, vt lotium vrinarios meatus lancinet atque exulceret. At album atolli, quod Mexicani yollatolli vocant, ad hunc modum conficitur. Decoctum maizium ad eum qui dictus est modum, sine calce tamen aut alterius rei adiectione, in pultem efformatur, permittitur refrigescere, ac liquatur aquâ, vt bibi commodè possit veluti acetatum, de quo paulò antè sumus locuti. Sitim hoc dicitur extinguere quomodolibet excitatam, atque præcauere, ne si plus quàm oporteat potauerint aquæ, lædantur. At chillatolli atollichilli permixto, vt nomen indicat, paratum veluti præcedentia conficitur, sed cùm semicoctum est, permiscetur chilli in aquâ eliquati portio, quæ gratum faciat gustum ei qui illo est vsurus. Summo manè assumitur contra frigoris molestias, corroborat ventriculum, firmatque coctionem, pituitam adhærescentem extergit, & quibusuis vacuatis impedimentis emundat. Paratur & nechillatolli, seu atolli cui est chilli permixtum, & mel velut reliqua genera, sed additis prædictis semicocto eâ portione quâ gratum fiat sorbituris. Calidum ita innatum vigorat, ac Venerem excitat. Est & aliud atolli genus, ayocemollatolli dictum, quod est atolli cum phaseolis, fragmentisque masseis eiusdem maizij, quod fit phaseolis integris incoctis, cùm iam pænè est confectum, & cùm semicoctum, fragmentis masseis maizij chillatolli permixtis, adiectaque herbâ pacotli, de quâ suo dictum est loco. Nutrimenti id optimi & prægrati vicem præstat, & epacotli gratiâ sanguinem à crudis humoribus expurgat.

Potuisset chianatissi ad caput chian differri, sed nomen ferè idem adhortatur, vt prædictis differentijs huius potionis nunc primùm interseratur. Paratur ex semine chian torrefacto in patinâ (seu vocato comalli) mediocriter, ac deinde læuigato, atque ita in annuos vsus recondito. Nam cùm vti puluere opus est, permiscet puluerem aquâ, agitantque donec eam densitatem nanciscatur, quæ possit palato placere. Sunt qui hauriant hanc potionem simplicissimam. Sunt etiam qui priùs chilli inspergant. Absque eo febrilem calorem extinguit, aut aliâ ex causâ suscitatum. Iter agentibus, ac præcipuè feruentibus regionibus, iuuat, & quibusuis alijs qui eo nutrimento libenter vtuntur. Fit & aliud potionis genus, dictum chiantlotzolatolli, è semine quodam maiusculo, de quo suo loco. Eodem modo quo præcedens parandum, & eosdem vsus præstans, sed semen præparatum, celerrimè vetustatis sentire solet incommoda, nec adeò frequenti est in vsu. Paratur quoque michuacahatolli, id est atolli sementiferum, ex michihoauhtli, de quo etiam dicto loco. Torrefacto hoc semine, & redacto in læuorem, cumque exposcit occasio, in aquam coniecto, eâ mensurâ quæ nullâ adferat spissitudinem & densitatem, & insperso melle metl cocto (tria enim mellis genera ex eo conficiuntur) extergit renes, & vrinæ meatus, puerorum scabiem curat, epotum, abstergente quâ pollet vi, & est frequens hisce gentibus cibus. Fit insuper ex maizij paruâ quadam portione, maiori autem siliquastri aridi læuigatiq; commixtis, additâ herbâ epacohli, quod vocant tlatonilatolli, admotis igni simul omnibus, donec ea herba percoquatur, quod breuî euenit, ingeriturque calens: & id potionis genus Venerem excitat, euocat vrinam, calefacitque vniuersum corpus, & corroborat. Sed neque silentio præterire decet elaxcalatolli, quod paratur ex maizio contuso, & efformato in placentulas tres digitos latos crassos, incamalli vocato. His, postquã probè decoctæ sunt, cortex diripitur, mica teritur, ac rursus in frigidam proijcitur, in patinâ reponitur, agitaturque donec cogi incipiat, tunc extracta atque in vascula cochleari digesta sorbitio epotatur, quæ defectos renes mirè reficit ac fouet. Quin & ex spicâ ipsâ maizij, detractis granis, vstâ, atque in cineres redactâ, olloatolli vocatum parari consueuit, teriturque etiam hæc pars, quæ vnà tribus maizij partibus permiscetur: rursus verò teruntur similiter omnia, & quæ ex eis, ad ignem atolli paratur, postquam ad spissitudinem vsque percoctum sit, & polentæ densitatem: mox in vasa digestum conspersumque chilcotzli, sorberi solet, haud inutile his qui nimio sanguine aut calore redundant. Fit etiam ex maizio & lixiuio vulgari

gari percoctoque, quod vocant quauhnexatolli, quoniã ex arborum cinere conficitur. Hoc ab eo extractum ablui expedit (in lixiuio enim quamdiu oportet manẽs, emollitur expurgaturque, & in insolitum atque à ceteris longè distantem ita mutatur saporem) teritur posteà, & vt reliqua decoquitur, donec iustam adipiscatur spissitudinem; atque ita demum sumptum expurgare dicitur sanguinem, neque aliũ medicamenti aut nutrimenti vsum præbere. Sequitur izquiatolli, quod è torrido paratur contusoq; maizio, sed cùm iam decoquendi illud tempus est, maizij decocti modicæ adiiciũt portioni, & omnia tamdiu agitant, quamdiu opus est vt iustam spissitudinem acquirant, & chilli tandem insperso, potatur ab ijs qui ob cordis imbecillitatem, aut atræ bilis redundantiam mœrore plerumque afficiuntur. Est & hoauhatolli, quod ex blitis rubris fit, ingeriturq; insperso melle. Prætereà michohoauzatolli, quod ex michihoauhtli paratur, picturato nempe blitorum genere, quod symphoniam à varietate coloris quidam vocãt. De polentę verò pultiumque generibus, quibus vsa est antiquitas, satis superq; dictum est ab alijs: nos enim quæ nouo orbi sunt familiaria, necdum veteri satis cognita atque perspecta, scribenda statuimus.

CAPVT LXXVI.

De modo parandi panem ex maizio.

EMolliunt eo quo diximus modo maizij grana, mox pinsunt, ac palmis vtrisque admotis efformant tenues ac ambitûs mediocris placentulas, quas statim vt oportet in comalli carbonibus coquunt impositas: & hic vulgatior frequentiorq; parandi panem ex maizio modus. Sunt qui triplo & interdum quadruplo maiores efficiãt; nec desunt qui & crassiores. Sunt qui efforment globulos peponibus similes, & in doliola iuxta focum sita conijciant decoquenda, permixtis interdum phaseolis, atque eis non citra voluptatem vescantur, molles enim admodum sunt, concoctu faciles, & grati saporis. Alij hos in dodrantem vsque producunt, & quatuor digitorum crassitudinẽ admixtis phaseolis in patinis seu comalibus assantes. At Proceribus Indorũ placentulæ parari solent ex colato maizio adeò exiles puræq;, vt trãslucidæ pænè sint, & à papyro interpolatiore tenuitate minimè vincantur. Item orbiculi pauci ex colato maizio, qui etsi crassi, tamen omnino videtur translucere. Verùm hæc ad diuites tantùm Heroasque pertinent, nec est insuauis ille panis, qui in vocatã barbaco apparatur accoquitur. Indi enim, quos Chichimecas vocant, gens fera, barbara atq; indomita, à Mexicanâ vrbe in Septẽtriones non plurimum recedens, ac per montana campestriaq; pellibus tantùm quasdam corporis partes tecti, errabunda ac vaga Scytharum more, aut brutorum pecorúmve, venatuq; & aucupio, & quarũdam siluestriũ ac sponte nascentium arborum fructu, vbi sors tulit, viuentes. Cùm carnes libet coquere, scrobes in ipsâ terrâ effodiunt, mox ignitis lapidibus sternuntur, medias collocant carnes frumẽti Indici massâ obuolutas, ac demum similibus saxis ex terrâ obruunt, tamdiu ibi manere permittentes, quamdiu intelligunt sufficere exquisitè decoquẽdis; decoctas extrahunt, eisque & pane ad prædictum modum parato, non sine magnâ voluptate atque vtilitate vtuntur in cibis. Defluxit iam diu ad Hispanos Mexici degentes hic mos. Spicas ipsas torrefaciunt appositas patinis, aut incoquunt carnibus, & vtroque modo granis iucundè vescuntur.

CAPVT LXXVII.

De xocoatl.

SOlent etiã ex aquâ & maizio iam emollito, ac in massam redacto, per noctem simul manentibus, parare xocoatl, seu aquam acidam, inde matutino expressam, vrinæ ardori extinguendo ac calori cuiuis contemperando mirabilem, si decem plus minùs vnciarum pondere, continuis aliquot diebus, ieiuno adhuc vẽtriculo, epotetur. Cuius rei admonendum esse Lectorem, è re meâ fore putaui. Nec solùm est vsus fructus; nàm & culmi eius arundinésve torrefactæ, & redactæ in puluerem, ophiasi egregiè medentur, si cum oxitl seu resinâ misceantur.

CAPVT LXXVIII.

De cihoapatli hemioniticâ.

HErba, quæ à Mexicanis, quoniã mulierum medetur morbis & hemionitidi foliorum figurâ est similis, cihoapatli hemionitica vocatur, ab Hispanensibus verò mulieribus herba vterina, multos à fibratâ radice mittit ramos tenues, rectos, teretes, & hirsutos, folia per interualla ab vtraque parte caulis pinguia, hirsuta, oblonga, mollia, & hemiontidi quadamtenus similia, vnde ei cognomen, floresque albos in vmbellã compositos. Calida est & sicca gradu tertio, ideoque ius decocti illius aut huius exhiberi solet parturientibus duarum triúmve vnciarum mensurâ, vt faciliùs enitantur, euentu felicissimo, qui earum pectori quoque ma-

gnopere confert. Trita folia, ac pugilli mensurâ ex aquâ aut liquore aliquo conuenienti bibita, placant ventris tumorem, hydropem curant, vrinam ac menses euocant, & complures alios his similes præstant vsus, à medicamentis simplicibus tertio ordine calentibus ac tenuis substantiæ præstari solitos. Tam frigidis quàm calidis regionibus exultat: seritur radice ac semine, habeturque in delicijs non in hortis modò ac viridarijs, sed vasis quoque fictilibus sata, quibus domorum tabulata atque fenestras ornare matresfamilias solent, & hortos pensiles construere. Omni regione & tempore prouenit.

CAPVT LXXIX.

De caquanquahuitl, seu signi arbore.

CAquanquahuitl, ab alijs pochotl vocata, arbor est magna, aculeis horrida, folia oliuæ ferens magnâ ex parte, fructum melo-peponi paruo formâ & magnitudine similem, plenum lanugine fibratâ candenti, splendentique, & bombycinis filis laxis & vndulatis parum aut nihil dissimili quæ nei facilè possit, & in bombycinas vestes, quas sericeas nonnulli vocant, aptari, longè minori dispendio, sumptuque tenuiori & faciliori operâ, quàm quæ serico nostrati parando solet adhiberi. Verùm is est mos horum, vt quæ cariùs veneunt, ardentiùs affectent. Interstant verò prædictam lanuginem granula quædam orbicularia canabino semini formâ & magnitudine similia, dulcia, grata gustui, dulciumq; amygdalarum ferè sapore, quæ cruda tostáve, excitant appetentiam, suntque adeò impinguandis corporibus accommoda, vt rebus gerendis reddant homines, qui eis vtuntur, inhabiles atque ineptos. Flos est albus & modicus, nec formâ vocato yzcaxochitl dissimilis. Sunt (vt circa Capitis initia iam attigi) qui vocent hanc arborem pochotl, ob foliorum similitudinem, quam habent cum illis veræ pochotl, etsi longè sint minora, arborisque minimè, vt hæc, spiniferæ aut fructiferæ. Calido clementique gaudet cælo, sed calidiore magis; locaque & campestriora & montana exornat, nec vlli ferè est incognita.

CAPVT LXXX.

De pythahayâ.

IN saxorum scissuris nascitur pythahaya. Odit pingue solum: fructus acrodulci mixtus, sapidus, quemadmodum malum Punicum seu granata. Rubri coloris intus & extrà est; malum aureum æquat magnitudine.

CAPVT LXXXI.

De chichâ ex maizio.

CHicha est vinum ex maizio, quâ inebriantur Barbari. Tundunt & moliunt duabus petris maizium, admixtâ aquâ, inde fit massa quædam. Femina quæ molit, sumit per interualla particulam, & mandit, rursus abijcit in massam. Dicunt pro fermento id esse, & causam iucundæ acedinis. Posteà aquâ coquunt; & effusa in vrceos biduo, acescit. Gratissimus hic potus Indis, nec contemnunt Hispani. Feminæ nostræ inuenerunt artem elegantiorem conficiendi illum, minori stomachi horrore. Salutaris hic potus, sicut & ipsum maizium, renum & iecoris dolori, calculi & vrinæ retentioni.

CAPVT LXXXII.

De hiacis.

HIaci ferè imitantur poma maris mortui. Inania poma sunt, ferè nihil habent nisi corticem & ossiculum intestinum; præterea vacua.

CAPVT LXXXIII.

De radicibus albis.

MIra apud Perüenses expurgandi vis radicum albarũ, paruis rapis similium. Mas & feminę feruntur. Ex mare vncia vna, ex feminâ altera sumitur, aquâ diluto eius puluere. Qui sumpsit, sub Sole decumbit, vt cælestis calor iuuet vires herbæ. Post horam admirandâ lassitudine contabet resolutis artubus, vt consistere nequeat; multa deinde capiti vertigo & inanitas: reliqua membra, brachia, crura, venæ, nerui, iũcturæ tamquam formicis incedentibus affecta: purgatio vtraque viâ fit, excernitur omnis malignitas intrinseca, vsque ad vermes aliquos & lumbricos; interim tædium, marcor, & summa lassitudo; sed absolutâ purgatione, manet vegetus, valens, famelicus.

CAPVT LXXXIV.

De battatis.

INdi effodiunt etiã è tellure suapte naturâ nascentes radices, indigenę battatas appellant. Insubres napi videntur, aut magna terræ

terræ tubera. Quocumque modo condiantur, assæ vel elixæ, nulli edulio cedunt dulcoratâ mollitie. Cutis aliquantò tenacior quàm tuberibus aut napis, terreiq; coloris, caro candidissima. Seruntur etiam & coluntur in hortis, comeduntur & crudæ. Viridis castaneæ gustum cruda imitatur, est tamen dulcior.

CAPVT LXXXV.

De copeiæ arbore, seu copeo.

E Copeiâ pix legitur, vt è pino. Aliqui putarunt stillicidio colligi, combustione eius ligni. Fructus similis pruno, paruus, idoneus palato & stomacho, folium mirabile. Arborem esse hanc scribit Petrus Martyr, cuius folijs Chaldæi, litterarum primi repertores, conceptus mentis absentibus significabant, priusquam vsus chartæ reperiretur. Spithameum est latitudine folium, rotundumque ferè. Acu, aut spintere, vel stylo quouis, ferreo siue ligneo, inscribunt nostri, non ineptiùs quàm chartæ. Risu dignum est, quod insularibus nostri de folio persuadent. Nostrorũ imperio folia loqui putãt boni illi homines. Missus est aliquando illâ ex vrbe Dominicâ, primariâ insulæ, insularis quidam à quodam Hispano ad suum amicum, cum vtijs (diximus esse cuniculos) assis. In itinere siue fame siue gulâ impellente, nuntius tres vtias edit, sunt enim muribus non maiores. Folio rescripsit amicus quot receperit. Ad seruum herus inquit: En quid? Vbi tua fides, fili? potuitne tantum gula, vt credit as vtias comederis? Tremens miser, & admiratus, fassus est errorem, sed, vnde id habuerit, herum rogat. En folium, quod tu ipse affers, mihi recenset; simulque quâ horâ ad amicum venisset, & iterùm inde abijsset, folio internuntio narrat. Ita lepidè falluntur stolidi insulares, qui pro dijs habebant nostros, quòd eorum imperio folia promant, quæ ipsi arcana esse putarunt. Sparsus per insulam rumor, quòd folia nostrorum nutu loquantur, in fide depositi retinet insulares. Vtraque folij facies litteras, vti charta nostra, suscipit. Membranâ duplicatâ crassius est, tenax mirum in modum dum est recens: litteras ostendit albas in suo viridi: quando siccatur, veluti tabella lignea candescit durescitque, sed characteres flauescunt. Minimè autem corrumpitur, nec, si madefiat, notas dimittit vmquam, nisi comburatur.

CAPVT LXXXVI.

De xaguâ.

PRocedit idem Auctor. Arbor est alia nomine xagua, cuius pomi acerbi succus glauco-niger pingit quidquid tetigerit, adeò cohærenter, vt nequeat vllo lauacro abradi intra dies viginti. Vbi maturuerit pomum, vim eam succus amittit. Comeditur & sapidum est pomum illud. Est & herba, quæ, vti de ligno aliàs memorauimus, suffumigio perimit. Atrâ illâ fuligine se funestant Barbari præliaturi. Ad artem militarem putant spectare, si formidabiles ac terrifici appareant hosti. De arbore pergamenïferâ alibi hæc habet idem Petrus Martyr: Ea est palmæ similis; folia illius sunt adeò grandia, vt à pluuiâ tutetur quodque folium, in caput protentum, hominem totum, ac si laneam sibi penulam tergo iniecerit. Hoc parum: quod verò mirandum sit, dicamus. Folio (arbori nimirum folia inhærent haud secus, ac suâ in arbore palmâ) à radice, quâ est arbori compacta eruto (facilè namq; per demissam cuspidem captum folium detrahitur ab arbore) in interiore illius tergo philyra, albuminis oui pelliculæ similis, reperitur candida, ea, vt ex arietis iugulati corpore pellis, excoriatur, tolliturque à suo cortice integra, nihilo minor arietinâ vel caprinâ membranâ, cuius operâ vtuntur omnes, ac si membranas ipsas assequerentur, neque minùs tenacem esse inquiunt eam philyram; forcipibus tantum scindunt, quantum ad præsentem scribendi necessitatem sufficiat. Hæc arbor xagua nuncupatur. Fructus eius est oliuæ similis, porcos pinguefacit, hominibus non ita congruit.

CAPVT LXXXVII.

De citreis.

CHiribensis vallis citreas arbores satis proceras alit, odore grato. Aiunt vestes oppleri seruarique à tineâ, si capsis citreis sint conditæ. Panis tamen ibi seruatus amarior felle fit. Naues ex eius tabulis cõstructę à vermibus non corroduntur. Alia arbor parit ibi poma, quæ comesa vrinam prouocant, & emittere cogunt ad sanguinis colorem.

CAPVT LXXXVIII.

De caßiâ Occidentali.

CAssiam fistulam amplexus est nouus orbis: libentissimè reddidit fœnus; liberalissimè in Hispaniolâ, Cubâ, & Iamaicâ,

non sine incommodo aliarum frugum: namque ad harum arborum olfactum formicarum occurrit copia tanta, vt quidquid apud illas aut in earum vicinâ feratur, à formicis exedatur, grauemque etiam inferunt incolis molestiam. De huius arboris siliquis, ob longitudinem vaginis similibus, narrant, quòd, quando ijs maturescentibus venti flant, tantus earum ad inuicem fit conflictus, vt obstrepere inter eas anserum atque anatum agmina mille videantur. Ab eo concursu, pro succi acerbi vel maturi qualitate, próve animularum & medullæ pondere in siliquâ, variarum causari vocum modulos non insuaues, inquiunt. Fertur alicubi sponte nasci.

CAPVT LXXXIX.

De bibao.

BIhaus rarum genus plantæ. Folia quædam octo dodrantium oblonga, duorum lata, delicata, sed duriuscula, absque trunco è terrâ erumpunt, mollis germinis, extremitate albescentia. His sæpè reparant famem milites, quandoque etiam pro tecto, scaphis seu canois sunt.

CAPVT XC.

De cuchuchu.

REperitur in Collao radix cuchuchu iucunda, dulcis, delicata, acceptabilis stomacho. Nullo erumpit foras folio, nullo caulice, humata semper: viror dumtaxat terræ denotat vbi sit. Cùm viriditas illa superficialis desinit, agnoscunt vim barbari maturam, tunc eruunt.

CAPVT XCI.

De guayabis.

GVayaba dicitur fructus quidam ruber intus & extrà, pomi communis magnitudine, multis granulis & duriusculis infertus. Comedunt illa animalia. Ex granulis excremento eiectis, renascitur guayabus arbor tam liberali fecunditate, vt crebritas eius pecori obsit, sub eâ namque nulla crescit herba. Fructus corruptioni pronus & vermibus: conseruatur sacchara. Alicubi albus inuenitur, qui & absque dubio præstat.

CAPVT XCII.

De viyâ.

MVlti Indi gaudet videri cruenti. Viya enim est bitumen aut gluten quoddam ex resinâ & quodam fructu purpureo, quo se illinunt præliaturi. dicunt etiam imitatione dæmonis id facere. Sic affirmant apparere.

CAPVT XCIII.

De mateillu.

MAteillu sub paruulis riuis vni innascitur surculo. Singulos palmites vnicum, absque alio fronde, terminat folium rotundum, quemadmodum herba illa Hispanis dicta *oreja de Abad.* Iucunda palato est, sed saluberrima obtutui: namque præmansa, & imposita oculis vnâ aut alterâ nocte, omnem oculorum vincit morbum, nubem absumit, pacat dolorem, reponit suæ sedi oculum, restituitque visum vsque ad miraculum.

CAPVT XCIV.

De guadis.

GVadæ sunt robustissimæ arundines, exæquant enim crus humanum grossitie, proportionatâ longitudine. Seruiunt contignandis domibus rusticis. internodia amphoras aquæ capiunt. Cùm exsiccantur, fortissimæ sunt.

CAPVT XCV.

De barbasco.

BArbascus paruula herba, erecta, licet hac capiantur pisces. Si molita in aquas mittatur, comedentes pisces inebriantur, & super fluctus vectati, facillimè capiuntur, nisi mora vnius horæ intercedat, post quod spatium sibi restituuntur.

CAPVT XCVI.

De iucubiis.

VOcat Occidens India calabe panem ex radicibus iuccis confectũ, quas regiones calidæ ferunt. Planta dicitur iucubia, cuius folia pulchra sunt & lata, velut manus extensa porrectis digitis, virore quodam nigricante. Intestina lineis purpurascentibus: radices

ces quoque purpureæ inclinantes in nigrorem intus præalbidæ. Seruntillas, post biennium imò triennium effodiunt, asperis corradunt lapidibus, deinde premunt quodam torcularis genere, eliciunt succum, & in patula vascula figlina fundũt igni lento calentia: ita coagulantur placentæ quædam maiores vel minores, ad communem victum. Comeduntur etiam ìuccæ coctæ & assæ. Succus earum potus pestilentior veneno est; coagulatus in panes, salubris. Confirmant hæc, & explanabũt quæ Petrus Martyr scripsit. Quando plantare iuccam statuunt, terram egerunt tenus genu, & effossam erigũt in tumulos quadratos nouempedales, duodecimque ex ipsis iuccæ truncis sesquipedalibus aut circiter tumulos ternos cuique lateri præbentes, infigunt transuersæ, vt ferè in ipsius tumuli centro cuspides eorum conueniant. Ex illorum internodijs, & infixa cuspide radiculæ capillares prodeunt. Hæ paulatim acutæ, in eas conuertuntur, superantque maturæ lacerti ac sæpè femoris humani crassitudinem longitudinemque: ita cumulata, illa terra ferè vniuersa digeritur in radices; sed maturescere iuccã inquiunt non breuiori spatio quàm sesquianno. Inquiunt quoque, quò vlteriùs ad biennium vsque sinatur, eò fieri meliorem perfectioremq; ad panem conficiendũ. Euulsam lapidibus ad id paratis, veluti scalpro nostræ feminæ caseum, conterunt, & premunt demum, aut sacco ex herbis vel caniculis fluuialibus cõfecto imponunt, ponderoso lapide superiecto, diemque naturalem appensum sinunt, & succum eijciunt; diximus namque, esse apud insulares mortiferum. Attamen si coquatur, salubris est succus ille, vti è nostro lacte serum. Hoc aduertendum, apud hos continentes minimè noxium esse iuccę succum. Multa dicunt esse iuccarum genera. Vnum altero suauius atque illud alio pretiosius est, quo Regulis edulium paratur. Sunt quibus vescantur Nobiles, sunt & quibus populus. Exsiccatam verò iuccam in tabellas fictiles ad id compactas veluti pressum nostri caseum distendunt coquendam. Is est eorum panis primarius. Hunc vocant calabbi.

CAPVT XCVII.

De agibus.

ADijciã alia ex eodẽ auctore. Radicibus Barbari Indi nostris napis, & magnitudine & formâ, sed gustu dulci, castaneæ teneræ adhuc similibus, ad cibũ vtuntur. Has ages vocant ipsi. Est & aliud radicis genus, quam iuccam appellant; ex hac & panem conficiunt. Agibus verò magis assis aut elixis vtuntur quàm ad vsum conficiendi panis, iuccam verò sectam & compressam (succosa namque est) pinsunt, & in placentas coquũt. Agium species innumeræ sunt, à folijs & floribus earum varietas dignoscitur. Harum species vna dicitur guanaguax, hæc est intus forisque albida: alia guaraguei, colorem habet violaceũ foris, intus autem candidum. Appellant alios ages zazaueios: hi rubescunt foris, intus candescunt; alios squiuetes, intus forisque albidi sunt.

CAPVT XCVIII.

De vinis.

EX tribus radicum & granorum ad conficiendum panem generibus, quæ iucca, ages, & mais appellantur, & ex palmarum fructibus vina conficiunt, vti Germanos, Belgas, Britannos, montanos etiam nostros Hispanos, puta Vascones, & Astures, & in alpibus Noricos, Sueuos & Heluetios, ex hordeo triticoque, & pomis alicam conficere audiuimus. Alba, nigra etiam, variorumque saporum, & mulsum pleraque imitantia apud Comogrum se potasse vina dictitant.

CAPVT XCIX.

De acarachâ.

ACaracha radix apij instar folia emittit. Iucunda sunt assa; optima, si conseruentur saccharo.

CAPVT C.

De cabuyâ.

CAbuya restis oblonga dicitur circa Venecuelam ex quodã cannabis genere, aut vicario. Frutex, cuius folia vsque ad sex drodantes interdum prolixa, duos propè lata, desinunt in acumen, alioqui crassa, molli carne, quâ abiectâ extrahũt fibras. imitatione cannabis vocantur. Postquã extractæ & copulatæ fiquæ, ab alijs cucuiza, inde funes ad omnia ministeria fiunt (spartum, vbi hęc planta, ineptum, nisi solo; nam parum tenax & inconstans.) Extremitas germinis tenera, pro herbâ fullonis dealbat linũ, & alia. Nisi resecetur, erumpit in palmitem, qui satis cõtignandis domibus, ob nimiam ariditatem incorruptibilis, nisi madefiat. Nulla aptior materia excipiendæ è silice percusso scintillæ. in corde enim quàm mollis est.

GVAYACI RAMVLVS.



CAPVT CI.
De guayacis.

IN anonymi mei Commentarijs de Hispaniolâ celebratur radix Guayaza solùm in prouinciâ Yguey inuenta inter rupes. Ex ea panis fit. Cepam imitatur. Folia foris erumpētia duos aut tres surrigūtur dodrantes, angusta, læuigata & tenuia sunt. Panis ex eâ sic cōficitur. Corraditur aspero saxo radix, ex albâ massâ globus aut pilâ fit. Sistitur ad Solem, & furfuris colorē induit. Postquam Solem tolerauit biduo plus minúsve, farcitur vermibus velut caro putrefacta, & mirū in modum fuscefit, non penitus contracto nigrore. Dumq; scatet vermibus, placentulæ ex illis fiunt, quæ in fictili prunis imposito torrefiunt ab vtroque latere. Hic panis olim barbarorū eius plagæ. Si ante verminationem gustaretur, cicutæ instar perimeret.

CAPVT CII.
De mamey.

IDem Auctor commendat mamey fructuum omnium iucundissimum oculis & palato. Magnus est prope vt pila bombardarū. Tegitur cortice vt mala granata: quatuor ossicula claudit. Spatium inter illa & corticem complet caro præpallida suauissimi saporis. Arbor æquè pulchra & procera, & diues frondibus. Rami surgunt in effigiem crucis. Folia figuram cordis imitantur, sex digitos lata, & consistentia.

CAPVT CIII.
De mani.

NOn minùs admirandum in radicibus fructificare mani. Grana sunt sub terrâ in radicibus cuiusdam fruticis nata; clauduntur vaginis maioribus quàm ciceroni: extracta imitantur auellanæ nucleum. Sufficiuntur ad plures vsus pro amygdalis.

CAPVT CIV.
De iarumâ.

IVcaiæ insulæ arbos iaruma est, ficui similis, eodem modo frondosa, & populi altitudinem superans, nec solida quidem, more aliarū arborum, nec inanis tamen vti arundo, vti ferula potiùs aut sambucus. Fructum creat sesquispithamalem, mollitie ficus, sapidum & salubrem sanandis vulneribus. Folia miro vigent effectu. Vno id probant exemplo viri fide digni. Hispani duo rixantes inter se inuicem digladiabantur, humerum vnà & lacertum vno ictu gladij ferè disiecit hosti alteri, subalari pelliculâ vix membrum sustinente, quâ ilibus connexa. Accurrit vetula Iucaia, delapsum suo loco membrum sistit, eius arboris, nec alio medicamenti genere adhibito. Folia contusa superimponit. Paucos post dies se vidisse virū incolumem attestantur. Qui nodos in scirpo quærunt, irruminent ad libitum, nos hæc & maiora posse in naturâ fieri, credere constituimus. Huius arboris corticem aiunt esse lubricum & læuigatum, quæ cùm non sit solida, sed medullosa, facili scalptu euacuatur. Refert Petrus Martyr rem narratu dignissimā, sed artifici suo infaustam. Iucai à suis sedibus abrepti, desperatis viuunt animis. Dimisere spiritus inertes, multi à cibis abhorrendo, per valles inuias & deserta nemora, rupesq; abstrusas latitantes, alij vitā exosam finierunt, sed qui fortiter pectore constabant, sub spe recuperandæ libertatis viuere malebant. Ex his plerique non ineptiores fortè, si fugæ locus dabatur, partes Hispaniolæ petebant Septemtrionales, vnde ab eorum patriâ venti flabāt, & prospectare arcton licebat. Ibi protentis lacertis, & ore aperto halitus patrios anhelando absorbere velle videbātur: & plerique spiritu deficiente, languidi præ inediâ corruebāt exanimes. Ex his vnus vitę amantior, domorum construendarum in patriâ lignariā artem exercuerat, licet ferro careant & chalybe, secures tamē, sed lapideas, & ad mini-

ministeriũ cetera instrumenta assequuntur) difficilem creditu prouinciã amplexus est, iarumæ arboris trabem abscidit, medullâ eius scalptâ vacuauit, maizio, grano, & cucurbitis aquâ repletis farciuit. Retinuit foris pusillũ pro viatico. Vtramque arboris frontem stipauit, trabem in mare proiectã conscendit, virum alium & feminã, affines nandi peritos admittit, remis patriam versus trabem impellunt. Egregium id inuentum in felicibus auspicijs miser inchoauit, ad miliaria circiter ducenta in redeuntem à Chichorâ nauim inciderunt, prædam in nauim Hispani trahunt lugentem, trabem ad Hispaniolam rei tantæ testem adduxerunt, misero penu congesto vsi sunt. Vidisse trabem, & eius fabricæ architectum allocutos fuisse se, aiunt plures viri auctoritate graues.

CAPVT CV.

De guchone.

PEstilens planta guchon est. Ros eius virus est. Quisquis contingat, perinde ac veneno contaminatur. Qui fixo inspexerit obtutu, duos morbos contrahit, obcæcatur, & turget vt hydropicus.

CAPVT CVI.

De besuco.

BEsucus siue bezucus quidam palmes, editis frequens montibus per truncos arborum serpit, ipse imbellis, impotens sibi subsistere, hærens arbori, ad culmen vsque prorepit. Tractabilis est, & funiũ rudentumque vices implet ad plurimos vsus, non impeditur folijs. Latiùs hæc narrat Martyr. Natura, inquit, illis suâ spõte funes ac restes tribuat. Nulla ferè arbor est ad cuius radices non pullulet, herba quædam verbenæ similis bezucum appellant, more lupulorum serpit per matris truncum. Herba tenaciùs ad supremos applicata vertices voluit se, ac matrem circuit cauillorũ, multitudine tantâ, vt eam veluti lana vel vmbecula contegat, tutamque reddat ab æstu. Ad quoscũque magnos fasces colligandos, aut pondera sustinenda, ad trabes etiam & domorum contignationes connectendas nata. Compactas bezuco commissuras aiunt præstringi tutiùs quã quæ figuntur clauis ferreis, quòd neque putrescat vmquam imbribus, aut solibus arescat, cedatque parumper infracta, si per typhonũ furorem domus concutiatur, quæ ligneæ sunt omnes. (Furacanes vocant insulæ rabidos ventorum illos turbines, qui radicitus eruere grandes arbores; & sæpè disijcere domos solebant.) Quæ clauis sunt cõpactæ, clauis erutis dissoluuntur, quas verò bezucinodosa vincula complectũt, concussæ vacillant tantùm, ad locũ dein suum redeunt compagine inuectâ. His furacibus typhonibus nostri, occupatâ Hispaniolâ, maximè vexabantur, qui & sibi infernos sæpè dæmones fuisse visos asserunt; cessasse verò calamitatem illam horrendã aiunt, ex quo frequentatũ est Eucharistiæ Sacramentum in insulâ, neque dæmones vltrà visos, qui familiariter antiquis noctu solebant sese ostendere.

CAPVT CVII.

De guamis.

GVamę, ab alijs guauæ, fructus sunt veluti vaginæ longæ. Quædam oblongæ, quędam velut ex tabellis intus claudunt nucleolos subalbissimæ carnis, qui & sunt dulcissimi. A quibusdam dicitur gossypium in saccharo. Inueniuntur paruulæ vaginæ digitum non excedentes.

CAPVT CVIII.

De anonibus.

ANones dicuntur fructus iucundissimi, instar illius cibi quem Hispani dicimus *manjar blanco*. Salubres sunt, & ægrotis frequentes.

CAPVT CIX.

De guanabanis.

GVanabanæ fructus magni sunt, pleni aculeis, intus verò acidi. Vocant aliqui gossypium in aceto. Arbores in montibus & hortis inueniuntur.

CAPVT CX.

De inebriante arbore.

BOrachera dicitur ab Hispanis arbos admirandi floris: excedit lilium, æquat albedine. Odoriferus est, longus, extensus, vacuefactus sine foliorum distinctione in extremitate. Folia arboris magna, quorum succus haustus aquâ, oppidò inebriat.

CAPVT CXI.

De nociuis arboribus.

IN Hispaniolâ & Darienâ nocentissimæ quædam arbores sunt. Colligam quæ de his Petrus Martyr scribit. Sunt dulcium pomorum

morum feraces, ſed maximè noxiorum : in vermes namque comeſa conuertuntur. Sed arboris vmbra præcipuè lethalis : nam qui ſub eâ aliquádo dormierũt, turgido capite, & amiſſo penitus lumine expergefacti ſunt; at ſi breui tempore ſomno indulſerint, poſt aliquot dies cæcitate liberátur. Alibi, inquit, eſt & alia peculiaris terræ arbor, cuius ſi folia necdũ alicuius corpus tetigerint, vibices eleuant ingentes, & niſi illis aquâ marinâ, vel ſaliuâ matutinâ obſtetur, illicò lethalẽ ſuo veneno excitãt dolorem. Hanc arborem & Hiſpaniola parit. Eius etiam lignum olfactu aiunt eſſe mortiferũ, nec portari à quoquam lignũ poſſe ſine vitæ periculo, cùm excutere à ſe tantæ ſeruitutis iugũ ſæpè inſulares Hiſpaniolæ tentauerint, nec ceſſerit vmquã aperto marte, vel inſidijs. reperti ſunt eo ligno voluiſſe primarios noctu dormientes ſuffumigatos interimere, ſed admirati ligni reperti nouitatem Chriſtiani, fateri fraudem miſeros coëgerunt, & commenti auctores pœnas dedere. Habent ipſi genus herbæ, cuius odore fulti remedium ſibi comparant ab eius ligni veneno, vt portare illud queant indemnes.

CAPVT CXII.

De cehobbâ.

CVm de belli euentu, de annonâ, de incolumitate Zemes reguli conſulũt, domum Zemi dicatam ingrediuntur ibiq; abſorptâ per nares cohobbâ (ſic herbã vocant inebriantem, quâ & Boitij in furorem ſtatim vertuntur) domũ illicò tectis ad fundamẽta verſis moueri, homines verſis veſtigijs ambulare ſe videre garriunt. Tanta eſt pulueris illius cõtuſi vis ex cohobbâ, vt ſenſum omnem illicò ſumenti eum tollat. Vt primùm ceſſit inſania, brachijs demiſſo capite genua cõplectitur, quo in ſtatu attonitus pauliſper immoratus, caput veluti ſomnolẽtus eleuat, atque oculos in cælũ attollens, intra ſe primùm confuſa quædã obloquitur. Cui tunc primarij aulici adſtantes (neque enim de populo quiſquã ad ea ſacra admittitur) ſublatis vocibus gratias agũt, quòd iam à Zemis colloquio ad eos redierit, & quid viderit percõtantur. Ille autẽ os aperiens, Zemen eo tempore ſe allocutum fuiſſe delirat, ſibiq; aut victoriam, aut perniciem, ſi cum hoſtibus manus conſeruerint; aut famem vel vbertatem, peſtem aut incolumitatem, & quidquid venit in buccam, prædixiſſe Zemen, veluti lymphaticus prædicat. Suſpicor hanc herbam tabacum eſſe.

CAPVT CXIII.

De magnis arboribus.

MElchior Barros in Expeditione Io. Aluarez Maldonati inuenit proceras arbores, quę æquarent impetũ iactatæ ex arcu ſagittæ, & quarum truncos homines ſex vix complecterentur manibus extenſis. Ibidem gigãtes reperti: occiſus vnus hermaphrodita. Grandius aliquid adijciã ex Petro Martyre: A riuo nigro & inſulâ Cãnafiſtulâ millibus paſſuum ſeptuaginta, relictis à dextrâ læuaq; pluribus in id maius cadẽtibus fluminibus, vnũ capiunt duce incolâ nudo, ducentarum per ea flumina nauiũ magiſtro, in cuius ripâ oſtio ipſius proximâ Abibeiba Regulus incolis imperabat. Loca eſſe paluſtria cognouerunt, propterea primarium Abibeibæ Reguli atrium in arbore ſummâ ædificatũ erat. Nouum & inſuetum habitandi genus, ſed adeò proceras arbores terra illa nutrit, vt inter earũ ramos ædificare domos liceat indigenis, vti de alijs apud varios legimus Auctores, qui æſtuante Oceano confugiũ habebant ad altas arbores, cùm refleunte piſcibus veſcerẽtur relictis. Trabibus inter ramos diſtentis, & cõnexis inuicem, congeriẽ ſtruunt contra omnem ventorum vim tutã. Putant noſtri, ob fluuiorum alluuies, quæ ibi crebræ ſunt, arbores domos incolas habere. Eſt arborum illarum altitudo tanta, vt nulla virilis lacerti vis ſit, quæ domum ædificatã iactu lapidis attingere ſufficiat. Nec miror quidem, ſi Plinio & Auctoribus alijs crediderimus de arboribus Indicis, quas adeò proceras eſſe tradunt, ob ſoli vbertatẽ & aquarum abundantiam, vt ſagittâ nequeant ſuperari: neque enim eius terræ campi omniũ iudicio cedunt vbertate, aut aquarũ abundantia vlli telluri quã Sol ambiat. Ex illis arboribus pleraſque dimenſi brachiorum ambitu viri ſeptem, interdum octo, ſtantes vix complexi ſunt. In ſolo tamen cellas habent vinarias, eo vino, de quo ſuprà diximus, refertas: quia licet ventorũ furor minimè potis ſit domos illas dirruere, aut cõfringere ramos; cõuoluitur tamen, quamuis integra, quacumque flatus trahat, vnde vina perturbarentur eo motu. Reliqua ſecum habent in arboribus. Vina per gradus cõſtructos arbori inhærentes famuli ad Regulum & primarios prandentes aut cœnantes recentia ſupportant, non tardiore greſſu, quàm pede plano noſtri pueri nobis ex abaco menſæ vicino miniſtrant. Abibeibæ arborem noſtri adeunt, colloquia ineunt : petunt noſtri, vt deſcendat, elato pacis ſigno : negat Abibeiba, vt ſe viuere ſuâ ſorte ſinant orat. Poſt

Post blanditias, diruturos se arborē à radice, vel igne supposito crematuros, nisi cū omni familiâ descendat, nostri minantur. Renuēte iterū Abibeibâ, securibus impactis arborem quatere incipiūt. Visis ex arbore sahētibus assulis ex sectione, mutauit Abibeiba consiliū, descendit, sed ipse tantū cum filijs duobus.

Anonymus meus manuscriptus in Hispaniolâ prodit arborem fuisse adeò vastam, vt octo homines extensis brachijs concludere nequirent. In Brasilicâ, vt pro Catholico Castellæ Rege possessionem acciperet Didacus de Lepe, scripsit Regium nomen in arbore immani, quam decem & sex viri protensis manibus cōplecti non potuere. Hieronymus Perez nostræ Societatis, succidi fecit immanem arborem plusquam centum & viginti pedum ambitu robustam, quæ sedes superstitionum Catbalogā fuerat. Tam immensæ magnitudinis in eâ regione inueniuntur, vt in earum cauitatibus domos ędificent. Intus quoque conuiuia celebrantur magno Barbarorum numero. Mexicanus Rex in viridarijs sacris non vnam arborem habebat, sub cuius vmbrâ mille homines sederent. Neque prætermittendum, quod in nostro orbe scribit Pius II. mirū de quercu. Teutonibus castellum fuisse, cùm Prutenos expugnarunt tranato fluuio Vistellâ, vetustā & latè patulam quercum, quam in castelli modum erectis propugnaculis iuxta ripam munierunt. ibi collocato pręsidio, vlteriores Prutenos vexare cœperunt. Pugnatū est sæpè pro quercu, & ingentes paganorum copiæ fugatæ ac deletæ sunt. Bellū ad plures annos productum est: ad extremum, fortuna Fratrum imperio arridens, omnem eis Prussiā subiecit. De pulchrâ pinu Attalus, qui primò regnauit in Attalicâ gente, ambitum eius fuisse pedum viginti quatuor scripsit, altitudinem à radice sexaginta & septē: posteà in tria sciffā æqualiter inter se distantia, & iterùm in vnū apicem cohiberi: totam eius altitudinem duorum iugerum & quindecim cubitorum spatio contineri, distantem ab Adramytteo stadijs centum octuaginta Septemtrionem versus. Nunc nulla est. Habent & arbores suam mortem, aut percussæ cadunt, aut suo tempore arescunt. Nihil est in terrâ nō mortale.

CAPVT CXIV.

De oleribus magnis.

PRimæ spinachiæ & alia olera, quæ regio Peruensis hospitata fuit, cùm Hispani illuc transuexere semina, liberali fecunditate insurrexere, vt manu vltima folia contingi non possent, adeò frequētes & densatæ spinachę, vt equus illac penetrare non posset. Inuentus quoque raphanus, cuius vmbra quinque equos ligatos complectebatur, ipse raphanus vix extensis brachijs comprehēdi poterat; tenerrimus tamen fuit, & gratus gustantibus. Minthæ palmites duarum vlnarum. Visi pepones plusquam centum librarum, quod fide publicâ testatum. Planta peponis alicubi perdurat, nec singulis annis siccatur, sed instar vitis roboratur, amputaturque, resectis prolixis germinibus. Frumenti granum quingenta restituit, trecēta frequentiùs. In Vrabâ à iacto semine cucumerum, & huiuscemodi rerum ad diem citra vigesimum fructus eorum legitur; caules, betæ, lactucæ, boragines, & his similia intra decimum; cucurbita, melones, intra octauum & vigesimum.

CAPVT CXV.

De ogeghâ.

MIrum in Congo arborum genus, quas incolæ ogeghas appellant. Fructū illæ ferunt prunis nostris similem, coloris subflaui, & saporis suauissimi: in cọnstruendis ædibus vsui sunt, idque hunc in modum. Ramos plurimos trunco præcisæ terræ inserūt iuxta se inuicem, vt se mutuò pæne contingant. Facilè rami radices agunt, atque in arbusta crescunt, itaque sibi mutuò implectuntur, vt murum quodammodò constituant. atque hic illis est paries, adeò vt etiam parietes intermedios, & locum vnum ab altero discernentes, prout domi voluerint, arbor hæc discriminet. Ligna deinde leuiora superinijciunt, quæ primò stramentis cooperiunt, deinde storeis diuersicoloribus, quæ simul tegumento & ornatui sint. Hæc est ædium Congensium parandarum ratio, quæ omnes vnius cōtignationis & lineæ. Lapide, quamuis abundent marmore porphyrite, & iaspide, non vtūtur, quod eius vsum ignorēt.

CAPVT CXVI.

De varijs generibus palmarum.

VAriæ in eodem Regno Congi palmæ species. hoc enim nomine cōplectuntur & eas quæ dactylos ferunt, vti nostrates, & alias quæ Indicis persimiles sunt, de quibus Libro II. dictum. Hæ illis, vti & suis Indicæ, oleum, vinum, acetū, fructus & panem subministrant. Oleum butyro & soliditate & colore persimile est, nisi quòd paulò viridius. E fructus illius paratur nucleo, & butyri oleique vice fungitur, tum in cibis, tum in lampadibus, & vngendo. Vini ex hac arbore eliciendi hæc est ratio. Arborem extremam per-

perforant, & hinc liquor emanat, quem in lagenas admotas recipiunt. Liquor hic initio lacti & colore & sapore est similis, sed temporis lapsu paululùm acescit, ac tum illis est vini loco, vt inebriet; deinde interiectis aliquot diebus, miram acedinem induit, vt lactucæ eodem non secùs atque aceto perfundantur. Quare dum recens & musteum est, bibere solent, idq; non ad voluptatem modò, sed etiam sanitatem, modò non excedāt; nam præsentissimum aduersus lithiasin & dysariam remedium est, ipsos etiam lapides in renibus comminuēs; nullus vt in vniuersâ regione hisce sit morbis obnoxius. Alteri item arbori, cuius fructum colam dicunt, palmę nomen indidere: nostris pinorū malis, si maiora sint, ille similis. Nucleus internè quadripartitus est, & castaneę in morem, & ipse rubricans. Fructus hic famem & appetitum excitat; noxijs enim humoribus stomachum purgat, & corroborat, hepati etiam conducit, & paruo paratur, abundat enim. Est hîc & aliud palmarum siluestrium genus, quæ præterquam quòd fructum habeant esui suauem, mattas ad domos tegendas, sportas parandas, aliosque vsus humanos pernecessarias, suppeditant. Ex his enim & lectulorum stragula & pannos conficiūt, è quibus vestes elegantes & cōcinnas corpori parant. Hunc in vsum sola folia subseruiunt, vtque plura habeant, & subtiliora (quò filamenta tenuiora ducant) quotānis ea expurgant, nec excrescere eadem sinunt. Folia hęc purgata, atq; vt par est parata, eo filant modo quo nostrates linum, indeq; filamentum tenue, quale sericum nostrum, educunt, è quo diuersa pannorū genera parant, aliquos holoserico nostro ab vtroque latere pares, diuersis & floribus & figuris variegatos: quin & alios, qui damascenum nostrū vndulatum æmulantur, imò & speciem quamdam serici subtilioris, quem, quòd ceteris sit pretiosior, induere nemini, præter Regem, aut quibus ille indulserit, fas est. Parant & alias hisce viliores, imò & in plebeculæ vsum densiores; adeò vt hic quisque iuxta dignitatem & facultates suas vestem gerat.

CAPVT. CXVII.

De tractu sterili herbarum, seu semitâ S. Thomæ.

APud Iaiaobæ Indos in Occidenti tradita per auos viget memoria S. Apostoli Thomæ, quam retinent à transitu eius per illas plāgas; cuius non leuia extant indicia: præcipuè quædam semita in illis solitudinibus hactenus perseuerat, in quâ non oritur herba, nisi valdè humilis & paruula, cùm vtrumque latus herbescat vltra modum. Eo itinere dicunt Apostolum incessisse, & inde profectum in Perūana regna. Apud Brasilienses quoque traditio est, ibi prædicasse. Apud alios barbaros, etiam in regionem Paraguay venisse, postquam descendit per fluuium Iguazu, deinde in Paranam per Aracaium, vbi obseruatur locus in quo sedit defessus Apostolus, & fertur prædixisse, vt à maioribus acceptum est, post se illuc aduenturos homines, qui posteris eorum annunciarent fidem veri Dei, quod non leue solatium & animos facit nostræ Religionis Prædicatoribus, ingentes labores inter illos barbaros pro dilatatione Ecclesiæ perpetientibus.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV

HISTORIÆ NATVRÆ LIBER XV.

CAPVT PRIMVM.

De matzatli, seu pineâ Indicâ.



COLLIGAM in hoc decimo quinto Libro nonnullas Francisci Hernandi narrationes. De matzatli sic scribit. Fructũ huius plantæ vocant Hispani, noui orbis coloni, ob similitudinem, pineam. Alumnam dicunt Haitinæ insulæ & Nouæ Hispaniæ, & pineis nostratibus magnopere similem, & inde nomen sortitam. Planta ipsa fert iridis folia, sed spinosa; radicem fibratam crassamque, & vnicum pomũ, germinibus circumcircà exorientibus, ac altero in culmine ipsius pomi. Detractis his, satisque, radices statim aguntur, alterũque producitur pomum similibus stipatũ germinibus. Initio hoc apparet rubrum, sed procedente tempore, ac rubrescente adhuc germine, pallescit. Sapor est dulcis acidusque; temperies frigida atque sicca, ac succo manans natura. Exhibetur febrientibus refrigerij gratiâ, & ad excitandam appetentiam, retineturque ore, vt sitim mitiget, & linguam humectet, quamquam in bilem facilè conuerti dicatur. Sapor est eius fructus quem vulgus malocotoneum vocat, non sine quadã (vt dictum est) acore. Condita aliquãdo saccharo, atque ita delata in Hispanias, gratissimo succo placuere. Nascitur in calidis regionibus montosisque locis.

CAPVT II.

De mellis Indici generibus.

QVamuis de melle plura narrauerimus Libro decimo tertio, hîc appendam quæ inseruit Franciscus Hernãdus in Commentarijs plantarum. Multa mellis genera in Nouâ Hispaniâ, non loco solùm, velut in veteri orbe, verùm ipsâ materiâ & apum diuersis generibus distantia. Primum est Hispanicũ per omnia simile, idemque, & quod ab apibus Hispanicis congeneribus sponte, in cauitatibus arborum, quas Indi sectas in apiaria reponunt ac congerunt, fabricetur. Secundum est, quod parari ex arundinibus consueuit, vnde & saccharum quoque paratur. Tertium fit ex metl, cuius opificium in huius plantæ Capite proditũ est. Quartum fit in regionibus temperatis, aut feruidioribus, à quodam apum minimè aculeatarum genere, simili formicis alatis, minorique nostrate, suspendente è saxis & arboribus, sed maximè quercuum generis, aluearia, aut globos quosdam, vocatos micatzontecomimiacatl, similes saccharinis, interdum hominis æquantes amplitudinem, constantes coriis permultis, refertos vasculis minoribus densioribusque nostris, colore fusco, ac permulto optimoque affluentes melle, & numerosâ sobole atque fæturâ candidâ & margaritiferâ, quâ assâ, & sale conspersâ, nec ab amygdalis dulcibus distante sapore, quoties occurrit id genus examinis, auidè vescuntur indigenæ. Nec tantùm castrantes aluearia, sed ore exsugentes. Dum verò editur mel, non adhæret cera dentibus, sed quidpiam paleis simile. Conficiunt huiusmodi apes mel haud aliter ac nostræ, pariterq; floribus & rore viuunt, Septembrique mense impensè fecunda & onusta mellaria reperiuntur. Quintum genus, prędictis paulisper cedens, fit ab apibus quibusdam aculeatis, nostratibus longè minoribus, fuluisque: hæ enim oblongo orbe fabricato, quem acomimiacatl vocant, mellificare consueuerunt. Inuestigare vix potui, an regem habeant, seruentve in opere aut in administrandis rebus ciuilem ordinem, sed verisimile est hac in re nostrates apes imitari, quamquã adhuc ab hac rudi gente & imperitâ obseruatum non sit; nisi satius est putare, naturæ magis arrisisse, barbaras quoque & siluestres extare apes, velut & inter homines ipsos, quos eodem intellectus illustrauit lumine, gentes incultas, & ab omni ciuilitate & aptè institutâ republicâ prorsus alienas. Et vt prædictis nonnulla alia apum, vesparum, pseudomellissarumque genera adijciam, in Nouâ Hispaniâ obseruata, non est prætereundum silentio genus

genus aliud paruarum apum, expers aculei, ſubterraneis locis mellificans, & fauos conſtruens orbiculares, vocatum tlalneultli, ſed non adeò iucundo opere aut grato mellificio; eſt enim acidum mel, & aliquantulum amarum, etſi in probatiorum generum penuriâ ſoleat ſubſtitui, condimentiſque immiſceri. Mellificat quoque in foraminibus parietum riparúmve, veſparum quędam differentia, vocatarum xicotli, quæ aculeatæ ſunt, nigræque, ſed palleſcenti dorſo. Quid memorem pſeudomeliſſas aculeatas, terras, & cauitates lignorum quas eædem effodiũt, incolentes, quauhxicotl à Mexicenſibus vocatas, aut fuluas, aliàs noxio venenatoque armatas aculeo? Aut tlalpipioli, inerme apum genus, noſtratium magnitudine, nigroque & luteo colore varium? Aut cuecalmiahoatl computandam inter veſpas, noxij ac venenati aculei? aliaſve eiuſdem generis minores? Aut quauhxicotli pſeudomeliſſam, quæ tota nigra eſt, ſi alas excipias, quæ rubræ ſunt; venenatiſſimi & prælõgi aculei, & ſaccharinas arundines, adeoque ligna ipſa punctura à ſummo ad imum vſque findentes? Verùm velle naturæ ſingularia mirandaque nominatim percenſere opera, fuerit inſolentiæ, ne dicam ſtupiditati vehementi adſcribendum.

CAPVT III.

De nahuiyteputz, ſeu quatuor dorſis.

HErba eſt ab vnâ radice, craſſâ, fibratâ, multos edens caules, tres circiter cubitos longos, ac minimo digito paulò craſſiores, fuluoſque, & foliaceis quibuſdam appendicibus, ſecundùm eorum longitudinem è partibus quaternis diſcurrentibus, pennatos (vnde euenit illi nomen) & in eis folia aſpera, ſpiculorum mucronibus, ni longè maiora eſſent, ſimilia; flores luteos ſtellatos, & chryſanthemo maiores. Radicum fibræ calidæ & ſiccæ ſunt ordine tertio, odoratæ, acres, amaræ, reſinoſæ, ac partiũ tenuium. Hæ ſemidrachmæ pondere contritæ, atque ex vino vel liquore aliquo ſumptæ, ſatietati, vacuatis per inferna eſculentis vitiatis, medentur, & puſtulis à morbo Gallico ortis inſperſæ, ſi prius iure decocti huacatl & xalxocotl lauentur, ſubueniunt, reſerantque & extergunt furunculos. Quin eâdem radicẽ, vnciæ vnius menſurâ ſumptam, aluum lenire ac ciere vrinam. Sunt quibus placeat maiori pondere ſumendam, nec non qui aſſerant euocare ſudorem, perfrigeratis mederi, febres etiam ipſas & capitis dolorem tollere, & oculorum inflammationes diſcutere, imbecillem ventriculum ob cauſam frigidam calefacere firmareque, reſerare viſcerum obſtructiones, menſes lentè fluẽtes trahere, cachexi ſubuenire, & frigidæ cuiuſuis viſceris intemperiei ferre opem. Prouenit regionibus temperatis, qualis eſt Mexicana, non tamen odit calidiores editáve aut campeſtria loca. Quin ius decocti enixis infunditur, foliaque admota tumores præter naturam aut concoquunt, aut diſſipant. Species huius videtur herba illa ſimilis præcedenti, flore magno è luteo purpuraſcente, ſed nullo ferè ſapore aut odore conſtans, qui frigidam præfert ac humentem naturam. Febrientibus confert, & oculis medetur inflammatis, quamobrem yxpatli à quibuſdam nuncupatur; & Sichiauhtlæ, vbi naſcitur, nonnumquam pitzahoac cacaxaptli, frequẽtius verò cacaxtlacotl vocatur. Quin & alia nahuiteputz differentia inuenitur apud Ytzocẽſes, radicibus hellebori acribus, calidiſque & ſiccis ordine tertio, ac fluxibus dyſentericis coërcendis perutilibus. Eſt & alia frigidæ temperiei, ac calori iecoris nimio placando mirabilis.

CAPVT IV.

De nanahuapatli, ſeu morbi Gallici medicinâ.

RAdicem fundit longam, tenuem, & fibratam, nanahuapatli, quam alij palanaapatli, quoniã vlceribus medetur, vocare ſolent. Folia habet ſquallentia prolixaque, & illis piloſellæ vulgaris ſimilia: florem chamęmeli, in caulis cacumine ſemen acre. Calida eſt ac ſicca ordine ſecundo, & amari ſaporis, ac guſtu odora. Redacta in farinam, & inſperſa vlceribus putridis medetur. Vnde eſt (vt diximus) palancapatli ab aliquibus vocata. Melancholiam paſſos curat, ictoſque ab hæmorrho Opanucenſi, quem vocant mahuaquitli. Quin etiam tuſa ex aquâ reſoluta, ac pugilli vnius menſurâ ſumpta è liquore quopiam congruenti, quoties expediat, luem vocatam Gallicam aut Hiſpanicam funditus exſtirpat & curat, exſiccatis quoque vniuerſis corporis vlcuſculis atque tuberculis. Quâ ex re luce meridianâ clarius euadit, quod multos adhuc anxiè diſtorſit, morbum ſcilicet hunc ab Indis hiſce Occidentalibus fuiſſe profectum, atque in alias propagatum veteris orbis plagas; quoniam apud eam gentem patrium germanumque hic morbus atque antiquum ſortitus eſt nomen. Naſcitur temperatis locis, qualia ſunt Tepoztlanica.

CAPVT V.

De ololiuhqui, seu plantâ orbicularium foliorum.

OLoliuhqui, quam coaxihuitl seu herbã serpentis alij vocãt, volubilis planta est, caules fundens è radicibus, fibris similibus, teretes, virides, tenuesq; è quibus prodeunt folia viridia, tenuia, cordis figurâ, flores albi & longiusculi, semen rotundum, simile conano, vnde nomen. Calida quarto ordine planta est, luem Gallicam curat, dolores è frigore ortos sedat, flatũ ac præter naturam tumores discutit. Puluis resinæ mixtus pellit frigus, luxatisq; aut fractis ossibus, & lumbis feminarum laxis arcto robore mirũ auxiliatur in modum. Seminis tantùm vsus est in medicinâ, quod tritum, illitumque capiti & fronti, cum lacte & chilli, fertur morbis oculorum mederi; sumptum verò Venerem excitat. Id acri est sapore & temperie, velut & planta eius impensè calida. Indorum sacrifici, cùm videri vellent versari cum superis, ac responsa accipere ab eis, eâ vescebantur plantâ, vt desiperent, milleque phantasmata & dæmonum obuersantium effigies circumspectarent: quâ in re solano manico Dioscoridis similis fortassis alicui videri possit. Nascitur in locis campestribus calidarum regionum.

CAPVT VI.

De phehuame, seu medicinâ ad partum accommodatâ.

QVam Mechuacanenses phehuame vocant, apud quos copiosè prouenit, Dioscorides noster aristolochiã clematiten nuncupat. Tamen quoniam neque illã apud alterius orbis colonos, inquit Frãciscus Hernandus, pictam aut viuam mihi vmquam videre contigit, & huic orbi familiare est, delineandam curaui, additis prætereà eius vsibus, quos hæ gentes, & nunc demum ego ipse experimento comperi. Ergo volubilis planta est, folia ferens cordis figurâ, sed tamen minora; flores purpureos, ceteris generibus aristolochiæ similes; radicem crassam, longam, & sub neruo corticem vestitam. Huius est præcipuus in medicinâ vsus, vt quæ odora valdè sit, acris calidaq; & sicca ordine tertio temperie, ac subtiliũ partium. Ius decocti si eadẽ curâ, quâ chinæ aut çarçaparillæ solet, paretur, aut eisdem misceatur, & persimili quoque victus, ceterarumq; rerum, quas vocant non-naturales, institutione exhibeatur, quemuis frigorificũ affectum, aut è lue Hispanicâ profectum, mirè curat, tussi antiquæ asthmaticque medetur, flatum discutit, comminuit lapidem, renum & vesicæ affectibus ex frigore ortis succurrit, dolores capitis, & quosuis alios, qui inueterati sunt, tollit; vitiatũ calorem emendat, menses trahit, partum accelerat, reserat obstructiones, ac frigus pellit. Eadẽ radix duarum drachmarũ pondere humores crassosac lentos, sed præcipuè pituitosos vacuat, quemadmodũ ceteræ congeneres; quod antiquos latuisse puto. Habetur hęc plãta maximi ab indigenis, & computatur inter saluberrimas. Nascitur temperatis frigidisque regionibus Michuacanacensibus: quo fit, vt credã, facilè posse ad loca Hispaniarum temperata, aut paululùm calentia transferri. Est & alterum genus phehuame, vocatum minus, nonnihil formâ differens, sed eisdẽ facultatibus constans, fibratâ radice, folijs minoribus, & capreolis quibusdam sese hinc & inde conuoluentibus, cuius ius decocti narratur inter reliqua ictibus scorpionum mirè prodesse.

CAPVT VII.

De pinahuihuitztli, seu herbâ verecundâ.

PInahuihuitztli, quam alij (quoniã inducit soporem capiti imposita, aut quia tacta dormire videtur) cocochiatl vocant, frutex est quatuor dodrantes longus, folia fundens quadamtenus falcata per interualla sena, ac manipulorũ formâ sibi inuicem coniuncta, haud dissimilia illis yhoixochitl; stirpes tenues, spiniferos; radices surculosas. Flores verò fructúmve formâ erinaceis, principio viridibus, ac mox fuluis, racematim dependentibus, persimiles. Amorem dicitur conciliare. Folia saporem raphani quadamtenus referunt. Frigidâ constat siccaq; & adstringẽti naturâ, necnon & glutinosâ. Succus radicis medetur tertianis febribus, oculis inflãmatis, somnumq; inducit; cortex verò vẽtris fluxibus. Hic est ille frutex, cuius folia ad quéuis hominis aërísve attactũ cõtrahuntur, iungũtur inter sese, atq; marcescũt. Nascitur in calidis Tepotzlanicis, Quauhtlani quoque, & Hueitlalpæ, & in collibus Yacapichtlę. Hanc eamdẽ esse existimo, aut ei cõgenerem, quam Hispani Philippicarũ insularum coloni plantam sentientem vocant, de quâ scribunt (verè an falsò, nescio) nonnulla, quæ in hac, proueniente prædictis in locis, vera esse nequaquam constat; velut est, stipites rectos proferre, pennæ gallinaceæ crassitudine, ex singulis radicibus denos duodenósve, quorum vnusquisque duodenis ornetur folijs, diuisis in quatuor ordines, duarum vnciarum inter se distantes interuallo;

folia esse loto vrbanæ similia, flores cyaneos, linguæ similes passerinæ, antequam hient; hiantibus verò, interna diuidi folia modica: adeò offendi attactu flatuq; hominum, vt attrectata digitis vltimâ foliorum serie, mœrorem quemdá præ se ferat atque soporem, statimq; decidant: reliqua folia, manentibus solis superioribus, si digito tangantur, pariter decidunt: qui in stipitem, quâ parte attrectetur, rumpi, ac in terram procidere, nigrescente incisâ parte, velut si igne fuisset combusta; quin si halitu hominis perfletur, totum procidere ac rumpi: neque hoc euenire, si ligno, baculóve aut aliter tãgi contingat, sed solâ humanâ manu aut spiritu insipidá esse, nec vllâ, quæ ad medicos vsus spectet, pollere vi. Plantam aliam ferunt nasci apud Malabares, quæ similiter ad manus cõtactũ contrahatur, folijs polypodij, ac luteis floribus. Alij aliam apud Perüinos, quæ etiam, si tangatur, arescat; nec non in nostro orbe, ac præcipuè apud Gades. Verùm quæ Franciscus Hernãdus de pinu huiztli scribit, experimento cognouit, multique alij indubitatum esse millies comperere.

CAPVT VIII.

De asaro Mechuacanico, seu curitzen.

Libuit vocare asarum Mechuacanicum hanc herbam, quam Mechoacanenses curitzen vocant, alij verò aphatzi puntzumeti, aut apharzesirengua, seu odorum oculum, ob foliorum figuram & prolixarum radicũ odorem impensè suauem. Cubitalis est, radices multas tenuesq;, & fibris similes fundens, hellebori albi persimiles; caules leues, lentos, teretes ac graciles; folia tenuia, mediocria, & vitigenis proxima, sinuosa serrataq;, supernè virentia, ac squallentia infernè; flores luteos, exiles & comatos, vnde generatur semen fuscum, & quàm minimum. Radix, quæ sola (quod adhuc nouerim) in medicaméta venit, calida est & sicca ordine tertio, & partium subtilium, suauissimo odore ac sapore acri. Puluis eius ex aquâ, vino, buglossóve aut melissoboti succo sumptus sex obolorum pondere, iliacos dolores sanat, corroborat, ventriculum calefacit, ac frigore imbecillem confirmat: coctionem procurat, viscerum temperiem frigidã tollit, satietati medetur, obstructiones aperit, lapides & quidquid renũ vesicæq; obstruit meatus emundat; menstrua vrinamq; prouocat, vtero confert, venenatis potionibus aduersatur, flatũ discutit, ac vires restaurat. Ius decocti succúsve idem præstat, nec non puluis, addito melle aut saccharo, in confectiones, quas linctaria vocant, conformatus. Quin radix huius herbæ adiũcta çaçanacæ, æquis ponderibus drachmæ vnius, humores crassos & lentos vacuat, flatum generantes, & Gallicam luem efficientes. Nascitur in frigidis ac montosis Prouinciæ Mechoacanẽsis. Dignissima, ob iucundissimũ radicum odorem, quem cùm primùm naribus admouetur, spirant, vt transferatur ad Hispanos & reliquas orbis plagas paulò gelidiores. Aiunt indigenæ, febribus magnopere aduersari; quod euenire poterit aut rigoribus sedatis, aut pulsis aliquâ parte humoribus. Sunt qui tzipahtziti & tiripeti vocent.

CAPVT IX.

De pilipoc.

DVo sunt genera huius arboris, mas scilicet & femina. Mas nascitur inter saxa, amplior est, & maioribus folijs; femina in planis, minori amplitudine, & folijs minoribus. Vtraque prouenit humectis vmbrosisque locis, iuxta arbores alias quibus aduoluitur. Folia fert in summâ parte laurinis similia, impensè acuminata & diluti viroris. Cortex est asper, color stipitum fuscus, qui enodes ferè sunt. Radici innascuntur quædam tubercula fusca, pugni crassitudine. Stipites transuersim scissi, videntur subnigri, & in pelliculas quasdam, cæparum membranis persimiles, diuisi. Vsus præcipuus est radicum, quarum sapor valdè est amarus, nec sine quadam acrimoniâ, etsi breuî illa euanescat. Venenatis morsibus ac potionibus resistit, emendatq; ceterorum antidotorum, in Philippicis insulis & alibi nascentium (si quod est) vitium, frenatq; violentiam, lentè operatur: quamobrem magnâ ex parte solet reliquis (vt dictum est) medicamentis commisceri, velut optimum venenorum omnium alexipharmacum, si solas excipias sagittarum venenatarum plagas, quibus fertur officere. In affectibus tamen dubijs atque incertis curandis securum est medicamentum, per se sumptum: vacuat enim leniter, neque anxietates vllas infert, aut vomitiones, sesquidrachmæ mensurâ. Huius occasione non incommodè subsequitur (quoniam & hanc arborem quoque recipit) oleum, quod ex alexipharmacis permultis parant Philippicenses, ad grauissimas ægritudines curandas saluberrimũ, excipientes oleum sesaminum, aut, per eius caritatem & inopiam, nucum Indicarum, paratum quo aliàs dictum est modo, hac tamen lege, vt loco aquæ succus arundinum dulcium saccharive sit permixtus, cui recenter extorto, & adhuc calenti, adduntur pangaguaseni lutei partes duæ, quæ

arbos

arbos materie constat suberneo cortice leuiori, amaraque; radicis biratoci totidem, radicis tambalaguisę maioris fructusq; minoris radicum vtriusque calamaij tubæ, & pangaguaseni, & vtriusque buyotuyo partes singulæ, radicum vtriusque pilipoe ac seminis dalami æquis portionibus, reliquorum omnium pondus. Cuncta miscenda sunt, corrasis primò galei corio radicibus, aut quouis alio minutorum dentium rasorio, contritis etiam minutissimè seminibus; quæ omnia pariter fundentur in olei ferè duplam portionem, mox viginti plus minùs horarum insolantur spatio. Quo tempore transacto, eo oleo vtuntur, manente residuo puluerum in eo vase quo continetur. Pondus aduersum venena efficax est à semunciâ ad drachmas senas: atque ita præstantissimum est remedium aduersus venena & venenatas plagas; si eodem perunguntur. Quòd si potato oleo dolor in vulnere excitetur, statim remouetur illito vulnere. Vacuat etiam pituitam leniter, & citra omnem noxam aut anxietatem, vnciæ vnius aut sexquiunciæ potatum pondere.

CAPVT X.

De quauhtlatlatzin, seu arbore crepitante.

ARbor est magna, folijs mori, longè tamen amplioribus, & serratis per ambitum, multisque distinctis interuenijs; fuluo stipite, fructu orbiculari, ex vtraque tamen parte compresso, ac melo-peponis instar striato, includenteque intra se duodecim aut ampliùs nucleos candidos, orbiculares, argenteo denario, aut verticillis, quibus fusa torquentur, formâ atque magnitudine similes. Terni ex his, detractâ quadam interiori ac mediâ membranulâ, quæ solet inducere anxietatem, sesquidrachmam pendentes, humores omnes per superna atque inferna, sed præcipuè pituitam ac bilem, detrahunt. Securum & felicis successus medicamen, mediocriter calidum, & morbis à frigore ortis conuenientissimum. Torrefiunt ergo mediocriter, resoluuntur ex aquâ, atque ita matutino epotantur. Est in hoc fructu mirabile, quòd cùm iam maturuit, strijs aliquot crepantibus dehiscat, rumpaturque tanto impetu ac sonitu, vt veluti tormento quopiam bellico iactatum quàm longissimè euolet. Nascitur in calidis locis, quibus est admodum familiaris.

CAPVT XI.

De xiuhquilitlpitzahoac, seu de annir tenuifoliâ, vel de olere herbaceo.

RAdicem vnicam surculosam fundit xiuchquilitl herba, è quâ multi prodeunt stipites, recti, sex cubitos longi, ac minimum digitum crassi, coloris cinerei, teretes atque læues; folia rara, similia ciceris folijs; flores parui ex albo rubescentes, & siliquæ aceruatim appensæ cauli, ascaridibus crassiusculis vermiculisve similes, plenæ semine nigro. Amara nonnihil est, & legumina quadamtenus resipiens, acris, calidaque est & sicca secundo ordine naturâ. Puluis eius antiqua vlcera sanat, abluta tamen priùs vrinâ, quo fit vt palaucapatli à multis vocetur. Dolorem & calorem ingentem capitum puerorum; folia contusa admotaque dicuntur extinguere, resolutáve ex aquâ atque illita. Cæruleum fit ex eisdem pigmentum, nuncupatum ab Indis tlacehoili mohuitlive, tinguntque capillos atro colore. Nascitur spontè suâ in calidis regionibus, campestribus montosisq; locis: & quamquam in herbarum genus referatur, duos tamen annos virens viuaque persistit. Parandi pigmenti, quod Latini cæruleum vocant, Mexicani verò mohuitli & lauhuilli, hic est modus. Folia incisa in ahenum feruentis aquæ, sed iam ab igne sepositæ, tepentisque, aut meliùs (vt eius rei affirmant periti) frigescentis, neque ignem expertæ, conijciuntur: concutiuntur vehementer, ac paulatim aqua infecta transfunditur in testam aut dolium, & tandem per foramina paulò sublimiora, effuso humore, quidquid è folijs decessit, permittitur residere. Fæx illa pigmentum est: siccatur id Sole, & sacco canabino percolatur, mox efformantur paruæ rotæ, quæ patinis superpositis carbonibus solidantur, vt recondi tandem queant in annuos vsus. Seri quoque apud Hispanos integrum esset, calidioribus nempe regionibus, qualis est Bætica, aut aliæ ex his quas alluit mare, seu campestribus seu montosis locis, in areas latè puluinatas sparso semine illius lactucæ more, mense quidem Ianuario, si clemens sit aut calidum cælum, solumque vdum atque irriguum; sin minùs, Septembri, Octobrive, & tempestiue in liberiores campos, sicut ipsæ quoque paruæ lactucæ solent, digesto atque transposito; sarritis tamen nouellis plantis, vindicatisque à noxiarum herbarum tyrannide,

quoties illæ nimirum lasciuiere, & tandem euulsis, & accommodatis vsui.

CAPVT XII.

De iacuache, seu radice michuacani expurgante.

IAcuache, quam alij pusquam, Mexicenses verò tlalan tlacauitllapilli vocant, herba est radices fundens magnâ ex parte rotundas, & lacte manantes, candidasque, & ex eis caules volubiles, tenues ornatosque folijs raris, cordis figurâ, sed minoribus, floribus verò longis & coccineis, ac fructu peponis formâ & magnitudine, lanugine obducto candenti, ac semine albo referto, tenui latoque, non sine bombycinis quibusdam filis argenteis & lentis. Radix est calida quarto ferè ordine, siccaque, & sumpta guttur vrens: purgat humores omnes per inferna, sed præcipuè pituitam sesquidrachmæ duarúmve drachmarum pondere ex aquâ vinóve. Iure pulli aut ex tremulo ouo sumptu facilis, nec admodum ingrato gustu. Sunt qui lacte aut expresso succo vtantur vice scammonij, imò qui contẽdant plantam ipsam ad scammoniæ genera pertinere; addantque in electuaria sicca cum saccharo, mirabilemque dicant effectum præstare. Sunt qui radicem læuigatam per noctem in aquâ sex drachmarum mensurâ macerari permittant, manè percolent, exprimant, & aquam propinent, atque ita parum iniucundo vtantur pharmaco. In penuriâ & charitate scammonij additur in electuaria, quæ illud solent recipere, & perquàm commodum præstat effectum. Sunt etiam qui radicem illam asserant mederi febribus, & liquorem instillatum oculis. Tria eius plantæ reperies genera, marem feminamque, & formâ & viribus valdè similia; nec non & tertium nigranti solo, saxosis locis præcipuè proueniens, & radicem fundens tenuiorem, quæ aptissima fit parando exsoluenti electuario, addito saccharo xauhtliq; decenti mensurâ, aut tragacantho, quo ad leniter vacuandam bilem atque pituitam nequeas offendere præstantius vllum. Sunt qui ex iure decocti eius syrupum parent, qui trium vnciarum pondere, pituitam bilemque mirâ facilitate purget. Nascitur in calidis planisque huius Nouæ Hispaniæ permultis locis, etsi à Michoacanensibus, vbi primùm reperta est, & vis cognita, præcipuum nobiliusque inuenerit nomen: nam & Temimilcensibus est familiaris, qui ferunt vrinæ euacuandæ, permixtam radicem caudæ tlacuatzim æquis portionibus, miram exhibere operam. Siccanda autem radix, atque ita deinde reponenda; cauendum tamen est ab herbâ quadam per omnia pænè simili, noxiaque.

CAPVT XIII.

De tlatlan cuyâ, seu pipere longo.

QVam Indi Nouæ Hispaniæ tlatlan cuya vocant, piper longum appellat Dioscorides, etsi recondendi fructum modus nondum ad hæc nostra tempora illis cognitus fuerit. Volubilis ac sarmentosa planta est, folia oblonga piperis rotundi, ac similiter interuenijs secundùm rectitudinem discurrentibus. Fructus teres & longus; flos nullus. Ergo fructus eius acris est, calidaque natura quarto ordine, cum insigni siccitate: nam & subtilium partium folia mitiora sunt. Hominis altitudinem excedunt stipites, oriturque passim in calidis regionibus. Folia imposita vlceribus, radicis germinumque expressus succus epotus, aut infusus, aquam intercutaneam dicitur euacuare; ius verò decocti crurium edomata, aut congestos pituitosos tumores, mẽstrua etiam euocare, & flatus, ab eisque ortum dolorem tollere. Folia imposita vlceribus mederi, præcipuè venenatis; dolores è frigore aut Indicâ lue profectos lenire; faucium discutere tumores, & quosuis alios, sed præcipuè adiectâ centlinan, impeditum motum restaurare, euocare sudores, flatum discutere, neruorum resolutioni mederi, conuulsionique; suffitu iuuare epilepticos, pellere rigores & frigora, & mille huiusmodi alia iuuamenta præstare. Nascitur (vt attigi) calidis in locis passim iuxta aquas, septa & saxa; nec desunt qui quauhyyauhtli, & temocotl vocare consueuerint.

CAPVT XIV.

De tetlatiâ, seu arbore vrenti.

ARbor est magna, folijs mali-medicæ fuluis hirsutisque, & minimè deciduis, pinguibus, mollibus, & è viridi in squalidum colorem tendentibus, insignibusque interuenijs multis luteis aut flameis, fructu virenti, vnedonis formâ & magnitudine. Lac vrentis est naturæ, quo fit vt iumentis ad eam arborem sese confricantibus atque scalpentibus, fluant pili, aut si eidem accubent: quin homines aliáve animalia sub illius vmbra captantia somnos, incidunt in pilo-

pilorum defluuium. Lac attacta membra exulcerat; tanta est vis huius mali. Quod magis mirere, cortex huius arboris frigidus est & siccus, nulliúsve caloris, & ius decocti eius non modò citra noxam vllam epotatur, sed articulorum soluit dolores, & medetur scabiei, bibitum aut illitum, ac diarrhœas (vt quidam Indi medici asserunt) coërcet. Quin lac prædictum lepram, ophiasim, impetiginem, ceterasq; cutis infectiones, si prudenter adhibeatur, exsiccat, vlceraq; insanabilia curat. Nascitur in frigidis montosisq; locis Tepoztlani, & calidiora non refugit: nam & inter Haitinos quoque prouenit, apud quos guao vocari consueuit. Sunt qui affirmant, corticem duarum drachmarum pondere redactum in puluerem, atque sumptum, aluum laxare; quod quî fieri possit, non est facilè iudicare, si diarrhœas cohibet, nisi compressione quadam vacuet, aut omnino excussu adstringat. Materies verò admodum firma est, & ad opera topiaria perquam accommoda.

CAPVT XV.

De texaxapotlâ, seu Indicâ ptarmicâ.

Radicem tenuem fundit texaxapotla, seu lapidum perforatrix, quam alij tzompiliuizpatli, seu sternutamentum mouentem vocant, fibratamque, & inde caules tenues serpentes per terram, & purpureos, folia lini exilia, & flores multos pallentes. Olet hæc mala medica, quæ citrea vocant, mirum in modum, sapitque. Acris est, calidaque & sicca ordine ferè quarto, subtiliumque partium, admota naribus, inspiratoque eius vapore medetur grauedini & capitis dolori, citato sternutamento, & euocatâ pituitâ per os, oculos atque nares. Mirum est in eâ herbulâ, confricato eâ madente lapide, vel quinque vncias crasso, admotisque auersæ parti naribus, ita percipi odorem, ac si naribus ipsis herbulam admouisses: tanta enim est naturæ vis, vt vel exiles herbulæ, ac ferè nullæ, durissima crassaque penetrent saxa. Nascitur in calidis Quauhnahuacensibus Tlaquiltenacensibus, & in agro Hoaxtepecensi, adhærens saxis. Eadem tusa, illitaque ante quartanæ febris accessionem, curat eam: vtero confert, menstrua euocat, vrinam ciet, reserat obstructa, infrigidata calefacit; sudores elicit; dolores mitigat, ventriculum, cor & caput, sumpta vel applicata firmat, hydropem curat, medeturque impetigini & scabiei, nec tineæ parcit confricata.

CAPVT XVI.

De tlalquequetzal, seu pennâ terræ.

Nomen sumpsit à folijs pennas auium imitantibus, quamquam ab Hispanis millefolium vocetur, quòd stratioti mille folio antiquorum sit similis. A radicibus similibus fibris multos edit caules, teretes, & subrectos, tenues, & quatuor plus minùs dodrantes longos, ramulos per interualla hinc inde producentes, refertos folijs (vt diximus) pennis auium similibus, floribus in summis caulibus postremisque ramis ex albo in luteum tendentes, paucos, & in corymborum formam compositos. Amara est gustu, non sine quadam acrimoniâ odora, tenuium partium, & gradu tertio cum siccitate calefaciens. Succus eius epotus vrinam ciet, menses euocat, & ventriculum à frigidâ causâ debilem, seu extrà admoueas, seu in puluerem redactam propines bibendam, corroborat & firmat; discutit flatus, diarrhœas sistit, vlceribus pudendorum medetur, tumores præter naturam soluit, obstructiones, & potissimùm vteri, reserat; caloremque iamdiu elanguescentem corrigit & instaurat. Tusa, atque emplastri modo imposita, scabiem curat puerorum capitibus innasci solitam, exsiccante extergenteque, quâ prædita est vi. Suffitus eius strangulationi vteri, aut in pessario obdita, aut è liquore quopiam conuenienti puluere eius epoto; partum accelerat, secundas pellit, retinet fluxum alui, tussimque infantium & prouectiorum bibita curat: nec desunt qui asseuerent, succum eius aliquot vnciarum mensurâ epotum purgare per vomitum omnes humores: quæ omnia tam sunt à stratiote millefolio antiquorum aliena (frigidæ nempe naturæ plantâ) vt quamuis sit illi formâ persimilis, atque ideò ad illius species fortassis referenda, ab eo tamen viribus longè absit. Tam calidis quàm frigidis prouenit regionibus, totoque anni decursu sponte emicat, circa irrigua tamen, fecunda atque campestria loca. Haberi solet in delicijs, præcipuè à matronis, quæ vsum maximum & salubrem ab eâ passim vterinorum affectuum oppressæ molestijs suscipiunt, feritur-

riturque ab eisdem in viridarijs, vasisque fictilibus, nigrâ tamen pinguique terrâ substratâ; nam & crebrâ aquæ inspersione, & sollicitâ domesticorum curâ, lætior ampliorque fieri solet.

CAPVT XVII.

De tamarindo.

Consueuere Indi Orientales atque Occidentales, nec non aliæ quamplures nationes, contra Græcorum & Latinorum consuetudinem, plantas ipsas relinquentes sine nominibus, fructibus tantùm & floribus nomina imponere: quod in tamarindorum arbore videmus euenire, cui cùm nullum contigerit nomen peregrinum, aut fuerit à Mexicanis impositum (nuper enim est ad eas oras translata) fructus tamen eius non vnicum, sed plura sint sortiti: ita fit vt Malbari puli, Guzarati ambili, & apud Arabas tamarindi, seu Indi dactyli nuncupentur; non quòd hæc arbos palmæ similis sit, aut fructus eius commercium habeat cum dactylis, sed vel quia ita appellare libuit, vel quòd fructus digitorum quamdam repræsentent similitudinem, etsi crassiores sint, & magnâ ex parte longiores. Est igitur arbos nucis iuglandis aut fraxini amplitudine, ramis dodrantalibus, foliolis refertis minutis, ac rutæ similibus, sed longioribus, vt his quas fert mizquetl vocata Mexicanis, siue hoaxin, aut quauhnacatli. Materia firma, siliquis in digiti incurui aut arcus figuram efformatis, quarum cortex initio virens, & post maturitatem est cinereus, & à quo facilè exuatur fructus, nucleis satiuo lupino paulò maioribus intus contentis, leuibus; quibus abiectis, callo vtuntur Medici. Dulcis acidique & iucundi saporis ea est. Harum siliquarum natura, vt noctu folijs conuolutæ sese à frigoris iniurijs muniant atque tueantur, interdiu verò suapte naturâ explicentur; & è penetralibus foliorum erumpant ac prodeant. Folia acida sunt, & saporis suauis: atque ita, vbi earum arborum suppetit copia, in salsamentorum vsum veniunt, citra aceti auxilium. Frigidâ & siccâ temperaturâ constat, bilem concoquit, pituitam incidit, sedat calorem, & prædictos humores, sed potissimùm bilem expurgat. Sunt qui virentes siliquas corticibus dumtaxat spoliatas, & addito sacharo ægrotantibus præbeant sumendas; feliciore successu, quàm si acetato vterentur syrupo, humoribus, sed præcipuè biliosis, percoquendis, & ad vacuationem præparandis. Alij aquâ aut stillatitio liquore, in quæ (cùm aliquamdiu manserint) expressæ sint, humorem biliosum expurgant, aut tenuant crassiorem. Nec desunt, qui nucis Indicæ permixtam vocato oleo epotent, atque ita leniter & tutò vacuentur. Aceti quoque vsum præbent, præcipuè maturæ; & eorum folia tusa, erysipelatis vtilissimè imponuntur. Qui in Hispanias ceterasque orbis regiones ab Orientalibus deferuntur, sale sunt conditi, ne puri asportantur, ne vitiari putrescere've maris longive itineris causâ aut iniuriâ contingat. Fit ex eisdem recentibus, adiecto saccharo, confectio, quâ egregiè, & citra molestiam vllam humores prædicti & concoquuntur & vacuantur. Non credo Græcorum oxyphænica esse censendam arborem tamarindorum, cùm verè dactyli non sint, sed siliquæ (vt diximus) digitis incuruis similes. Multumque puto aberrare Arabes, & caligare recentiores ad vnum omnes in eius descriptione; ex quâ iudicare est promptum, tamarindorum arborem numquam eos oculis perspexisse. Nascitur iam iuxta Acapulci portum, & apud Quauhnahuacenses, non longè ab vrbe Mexicanâ.

CAPVT XVIII.

De iubâ plantâ insularum Philippicarum.

Iuba, quam alij magaan à leuitate vocant, arbor est parua, intra anni vnius spatium in iustam magnitudinem assurgens, radicibus brachium crassis, stipitibus femur. Mori folijs, sed leuioribus, virentibus & subrubeis, præcipuè circa margines extremos, & interdum purpureis, cortice albo odoroque, & maximè radicis floribus racematim dependentibus candidis, inodoris, & exilibus, albo fructu ternoque, & ricinino semini simili, paribusque incluso vasculis, radix cuius præcipuus fertur in medicinâ vsus. Candens est, crassarum partium, & saporis initio propè nullius, deinde verò acris caloreque tertij ferè ordinis offendentis, quo os, ventriculum & guttur afficit: hæc trita, ac per se sumpta, aut cum pilipoc, de quâ suo loco sumus locuti, pari

pari vtriusque quinûm obolorum mensurâ, venenatis resistit potionibus, per superna infernaque vacuato veneno, celeriterque, & citra noxam, pituitosis & atrabiliosis humoribus expurgatis. Inseruit etiam ius decocti corticis florum ac seminis balneis, quæ aduersus intemperiem frigidam, & corporis imbecillitatem admouentur. Exprimitur è semine oleum amygdalino simile, mirabilis præstantiæ atque operæ aduersus frigidas quasuis affectiones (etsi prope locum, cui admouetur, parui momenti suscitet inflammationem) doloresque recentes & inueteratos, extergitque & exsiccat carnem superexcrescentem palpebris, & oculorum ex atrâ bili suscitatos tumores ius decocti corticis aut radicis, aut aqua, in quam vtraque coniecta sint, extrinsecus illita, confertque recentibus plagis, maximè neruorum, quas non multò pòst cicatrice obducit, ac conglutinat.

CAPVT XIX.

De tanglat.

HErba est bulbosæ insistens radici, extrà è candido rubrescenti, intrà luteæ, vnde profert hordei folia dena duodenáve, quatuor longa dodrantes, asperiora, & continenter virentia, caulem verò ac fructum nullum. Tota planta florum mali Medicæ odorem præfert, sed vehementiorem. Adstringit non sine quodam calore. Eadem incocta piscium elixandorum vitium emendat, commendatque saporem, & infusa gratiam addit vino, & iucundum odorem, intinctibusque & condimentis inseruit. Aqua quæ ex eâ stillat ignis vi, antequam Soli exponatur, inodora ferè est; sed Solis radios experta, iucundum odorem spirare solet, demumque illita facie, sensus omnes caputque roborari videntur, atque excitari. Nascitur in Philippicis.

CAPVT XX.

De tzahuengueni, seu filipendulâ Michuacanicâ.

HErba est radicem fundens glandi similem, intrinsecus candentem, & extrà fuscam, sed finentem in tenuem & longum funiculum, vnde prodit caulis purpurascens, ornatus folijs in tres partes, quarum media maior est diuisis serratisque, & floribus postremos ramos per ambitum coccineis, ac mediâ parte luteis cum albâ quadam iride. Radix est calida & sicca ordine quarto, acrisque & subamari saporis, odoris verò pastinacæ copali aut tecomahacæ persimilis. Folia tusa, & admota, medentur scabiei; & redacta in puluerem, vlceribus. Radices tusæ atque ex aquâ potæ duarum drachmarum pondere, vrinam & menses euocant, conuulsionem curant, satietati medentur, pectori conferunt, frigus pellunt, reserant obstructa, opitulantur cœliacis, hydropicis, colicis, iliacis, & ceteris, quibus medicamenta calida siccaque ordine quarto, ac subtilium partium solent conferre. Nascitur in frigidis montibus, & eorum verrucis Tacambari prouinciæ Mechuacanensis, necnon Cayulæ, vbi cacacucuchi vocant.

CAPVT XXI.

De capolin, seu ceraso dulci Indico.

ARbor est mediocris magnitudinis, folijs amygdali, aut cerasi nostratis, minutim serratis floribus racematim dependentibus, ex quibus acini fiunt, cerasis nostris formâ, colore, magnitudine, ossibus, nucleis, nec non & sapore similes. Quo fit, vt existimem, arborem hanc in cerasorum genera referendam, etsi sint quibus videatur ad lotorum differentias pertinere. Acidi paululùm fructus sunt, & adstringentes, etsi iam tempestiui, & exquisitam maturitatem assecuti, dulces euadant, & magnam austeritatis partem amittant. Gustus sunt grati, adeò vt ex quorumdam non parum sagacis palati sententiâ nostris cerasis non videantur inferiores. Temperatè calidâ siccaque, & nonnihil adstringenti naturâ constant. Fit ex eis panis potioque in annonæ & vini caritate. Nutrimentum præstant melancholicum, & cordi quadamtenus inimicum, dentes inficiunt nigro colore, siquis eis diutiùs assuescat, sed qui, si cura adsit, possit facilè extergi, ac dentifricijs emendari; & tamen non desunt, qui ceteris hortensibus fructibus, etiam vetusti orbis, audeant eos anteponere. Vere floret hæc arbos, fertque per vniuersam ferè æstatem fructum. Ius decocti corticis eius insolatum quindecim integros dies, ac sumptum drachmæ vnius pondere, dysenteri-

CAPOLIN.



tericos curat, puluis verò eiusdem argemata discutit, visum clarificat, inflammationibus opitulatur, ac linguam præ vehementi ardore arescentem lenit; quod etiam germinum liquor aut succus præstare solet. Temperato cælo gaudet, quale est Mexicanum, vbi hæ arbores in hortis campestribusque locis, & humanâ diligentiâ & suaptè naturâ proueniunt. Triplici constant hæ arbores differentiâ, fructu tantùm differentes: siquidem xitomacapolim fructum fert prunorum circiter magnitudine, helocapolim paulò minorem, ac omnium minimum tolocapollin, vniuersim verò omnes racematim dependentem.

CAPVT XXII.

De cacaoaquahuitl, seu arbore cacai.

IN cacaoaquahuitl magna deteguntur humanæ sortis volumina, inquit Franciscus Hernandus: in vetere siquidem orbe, perque prisca illa tempora, quæ vitæ hominum erant necessaria, atque adeò apud alios cùm deessent quærenda, non rependebantur

tur ære, nondũ aureus argenteúſve circumferebatur numus, aut pecudum, Regúmve aut Principum ſimulacra metallis cernebantur inſculpta: rerum permutatione viuebatur, vt olim factum cecinit Homerus; & fructuum, quos recondebant, factâ alijs copiâ, mutuum ferebatur auxilium. Tandem æra percuſſa atque ſignata ſunt, & mille rerum effigies numiſmatis impreſſæ conſpiciebantur: at in nouum mundum numquam auaritiæ ſigna penetrauerant, aut caput erexerat ambitio, donec noſtri in eam velis ac vento deuecti, impetum fecere. Non vſque adeò ſplendebant illis argentum atque aurum, quibus præcipuè abundabant: auium pulcherrimarum plumæ, lintea quædam goſſipina, ac gemmæ quæ ea fert affatim ſuapte ſponte tellus, erat diuitiarum & copiarum ſumma. Nondum armillæ, torques aut brachialia, niſi fortaſſis concinnata è floribus, plebi inuotuerant, aut margaritæ vllo erant illis in pretio. Nudi pæne incedebant, vitam degebant hilarem, neque vaſtos congerendi theſauros, aut rei familiaris augendæ, velut de futuro parum ſollicitos, cura euigilabat: in diem viuebatur, indulgebatur genio humili ſorte, ſed tranquillâ & felici, & potiſſimis naturæ bonis magnâ cum iucunditate potiebantur. Semen cacaoatl erat illis pro numo, & eo præcipua vitę præmia, cùm opus erat, comparabantur. Duratque in hodiernum vſque diem non paucis incolis hic mos. Quid ni? quando quibuſdam Orientalium gentium cochleæ Venereæ, & alijs folia quarumdã arborum, alijſque alia pecuniæ gerunt vices. Quin & ex eodem ſemine, quo cõmercia inibantur, feruebant emporia, & in varios dominos illius ope mercimonia transferebantur, concinnabantque potum, nondum vini conficiendi ratione repertâ; cùm tamen nonnulla vitium ſilueſtrium ac genera labruſcarum apud illos ſuapte ſponte in ſiluis paſſim prouenirent, arboreſque & frutices, quibus aduoluebantur, vuis aciniſque variorum colorum & pampinis condecorarent, atque grauitate ſuâ incuruarent. De hoc ergo celeberrimo ſemine, & quod in noſtram vſque tempeſtatem & vini & numi ſubeat vicem, agendum modò, ab ipsâ arbore ſumpto initio. Eſt ergo cacaoatl quahuitl arbor amplitudine & folijs mali-medicę, lõgè tamen maioribus atque amplioribus, fructu oblongo peponi magno ſimili, ſed ſtriato ac rufo cacahoacentli nuncupato, ſemine cacahoatl pleno, quod ſemen (vt diximus) Mexicanis pro numo eſt, materiemque potionis eidem genti gratiſſimæ præbet. Subſtantiâ idem conſtat pullâ, in diſpares diuiſâ particulas, ſed probè compoſitas inter ſe, tenerâ, multi nutrimenti, ſubamarâ ſubdulcique & temperatâ naturâ, aut aliquantulum frigidâ atque humenti. Sunt autem, quod adhuc comperérim, quatuor huius arboris differentiæ. Prima quauhacacahoatl dicitur, omnium maxima, & ampliorem ferens fructum: altera mecacahoatl, quæ mediocri conſtat magnitudine, ac fructum fert magnitudine à prædicto ſecundum: tertia xochicacahoatl vocata, minoreſt, ac minorem profert fructum, ſemenq; extrà rubeſcens, intrà verò ceterorum colore: quarta omnium minima, & ideò vocata tlalcacahoatl, ſeu humilis, pomum fert minimum, haud alterius quàm cetera genera coloris. Quæ differentiæ omnes eâdem pollent facultate, atque eoſdem vſus præſtant, licet poſtrema potionibus magis inſeruiat, ceteræ verò numis aptiores atque commodiores ſint. Poſſet quoque & quauhapatachtli ad earumdem arborum genus referri, ſed amplioreſt arbos, & ampliora habet folia fructuſque & ſemina, quæ dulciora quoque ſunt ceteris, & pro amygdalis, præſertim toſta aut ſaccharo condîta, edi atque vſurpari poſſunt, quamquam parandæ potioni ſint incommodiora. Auctâ igitur ægritudine, laborantibus exhiberi ſolet ex eo ſemine parata potio, cui nihil prætereà admixtum ſit, contemperando æſtui ac feruori placando, & his quos calida hepatis alterius partis vexat intemperies. Si verò quatuor granis vncia vnica miſceatur gummi ius quod vocant holli, bibaturque, dyſentericos affectus mirè coërceet; verùm ſunt gummi ipſum granaq; priùs torrefacienda: grana ſiquidem adeò pinguia ſunt, vt exprimere, ſi libeat, poſſis ab eis oleum; gummi verò tenaciſſimâ & valdè glutinosâ vi eſt præditũ. Nimius autem eiuſdem potionis vſus viſcera obſtruit, colorem inficit, & ad cachexim, & inſanabiles alios morbos perducit. Sed quoniam & compoſitæ & ſimplices parari ex eo potiones ſolent, atque hæ non vnicâ tantùm ratione, aut eiſdem ex rebus, iam his ramillis, floribus, aliiſve plantarum partibus in farinam redactis & adiectis; in eis enarrandis fuerit haud immeritò aliquamdiu commorandum. Primum ergo potionis genus ex eo ſemine parari ſolitum, atextli ſeu madens dicitur. Fit hoc ſimplex ex centum plus minus granis cacahoatl crudis aut torrefactis, ſed probè contuſis, & commixtis frumenti Indici portioni, quæ molliora reddita, ambabuſque manibus modò apertis modò coniunctis in capacem figuram efformata poſſint commodè comprehendi. Si verò libet parare compoſitum, addes mecaxochitl, xochinacaztli & tlilxochitl fructus contritos, & commixtos reliquos; mox verò quantum

tum satis sit agitabis, trãsferenda autẽ excelsiori loco in aliud atq; aliud vas. Hæc potio est, donec spuma demũ excitata, partibusq; pinguioribus, & ad olei naturam propriè accedentibus, ad superiora eleuatis, sorbeantur quæ leuiora sunt, & gustu gratiora, aut seorsim maiori iucunditate degustentur. Vis compositæ est, Venerem excitare: simplex enim refrigerat, atque impensè nutrit.

Aliud genus fit ex centum & viginti granis cacahoapatlachtli, de quo suo loco, totidem cacahoatl, frumenti verò Indici pugillo vno. huic nihil addi solet ex prædictis, illa siquidem calida sunt. Ex hac autem potione sola in frigidatio & nutritio quæritur.

Tertium verò, chocollatl vocatum, paratur ex granis pochotl & cacahoatl æquâ mensurâ, quod magnopere traditur corpora impinguare, si frequentiùs eâ vti contingat: ergo contrita omnia in fictile funduntur, agitanturque ligneo pistillo, donec portio pinguior, magisque spectans ad aëream naturam, innatet, quam seponunt ac seorsim collocant, residuoque immiscent frumenti prędicti emolliti pugillum vnum. Postquam verò in liquorem sorbitioni idoneum sunt omnia redacta, id pinguetudinis quod separauerant, rursus commiscent, atque ita demum tepidum potant, aut alijs sorbendum propinant, hecticâ febre consumptis, tabidis atque extenuatis mirè vtile.

Aliud genus tzone dictum, paratur ex frumenti Indici & cacahoatl torrefacti æquis portionibus, & modicâ quadam eiusdem frumenti emolliti parte decoctis, donec sorberi possint, quæ demum refrigescentia nutrimenti non medicamenti vices gerunt. Seritur iuxta quauhcacahoatl, vmbræ gratiâ, arbos atlinam vocata: nullus prætereà (quod nouerim) vsus. Nascitur in calidis frigidisque regionibus, locis vliginosis, aquosis & humentibus.

CAPVT XXIII.

De chichimecapatli, seu Chichimecæ gentis medicinâ.

RAdici innititur herbula hæc nuci iuglandi formâ & magnitudine simili, lacte manante, valdè tenaci & glutinoso, intus candidæ, extrà nigræ: vnde profert caulem tenuem cubitalem, & in eo folia rara, longa & tenuia. Radix virens arénsve (quamquam siccato sit lacte innocentior) aut ex liquore quopiam conuenienti sumpta scrupuli vnius (cùm sicca est) pondere, humores omnes per superna & inferna euacuat, sed maiori ex parte per inferna. Calenti ordine quarto constat naturâ, viribusq; vehementibus, quamobrem non cuiuis temerè exhibenda est, sed eis tantùm qui viribus valent, nec acutâ vexantur ægritudine, aut his quibus leuiora alia remedia frustrà tentata sunt. Flatum etiam dicitur discutere, & colicis doloribus opportunè auxiliari. Ex huius radicis vncijs quatuor, & drachmâ vnâ cocoztic, parat Chululensis Medicus nobile illud ac totâ Nouâ Hispaniâ celebre pharmacum, quo cunctis pænè morbis obsistitur, tusis permistisque, addito saccharo, & ad Solem, donec humor abeat, expositis. Regionibus prouenit temperatis, paulóve frigidioribus, qualis est Mexicana; at tetzcocana asperis & montosis locis. Sunt qui yamancaptli vocent, quandoquidem primo gustu radix dulcis & temperata videatur.

CAPVT XXIV.

De chichioal memeya, seu plantâ lacte manante.

HErba est octo spithamas longa, teretibus caulibus purpureisque, folijs pænè castaneæ, serratis & asperis, floribus oblongis vasculis similibus, rubris, sed circa extrema in luteum elanguescentibus, radicibus longis, teneris, fuluis, & geniculatis. Vacuat cortex eius febre quartanâ aut tertianâ laborantes adeò felici successu, vt ægrotus statim ab euacuatione reddatur interdum incolumis. Assumendus autem duarum drachmarum pondere ex aquâ resolutus. Sunt qui misceant commendandi saporis gratiâ quatuor grana cacaoatl, totidémve ponticas nuces aut amygdalas, at quartâ propinent die quietis matutino tempore, vitato somno, vt &, cùm cetera assumuntur pharmaca, fieri consueuit. Nascitur locis saxosis iuxta montes frigidarum regionum. Lacte manat, vnde nomen: & magnæ vtilitatis fertur esse medicamentum, siue planta sui generis sit, seu ad tithymalorum genera pertineat.

CAPVT XXV.

De yyauhtli montanâ.

YYauhtli montana, seu tepeyyauhtli, quam alij yyauhtli citra cognomen vllum nuncupant, multis radicibus fibrarum in modum innititur, è quibus fundit ramos altos tres cubitos: folia yyauhtli similia, saligna, sed tamen minimè serrata, ac longiora: flores coccineos, & calyculorum formâ oblongos. Gustu acris est & odorata, ac facultate tertio ordine excalfaciente, tenuium-

tenuiumq; partium. Succus dicitur mederi oculorum morbis, aut illitus eis aut admotus capiti, vrinam ac menses euocare, & quidquid in vijs vrinarijs, renibus & vesicâ præter naturam continetur. Absumit flatum, ventriculum, visceraq; omnia ob frigus languescentia confirmat, calorem vitiatum emendat, aluumque cohibet, calidarum ac frigidarum regionum alumna est, conualliumque ac montium incola, & Septembri mense floret. Bibitur puluis eius ex potione cacaoatl aduersus tussim, & pectoris frigiditatem. Suffiuntur aulæ ex eâ herbâ in ignem coniectâ contra grauem odorem, & potissimùm à morbidorum hominum halitu iniucundo profectum. Medetur satietati, alui torminibus, ac ventriculo frigidâ affecto intemperie.

CAPVT XXVI.

De cuamiahoatl, seu spicâ arboris.

CVamiahoatl, quam alij tlamacazyapapari, seu capillum Sacerdotis vocant, radice innititur capillatæ & rubescenti. Folia sunt tenuia, quæ tusa admotaque capiti, capillorum vbertatem procurant; quod etiam præstant reliquis corporis partibus admota, in quibus pili solent oriri. Omnes humores vacuare narrant, si sumatur ex aquâ duarum drachmarum mensurâ, sed pituitam præcipuè, atque ita mederi cachecticis, hydropicis, morbo Gallico, aut articulorum doloribus oppressis, & orbatis motu. Sapore caret insigni, etsi virus quoddam spiret, caliditatem ostendens. Tithymalo paralio similis etiam est, & in eius species referenda, quamquam rami è caulibus à radice prodeuntibus rursus oriantur, quod in paralio fieri non video; etsi non dubitem, aut eamdem illi esse, solis natalibus distantem, aut saltem congenerem. Nascitur saxosis montanisque Tepoztlani locis, & in hortis quoque medicinæ causâ seri consueuit.

CAPVT XXVII.

De chilli Indiæ Orientalis.

QVod Mexicani chilli Orientale vocant, Arabes, Persæ, & Turcæ gengibib appellant, Officinæ verò gingiber aut zingiber. Nascitur in omnibus Indiæ prouincijs excultum satumque semine aut radice: nam quod sponte prouenit, floccipenditur. Nascitur etiam in insulis Philippicis, translatumque iam est ad Haitinos & Mexicanos. Duo sunt eius genera, mas & femina. Mas sub ancoæ nomine clauditur; femina est vulgare zingiber. Herba est duas tresve spithamas longa, radicibus tuberosis & transuersis, vnde profert caules arundini similes, & in eis folia longa & angusta, iridi aut gladiolo paria, & in summis caulibus capitula stœchadi quadamtenus similia. Seritur pingui stercoratoque & exculto solo, & humilibus quibusdam arboribus adumbrato regionum calidarum mense Martio. Radice in frusta pollicis magnitudine dissectâ, quinque digitorum interuallo, ac totidem pæne profunditate, tegitur terrâ, rigaturque statim à satu, ac deinde bis per singulas quasque septimanas, aut semel tantùm, sed ita vt plantæ nullæ conuellantur, aut vllâ afficiantur iniuriâ. Est autem terra terquaterve per singulos annos repastinanda. Vindemia fit arescentibus folijs, quod iuxta initium Ianuarij accidere solet: vulso verò, vt commodè recondi possit, corradendus cortex exterior est, conijciendumque in labellum plenum muriâ, & permittendum ibi horam vnam aut dimidiam manere, mox Soli exponendum æquali temporis interuallo, ac demum stragulis sub tecto insternendum, donec humor omnis exhalet. Quòd si adhuc madens perseueret, Soli rursus exponi oportebit. Si verò aliò transferri conueniat, terrâ opertas radices seruari erit necessarium thecis inclusas, dulcique aquâ aut imbribus, quoties dictum est, irrigatas noctu operiri, atque interdiu patere cælo. De facultate nihil in tantâ luce opus est dicere: illud narrant Indiæ Orientalis incolæ, conscissam hanc radicem, permixtamq; alijs herbis, & aceto, oleo ac sale condîtam in acetarijs edi; nam non in quibusque Indiæ partibus, præcipuè si humidiores sint, æquè est ac apud nos acris & vrens.

CAPVT XXVIII.

De ijs quos vocant doriones Indi Orientales.

QVos Malacenses doriones vocāt, melopeponum sunt magnitudine, deso cortice, rostratisque tuberculis plurimis obducti, foris virides, intus cauitatibus distincti, in quarum singulis nucleus continetur oui parui gallinæ magnitudine, coloris & saporis eius ferculi, quod candidum vocant. Officulum hic intra se cōtinet, mali Persici ossibus persimile, sed formâ rotundum. Arborem prægrandem esse aiunt, imitarique iuglandis formam, folijs exornatam laurinis. Sunt qui guanabanum Haitinorum, aut quauhtzapotl Mexicensium hanc arborem fructúmve esse credant: sed hi toto errant cælo

cælo, & collatis plantis aut deſcriptionibus liquere poteſt, velut etiam cùm, arreptâ inde occaſione, alios memorant fructus, qui non minùs ab hoc ſunt differentes, quàm (quod vulgus ait) ouum à caſtaneâ.

CAPVT XXIX.

De holquahuitl, ſeu arbore holli.

DVo ſunt huius arboris genera: alterum ſtipites profert magnos, leues, fuluos, & lentâ refertos medulla, floreſque candentes, folia maxima, & orbiculos ſtellatos rubreſcentes ex pallido, adhærentes ſtipitibus, & refertos fructu Ponticis nucibus pari, candenti, luteâ obducto membranâ, & amari ſaporis: alterum verò folia mali medicæ, ſed tamen maiora. Vtriuſque arboris cortex amarus eſt, calidus ordine tertio, & paululùm lubricus, cuius decocti ius infuſum medetur dyſentericis. Gummi ex illo adeò vndecumque eſt reſiliens, vt pilæ palmariæ, aut eius quę à vento nomen habet apud vulgus, in ſphæricam aptatum figuram pręſtet vices, & ad multa præterea vtile ſit. Nam vrinam mire euocat, emundat vterum, ſterilitatem admotum vuluæ fugat, menſtrua elicit, ſi digito madentis ſucco yoloxochitl & olli vulua anuſque confricentur, & adhuc retentis ſumatur chichixihotl. Diarrhœis dyſenterijſque opitulatur ſumptum per ſe, aut alijs, quæ ſimilibus viribus polleant, admixtum, aut ſi adiectum picietl, & conformatum in pillulas, digito in anum, quantum fieri poteſt, inducatur. Additum cibis impinguat, & permixtum vermibus axiri vocatis, ingeſtumque, agilitatem quamdam, & ad volubiles corporis motiones promptitudinem ingenerare dicitur: & oſſa emollire, vt facilius homines contorqueri flectique huc & illuc poſſint, & corpus more petaurorum iactare, & Venerem vehementer excitare. Colicis confert, ſedi admotum, trahitque alui excrementa, & dolorem ſitimque ſedat; vſtum verò argemata diſcutit. Puluis verò inſperſus naribus, hemicraneas, capitiſque alios dolores ſedat, euocat pituitam, ac ſternutamentum ciet. Naſcitur vltimum genus apud Michuacanenſes, vbi tarantaquam vocare conſueuerunt, primum verò mecatlani, & ygualapæ, hoc eſt gummi illud nobile, quo Indi olim exercere ſolebant ludum batei ſpectatu mirum, quem curâ Corteſij videre aliquot ab hinc annis Hiſpani. Folia ſicca & leuigata dicuntur leones & alia animalia interficere.

CAPVT XXX.

De hoauhquilitl, ſeu olere ſeminis in criſtam compoſiti.

REperiuntur in hac Nouâ Hiſpaniâ plura atriplicis agreſtis genera, quę vniuerſim hoauhtli ſeu hoauhquilitl vocare Mexicenſes conſueuerunt, & in hortis ſuis atque viridarijs magnâ curâ ſerere atque excolere; qualia ſunt tlapalhoaquilitl, ſeu tlapalhoauhtli, radice craſſâ, breui, & fibratâ, vnde prodeunt caules rubri, & in eis folia eiuſdem coloris oblonga, & ſerrata per interualla, quæ elixa eduntur, ſuntque adeò grati ſaporis, vt cùm graui quadam ægritudine, inquit Franciſcus Hernandus, Mexici laborarem, nihil cupidius ac id olus aſſumpſerim, aut decoctos conditoſq; cum oleo & aceto eius cauliculos, floribus rubris, & in conos compoſitis. Præterea nexhoauhtli, viridis tota eduliſque, & chichichoauhtli, quæ ob amaritudinem locum non habet inter olera, folijs è viridi purpuraſcentibus & coccineis floribus, & alia permulta, quorum nec vſus eſt, nec rationem vllam habendam duxi, pro olere magnâ ex parte eduntur, elixâ, frigidâ & humenti naturâ conſtant, aluum emolliunt. Semen cum aquâ multâ epotum Regium morbum ſanat, & vocatos morbillos ad cutem pulſo humore curat. Parant Mexicani è duorum primorum generum ſemine globulos ac potionem michihoauatolli vocatam, quibus vtuntur velut gratiſſimo cibo. Folia tuſa, & hoilanqui permixta inſperſaque, dicuntur vlcera extergere, carnem generare, exedereque ſuperexcreſcentem, & cicatricem tandem obducere: quin ranam eiſdem inuolutam, coctam atque ingeſtam, prodeſſe dyſentericis ferunt. Naſcuntur calidis ac frigidis locis, campeſtribus & humectis ſuâ ſponte, & in hortis ſatæ ac cultæ.

CAPVT XXXI.

De nanacatl, ſeu fungorum genere.

TOt tamq; varia offenduntur apud nouos Hiſpanos fungorum genera, vt permoleſtum eſſet ſingula deſcribere. Quamobrem pauca ſingillatim attingemus, ad hiſtoriam rerum naturalium noui orbis exornandam. Ergo ſunt quidam è fungis apud eam gentem natis lethales mortiferique, citlalnanacame vocati: alij qui mortem ingeſti non inferant, ſed amentiam aliquamdiu permanentem incondito quodam riſu teſtatam inducant, quos teyhuniti vocant, fului,

fului,acres, & non ingrati cuiusdam viroris. Sunt & alij, qui citra risum nihil non versari sub oculos cogant, velut bella & dæmonum simulacra. Atque alij non minùs ab Indis Principibus, per sua præcipuè festa & conuiuia exoptati,& pretio maximo,& peruigili curâ conquisiti,quàm immanes atque horrendi,quod genus fuscum est,& quadam acrimoniâ præditum. Sunt demum alij edules, frigenti naturâ, nulliusque insignis saporis participes, odorísve, quos yztacnanacame vocare consueuerunt. Varius omnium color. Nonnulli candent,pallent alij,alij rubrescunt:quidam sunt fusci,pulli,nigrantes, varij ac virescentes, totque distincti coloribus, quot nullus artifex, etsi industrius ac diligens,præstare possit. Nec colore tantùm ac viribus differunt, sed magnitudine quoque & formâ. Sunt enim parui,magni,mediocres, oui figurâ,orbiculares, peltam imitantes amazonicam. Figurâ lati, ac multis alijs figuris. Quid igitur facerem in tantâ naturæ lasciuientis vbertate? quatuor tantùm leuiter significabo, edules scilicet, coloris candentis,& qui ex vnico caule multiplices prodeant,& cautibus magnâ ex parte innatos, vocatosque à calore yztacnanacame, seu candentes fungos. Rubros, quos tlapalnanacame vocant,luteosque chimalnanacame dictos, quique innoxij sunt, & in ciborum vsum veniunt; ac demum eos, qui quoniam inebriare solent,teyhuinti nomine nuncupati sunt, & è fuluo in fuscum vergant colorem, risum inopportunum concitent, imaginemque citra risum inebriantium possint exhibere.

CAPVT XXXII.

De ytzcuinpatli, seu canis interfectore.

YTzcuinpatli, quam alij quimichipatli vocant, Hispani verò hordeolum, caulem fundit tres dodrantes prolixum, ac minimum digitum crassum, cui hærent granula hordeaceis similia, spicatim composita, vnde nomen. Folia longa, & angusta, lineisque secundùm longitudinem procurrentibus insignia. Semen vermes extinguit vlceribus quorumuis animalium carnibus ingeneratos, si tundatur,& redigatur in puluerem,vlcera putrida & mali moris egregiè curat,carnem superexcrescentem absumit, piscem inspersum necat, muresq; aliquos, & carnibus permixtum canes, vnde vsurpauit nomen. Quin si puluis idem aquæ commisceatur, linteolumque eo humore madens articulis dolentibus applicetur, mirum præstat auxilium. Eadem aquâ vlcera oris sanantur colluta,pediculi necantur, grauis anhelitus emendatur, & ius decocti spicarum, adiecto alumine,firmat magnopere dentes. Est & aliud genus nascens apud Michuacenses,apud quos tunichoethzemo dicitur, eisdem viribus,sed radice cæpis fibratis persimili. Est & tertium apud eosdem,folijs angustioribus,orbiculari radice, sapore ferè nullo, ac cetera simile. Nascitur in regionibus frigidis.

CAPVT XXXIII.

De totoneà xoxocoyollin, seu xoxocoyollin calido.

TOtonea xoxocoyollin,quam nonnulli atehuapatli vocant, seu medicinâ iuxta riuos prouenientem, radicem fert rotundam,candidam, ac totam ferè capillis inuolutam,ex quâ stipes vnicus prodit coccineus, cauus, raris folijs, rubrescentibus ac vitigineis refertus, nec palmitibus quibusdam rubrescentidus dissimiles. Flores rubri & orbiculares, è pediculis longis dependentes: semen verò exile, & quod eluto colore in coccineum vergat inclusum vasculis trigonis papilionum ferè formâ, in eamque figuram compositis, ac si rubrescenti ac orbiculari membranæ circulum alterum concolorem eiusdemque materiei, ita vt angulos rectos efficiant, inserueris. Amarum saporem radix præ se fert,& nonnullum acorem, tertij ferè ordinis calorem nacta. Eadem tusa, & infusa è liquore aliquo, eidem rei perutili,expurgat intestina, semen retentum pellit, inflammatis oculis confert, & vrinâ elicit, intrà verò sumpta sesquidrachmæ mensurâ, humores omnes per inferna detrahit. Prouenit montanis saxosisque locis regionum temperatarum, qualis est Mexicana & Tetzcoquensis, quamobrem non desunt qui texoxocoyollin vocent.

CAPVT XXXIV.

De tlatlauhcapatli secundâ.

SPecies est hieranei, sed raphani radice ex rubro candescente, vitigineis folijs, flosculis coccineis, ac rostris ciconiæ similibus. Frigidâ siccaque & adstringenti naturâ constat radix,cuius est præcipuus in medicinâ vsus,& acido aliquantulùm sapore. Medetur dysenterijs, alijsque fluxibus oculorum, inflammationi, hæmorrhoidibus, satietati. Denique medicamentis omnibus, quæ simul refrigerant & adstringunt, aptè cõmiscetur,& laxitati cuiuis fert opem. Febres refrigerat, & calori nimio præcipuè cum humore coniuncto aduersatur: firmat

dentes, gingiuas comprimit ac roborat, trahit pituitam, sedatque dolores, si aquâ, cui intrita sit, locus colluatur: tumores præter naturam maturat & rumpit, conceptionem procurat, vlceribusque oris, & quibusuis alijs medetur. Duæ sunt eius species radicis, altera verò magis in rubrum vergit, cùm vtraque rubrescat, sed eisdem viribus. Sunt qui asserant, cum chilli tussi conferre, & vrinas elicere, bilem verò per se expurgare; quod nisi compressione contingat, qui fieri possit, non video, cùm viribus constet valdè adstringentibus. Nascitur in frigidis ac calidis regionibus, qualis est Mexicensis, & Quauhnahuacensibus montanis ac campestribus locis; nec desunt qui tlayapato vocent.

CAPVT XXXV.

De apitzalpatli tzontololotli.

APitzalpatli tzontololotli, seu medicamentum adstringens, capillos habens rotundos, quam Malinalcenses, apud quos nascitur, quoniam glutinosa est, cacaltzin vocant, radices surculosas fundit, & ex eis caules tenues & hirsutos, teretesque, folia numerosa serrata, obrotunda, vnde nomen, & balloti similia, sed tamen maiora, aspera, hirsuta, atque cinerea; flores pallentes in extremis caulibus, chrysanthemo similes, mediocres, ac multos aceruatim congestos. Radix est gustu odora aliquantulùm, acris, calidæque ac siccæ ordine ferè tertio temperiei, glutinosa, nec omnino expers amaritudinis, ac sapore aliquantulùm resinoso. Radix in farinam redacta, ac terebinthinæ permixta, admotaque, genuum frigus pellit, ac sedat dolorem; &, si imbecilla ob nimium laborem sint, corroborat atque confirmat. Ius verò decoctæ firmat dentes, adstringit gingiuas, opitulatur dysentericis, vteri ac renum laxitati, perfractis & passis lassitudinem. Mexicani Reges ac viri primarij intrò sumere quondam consueuerant cortices leuigatos, ex aquâ semuncię mensurâ à ludo batei, quod nos vocamus pilæ, vt à morbis qui vehementes lassitudines sequi solent, sese tuerentur. Prouenit autem in collibus regionum calidarum.

CAPVT XXXVI.

De axixpatli ocymoide, seu medicamento euocante vrinam, ocymi folijs constante.

RAdices fundit axixpatli ocymoides tenues & candidas, caules exiles, teretes ac fuluos: folia ocymi, vnde cognomen, sed minora, & aliquantulùm vndulata. Florem purpureũ & exilem, circa singulos foliorum exortus. Semen initio album, posteà nigrũ, modicumque & oblongis vasculis contentum. Radix, cuius est præcipuus in medicinâ vsus, nullũ insignem saporem præ se fert, aut nonnihil dulcem & saliuosum, frigefaciẽtiq; & humidâ naturâ constat. Eadẽ drachmæ vnius mensura epota ex aperienti quopiam liquore, aut ex aquâ fontanâ, vrinam ciet, renes emundat, extinguitque renum & vesicæ ardorem: cacaoatl verò permixta, aluum leuiter soluit. Nascitur in collibus aut montium verrucis.

CAPVT XXXVII.

De axixpatli coztic, seu pallidâ.

AXixpatlicoztic, quam alij amamaxtla, oxylapatli lacustris est species, quãuis sint qui axixapatli coztic ab amamaxtlâ distinguãt. Radix, quę surculosa est, admodum pallescit, vnde nomen habet, & ab illâ rhabarbari vocati Monachorũ non est formâ, colore & expurgantibus viribus dissimilis, quamuis tenuior, & surculosa. Vrinã egregiè euocat, trita ac sumpta bilem purgat. Additum huius radicis puluerem æquis portionibus lichenis equini, stercoris canis & muris, putaminumque ouorum, à quibus pulli sint extracti, demptis tamen mẽbranulis, certum est lapidem renum aut vesicæ mirè frangere, & fractum è corpore pellere. Nascitur regionibus temperatis & frigidis iuxta lentas & stagnantes aquas.

CAPVT XXXVIII.

De axixtlacotl, seu virgâ diureticâ.

AXixtlacotl, quã alij quapopoltzin, alij verò yztacxihuitl vocant, caules mittit tenues, teretes, & purpureos, è radice fibratâ hellebori albi proximæ, & in eis folia anclusæ similia, minora tamen, serrata, mollia, exilia, hirsuta, & insignia interuenijs secundùm longitudinem procedentibus, flores per vniuersos ferè ramos exiles ex albo pallescentes, & velut coaceruatos, odoros, acrisque saporis. Radix, cuius est præcipuus vsus, gustu est odora, tenuium partium, calidæ & siccæ secundo ordine temperiei. Radices tusæ, & applicatæ trium drachmarum pondere, vrinam mirè euocant, epotæ verò eius extergunt meatus; colico affectu laborantibus subueniunt, faciei maculas emundant, scabiem capitum puerorũ & vniuersi quoque corporis curant; febres euocato sudore finiunt, minuunt splenem, sedãt dolorem, flatũ cum coltol & chichicxihuitl discutiunt, satie-

satietati medentur, ac dissipant præter naturam tumores. Et quamquam hæc ita se habeant, ab euocando solùm vrinam nomen ei imposuere, aut quia ea est præcipua ac præexcellentior eius dos, aut quia quidam ex Indis Medicis, qui vnam tantùm aut alteram facultatem singularum herbarum sibi cognitarum norunt, & eam per manus traditam, velut hereditario iure à maioribus adeoque à parentibus ipsis etiam Medicis acceperunt, vrinæ solummodò ciendæ ferebant auxiliari, & nomine ipso expressere; quæ omnia de reliquis etiam plantis simul dicta esse volo.

Alia eodem nomine planta est apud Quauhnahuacenses, caule quadrato, folijs saluiæ crenatis, amaro sapore, purpureis floribus circa postremos caules in spicarũ morem compositis, calidioris ac siccioris temperiei, quam similitet aiunt febribus euocato sudore auxiliari, montosisque locis prouenire, & ab hac quam descripsimus viribus parum differre. Prouenit descripta apud Mexicenses montosis etiam saxosisq; locis.

CAPVT XXXIX.

De apancholoâ, seu herbâ lymphis insilienti.

RAdices fundit apancholoa fibris persimiles, albas, tenues, & aliquantulùm capillatas, è quibus oriuntur stipites quatuor circiter dodrantes longi, exiles, teretes, purpurei atque lignosi, folijs per interualla oblongis salignísve referti: flores item purpurei, candentésve, prolixi, ac rari vniuerso ferè caulium procursu. Frigidâ siccaq; & adstringenti naturâ constat, quamobrem oris vstionem aut vlcera curat; aqua verò, in quâ tusæ radices aliquamdiu maduerint, transfusa per colum, atque potata, fluxum alui, sed præcipuè puerorũ coërcet, & vtero gerentium abortum cohibet, efficaciùs tamen plantæ, vocatæ ab eadem gente cozticpotoneaxochitl permixta, simulque intrita & macerata, quin & alia permulta præstat auxilia, quę ad prædictam temperiem videntur attinere. Prouenit campestribus locis regionum temperatarum, qualis est Tetzcocana, vdisque & irriguis locis, à quibus habet nomen.

CAPVT XL.

De acxoyatic primâ, seu herbâ simili abieti.

RAdicem profert acxoyatic pyro paruo formâ & magnitudine persimilem, ex quâ fundit caules tenues, teretes & virides, & in eis folia tenuia, angusta, & longa, pænè teretia, & lini quadamtenus similia, ac per interualla sena septenáve, & flores iuxta singulos foliorum aceruos longiusculos, coccineos, & paruis quibusdam vasculis contentos, è quibus acini generantur cicerũm magnitudine semine referti, sapore & odore ferè nullo, frigidaq; & humidâ temperie. Radix in farinâ redacta, sumptaq; opportunè è frigido quopiam liquore, febres soluit. inebriare quoq; dicitur. Nascitur circa montes Chiauhtlæ tetzcocanæ temperatis locis, aut paulò frigidioribus atque humentibus.

CAPVT XLI.

De acxoyatic secundâ.

ACxoyatic secunda, quam alij vocant tlachpahuaztic, seu scopas, alij verò tlaltocol seu humilem ac vndulatam, ob contortam radicis formam, & alij ob exilitatem pipitzahoac aut yztacpatli pipitzahoac, parua est herba, radicem fundens gracilem, triplo tamen ipso caule crassiorem contortamque seu conuolutam, atque candentem; ex quâ prodeunt cauliculi spithamam longi, tenuesque, terni aut quaterni; & in eis folia abiegnis similia, vnde præcipuum eius nomen. Flores in supremis caulibus in spicas compositi, parui & exiles, qui principio candentes, in semen demum mutantur fusci coloris. Radix, cuius est præcipuus in medicinâ vsus, paululùm acrem præfert saporem, odorem nullum, estque calidæ & siccæ ordine tertio temperiei. Eadem contusa mediocriter, & è liquore aliquo congruenti curando affectui, matutino tempore, atque inani ventriculo, sex obolorum pondere sumpta, humores omnes, sed maximè pituitam atque bilim, tum per superna tum etiam per inferna citra vllam molestiam aut noxam vacuare solet, atque ita hydropicis, cachecticis, asthmaticis, motu impeditis, corpus dolentibus, tineamq; patientibus, magnopere dicitur conferre. Potest autẽ, siue febriat æger, siue febre vacet, virens radix vel arida, tutiùs tamen arens, paulò minori pondere exhiberi, dum tamen vitiati succi redundent quos vacuare opus sit, & cibo, quâ die sumitur, ad meridiem vsque parcatur. Eadem tusa resoluta ex lotio humano, & instillata, morbis oculorum medetur, ac discutit argemata. Clementi cælo prouenit, aut paulò rigidiore, quale est Mexicanum.

CAPVT XLII.

De ahoaton, siue quercu paruâ.

AHoaton, siue quercus parua, quam alij tlalcapolin, seu capolin humilem vocant, herba est, fundens stipites rubrescentes è radice longâ & fibratâ, fuluâ, ac mediocris crassitudinis, & in eis folia origani serrata chamædryósve aut ilicis, minora tamen, vnde nomen habuit, quæ infernâ parte dilutiore virore nitent, supernâ verò exsaturatiore: flores coccineos, paruos & longiusculos, acinos primò virides, mox rubros, & demum nigri coloris, nucleos fuluos continentes. Radix sapore est adstringēti & aliquantulùm amaro, non sine quadam dulcedine: odore nullo, frigidaq; & exsiccante naturâ, quæ si vnciarum trium mensurâ coquatur è tribus libris aquæ fontanæ ad tertias, & ius decocti potandum propinetur vice potus, enixas corroborat, dysenterias compescit, laxata renum ossa confirmat, & acoporum medicamentorum more labores sedat eorum qui ex longo itinere, cursu, luctâ, aut quauis aliâ simili occasione delassati sunt. Temperatas amat regiones, qualis est Tenuhetitlanica, frigidásve, & saxosa loca atque montosa.

CAPVT XLIII.

De ahoapatli secundâ, seu querneâ medicinâ.

HErba est ahoapatli quatuor spithamas longa, & surculosis innixa radicibus, è quibus prodeunt caules teretes, leues, cinereique, & in eis folia vrticæ aut quernea, vnde vsurpauit nomen. Flores sunt candidi, in pappos abeuntes. Radix, cuius est præcipuus in medicinâ vsus, acris est, odora, calidaq; & sicca ordine ferè tertio. Aluum cohibet, vrinam euocat, refrigerata calefacit, flatum discutit, dolores lenit, ventriculum ac cerebrum firmat, & alia præstat auxilia quæ cinnamomo tribui solent.

CAPVT XLIV.

De tonalxochitl Ocoitucensi, quam alij tonacaxochitl seu florem cum Sole prouenientem vocant.

HErba est tonalxochitl Ocoitucensis, è surculosâ radice caules mittens volubiles, & in eis folia ocymi, sed longiora, & minimè serrata, ac per interualla duorum palmorum. Flores magnos, longos, intus luteos, extrà nonnihil candescētes, ac circa labia quæ fissa sunt, purpureos. Flores, capparos vocatos olent, ac dulci sapore constant. Temperies est mediocris, aut in frigus paululū inclinans: quamobrem pugilli mensurâ ex aquâ hordeaceâ cichoriíve epota, extinguit febres, & erysipelatis confert admota; humidâ enim quoque est & glutinosâ naturâ. Nascitur quibusque regionibus ac locis montosis, amplexa arbores; etsi culturâ ad campestria hortensiaque soleat interdum descendere. Est & alia tonalxochitl, quā iztac tonalxocitl vocant à florum candicante colore, in hoc dumtaxat à præcedenti diuersa, cùm facultate ac ceterâ formâ ei sit omnino similis.

CAPVT XLV.

De tonalxihuitl, quā alij netzahualxochitl, alij verò axochiatl, alij terchpaoaztli, seu hueitalchapaoaztli, & tonalaxochiatl vocant.

RAdicem raphani fibratā fundit tonalxihuitl, & ex eâ caules aliquantulùm purpureos. Folia salignis proxima: florem oblongum, & luteum, & in vasculis longiusculis semen. Radix est sub dulcis, glutinosaque naturâ, ac frigefacientis humectantisq; temperiei. Folia resoluta ex aquâ, epotaque pugilli mensurâ, aut corpori illita, febrem dicuntur extinguere, mederi lassitudini, doloribus è morbo Gallico prouenientibus præter naturam tumoribus, qui crura capútve ob malum habitum obsederint; asthmati item sumpta, strumisque apposita, diarrhœis, vstionibus, vlceribus internis atque externis: renum ardorem mitigare, & corpora fulmine contacta fouere. Temperatis prouenit plagis, qualis est Mexicana, aut paulò frigidioribus, qnalis est Amaquemequensis. Quibusuis in locis assurgit cum primis aquis, & floret cum postremis, vnde vocata est axochiatl seu flos aquæ.

CAPVT XLVI.

De totonilizpatli, seu febrium medicinâ.

HErbula est radicibus innixa capillis similibus, vnde folia mittit sinuosa longaque, & quadamtenus filicis similia, cuius est fortassis species: caule, flore & fructu caret. Folia tusa, resoluta, & ex aquâ sumpta febres extinguunt, additis pręcipuè miahuapatli & yxicahuiycalispatli. Nascitur saxosis in locis iuxta aquas.

CA-

CAPVT XLVII.

De atlichipincâ, seu aquæ guttâ.

HErba est atlichipinca paruula, caulem fundens breuem, tenuem ac tenerum, è radicibus similibus capillis, & in eo solani folia piperisve, neruis secundùm longitudinem procedentibus, molliora tamen & magis acuminata: sapore & odore insigni caret, frigidaque & humenti constat naturâ. Propinatur vnciæ vnius mensurâ, ex aquâ fontanâ buglossive, aduersus cordis affectus, quos vehementi ardore laborantes pati solent; sedat enim calorem, arcet animi deliquium, omnemq; angustiam & anxietatem fugat. Prouenit in calidis Pahuatlanensibus circa loca humentia, amplexa cautes.

CAPVT XLVIII.

De achiotl, seu medicinâ tingendo aptâ.

AChiotl, quam Michuacanenses chacangariqua, & interdum quoque pamacua nuncupant, arbor est magnitudine, stipite, atque omni prorsus formâ mali medicæ, foliis vlmeis figurâ, asperitate & virore similibus, colore extrinseco corticis trunci & ramorum fuluo, intrinseco verò in viridem magis inclinante, & ligno ipso aculeato & candenti, floribus magnis, stellatis, quinûm foliorum & ex albo rubrescentibus, & fructu herinaceis simili, amygdalarū viridium paruarumque formâ & magnitudine, quatuor modicis distincta angulis, qui secundùm longitudinem discurrunt. Hi cùm maturi sunt dehiscunt, ostenduntque intra cauitatem grana quædam acinis vuarum similia, admodum rubrescentia, frigida ordine tertio, ac nonnullam siccitatem adstrictionemque participantia. Regionibus prouenit calidis, locis potiùs siccis quàm humidis. Indi maximi ęstimant hanc arborem, atque ideò eam iuxta domicilia serere consueuerunt. Folia fert toto anno, ac fructum vere edit, quo etiam tempore colligi solet. Materies vtilis est igni velut è silice excitando, si lignum ligno fricetur. Cortex verò funibus texendis, qui sunt cannabinis firmiores: ac semen pictoribus coccineo colori exprimendo, innatans liquori æquè frigido. Nec minùs vtile medicis: extinguit enim, epotus aut admotus, febrientium incendia, opitulatur dysentericis, repellitque tumores præter naturam, quo fit vt epithematis frigorificis potionibus, vocatis iulapijs, & quibusuis infrigidantibus cibarijs & medicamentis misceri perquam accōmodè possit. Additur semen cacaoatl refrigerij gratiâ, commendandique coloris atque saporis. Dentiū dolores à causâ calidâ ortos leuat, corroborat, euocat vrinam, sitim extinguit, atque croci apud aliquas gentes gerit vicem. Excipiunt parando pigmento grana iam matura, atque in ea lentem aquam proijciunt, agitantque continenter eodem semper modo, donec totus pęnè color aquâ hęreat, permittunt demum subsidere, ac in placentulas efformant eodem pænè modo quo solet anil seu mohuitli parari ex xiuhquilitl, vt cùm opus sit, in vsus euocetur. Est verò adeò tenax hoc pigmenti genus, vt semel illitum, vix, etsi vehementer extergas, possit deleri; vrinæ autem permixtum, sit indelebile. Adstringit nonnihil, ideòque cum resinâ permixtum medetur scabiei atque vlceribus, ventriculum corroborat, fluxum alui cohibet, lac auget, permixtum crustis cacaoatl, quem reddit innoxium, quacumque mensurâ bibatur; eius siquidem gratiâ facilè ac citra satietatis incommodum solet concoqui. Prouenit in calidis plagis, qualis est Hoitzocensis.

CAPVT XLIX.

De acaxaxan, seu plantâ palustri & lentâ, quæque statim comprimentibus cedat digitis.

HErba est acaxaxan, quam alij tochnacaztli, seu dasypodis auriculam à foliorum similitudine vocant, iuxta riuos ac lacus prouenien̄s, radice longâ, & circa geniculos fibratâ, caule gramineo aut arundinaceo, & eodem modo geniculis internodijsq; distincto, ac folijs similibus potamogeto, cuius videtur species, postremò rubrescentibus, floreque coccineo & paruo. Duas huius plantæ reperias differentias, viribus formaque persimiles, quarum vtraque frigescenti humentique naturâ constat. Febres sedat, scabiem & dysenterias curat, animi deliquio subuenit, pellit vanos timores, & languenti cordi opitulatur. Prouenit temperatis regionibus, aut aliquantò calidioribus, qualis est Mexicana, iuxta palustria & aquosa loca.

CAPVT L.

De acaxilotic, seu maizij culmo, aut arundine.

ACaxilotic, quam alij cecochitl seu florem vnicum, alij nextamalxochitl, seu florem frumenti Indici tlaollicâ decocti, alij

alij teuhxochitl, ſeu florem Principis, ac demum alij eloxochitl, ſeu florem eloti, nuncupare ſolent (vocant autem Mexicani eloten, ſpicam illam ſeu baſim prædicti frumenti, quam vndique aceruatim conſtipant grana) radicem fundit, longam craſſiuſculam ac ſenſim graciIeſcentem fibratamque aut ſurculoſam, ex quâ multi prodeunt ſtipites, recti, teretes, tenues, & in fuluum vergentes colorem (præcipuè iuxta exortum foliorũ) quæ yyauhtlinis polygonóve ſimilia ſunt, maiora tamen, ordine circa caulem vtrimque diſpoſita, raphanum olentia, & flores per extremas partes caulium ternis velut coronis ambientes, cyaneos, oblongos, & circa vltima labra crinatos. Sapor eſt paululùm amarus, odor ferè nullus, ac vires calorificæ & ſaliuoſæ. Febres interpellatas illita aut pota ſedat trium drachmarũ pondere, ventris necat tineas, bilemque egregiè purgat. Solet autem miſceri æquis portionibus tlapalazpatli, cicimatic, pitzahoac, tlalcacahoatl, eloxochitl; & omnium pariter contuſarum duæ ſextulæ ex aquâ ſumi ad nimias menſium aluique fluxiones coërcendas. Prouenit temperatis ac planis locis, velut apud Xochimilcenſes, qui dicunt, tumoribus præter naturam non ſine maximâ vtilitate applicari, aut his qui febri ardenti aut ſinocho correpti, punctis toto corpore inficiuntur, pulſis fortaſſis per cutem humoribus, tabeſcentes impinguare, & appoſitam capiti deſipientibus conferre.

CAPVT LI.

De chicomatatl, ſeu ſextuplici arundine.

VOlubilis planta eſt, quæ, licet hominis magnitudinem aut femoris craſſitudinem vix ſuperet, tamen ſi arborem quampiam excelſam proximè nanciſcatur, illam amplexa in ſummum cacumen conſcendit. Stipitem profert fuſcum, virentes ramos, folia mali medicæ, ſed maiora, florem album, exiguum, ac fructum nullum: ſapore & odore inſigni caret, frigefacientique & lubricâ conſtat naturâ. Florum eius aqua ſtillatitia inflammationibus narium, oris & oculorum ſolet auxiliari. Folia ſumuntur ſemunciæ pondere aduerſus dyſenterias, laſſitudines ac caſus, & ſanguinis vomitiones; tumores repellunt, & coërcent, ictis locis applicata ſuccurrunt plagis, ac febres ſedant. Prouenit temperatis & frigidis regionibus, montoſis planiſque locis, velut Quauhchinanci, Quauhtepeci, & Totolapæ.

CAPVT LII.

De yztachicomacatl, ſeu chicomacatl alba.

RAdice firmatur yztacchicomacatl craſſâ, fibratâ, & longâ, ex quâ profert ſtipites, & in eis folia plantaginis minora, neruis in obliquum procedentibus diſtincta, ac flores candentes. Propinatur radix, redacta in farinam, ictis, aut his qui ab excelſo quopiam loco ceciderunt, haud aliter ac puluis ille, cui à caſu contra quem valet, eſt inditum nomen ab officinis. Prouenit in faucibus montium calidarum regionum.

CAPVT LIII.

De acuitzehuariracuâ, ſeu herbâ aduerſâ venenis.

HAnc plantã Mechuacenſes, apud quos naſcitur, acuichehuariraquam, ſeu huichoquachaquam; Mexicani verò à frigidâ temperie, & radicis candore, chipaoacyztic, atque alij ab ipsâ facultate, venenorum hoſtem aut antidotum vocare ſolent. Radice conſtet obrotundâ, malo cotoneo paruo ſimili, ſed candido intus colore, extrà verò fulueſcente, ex quâ mittit caules rotundos ſeſquidodrantem longos, teneroſque, & in eorum ſupremâ parte flores paruos ex candido rubreſcentes, & coaceruatos in orbiculos; folia verò rumicis ab ipsâ ſtatim radice prodeuntia. Radix ipſa eſt præcipui vſus in medicinâ: æquali aut paulò frigidiore & humidiore naturâ conſtat, ac ſapore grato & dulci. Succus eius, ſtillatitiúſve liquor epotus qualibet menſurâ, febrium ardorem ſedat, cor roborat, venenatarum potionum ictuumque promptiſſimum tutiſſimumque eſt remedium, & maximè ſcorpionum, alexiterij & alexipharmaci præſtantiſſimi vicem ſubit, præſertim ſi radix quoque ipſa tuſa malagmatis aut emplaſtri formâ imponatur. Renum ardorem extinguit, tumores faucium, ac pectoris dolores ſedat, vrinæ obtundit acrimoniam, excitat appetentiam, & mirâ quadam & occultâ proprietate morborum omnium, quocumque modo eâ vtare, remedium eſt. Audio alteram huius herbæ ſpeciem naſci apud Michuacanenſes, baccaris folijs. Regionibus quibuſque temperatis prouenit, aut paulò calidioribus, humectis ac planis locis. Poſſet facilè deportari in Hiſpaniam, & eo cælo viuere, præcipuè ſi in calidiora loca transferatur,

feratur, quippe quæ adeò fit viuax, vt reposita vbiuis caulescat, stipitesque, nullâ humoris vi adstipulante, consuescat sponte suâ proferre.

CAPVT LIV.

De ayaquicueramo, seu ligno picto.

AYaquicueramo, quam Mexicani, apud quos etiã nascitur, tlacuilol quahuitl, seu arborem pictam, alij verò ocelolquahuitl, seu tigridis arborem vocant, in calidis Michuacanensis prouinciæ regionibus copiosè prouenire solet. Arbor est magna, comataque folijs vlmeis tam gracilioribus, discolore materie, & quæ, præterquam quòd in aquas coniecta statim mergitur, & ima petit, operibus intestinis & torno interpellandis aptissima est, longeque grato odore, & aspectu. oleum inde stillat styracem olens, seu suauem vaporem edens, ad omnia remediorum genera, quibus styrax congruit, perquam accommodum.

CAPVT LV.

De atlatzon pillin, seu de aquosâ herbâ appensâ capillo.

QVem fruticem, ob loca iuxta quę nascitur, & pediculos foliorum quos similes capreolis hinc & inde effundit, atlatzon pillin vocant, alij atlatzonpillin xochitl, id est florem, atlatzonpillin vocare malunt. Duas reperies huius plantæ differentias, alteram à rubro colore rubram, alteram à paulò albidiore appellare licet candidam. Radicem vtraque crassam, rubrescentem, ac fibris refertam fundit, caules lentos, refertos molli medullâ ficulneis proximos, teretes, quatuor cubitos longos, & minimi digiti crassitudine. vitis viniferæ folia in procursu caulis hirsuta ac rara, florem rubrum, & oblongum, è quo fructus generatur ternis capitulis triangulis constans, corallorum instar rubrescentibus, cibo idoneis, ac plenis nigro semine. Frigida primo ordine videtur, humidaque & saliuosâ naturâ, & ideò aqua farina radicis stipitisue aliquamdiu infusa, loco fontanæ aut fluuialis epota ab his qui fluxum ventris patiuntur, aut quemuis alium à causâ calidâ ortum morbum, breuì curat. Vrinæ ardori & retentioni medetur, nec non & oculorum inflammationibus. Temperato aut paulò calidiore cælo gaudet, quale est Mexicanum, & Tetzcoquense, vliginosoq; & campestri solo. Augusto mense flores erumpunt, quibus cum fructu ac folijs decidentibus, in annuos vsus velli solet radix atque recondi.

CAPVT LVI.

De quaquauhtzontic, seu trunco secto.

QVaquauhtzontic, quã yztacpatli Hoitzocenses vocant, seu candidam medicinam, alij quaquauhton, seu truncum paruum, alij verò coatzontecomatl ob formam radicis rotundam, alij verò huehuelicaton, herba est radicis obrotundæ capillatæque, ex quâ profert caules cubitum ferè longos & teretes, folia pyri, vtraque ex parte caulis singula circa nodos orientia, fructum siliquastro vocato, dum adhuc viride est, persimilem, sed tamen spiniferum, & argenteâ refertum lanugine, ac semine albo contuso. Radix, quæ pepones sapit, subamara est, ac vim sortitur non sine partibus quibusdam calidis frigorificam. Succus radicis medetur oculis inflammatione laborantibus: eadem in læuorem redacta, potaque ex aquâ semunciæ pondere, quater quinquiésve furunculos toti corpori innascentes curat, tusa & apposita dolores antiquos capitis mirè sanat, febres mitigat, vrinæ calorem temperat, viarum eius vlcusculis mederi solet, & dolores ventris sedare. Nascitur campestribus locis feruentium regionum. Hanc esse eamdem cum plantâ capillatâ existimo, ætate tantùm differentem, aut illi formâ atque facultate parem.

CAPVT LVII.

De tletlemaczin, seu palâ manus igneâ.

RAdici innititur obrotundæ, & rubris fibris adauctæ, è quâ profert pediculos longos & fuluos, quibus appendẽt folia magna & sinuosa, florem magnum & rotundum externè nigrũ, ac internè candentem. Calefacit radix exsiccatque ordine quarto, vrentis est naturæ, amara, ac subtilibus partibus prædita: quo fit vt trita, atque inspersa vlceribus à Gallicâ lue profectis, maximo sit auxilio. Sumpta verò duarum drachmarum pondere delumbibus fert opem, medetur scabiei humoribus illum afficientibus per cutem euocatis, ac cuticulâ prorsus exutâ: maioremque calorem illitam, quàm esam, ferunt excitare. Nascitur in calidis Quauhnahuacensibus aquosis & humectis locis.

CAPVT LVIII.

De atzoyatl, seu herbâ grauis odoris.

RAdice atzoyatl firmatur magnâ, fibratâ & fuscâ, vnde prodeunt caules fruticis ferè amplitudine atque altitudine, longi, lenti, tenues & purpurei, in quibus conspiciuntur folia saligna, serrata tamen, aut, si mauis, yyauhtlina, sed longiora, cui, & pallentibus quibusdam flosculorum vmbellis in pappos demùm abeuntium est similis. Calidâ constat siccaque ordine secundo naturâ. Sapore initio graui, posteà verò nonnihil acri, atque odorato. Folia applicata tumores discutiunt, dolores articulorum podagrásve atque chiragras mirâ celeritate mitigant, ventris dolorem tollunt, crurium tumores discutiunt, vrinam atque sudores euocant: pectori apposita, lactis faciunt abundantiam: morbo Gallico egregiè medentur, & alia his similia ad calorem & siccitatem spectantia præstare solent, & tamen Mexicanæ mulieres, etiam eæ quas titici vocant, eâdem herbâ vtuntur aduersus calidas capitis puerorum eruptiones, aut quòd frigidas partes sortiatur, aut quòd discusso humore calenti atque dissipato videantur frigescere. Clementi gaudet cælo, quale est Mexicanum, & locis planis & aquosis micat.

CAPVT LIX.

De azpan, seu signo siue vexillo.

HErba est azpan duorum cubitorum altitudinis, radicibus fibrarum in modum, folijs amygdali serratis & paulò minoribus, caulibus tenuibus, è quorum postremis flagellis flores albi erumpunt, qui priùs quàm hient, similes semini coriani videntur, ac demum senescentes in pappos abeunt: à quibus flagellis flore onustis, & quadamtenus decumbentibus, inuenit apud indigenas nomen. Sapor est acris, vehemens odor, ac calefaciens & exsiccans ordine ferè quarto natura, quamobrem confricatam folijs faciem mirè dicitur extergere, lepras, tineas, lichenas, & varos, cum alijs cutis sordidis vitijs curare; cum calce verò & tliltzapotl viridi, impetigines. Alia præstat iuuamenta, quæ eiusmodi temperiei solent esse propria & peculiaria. Succus siue per se, siue permixtus alijs extergentibus medicamentis, eamdem fert opem. Temperatum solum amat, quale est Mexicanum & Icheateupense, & campestria loca. Est & alia herba azpantli dicta eâdem ferè nominis ratione, prædictæ similis, nisi folia ampliora essent, ac minimè serrata, eademque naturâ & facultate: quamobrem sunt qui eam veluti præcedenti congenerem azpan quoque vocant.

CAPVT LX.

De ayecocimatl, seu herbâ simili cimatl.

AD phaseolorum genera, quæ apud Nouam Hispaniam pænè innumera sunt, pertinere videtur ayecocimatl. Radicem verò fundit crassam, fibratam, & breuem, ex quâ oriuntur caules tenues, teretes, virides atque volubiles. Folia pyti mediocria, obrotunda, ololiuhqui haud dissimilia, & paululùm in cordis figuram inclinantia. Flores in postremis ramis coccinei, & in stellarum modum radiati, ex quibus fiunt siliquæ fabalibus reliquorúmve phaseolorum similes, includentes semina fabas ipsas imitantia. Venit eius plantæ radix apud Indos in nutrimenti vsum; ea est harum gentium voracitas atque rusticitas. Nam licet sapore non sit admodum ingrato, difficile tamen coquitur, duramque & fibratam præbet alimoniam. Frigidâ atque humenti naturâ constat, & odore ferè nullo. Succus eius oculis inflammatione laborantibus subuenit; radix verò cruda, aut ius decocti eius, ventriculum & intestina supra infraque vacuat. Nascitur in agris Mexicensibus omni ferè tempore, campestri vdoque solo, & floret decidentibus imbribus.

CAPVT LXI.

De chiantzotzolli, seu plantâ in humore intumescente.

RAdices fundit surculosas chiantzotzolli, & ex eis caules quadratos & sesquidodrantales: folia hederâ maiora: flores candentes exiles, vasculis oblongis contentos, in quibus demum semen generatur atque continetur, candens, planum, lentium formâ. Olet thymum nostratem, sed è vestigio odor languescit. Folia ac radices non omnino videntur expertia caloris, aut cuiusdam adstringentiæ & amaritudinis. Semen verò frigidum est aut caloris temperati, non sine quadam lubricitate, & saliuosâ naturâ, & quod sumi soleat tempore matutino ac postremo vespere, aduersus febres ac dysenterias,

terias, exterasque defluxiones, ex aquâ vnciæ vnius pondere, miro succeßu, dum tamen ventri bis aut ter applicetur emplastrum constans araneorum telis, oleo rosato, & aliquot infixis pariter ouis. Parantur ex eo, saccharo ac melle condito, atque interdum adiectis expurgatis amygdalis, melonumque, & aliarum plantarum seminibus, pergrata quædam genera bellariorum, potionumque refrigerantium, qualis est chiantzotzollatolli vocata, extinguendo febrili feruori aptissima, ac bonum gratumque præbens alimentum. Quin belli tempore maximi habebatur: quo si saccum plenum secum ferrent, nihil quod alendo corpori esset commodum sibi arbitrabantur deesse. Miscebant verò semen id, in farinam redactum, maizio torrefacto atque contrito, vt diutiùs integrum & immune à corruptione seruaretur: cumque exposcebat occasio, potionem parabant, cui interdum succum metl ignem expertum, vix melli nostrati cedentem, ac paululum siliquastri solebant adiungere. Vbique sata hæc planta prouenit, locis præcipuè cultis, irriguis & aquosis.

CAPVT LXII.

De acuilotl, seu plantâ volubili propè aquas proueniente.

PLantam hanc fruticémve vocant Mexicani acuilotl, quoniam humidis aquosisque locis nasci consueuit, repitque per terram, aut propinquis arboribus conuoluitur. Sunt verò illius duæ species, colore tantùm, flore ac nomine distantes, & foliorum amplitudine. Prior enim flores fert candidos, ac folia paulò minora, vocaturque aquilotl. Alteri verò flores pallescunt, & folia sunt maiora, diciturque coztic aquilotl à luteo colore florum. Caules vterque promit rotundos, purpureos, lignosos, fragiles, tenues, & lentâ farctos medullâ. Flores yzquixochitl candidos aut pallentes, nec absimiles odore & formâ floribus rosæ illius, quæ à recentioribus sub mosquetæ nomine Ericum fertur, cui hic frutex totus non omnino dissimilis est. Folia sunt rubi, sed circinata, nerueis discursibus rectà secundùm longitudinem discurrentibus, & odorem cucumeris ferè pr§ se ferentia. Flores in odoramenta & corollas veniunt, floridosque manipulos Indis passim consuetos ac familiares, è quibus ignis beneficio aqua stillatitia extrahitur, quæ valdè odora sit atque iucunda. Folia sunt amara, & tertio ferè ordine sicca & calentia: quamobrem sumpta pugilli mensurâ ex vino flatum discutiunt, tusaque & admota, contracta membra laxant, & tumores præter naturam discutiunt. Potest in Hispaniam, si adsit cura, transferri, temperato siquidem aut paulò frigidiore cælo exultare solet.

CAPVT LXIII.

De mohuitli, seu herbâ purpureâ.

HErba est radicibus innixa surculosis, è quibus profert caules duos dodrantes longos, sarmentosos, contortos, & teretes. Flores coccineos, longiusculos; folia solani, infernè subalbescentia, quæ gustata, cucumeris indistinctâ sapiunt similitudine. Frigidâ aut temperatâ naturâ constat, glutinosâque. Dysenterias ac nimium mẽstruorum fluxũ cohibet. Si aqua, vbi aliquamdiu trita maduerit quoties expediat hauriatur, scabiem curat, inficitque lanas purpureo colore. Nascitur in planis editisque locis Hoaxtepescensibus. Non est tamen in hac plantâ prætermittendum, vtrimque ab exortu foliorum prodire ramulos quosdam paruulos, siue appendices refertos foliolis alijs cupresso similibus, minoribus tamen & tenuioribus. Tales sunt naturæ lasciuientis lusus atque varietates.

CAPVT LXIV.

De axoquen ietl, seu picietl ardeæ.

FRutex est tenuium fibrisque similium radicum, è quibus proferuntur caules, & in eis folia maliperficæ, sed maiora, amaroque sapore prædita sunt, & odore iucundo, calidaque & siccâ iuxta secundum ordinem temperie. Ius decocti foliorum dicitur febres extinguere; quod quî fieri possit, non video, nisi intensiore calore emollito, & ad inferiorem gradum deducto sedatis rigoribus, aut aliunde causâ vacuatâ.

CA-

PETVM LATIFOLIVM.



PETVM ANGVSTIFOLIVM.



CAPVT LXV.

De Petum, seu picietl vel yetl herba.

HErba est yetl radici insistens breui, tenui & fibratæ, ex quâ fundit caules quinque pluresve dodrantes longos atque hirsutos, inconditos, striatos & leues: folia lata, oblonga, & personatæ quadamtenus similia. Flores hyosciami similes, eisq; decidétibus vascula hyosciami quoque æmula referta semine. Vocabant hanc plantam Haitini tabacum, (à quibus non ad Indos solos, sed ad Hispanos quoq; id defluxit nomen) eò quòd suffumigijs admisceretur, quæ tabacos etiam nuncupare consueuerunt. Sunt apud nostros, qui herbam sacram; nec desunt, qui nicotianam quoque vocent. Non est autem vnica huius plantæ species: reperias enim, & quauhyetl vocatam candidiore flosculo, caule rotundiore, ac folio leuiore & longiore. Ambæ sunt acri sapore, exsiccantis calidæq; ordine quarto temperiei. E quibus intelligas licet eorum errorem, qui arbitrantur frigidas esse plantas, & ad hyosciami differentias pertinentes. Nam tametsi nigranti hyosciamo formâ dispares haud sint, viribus tamen plusquam ex diametro pugnant. Quòd si soporem inducũt, non euenit ob frigus humorémve, quorum citra dubium sunt expertes, sed calore, excitatis nempe leuatisque in caput vaporibus qui somnum inducant. Iam facultates quotidiano cognitas experimento accipe. Folia siccari permissa, atque conuoluta, inclusaque arundinis cauis internodijs, aut papyraceo canali, alterâ parte incensâ, alterâ verò ori naribusque admota, atque excepto fumo obturatis ore & naribus, vt ad pectus vsque vapor inspiratus penetrare possit, pituitæ expuitionem mirè euocant, asthmati veluti per miraculũ auxiliantur, difficilemque halitum & inde ortam leniunt angustiam. Neque prædictis morbis inspiratus ille vapor quo diximus modo, tantùm remedio est, sed vterinis etiam affectibus impensè confert, ac præcipuè suffocationibus, quæ ob eius ascensum solent accidere. Admoto siquidem medicamento indicatum sibilo, cum dicto citiùs restituitur. Syncopis fugatur, & angustia, morsq; magnâ ex parte in morbidæ mulieris corpus iam admissa atque excepta amouetur: roboratur caput, somnus inducitur, sedatur dolor, ventriculus resumit vires, curatur grauedo, laborumque omnium casuumque sensus hebetatur, ac otium facultatis animalis (quod possis ebrietatem quamdam vocare) prorsus illabitur animo.

Quin

Quin folia ipſa virentia manibus oleo perunctis emollita,& velut marcida, concalfacta igne,& ori ventriculi dorſoque è regione applicata, ita tamen ne hepar attingatur, quod aliàs incenderent atque inflammarēt, coctionem iuuant, & ſatietati egregiè medentur. Eadem tumores lienis diſcutiunt appoſita,dolores à frigore ortos ſedant,vulnera canceroſa antiquaque extergunt, carnem creant, & cicatrice obducunt, ſi ſuccum foliorum mediocriter contuſorum vulneri inſtillaueris, ac mox arentium puluerem inſpergas, & demū folia ſuperponas,ex quibus ſuccum expreſſeris. Sanant eodem modo capiti inflictas plagas,dum tamen neque nerui neque oſſa aut læſa aut conuulſa ſint. Dolores dentium concalfacta ſedant, conuoluta, & loco dolenti aut dentibus pituitâ excauatis perforatiſve admota. Quin & foliorum puluis inſpiratus,tractuſque naribus, verbera & cuiuſuis generis ſupplicia vetat ſentiri.vires addit,auget animum,&ad labores tolerandos infractam vim : illi verò qui è cortice, quantum capiat putamen nucis, ſumpſerint,ita inebriantur,vt ſemimortui amenteſque extemplò iaceant; verùm qui eo auxilio frequentiùs quàm deceat vti aſſueſcunt, redduntur decolores, linguam geſtant ſqualidā, ac palpitans guttur, hepatis ardore afficiuntur, in cachexiamque & hydropem lapſi, mortem tandem obeunt. At qui eo pręſidio vtūtur moderatiùs,à multis alijs liberari ſolent incommodis. Nam præterquam quod morbo Gallico egregiè auxiliatur,venenatis ſagittarum ictibus mirè obſiſtit, ſi mox plaga infarciatur puluere, & ita permittatur manere, donec & puluis & venenū in claui cuiuſdam formam copulentur,& coëant.Hoc remedij genus deſumptū eſt ab Indis anthropophagis inſularum Haitinæ propinquarum accolis,qui cùm ab hoſtibus venenatis oppeterētur plagis, hac herbâ ſolâ ſibi cauentes reddebantur paſſim incolumes;cōfirmatumq; eſt teſtimonio inſulam D. Ioannis incolentiū,qui cùm aduerſus Indos illos bellum gererent, multiſque eiuſmodi afficerentur vulneribus, ſolo hoc antidoto,atque pręſtantiſſimo alexipharmaco extremum fatum effugère,quoties viſcera transfigi non contingebat. Quin articulares dolores ſedari, tumoreſq; eo ſolo auxilio diſcuti, apud Hiſpanos etiam conſtat experientiâ flatum diſcuti, & inueteratos rebelleſque diſſipari dolores. Pulicum etiam vitatur faſtidium, ſi iure decocti foliorum vniuerſa domus conſpergatur. Seritur vt lactuca,neque aliter,cùm expedit, transfertur & colitur,nullum,modò pingue & humectum ſit,ſolum reſpuens. Paratur ex eius folijs arefactis atque contritis decem partium menſurâ, & vnicâ calcis, medicamentum adeò ab Indis omnibus expetitum & venale, vt illo ferueant emporia. Venditur inuolutum folijs ſpicæ maizij, geſtatumque inter buccas & maxillas, ſuauem ſomnum ſenſuúmve & mentis tranquillam quietem inducit, & laborum omnium hebetat ſenſum, redditque homines ad quæuis corporis exercitia promptos atque agiles, & præcipuè ad iter agendum. Dolorem etiam dentium ac ventriculi leuat, præſtatque alia, quæ licet à nobis nominatim dicta non ſint, poſſunt ex prædictis facilè comprehendi : inter quæ illud vulgare non eſt, oleum, cui ſit infrixum,conciſum in tenuia fruſta,infuſum, colicis mederi,nec non ſuccum eius, & nucleorum liltzapotl vino permixtum, atque infuſum, quartanam arcere, ac reliquarum febrium frigora.

CAPVT LXVI.

De tlalyetl, ſeu yetl humili.

Radici innititur tlalyetl,quam cioapatli Tonallæ vocant,ſurculoſæ,& candenti, vnde prodeunt caules referti folijs ſubalbidis, oblongis,mollibus, ſerratis & hirſutis. Flos eſt in ſummis caulibus chamæmelo ſimilis, ſed circa ambitum bellis modo, cuius eſt ſpecies, purpuraſcens. Acris eſt radix, calefacienſque & exſiccans ordine tertio. Succus eius bibitus duarum vnciarum menſurâ, tuſſi magnopere confert, & enixis mirum in modum opitulatur. Naſcitur Xalatlauhci.

CAPVT LXVII.

De tlalyetl alterâ.

Radicibus innititur tlalyetl altèra,quam alij quaquauhtzontic,alij tonalxihuitl, alij micatlacotl & micaxihuitl vocant,fibris ſimilibus, vnde prodeunt caules tenues,teretes,ac virides,& in eis folia ſaligna,minora tamen, & non longè ab exortu veluti præcincta atque compreſſa, alijſque valdè paucis atque anguſtis ab eadem ferè parte,ternis aut quaternis prodeuntibus: flores verò aurei iuxta poſtremos caules, & exilia flagella chryſanthemo ſimiles, virentibus & obrotundis calycibus incluſi atque contenti.

CAPVT LXVIII.

De quapocyetl, ſeu tabaco ligneo.

Radicibus firmatur quapocyetl pollicaris craſſitudinis longis, ex albo rubreſcentibus, craſſo cortice veſtitis, & candentis

tis medullæ. Folia fert parua, squalentia, hirsuta, obtusa & mollia; flores luteos modicos. Radix dicitur repellere inflammationes; frigida enim est, siccaque & adstringens, etsi nonnihil videatur præ se ferre amaritudinem, & calorem. Nascitur Yztotolani.

CAPVT LXIX.

De amaquahuitl, seu arbore papyri.

ARbor est magna mali medicæ folijs flore, ac fructu candido in corymbos composito, sapore & odore ferè nullo, frigidaque & siccâ naturâ. Tepoztlanicis prouenit montibus, vbi frequenter interpolatur ex eâ papyrus, feruetque opificum turba, scribendo trahendisq; lineis non multùm apta, etsi non transmittat atramentum, inuolucris aptior, ac celebrandis deorum fastis, sacrisque conficiendis vestibus, ac funerarijs exornandis, apud hos Occiduos Indos perquam accommoda atque vtilissima. Rami crassiores secti ex arboribus, vt duret soboles, macerantur ex aquâ, ac per noctem permittuntur riuis aut fluminibus madescere. Posterâ die vellitur cortex, emundatusque à supernâ cuticulâ, lapide plano, sed quibusdã striato sulcis, inæqualique sude salignâ in orbem contortâ, manubrij vice comprehenso, multis ictibus concussus dilatatur. Cedit sequax illa materies. Mox secatur in schedas, quæ alio planiore lapide rursus verberatæ, facilè inter se iunguntur, læuiganturque, atque ita demum aptantur in plagulas, duos dodrantes longas, aut sesquidodrantem plus minus latas, papyrũ nostratem, quæ crassior ac vilior est, imitantes, sed densiores & candidiores, at longè tersiori nostræ cedentes. Scio nationes alias aliter atque aliter papyrum ex arborum corticibus parare. Sinas autem omnium tenuiorem, ac tersiorem, qualem nos domi seruamus, velut quondam è iunco; nunc verò vetus orbis ex lino redacto in farinam. Sed nobis tantùm sermo est de Mexicanâ.

CAPVT LXX.

De amacoztic, seu papyro luteâ.

AMacoztic, quam alij texcalamatl seu saxorum papyrum, alij tepeamatl vocant, arbor est magna, folia ampla ferès, obrotunda, pinguia, purpurascentia, hederæ ac cordis ferè figurâ; corticem alterâ parte pallescentem ex viridi, & alterâ fuluum, in ipsis verò stipitibus, qui ficulnei sunt, & leues in modum sycomori; fructum ficubus paruis similem, purpurascẽtem, semine minuto ac fuluo refertum. Adhæret saxis non mediocriter spectando miraculo. Folia sunt saporis & odoris insignis expertia, frigefacientis naturæ atque humectantis. Ius decocti radicum linguam febrientium humectat, pectoris doloribus confert, pituitam & bilem nondum excusso lacte supra infraq; purgat, si vnciæ tres totidem aquæ libris ad vsque medietatis consumptionẽ incoquantur. Lac eius medetur vlceribus labiorum ceterisque inueteratis. Prouenit Chietlæ montosis asperisque locis, cautes (vt diximus, indicatque nomen) amplexa. Est & alia eodem nomine ac temperamento arbos, quam virgarum tantùm rectarum læuiumque vsum aiunt præstare.

CAPVT LXXI.

De amatzquitl, seu vnedone papyraceâ.

FOlia fert amazquitl limonis, sed magis acuminata, comata: est & vmbræ tãtùm gratiâ expetita. Ad genera ytzamatl videtur velut & præcedens pertinere; nam licet poma minora sint, neque Ponticis nucibus maiora, candidis, velut & illa, distinguũtur punctis, & intra se continent granula ficulneis formâ & naturâ similia. Materies etiam leuis est, ac parum distans à ficulneâ. Prouenit locis calidis, qualis est Chietla, vbi fertur febrientibus ius decocti corticis radicum valdè prodesse.

CAPVT LXXII.

De ytzamatl, seu papyro nouaculari.

ARbor est magnitudinis vastæ, ita vocata, quòd amaquahuitl, ex quâ papyrus paratur, sit similis, sed folijs nouaculę formâ. Haitini ceibam vocant. Duæ sunt eius species, altera folijs mali medicæ infernè diluti, supernè exsaturati viroris, fructu orbiculari, albis maculis distincto ac referto granulis ficuũ granis similibus, edulique, & saporem nostratium ficuum referente, vnde indigenæ Hispani arborem ficum Indicã vocant, fructum verò ficum. Arbor singulis quibusque annis profert folia, largos imbres, dum viridia ac tenera sunt, effundentia, ac velut stillantia. Altera latioribus, sed tamen obtusioribus & nigrioribus, vnde quidam tlilamatl vocare malunt, fructuque minori. Materies est vtrique lenta ac breuis, nec quidquã aliud intellexi quod ad vsus medicos possit spectare, præterquam quòd folia frigidâ siccaque facultate pollent, & opitulantur vlceribus. Manam etiam vocatã ab Arabibus, super eam, præcipuè apud Hoaxtepecenses, cogi simil-

simillimam nostrati & formâ & viribus, sed paulò duriorem & glutinosiorem, quamquam alijs in locis Nouæ Hispaniæ, quales sunt Quauhnahuacenses, optima, nec cedens illi quæ ex Campaniâ adfertur, soleat concrescere super salices.

CAPVT LXXIII.

De quauhtzapotl, seu anona.

QVam Mexicani Quauhtzapotl vocât, Haitini anonam nuncupare consueuerunt, sub quo nomine apud Hispanos huius regionis incolas frequentius circumfertur; alij verò texaltzapotl. Arbor est magna amplaque, folijs malimedicæ, sed angustioribus; floribus candidis tricuspidibus, similibusq; pyris musteis gratiâ & suauitate odoris; fructu desuper punctis fuluis, & virentibus variato, melonis ferè magnitudine, nec absimili illamatzapotl, cuius interna, quæ nigro semine paruoq; scatent, ferculo vocato ab Hispanis candido, mollitudine, calore & sapore similia sunt, non tamen pari gratiâ atque nutriméto, quod flatuosum est, neque admodum probati succi. Germina eius dicuntur obsistere venenis, nuclei verò pomorum curare diarrhœas, etsi dicatur prope Tzontzonate genus quoddá anonæ prouenire, cuius seminis nuclei decem duodecimve sumpti, leuiter ac sine molestiâ bilem ac pituitatem purgent. Nascitur regionibus calidis, qualis est Haitina insula, & prouinciâ Nouæ Hispaniæ Quauhnahuacensis.

CAPVT LXXIV.

De cochiztzapotl, seu tzapotl somnifero.

ARbor magna est atque incondita, folijs malimedicæ, raris ac ternis stipitibus, albis næuis distinctis, floribus pallentibus & modicis, fructu verò cotonei formâ & magnitudine, vocato à nostris Hispanis albatzapotl, eduli, saporis grati, sed non admodum salubris nutrimenti, & ossis nucleo lethali ac deleterio. Cortex arboris siccus est, ac paululum dulcis, non sine quadam amaritudine. Folia tusa, & apposita nutricum papillis, infantulorum medentur diarrhœis. Ossa vsta, & in farinam redacta, opitulantur vlceribus putridis, vitiatâ carne prorsus exesâ atque absumptâ, purgato vlcere, carne generatâ, ac cicatrice mirâ quadam celeritate inductâ. Poma ingesta somnum conciliant, à quo inuenere nomen. Nascitur in calidis frigidisque regionibus.

MOLLE.



CAPVT LXXV.

De molle.

A Peruina regione in Nouâ Hispaniam, imò in Hispaniam Europæam planta, quam molle vocant, iam diu est aduecta atque trâslata. Arbos procera, visu pulchra, & ornandis domorum compluuijs publicisq; foris aptissima, comata, in latum pandens vndequaque ramos è viridi colore purpurascentes, vbi folia oliuæ proferẽt, sed longa, angustiora & tenuiora, ordine vtrimque disposita, & obliquè versus ramos extremos producentia. Flores exiles, albos, racematim dependentes, qui mox in fructum virentem oxyacanthæ semini parem, aut paulò maiorem abit, & cùm maturuerit, in colorem ex albo rubrescentem, cui nucleus durus subest, extraq; circũuestiens membranula eiusdem coloris. Folia ac fructus lentiscum & eius lacrymâ olent resipiuntque, sed commixtum fæniculo, vnde fortassis aliquis in lentis eam referat speciem, ni malit esse sui generis herbam, sed sapore est acri, subdulcem amaritudinem & adstringentiam præ se ferenti, calidaque & siccâ ordine tertio naturâ. Acini caro exterior dulcis est, verùm quo diximus sapore. Nucleus ventrem superiorem corroborat calefacitque, inferiorem adstringit, & (vt quidam aiunt) terebinthi vicem præstat, semen verò cardamomi. Vrinam

nam elicit, vulnera recentia & inueterata consolidat, sanguinis fluxum retinet, curat hæmorrhoidas, nubes oculorum dissipat, flatus discutit, & membra corroborat, corpora nimis fluxa & humecta exsiccat: quæ omnia luculentius præstat fructus, seu extrinsecus admotus, seu intra corpus assumptus; gingiuas etiam dentesq; confirmat, & vlceribus oris medetur. Stillata ab eâ arbore lacryma calefaciens & adstringens, quæ præterquam quod ad prædicta omnia vtilis sit, in aquam coniecta, pituitosos mixtosq; humores purgat. Parare solent ex vuis indigenæ (vt audio) vinum, acetum, & mel, ad eadem efficacia. Folia ac fructus virent toto anno, alijs subnascentibus, alijs crescentibus, & alijs maturescentibus. Syluestris arbor est, neque vllis lenocinijs aut curâ vt proueniat opus habet, quamquam in delicijs iamdiu haberi cœperit, cultumque & indulgentiam libenter admittat. Prouenit vbique, sed in calidis regionibus luxuriat & lætior assurgit.

CAPVT LXXVI.

De xochiocotzoquauitl, seu arbore liquidambaris Indici.

ARbor est magna, aceris ferè folijs in tres cuspides duosq; sinus diuisis, alterâ parte albicantibus, alterâ verò obscurioribus serratisque, & fructu herinaceo simili. Calidâ siccâque naturâ constat, & odore iucundo, inciso arboris huius cortice, qui partim fuluus, partim virens est. Indicum fluit, vocatum liquidambarú ab indigenis Hispanis, à Mexicensibus verò xochiocotzotl, suauitate odoris styraci persimile, calenti ordine tertio exiccantique naturâ, quod additum tabacis, caput & ventriculum confirmat. Somnú inducit, capitis dolorem ex frigidâ causâ ortú lenit: per se verò humores discutit, sedat dolores, ac impetiginibus cute digitis conuulsâ medetur. Stillat ab eadem arbore aut sponte suâ, aut incisâ, oleum haud cedens prædicto liquori, aut odoris iucunditate, aut medicis vsibus. Discutit vtrumque flatum, ac præter naturam tumores dissipat, coctionem procurat, ventriculum roborat, vterinis affectibus confert, & alia his similia præstat iuuamenta seu per se seu alijs medicamentis permixtus. Sunt qui elixis ex aquâ stipitibus id odoramenti parent genus, sed vilius, ac minus ad prædicta præsidia expetibile. Prouenit campestribus calidisque locis, & interdum etiam temperatis, velut Hoeyacocotlæ, Quauhchinanei, & Xicotepeci.

CAPVT LXXVII.

De tzacutli, seu glutine.

RAdices fundit tzacutli asphodelo similes, candentes & fibratas, è quibus oriuntur porracea folia, lineis discurrentibus secundùm longitudinem, caules recti & geniculati, in eisq; flores è luteo purpurascentes irinis formâ quadamtenus similes, sed longè minores. Radix est frigida, humidaque & glutinosa; ex eâ enim præstantissimum gluten paratur, & valde tenax, quo vtuntur Indi, sed præcipuè pictores, vt pigmenta tenaciùs adhæreant, nec rerú repræsentatæ imagines facilè deleantur. Secatur hæc in frusta parua, & siccata sole læuigatur, atque ita demum nobile illud glutinis paratur genus. Posset trásferri in Hispaniá: siquidem quibusq; locis viuit, editis ac planis, sed præcipuè calidioribus. Aiunt mede');ri dysentericis radicem eius semunciæ pondere sumptam: verùm ceteris etiam opitulabitur morbis, qui ex defluxione aut nimiâ laxitate solent oriri.

CAPVT LXXVIII.

De coatzontecoxochitl.

RAdicibus firmatur fibratis, oblongis, ac præcoci ficui adhuc virescenti valdè similibus, virentibus, striatis & contortis, ex quibus eduntur folia iridis, sed longiora & latiora. Flores capitibus serpentum similes, vnde nomen, rubeoque colore punctis, tamen indistincto, candido & pallescente, promiscuè micantes, & caules tenues, virentes, breues læuesque. Calidis prouenit, & interdum etiam temperatis regionibus, iuxta rupes aut arborum truncis adhærens, licet iam ad hortos cultaque loca descenderit, viridariaque exornet, in quibus excolitur deliciarú ac florum gratiâ; est enim flos formâ spectabilis, liliaci odoris, & quam vix quisquam posset verbis exprimere, aut penicillo pro dignitate imitari, à Principibusque Indorum ob elegantiam & miraculum valdè expetitus & in magno habitus pretio. Blanditijs & culturâ non eget, sed ex vnicâ radice fecundissimus fit prouentus. Ex hisce floribus, atque alijs præcedentium quarumdam herbarum congenerum huic, & rubro maizio, parabantur Principibus Indorum placentæ, quas edebant contemperando ventriculi calori, siue is accidisset à solis æstu, sub cuius radijs contraxissent moras, siue ab aliâ quauis internâ causâ, externáve; frigidâ siquidem humentíque constat temperie.

CAPVT LXXIX.

De chilpatli, seu medicinâ chilli.

RAdici insistit fibratæ, è quâ prodeunt caules virentes, & geniculis intercepti sex longi cubitos septémve, & in eis folia ocymi, sed maiora, circinata, & infernè subalbescentia. Flores modici, lutei, compositi in corymbos, & in coccineum inclinâtes colorem, è quibus demum compinguntur acini piperi nigro, aut baccis oxyacanthæ persimiles. Acris est, calidaq; & siccâ ordine quarto naturâ. Initio resinâ sapit, posteà vrentem ostendit vim. Folia duorum scrupulorũ pondere in puluerem redacta, ac mixta decem scrupulis atolli, mirâ velocitate & efficaciâ corpus à cunctis expurgant humoribus, & quartanis præcipuè medentur. Plura inducerent periculum. Dentium dolorem sedant admota folia, palmarum lichenes curant, membra rimis dehiscentia, scabiemq;. Vlceribus putridis ac cancerosis opem ferunt, infusa aliquamdiu tlaolli potioni. Lac verrucas exedit, & tumores præter naturam rumpit. Quinque folia sumpta aiunt dysenteriæ mederi, exterso fortassis cruore, aut adstrictioni & doloribus articulorum. Sunt qui sagittas eius succo inficiât vice toxici, atque ita commodiùs ceruos ferásve consternant. Prouenit in calidis Pahuatlani, Papaloticpaci, & Hoeitlalpiæ, in locis planis, & montium accliuibus, seriturque & colitur in hortis medicinæ gratiâ.

CAPVT LXXX.

De chilli.

CHilli, seu piper Mexicanũ, planta est ferens siliquas illas, quæ ab Haitinis agris & ab antiquis, vt quidam volunt, siliquastra, & ab Hispanis piper Indicũ vocantur: quod licet iamdiu in nostrum orbem translatum sit, ibique & in hortis & in vasis fictilibus ornamenti & vsûs gratiâ seratur, & habeatur in delicijs, tamen quoniâ apud Indos multò plura eorum genera reperiuntur, & orexi excitandæ, commendandisq; ferculis in vsu quotidiano est, adeò vt nullam sit reperire mensam sine chilli, atque ideò quotidiano experimento sint illius facultates notissimę, gratum erit non modò eorum differentias, quæ in Nouâ Hispaniâ proueniunt, de quibus modò agitur, verùm specierũ ferè omnium formas describere, vniuersamque posteritati facultatem & naturam tradere. Generum omnium folia solano similia sunt, & pænè paria, si quauhchilli excipias, quæ minora eadem fert: flores candidi, è quibus siliquæ oriuntur primò virides, mox maiori ex parte in rubrum, & demum in pallescentem inclinantes colorem, refertæ paruo semine, exili, candicante, contuso in orbem efformato, acris gustus, atque vrentis naturæ, quæ ad semen præcipuè attinet. Quartum caloris gradum attingunt, & tertium ferè siccitatis, etsi recentes excrementitio quodã humore abundent, qui totus pænè vetustate euanescat: vnde fit, vt sępè excitato flatu Venerem stimulent, ac interim aluum non sine quodam tenesmo ac sensu doloris, his præcipuè qui huiusmodi condimēto anteà non assueuerant, leniter emolliant, quamquam eius rei acumen possimus non immeritò in causâ esse affirmare. Vrinam & menses euocant, corroborât ventriculum ob frigus imbecillum, coctionem eadem occasione labefactatam iuuant, appetentiam, contemperato ex eis cum vocatis tomame intinctu, mirè excitant, & pituitosos humores vndecumque, sed potissimùm coxæ articulis adhærescentes, discutiunt & purgant. Quin aiunt hecticorum peropportunum esse remedium. Nutrimentum item calens ac siccum multumq; præstare, ventrem lumbosque aculeis chilli madētibus perpũgere, sed renes excalfacere, & inflammato sanguine atq; iocinore, ad nephriticos, phreneticos & pleuriticos affectus, ad perineumonias, aliosq; tumores internos, puncta, & similia symptomata, seu nutrimenti, vt sæpissimè Indi solent, seu condimenti vice immodicè aut frequentiùs vtantur, perducere.

Prior ergo species (vt singulæ iam mēbratim enarrentur) Mexicanis quauhchilli, hoc est chilli arboris, Haitinis verò, apud quos minor orbiculatior, & à minori plantâ editâ profertur, chilli montanum dicitur. Minimum est id omnium, & oleastri baccas formâ & magnitudine repræsentans: cumque omnia ferè genera quarti ordinis calorem attingant, hoc ceteris omnibus sentias vrentius, atque ideò in condimenta, non in nutrimenta venire, solumque intinctibus & salsamentis piperis loco misceri, & toto prouenire anno.

Secundum genus chiltecpin dictum, à culicibus quos paruitate & colore videtur imitari, ab alijs vocatur totouiitlatl, quod est passerinum stercus, ob paruitatem & colorem, ab Haitinis verò huarahuao, quod licet aliquando videatur prædicto vrentius, citius tamen calorem amittit. At tres videas huius generis differentias, natali solùm loco, & tēpore quo leguntur, distinctas. Prior vulgaris est, altera priori similis, sed soli ratione in atrum inclinans colorem, atque ideò dicta tlilchilli, quod est chilli nigrum: tertia demum minor omnibus, & post præceden-

tem fructum media; omnes enim huius plantæ species triferæ apud Indos sunt. Primus fructus maior est, postremus minimus, & natu medius mediocris quoque est magnitudinis. Seritur Septembri mense, & à Decembri ad Calendas vsque Aprilis colligitur.

Tertium à Sole tonalchilli dictum (irriguis enim locis, cessantibus iam imbribus, id est Augusto & Septembri mense, solet seri, & producere fructum à Nouembri vsque ad Martium) & ab Haitinis chilli album: viride est primò, mox pallens aut ex pallido rufescens, & demum rubrum, vt cetera circiter genera, imitatur colorem.

Quartum dictum chilcotztli à colore quo tingit croceo. Ex eo parantur condimenta. Sex septémve digitos longum est, mediocriter tenue, interdum ex albo rubrescens, interdum verò inclinans in passeum. Seritur Decembri, & Augusto in finem vsque totius anni fit vindemia.

Quintum genus, tzinquauhyo, quoniam montanum est, vocatum; ab Haitinis verò corallum, ob similitudinem formæ & coloris, gracile est, & quinque digitos longum. Seritur Martio, & totius anni discursu proueniens legitur.

Sextum texochilli, seu masseum vocatum à mollitudine, longum est, amplũ, particeps dulcedinis, rubri coloris, atque adeò miti acrimoniâ, vt cũ taolli seu placentis ex Indico frumento paratis mandi consuescat, multiq; & optimi existimetur ab Indis esse nutrimenti. Idem genus cùm fumo expositum siccatur, vt in annuos vsus recondi commode possit, alioqui corruptioni valdè obnoxium, ob nimium humorem excrementitium quo redundat, dicitur pocchilli, totoque anno & seritur & fert fructum.

Est & aliud milohilli dictum, haud minus præcedenti, sed in acutum tenuemq; sensim desinens mucronem, tandem quoq; rubrescens, nec ob aliud ita appellatum, quàm quòd quo tempore tlaolli, & seritur & metitur. Quid memorem alias species Haitinis peculiares, inter quas ea occurrit, Hispanis etiam nota, quę fructum fert halicacabi fructui cerasisque dulcibus nostratibus formâ, colore & imagine persimilem, arbusto modico innascentem. Alias præterea duas, quarum alteram rostrum strobili hodie vocant indigenæ, alteram verò passeris, vtramque ob similitudinem: item maboyam boniatam, corniculatam, cacicam hortensem, & ceteras, quarum historia, quoniam maioris est operæ quàm vsus, non est opus curiosis. Tam calidis quàm frigidis temperatisve regionibus genera omnia proueniunt, sed fecundius temperatis aut calidis.

CAPVT LXXXI.

De amamaztlá expurgante, seu rhabarbaro vocato Monachorum.

RAdix huius plantæ adeò sapore, colore, & odore, substantiâ & viribus radicem veri rhabarbari repræsentat imitaturq;, vt nisi folijs ab illo distaret, quæ desinunt in acumen (nam illa ex angustâ origine in latius finire cernuntur) verum rhabarbarum Alexandrinum à nullo, qui vtraque plantam non expendisset, non iudicaretur; quamobrem hortensem hippolapathũ congenerem esse vero rhabarbaro censemus, posseq; in eius penuriâ substitui, ac pares pæne vices præstare; bilem enim benignè & cum quadam roboratione, quæ à crassioribus & adstringentibus accidit partibus, præcipuè vacuat felici successu, quemadmodum (Franciscus Hernandus inquit) nos sumus apud Hispanos periclitati ante hos triginta plus minus annos, & Mexici, vbi magnus est eius prouentus. Diligentia Bernardini Castilli (cuius optimis manibus hic honos debetur) viri, dum iuuenis esset, in oppugnandis hostibus dexterrimi atque animosi, à primo verò senio ad vsque obitum, & postremos halitus, in seminandis atque excolendis quibusque raris & peregrinis plantis diligentissimi, in Europam transtulit. Quoniã verò partibus constat subtilioribus, quæ sunt expurgantes, alijs verò crassis atque adstringentibus, consueuere ijdem succo expresso veluti expurgante pharmaco drachmę vnius cum dimidiâ pondere vti; fęcibus autem eâdem mensurâ, velut aluum adstringenti medicinâ. Quòd si cum totalitate suâ exhibere arriserit duarum drachmarum portionem, ab his qui non difficilè soluentur, bilis aiunt quod satis sit expurgari; cuius rei nos certissima fecimus experimenta. Miscetur interdum vnica drachma succi vncijs duabus electarij ex tenerrimis cassiæ nigræ fistulis confecti, atque ita bilem primò & maximè, secundariò verò pituitam expurgat. Quibusuis locis prouenit ex culturâ, sed maximè calidioribus, qualis est Quauhnahuacensis, humecto & fertili solo post quaternos à satu annos. Radix est medicinę vtilis. Colligẽda verò ineunte vere, mundãda, secanda in frusta (quæ biletos vocant) quâ magnitudine illa rhabarbari vulgaris ad nos consueuerunt deferri, ab ortu super asseres collocanda, ac sæpe sæpius quotidie (ne succus, quo abundant, effluat) euertenda: quatriduo transacto, filo traijcientur firmiore, ac suspendentur ad vmbram locis apertis, sed quos radij Solis non attingant; namque ita duorum mensium interuallo siccari abundè solent, demum-

demumque recondi & seruari. Hæc mihi de rhabarbaro Monachorum vocato dicta sunto, non quòd nesciam, apud Hispanos quoque hanc plantam aliquot oppidis, non admodum à Mantuâ Carpetanâ distantibus, aliquando fuisse excultam, sed quoniam in hac Nouâ Hispaniâ apud Quauhnahuacenses in horto prædicti viri vberrimus est eius prouentus, vbi patrijs plantis maximè opus est, quòd medicamenta extera in hunc orbem per tot maria translata, emarcida vitiataque tandem veniant: & vt Hispani meminerint, apud eos, si cura adsit, quantâ libeat copiâ prouenturum, hac in optimi rhabarbari penuriâ, permittentibus conscijsque Medicis, suffici pro eo sæpenumerò non incommodè posse. Ceterùm fabulæ, quas quidam inculcant, vt persuadeant rhabarbarum hoc Monachorum vocatum esse Alexandrinum, dicentes, Turcas, cùm illis per Henricum Galliæ Regem Massiliæ portu & vrbe potiri licuisset, Gallicis quibusdam Monachis semen impertitos veri rhabarbari, vnde nomen defluxit, atque inde deuectum ad Hispanias, & has Indias; nugæ sunt, quibus sit omnino deneganda fides.

CAPVT LXXXII.

De ancoas, seu zingibere masculo.

FOlijs cōstat asperioribus & crassioribus vulgari zingibere, eadem tamen formâ, radice quoque maiore atque crassiore, & sapore acriore cum quadam amaritudine. Vtuntur eo indigenæ aduersus ventriculi & alui affectiones ortas è frigore, contuso, & oleo nucis Indicæ consperso, atque ita applicato, nec non aduersus plagas venenatas linamento intincto eodem oleo, atque ita demum adacto, addunt vim medicamenti maiorem participare marem quàm feminam. Quo etiam vina quædam ab Indis Philippicarum insularum parari solent, quæ non erit incommodum modò referre. Excipiunt siquidem succi zingiberis feminæ partes quatuor, masculi partem vnam, duas verò arundinum sacchari, & nonnihil radicis tanglat, de quâ suo loco, ocymique, aut aliarum odoriferarum herbarum, si quæ fortè suppetant, piperis vulgaris grana quinquaginta, cassiæ partes duas, rizi chænicem vnum, ex ijsque omnibus efformant massam, quam coactam in placentas, siccant ad vmbram quaternûm quinûmve dierum spatio, mox Soli totidem lucibus exponunt. Posteà verò recondunt in locum fumosum, ad vsus, quoties expediat, accōmodandas. Quò enim antiquiores, aptiores existimantur. Quo tempore accipiunt medimnum vnum rizi miliive, aut per horum caritatem seminis vocatæ boronæ, coquuntque ex aquæ portione sufficienti, donec omnis humor exhauriatur, abeatque in vaporem: mox aëri exponunt, & permittunt refrigescere, miscentque placentæ vnius partes tres, quam vocant indigenæ tapai, læuigatas, reconduntque in cadum haud omnino plenum, sed inanem quatuor plus minùs vnciarum interuallo, ibique ore patulo manere permittunt, donec vigorem concipiat. Mox folijs tegunt platanorum & camotli, atque ita triduo sinunt manere: quo tempore partem inanem cinereo implent luto, ac desuper eisdem contegunt folijs, atque ita seruant vsque in sesquiannum, etsi vel octo transactis diebus fiat vtile, possitque non iniucundè potari. In quo exhauriendo hic est modus. Extergunt impositos cineres, & constipant herbâ prædensâ cadorum ora, implentque cauitatem aquâ, atque ita demum siphonibus sugentes potant liberaliter. Infunditur autem tantum aquæ, quantum vini exhaustum est, donec vires fiant imbecilliores. Conueniunt ad dolium vnum exsiccandum sæpè numero centum Indi, cunctique solent inde ebrij discedere: quod mirum est, cùm magnâ ex parte sexies dolium coronetur aquâ, quod eadem die, quâ detegitur, prorsus absumitur, neque durat diutiùs. Optimum dicitur esse id potionis genus, & salubre, ceteraque vinorum horum insulanorum genera, excepto nostrate, superare.

CAPVT LXXXIII.

De abacâ.

PLatani genus est abaca, similis ceteris, angustioribus tamen folijs, fructu triangulari, decem vncias longo, cādido callo, ac nucleis multis & nigris, cicere paulò minoribus mollioribusque, & orbicularibus, ex quo platani genere lintea conficiuntur. Nascitur in insulis Philippicis. Aliud genus quoque prouenit fuluo maculatum colore, fructuque paruo & tenui, in tres diuisum differentias præcipuas, tologdato, goyot & bolongon vocatas, præter alias nonnullas, quas etsi nominibus minimè destitutas, nominatim piget recensere; fructu odoro, & oris halitum in multas horas commendante, saporis grati, ac nostris apianis malis, si exquisitè maturuerint, minimè cedente, coloreque extrà viridi, ac diuersâ magnitudine, temperatâ naturâ aut paululum frigenti, sed aliquantò humidiore. Flatum & pitui-

pituitam generat, ventrem emollit, & oris commendat halitum, quin post esum mos est indigenis, ab omni potionis genere, ne ob immodicum humorem putrescant, abstinere.

CAPVT LXXXIV.

De amudio.

HErba est palustri apio magnitudine, folijs & semine similis, sed differens gustu, qui licet initio elæoselini sit, deinde cumini potiùs videatur, mitis tamen est ac minimè horridus. Radix semenque obstructiones splenis aperiunt, discutiuntque vbilibet infractos humores. Quin idem semen tusum, & ex vino sumptum, dolorem ventriculi aluique à frigore ortum placat. Ius decocti succurrit iliacis nephriticisque. Calore temperato constat, roborat ventriculum, cumini loco ferculis additur, nec iniucundè eo condiuntur. Prouenit Philippicis insulis longiùs à mari temperatis locis, neque admodum humentibus.

CAPVT LXXXV.

De betre.

BEtre, quam Arabes quidam tembul vocāt, volubilis planta est, mali medicæ folijs, sed oblongioribus, & iuxta extrema arctioribus interuenijs, secundùm longitudinem discurrentibus & fulueſcentibus, cùm maturuere, fructu contorto, ac lacertorum caudæ persimili, eduli & iucundo. Amarus est sapore: quamobrem Indi arecam admiscent, & nonnihil calcis; alij licium aut caphuram vocatam à natali solo deburneo; nonnulli lignum aloës, & moschum, ambarúmve: siquidem adiectis his suauem esse aiunt, & commansum, halitū oris magnopere commendare. Calidâ siccaque ordine tertio constat temperie, gingiuas & ventriculum roborat, ac dentes flauificat. Falluntur qui folium Indum esse putāt: cuius propterea historiam subnectam, quamquam aliàs minimè opportunam huic loco. Nascitur in locis Indiæ Orientalis maritimis, seritur vitium modo, iuxtà affixis, per quę repat, pedamentis, ac præcipuè arecæ ac piperis plantæ. Est apud me planta, quam prouenire audio locis lacustribus Famaicæ, folia fundens odora, longa & acuminata, pauloque illis mali medicæ angustiora, & interuenijs iuxtà discurrentibus insignia.

CAPVT LXXXVI.

De folio Indo, quod malabathrum quoque vocant.

PRocera arbor est malabathrum, quam Indi tamalapatram vocant, nec betræ per omnia dissimilis: mali enim medicæ ornatur folijs, ac circa extrema quoque angustioribus aut compressioribus, virentibus ac ternis, secundùm longitudinem interuenijs procurrentibus odoratis, & garyophyllos quodammodò redolentibus. Vrinam ciet, oris halitum commendat, vestes à tineis tuetur, flatum discutit, frigus pellit, interna membra roborat, & nardo similes vires sortitur, quamquam mitiores, iucundiores, ac minimè ferientes caput. Prouenit in multis Indiæ locis, sed maximè in Cambayâ procul ab aquis. Nascitur arbor apud Nouam Hispaniam, piper vocatū de tauasco ferens, necnō alia olens garyophyllos, de quibus suis egimus locis, cuius folia adeò odora sunt, vt non immeritò pro malabathro aut habeatur, aut substitui queat.

CAPVT LXXXVII.

De buyo buyo.

ITa vocant in Philippicis insulis speciem quamdam piperis longi, apud Nouam Hispaniam quoque prouenientis, folijs oblongis, subalbidis, desinentibus in acumen, & acribus gustu, fructuque piperis longi, acriore tamen & odoratiore. Vsus præcipuus est foliorum; inuoluunt siquidem vnius folij portioni dimidiæ quintam vnius glandis bahei adhuc teneræ (de quâ inter species nucum Indicarum) calce conspersam, gestantq; ore, & sic ferunt corpus nutriri, cerebrum & ventriculū roborari, iuuari coctionē, firmari dentes, sedari eorum dolorem, pituitamq; illos erodere solitam arceri, carnem exhaustam iuxta eorum radices instaurari, faciem ac labia contrahere roseum ruborem, ingratum oris halitum fugari, & commendari iucundum. Nascitur in humidis locis Philippicarum insularū, seu mediterraneis, seu maritimis, & apud nouos quoque Hispanos, quibus is vsus incognitus est.

CAPVT LXXXVIII.

De piperis longi plantâ, alijsque eius generibus.

PIperis longi planta, quam Philippicarum insularum coloni buyo buyo & sabiam, Mexicenses verò, apud quos etiam nasci-

nafcitur, tlatlamcuayc etecapatli appellant, frutex eft caules volubiles proferens & farmentofos, & in eis folia piperis nigri, ac fructum piper longum vocatum. Folia funt guftu odorata, acri fapore, calidaque & ficcâ ordine tertio temperie, partiumque fubtilium fructus, nullibi plantæ fuæ appendens. Eam affequitur perfectionem, quæ neceffaria eft vt commodè recondatur, ideoque iam maturus, & in fuluum colorem inclinans, colligitur, expanfufque exponitur Soli, atque ita in vfus feruatur. Virens editur, neque ingratum præbet alimentum, aut nimis acre: reconditus verò fenula commendat, dum tamen ignem non experiatur; ftatim enim poft decoctionem vim atque faporem amittit. Cortex ftipitum redactus in farinam, ac intra corpus fumptus, atram bilem aptè expurgat, & venenatas plagas, præclari alexiterij vices præbens, medetur; refolutis neruis aut conuulfis auxiliatur, flatus difcutit, & alios huiufmodi morbos ortos à frigore, crafsifve & lentis humoribus, profligat. Tres apud Nouam Hifpaniam huius plantæ differentiæ funt: quinque tamen aut plures feruntur apud Philippicas infulas. Nam præter buyo, de quo dictum eft, & eam de quâ in præfenti fumus locuti, alias tres numerant, quarum poftremam buyafamo, feu fimiæ dictam, buyo quàm fimillimam fructu effe ferunt, diftare verò odore graui, perforatis folijs, & faniofis, acrique & adftringenti fapore: alias verò duas à buyo prædicto affirmant differre foliorum paruitate & afperitate, ac præcipuè minorem: maior enim maiora profert folia, cetera fimilis guftus piperis nigri, ac præcipuè radicis. Fructus autem piperis longi, tenuior tamen & acrior, minor verò minoribus conftat folijs, & ipfa arbor minor eft. Folia fapore & odore carent. Radix nigra eft, cortex mellini coloris, læuis, fungofus, acris & raborans. Radices horum binûm generum propinantur aduerfus venenatas potiones, velut alexipharmaca, drachmæ vnius menfurâ in leuorem redactæ, & ex aquâ nucis Indicæ refolutæ, aut vino palmarum recenti. Subueniunt eadem ventriculi frigidis affectionibus ex iure decocti chamæmeli, ortifque ex craffis humoribus, quos percoquunt, roborato etiam ventriculo. Subueniunt ijs qui coire nequeunt ob veneficia, additis præcipuè alijs pertinentibus ad eumdem vfum. Nafcuntur omnes hę fpecies in locis humidis, vmbrofis aquofifque, quibus diximus regionibus.

CAPVT LXXXIX.

De arbore ferente beniui.

ARbor eft magna, comata, & vifu pulchra, prædurâ firmaq; materie, mali medicæ folijs, minoribus tamen & anguftioribus, infernè fubalbidis. Fundit incifa lacrymam vocatam beniui, cuius tria funt genera. Primum amygdaloides, albis maculis interftinctum, expetitumque magnopere mercatoribus: alterum nigrius viliufq; præcedenti: tertium verò nigrum quoque, fed à nouellis arboribus natum, reliquis & maioris pretij, & odoris iucundioris. Omnia funt odora, calidaque & ficcâ, nec non & difcutiente naturâ. Inferuiunt odoramentis, adhibenturque in emplaftra. Nafcitur in filuis Malacæ.

CAPVT XC.

De camotli, feu batatâ.

QVam herbam Haitini batata vocant, nuncupare folent Mexicenfes à radicis formâ, quę præcipua eft eius vtiliorque pars, camotli, cuius genera etfi iamdiu noftris ceperint effe familiaria, nutrimentū, modumque ferendi & colendi non prætermittam hoc in loco. Sunt ergo variæ eius differentię, radicis tantùm colore diftantes (nam ftipites omnium volubiles funt, angulofa & rotunda folia, flores verò calyculorum figurâ ex albo purpurafcentes) hæc fiquidem extrinfecus iam rubet, internâ verò parte candefcit, diciturque acamotl. Interdum membrana veftiens purpurafcit, interna verò candefcunt, vocaturque yhoicamotl. Cùm externa niuea funt, penitioribus rubrefcentibus ex pallido, dicitur xochicamotl. Quandoque interna externaque rubrefcunt, aut omnino funt alba, vocaturque campalcamotl, aut poxcauhcamotl, nominibus à colorum varietate multis retrò fæculis impofitis. Radice omne genus conftat oblongâ, interdum vaftâ pro fitus naturâ, eâ totidem quot dixi variante coloribus: quæ cruda, affa elixáve, aut varijs ex eâ ferculis paratis e fui apta eft, faporemque indiftinctâ ferè fimilitudine caftanearum refert, neque diffimile præbet alimentū, nempe bonum, craffum tamen, ac flatui fufcitando opportunum (volubili, vt diximus) caule terete per terram fparfo, tenuique, ex quo folia prodeunt per interualla folijs à noftris vocatæ melangenæ aut mali infani fimilia, ac purpurafcentia, & flores purpurei pauci

& oblongi. Seritur ramulis defossâ terrâ recentibus Augusto mense, velliturq; radix ad vsus toto autumno, hieme atque vere. Clementi cęlo culta prouenit, & paulò quoque frigidiore aut calidiore, sed luxuriosiùs culto solo atque humecto.

CAPVT XCI.

De quauhchamotl seu yucâ.

FRutex est decē dodrantes longus, ac tres quatuórve digitos crassus, præcinctus quibusdam hemicyclis nodorum instar per interualla, ex alterutrâ parte singulis cortice fuluo, & reliquâ materiâ candenti. Medulla lenta, ac radicibus asphodeli seu camotli, vnde accepit nomen, sed crassis, dodrantem longis, intrinsecus albis, teneris, denis duodenísve, cortice nigro vestitis, quales fortasse non sunt alij cuipiam plantæ. Extrema caulis coccinea sunt, pediculique & interuenia. Folia verò è viridi vergunt in purpureū, sed circa extrema tantùm caulis vnius dodrantis interuallo septena per singulos pediculos. Radices huius plantæ eduntur assæ, & sunt batatis sapore persimiles. Alterum genus venenatum est, sed prædicto formâ simile, ni priùs exprimatur succus; tunc enim ex eo panem salubrem ac gratū conficiunt, cacabi & xauhxauh in Haitinâ insulâ, vbi eius est præcipuus vsus, vocatum. De pane qui ex hac plantâ conficitur, alibi dictum.

CAPVT XCII.

De chihic camotic, seu amarâ batatâ.

RAdices fundit chichic camotic batatis paruis similes, coloris ex albo purpurascentis, calliique mollis, & ex eis teretes caules & fuluos, ter circiter longos spithamas, ac folia peltæ aut hederæ figurâ. Radix est frigidæ & humentis naturæ, saporis & odoris ferè nullius, & paulisper glutinosæ. Dysenterias sistit tusa radix, epotaque ex aquâ, aut adstringenti quopiam alio liquore. Prouenit verò in calidis Cocolani collibus.

CAPVT XCIII.

De cacamotic tlanoquiloni, seu batatâ purgatiuâ.

QVam cacamotic tlanoquiloni quidam vocant, alij caxtlatlapan, alij verò apitzalpatli solent nuncupare. Radicem hæc fundit obrotundam, candentem & teneram, vnde eduntur exiles caules, teretes & volubiles; folia peltæ Amazonicæ, hederæve formâ, sed angulis quibusdam insignia. Flores maluaceos, purpureos, calyculorum figurâ cymbalorúmve. Radices duarum vnciarum mensurâ sumptæ à cubitum eunte, aluum mirâ lenitate & securitate expurgant, tractâ etiam è venis bili ac reliquis humoribus. Quid? quòd dulci sapore & grato constet, nec macianis aut pyris nostratibus cedente. Clamitet modò improba & semper querula mortalitas, mille passim pharmacis excarnificari, in tantâ medicamentorum blandissimorum fecunditate & benignitate naturæ. Nascitur in regionibus calidis temperatisque sponte suâ, atque etiam culta, pertinaci quadam viuacitate, quales sunt Pahuatlamenses & Mexicenses, possetque in nonnulla Hispaniæ transferri loca.

CAPVT XCIV.

De charapu, seu arbore crepitante.

BRasilij seu cotini species est charapu, arbor Persici magnitudine, folijs lauri & floribus valdè exilibus, summis ramulis appendentibus, vnde prodeunt acini globulis precarijs parandis aptissimi: nigri coloris, grati aspectus, & spondylorum seu nucum Ponticarum magnitudine & figurâ. Frondes acrem quemdam saporem præferunt, haud sine quadam adstrictione & amaritudine. Indigenæ nihil quod ad medicinam spectet, narrant de hac arbore. Nascitur in calidis regionibus prouinciæ Mechacanensis, vbi aiunt puluere eius in flumen insperso, pisces torpescere, ita vt capi facilè possint, & fructum vicem smegmatis lauandis vestibus præbere.

CAPVT XCV.

De tecopalquahuitl.

TEcopalquahuitl arbor est mediocris magnitudinis, folia vnedonis ferens, fructum glandibus similem, quemdam velut strobylum continentem, opertum lubricâ & resinosâ quadam saliuâ, atque includentem intra se nucleum candidum ad multa vtilem. Fuit ab hac arbore gummi illud thuri antiquorum odore, sapore, ac viribus adeò simile, vt illi reputem esse congener. Nam & in Philippicis insulis nasci copiosè audio, quo factum est, vt ab Hispanis huius orbis *thus ore pleno* vocetur, quamuis à quibusdam anime Indicum dicatur. Calidâ sunt tertio ferè ordine siccaque, & paululùm adstringenti naturâ, omnes

omnes propemodum huius arboris partes, odorisque gratissimi. Ventriculum, cor, cerebrum, vterumque suffitu corroborant: fluxiones coërcent, pituitam absumunt, rigores febrium arcent, & fouent membra perfrigerata, vuluamque procidentem in suum locum restituunt atque reponunt, deciduamque confirmant, ac velut affigunt. Prouenit in calidis Papaloticpacensibus, possetque ad feruidiores Hispaniæ regiones transferri.

CAPVT XCVI.

De hoitziloxitlanethinâ, seu arbore resinâ manante.

ARbor est mediocris, liquidã baris plantæ par, stipites edens læues, rectos, extrà exsaturato virore tinctos, intrà verò candentes, folia serrata acuminata, oblonga, & ocyminis quadãtenus similia: flores paruos è cãdido in luteũ colorem vergẽtes. Gustu arbos hæc atque etiã odore quauis sui parte mirè refert anethũ, eiusq; effectus præstat, verùm efficaciores, nec sine quadam adstringentiâ, calidâ enim siccaq; prope ordinem tertium videtur naturâ. Folia tusa illitaque; frigora febrium arcent, ius decoctorum corticum vrinam & sudorem euocat, obstructa aperit, & quartanam curat, trahit menses, corroborat, tumores præter naturam discutit, medetur satietati, firmat ventriculum, ac vapor decocti scorpionum ictibus medetur; & gummi odoratum fundit. Nascitur in calidis regionibus Quauhnahuacensibus, & vbicumque ligni frustum infodiatur, agit statim radices. Diuersa autem arbos est ab eâ, quæ fæniculum resipit, nasciturq; apud floridam regionem, etiam apud Hispanos sub nomine saxifragæ circumfertur.

CAPVT XCVII.

De hoitziloxitl, seu de arbore balsami Indici.

QVam plantam Panucini cheicte vocant, nostri verò balsami arborem, Mexicenses hoitziloxitl, seu affluentem resinâ, nuncupare consueuerunt, quòd liquorem effundat Syriaco balsamo simillimum, neque odore aut viribus inferiorem. Arbor est mali Medicæ magnitudine, folijs amygdali maioribus, obrotundioribus, & magis acuminatis, floribus in extremis ramorum flagellis luteis, initio loculorum oblongorum formâ, sed procedente tempore quorumdam velut foliorum ceteris longiorum & latiorum, in quorum extremitatis cauitate semina inclusa continentur candentia, & in quemdam pallorem inclinantia, oblonga, & paulisper contorta, seminibus malimedicæ similia, aut veriùs his quos Haitini vocant manies, ac saccharo velut strobylos nostri incrustare solent. Inciso ergo quouis anni tempore huius arboris cortice aut stipite, sed præcipuè exactis iam atque desinentibus imbribus, liquor ille nobilis toto orbe celeber, necdum satis laudatus, stillat, quem balsamum appellant, è fuluo in nigrum inclinans colorem, sapore acri, & paulisper amaro, odore vehementi, sed tamen gratissimo, quarto fere ordine siccus ac calidus, subtilium partium, non sine quadam adstrictione & corroboratione. Extrahitur idem decoctis etiam surculis minutim incisis ex aquâ & vitro excepto innatanti liquore, sed viribus inferior, innumeris morborum generibus propellendis atque sanandis vtilis: nam tres quatuórve guttæ matutino ante cibos linctæ, ventriculum à frigidâ causâ imbecillum confirmant, vrinam & renum vesicæque excrementa euocant, pelluntque è corpore, aperiunt obstructa, ac medentur respirationis difficultati, ventriculi & alui dolores sedant; commendant calorem, ac iuuenilem vigorem diutiùs conseruant & tuentur. Quin liquor ille in pessulos efformatus, ac obditus vuluæ, secundas emortuosque infantes trahit, partum accelerat, & sterilitatem à frigidis humidisque ortam humoribus profligat. Dolores ab eisdem causis enatos, vbicumque contingant, extrinsecus illitus sedat. Flatum & tumores præter naturam discutit, cerebrum corroborat, neruorum origini impositus auxiliatur paralysi, & eorum gelidis omnibus medetur morbis, colicis iliacisque, & articulorum doloribus mirè est vtilis: quin vulnera recentia conglutinat, & sanat inueterata, ac diutinarum febrium repetentia frigora, ceruici dorsoque illitus, pellit. Idem præstat ab ipso semine expressum oleum, mitiùs tamen, benigniùs ac molliùs, quamuis acre quoque fit, gratissimi odoris, gustuque & odorum & suaue, & tertio calorificum ordine, quod nos omnium primi, ait Franciscus Hernandus, curauimus prælo extorquendum. Est autem oleo, quod ab amygdalis amaris, aut nucleis Persicorum exprimitur, sapore atque odore simile, sed odoratius, vehementius & acrimoniæ longè maioris. Regionibus prouenit calidis, qualis est Perüina, vnde impositum nomen est, & ad Hoaxtepecenses hortos à Regibus Mexicanis, deliciarũm & magnificentiæ gratiâ translata, vbi eam rursus vidimus editis ac montosis locis, etsi ad campestria iam hominum curâ atque indulgentiâ descenderit,

rit,cultaque & hortensia velut coacta amet. vnde sperare aliquis possit, loca Hispaniarum calidiora minimè refugituram. Sunt & alij liquores simplices atque compositi,quos eodem nomine Hispani,qui ad has regiones penetrauere, appellant.

CAPVT XCVIII.

De tzinacancuitlatl quahuitl,seu arbore ferente gummi simile stercori vespertilionum.

TZinacancuitlatl, quod laccam Officinæ vocant,gummi est arboris mediocris magnitudinis. Folia fert miztquitl,breuia tenuiaque, ex vtraque ramorum parte serie quadam procedentia; stipites ac ramos purpureos obtectos gummi, quod diximus, nequaquam à formicis elaboratum, vt quidam per inscitiam putant, sed ab ipsis arborum ramis vndequaque stillante, & eisdem velut tubulis quibusdam adhærescente. De vsibus eius Arabes rogentur. Illud etiam notum est, admixtâ resinâ massam ex eo gummi parari, quam lacram corruptâ dictione vocant, signandis litteris alijsque schedis aptissimam, additâ verò his arenâ crassiusculâ tusâ, percoctisque omnibus,in placentulam cogi, quæ admota igni, euestigiò emollescat, perfrigerata verò eam duritiam ac firmitatem contrahat, quæ ferrum, lapides & gemmas exedat rumpatque,quod nos experimento ipso cognouimus. Nascitur apud Metztitlanenses, apud quos etiam tlahoitolquahuitl, vel arcus arbor consueuit appellari.

CAPVT XCIX.

De cococxihuitl, seu acri herbâ.

ETsi Indi plantam hanc herbam vocent, in arborum tamen sæpenumerò magnitudinem eleuatur, duarum ac interdum trium vlnarum æquans altitudinem. A sapore acri, quo pollet,nomen accepit. Folia sunt polypodio non omnino dissimilia, sinuosa, & magna, distincta venis rubrescentibus è pallido. Flores in postremis ramorum flagellis spicati, & ex albo pallescentes, è quibus fructus prodit paruus, racemosus, & vtrimque desinens in acumen, amaro & acri sapore constans, multoque affluens succo. Stipites hirsuti ac teretes, infernè lutei, luteoq; succo manantes; radix magna & surculosa, qualem exigunt arbores. Folia alterâ parte viridia, alterâ verò subalbida. Calida est & sicca intra ordinem quartum,non sine quadam adstrictione. Surculi cortice nudati albugines atque argemata illitu discutiunt:succus absumit flatum,curat lichenas (quod & fructus facit) & dolores à frigidâ causâ ortos lenit. Folia medentur veteribus plagis; tusa atque applicata, verrucas corrodunt,& præcipuè præputij ac pudendorum, quod certissimo sæpè patuit experimento. Sunt qui vocant hanc arborem quauhchilli à sapore acri & vrenti, siliquastroque chilli vocato à Mexicanis quàm simillimo. Prouenit temperatis calentibusque regionibus, conuallibus & montibus, nec non incultis & hortensibus. Sunt etiam qui totolinyxochio seu passeris florem vocent, nec desunt qui tlacoxihuitl.

CAPVT C.

De cocoztamal, seu luteo tamali.

COcoztamal,quam alij cocoztic,cocozton,& cocoztli vocant, fruticis volubilis genus est, crassam & pallentem radicem fundens, vnde nomina illa habuit. Caulem leuem,tenuem atque rotundũ. Folia sinuosa & in tres diuisa cuspides. Flores candidos, modicos, illis izquixochitl persimiles,è quibus oriuntur acini, haud absimiles cerasis, sed colore candentes. Radix pallet & inodora est:sapor verò saliuosus;temperies mediocris aut paulò inferiùs,humiditatemque inclinãs. Vrinam mirè euocat, arenas & pituitosa excrementa pellit,atque adeò,quidquid vrinarios meatus obstruit,expurgat & trahit, carnemque ibidem superexcrescentem reprimit, si in læuore redacta semunciæ mensurâ ex liquore aliquo aperiente sumatur, & agglutinato puluere radicis ex oui albumine, aut oleo amygdalarum dulcium, iunco xomalli vocato, gossipino tamen prius filo irretito circumuolutoq;, atque ita penis cauitati admoto: quemadmodum raro quodam exemplo cognitũ est apud Mantuam Carpetanam Philippi II. Regiam,cùm laboraret Episcopus Cordubensis, qui tunc erat Conchensis Præsul,& à Confessionibus eiusdem optimi ac maximi Regis nostri,grauissimâ quadam vrinæ suppressione;eo enim præsidio subitò, ac veluti per miraculum,est liberatus,reseratis vijs, vberrimaque vrinæ copiâ penitus effusâ,haud sine optimâ mercede artificis, cùm tamen ille neque vnde sumeretur id genus auxilij nosset, aut quidquam aliud; quàm se aliosque permultos à quodam Indo Medico, sibi id arcani narrante, ab eiusmodi ægritudinibus fuisse seruatos atque ereptos. Et quamquam sint qui contendant non eo puluere, sed caudæ tlacuatzin animalis,euenisse,quæ eisdem morbis

bis affectis mirabile quoque auxilium præstat, tamen re diligenter considerata atque inquisita, inuentum est è radice huius plantæ, non ex cauda prædicti animalis, mutuatum esse quod narrauimus auxilium.

CAPVT CI.

De cempoalxochuitl, seu foliorum viginti floribus.

PLantæ ferentis florem, quem Mexicenses à numerosa foliorum multitudine cempoalxochuitl, Hispani garyophyllū Indicum, & antiqui ex quorumdam falsa sententia ethonam, aut Iouis florem vocant, septem præcipuæ inueniuntur (quamquam sint & aliæ) in Noua Hispania differentiæ flore, nomine & magnitudine distinctæ. Folijs constant omnes tanaceti, floribus aut luteis, aut ex luteo rufescentibus, facultate ordine tertio calida atque sicca, sapore acri, tenuibus partibus, & non sine quadam grauitate odoris. Vi pollet discutienti & aperienti. Foliorum succus ebibitus, aut folia ipsa contusa, & ex aqua epota aut vino, ventriculum gelidum contemperant, menses, vrinam & sudorem eliciunt: frigora intermittentium arcent illita paulò ante accessionem: flatum discutiunt, Venerem excitant, cachexiam ab intemperie frigida ortam curant, aperiunt obstructa, conuulsa laxant, hydropem leuant, ventrem ex aqua tepida procurant, & tandem febrium rigoribus, imò febribus ipsis, expurgata per vrinam & sudorem causa, medentur.


Primæ speciei flos est luteus, ceterorumque generum flores vincit foliorum amplitudine & numero, & cempoalxochitl propriè vocatur à Mexicanis, ob numerosam mirabilemque foliorum congeriem, quorum dispositione & forma albam rosam nostratem quadamtenus videatur imitari. Huius generis planta ceteris maior est, & amplioribus ornatur folijs. Secundus flos oquichtli seu flos masculus dictus, ob magnitudinem foliorum & calycis, vt à primo genere totius plantæ, floris & foliorum amplitudine, longo superatur interuallo, sic reliqua in omnibus (si foliorum numerum excipias quo cunctis pænè cedit) superat ac vincit. Tertium florum genus tlapalte cacayatli ob colorum varietatem dictum, minus est secundo, sed folijs (vt attigimus) numerosioribus, & è luteo in Venetum inclinantibus colorem. Huius planta minor est præcedentibus, & minoribus folijs constat. Quartum verò dictum macuihococitl tertio ferè est par, sed pallenti colore. Quintum tlapalcocatli, vel coaxochitl vocatum, prædictis omnibus minus est, & non vsque adeò numerosis folijs, tertium que colore imitatur. Sextum cacaxhocitl coztic, vel cocatli dictum, luteum est, & minus præcedenti. Maiusculum est septimum, tepecempoalxochitl nuncupatum, sed exilioribus luteisque floribus, qualia sunt quoque ipsius plantæ folia, quæ sunt omnium minima. Quibusuis locis, & quouis tempore sata video huius prouenire genera; sed lætius incalentibus emicuêre iamdiu apud Hispanos, lætosque exteris quoque nationibus flores præstitere.

GARYOPHYL. ARBORIS ICON SPVRIA CLVSII.



CA-

GARYOPHYL. ARBORIS ICON LEGITIMA CLVSII.



CAPVT CII.

De Garyophyllo.

ARbor est ramosa, lauro formâ, magnitudine folijsque persimilis, sed angustioribus & copiosis floribus oblongis, & clauorum instar, sed capitulis trifidis primò candidis, mox viridibus, deinde rubrescentibus, ac tandem in nigrum inclinantibus colorem, & in garyophylla ipsa euadentibus. Nascitur in Malucis, vbi fructum fert, cùm reliquis in locis sit sterilis. Plura de hac plantâ alij, quare excusatum erit hanc operam producere.

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV HISTORIÆ NATVRÆ LIBER XVI.

CAPVT PRIMVM.

De coccis mineralibus.



Non ſolùm cæli enarrant gloriam Dei. Nonſolùm Sol, repetitâ dierũ choreâ, eructat hymnos eius; grauida quoq; terra omni ſupellectili auaritiæ eructat vnde laudes illũ. Non minimam admirationis particulã mineralia vindicant. Terreſtres quoſdã globos (quos coccos vocãt) terra parit in Occidentali Indiâ; ego dixerim illos oua Solis. Creantur ſub terrâ: ad ſtatum tempus matureſcũt, tunc edito ingenti ſtrepitu diſrumpitur terra, & globus ſubſiliens, ſpargens in ipsâ fractione varias gemmas, quibus infertus delitebat, amethyſtos, topazios, & alios lapides cryſtallinos. Notus iam Indis gemitus ille parturiẽtis humi. Statim quærũt, quà ſonus venerat, grandinem pretioſam. Aliquando tamen accidit nullum pretioſum nucleũ continere.

CAPVT II.

De ſmaragdis.

SMaragdi matureſcũt. Priùs albi ſunt, poſt tempus incipiunt quadã parte vireſcere. Viriditas inde ſerpit, vſquequò totum calculum occupet. Inueniũtur immaturi, qui partim virides partim ſubfuſci. Indi Mantæ feruntur adoraſſe ſmaragdum, qui ouum ſtruthionis æquaret. Occultarunt deam ſuam, cùm ab Hiſpanis ſuperati fuerunt.

CAPVT III.

De margaritis.

MArgaritæ velut cæpa cruſtis inuoluitur. Tempore perit ſplẽdor natiuus, & pondus; ſed ſi exterior cortex auferatur, interior recenter ſplendet. Orizâ quoque leuiter confractâ & ſale, priſtinũ fulgorem recuperant. Solùm illæ margaritæ, quæ neſtæ dicũtur, contumaces ſuâ gratiâ gaudẽt. Quidam putant margaritas poſt pleniluniũ captas cũ tempore minui & decreſcere, non quæ ante.

CAPVT IV.

De ytztli lapide.

CVltra, quibus Indi vtuntur, ait Frãciſcus Hernandus, nouacula, enſes, pugiones, quamplurimaq; alia huiuſmodi ad ſcindendum apta inſtrumenta, quibus quondã, nondum ferri vſu reperto, vti mos erat, è lapide, patriâ linguâ ytztli vocato, ſolebant parari. Triplici hi colore diſtinguuntur, cyaneo ſcilicet, candenti, ac nigro, etſi tranſlucidi omnes. Fiunt ex eis apud Hiſpanos auro ornatæ atque argento aræ, maximo in pretio habitę, referentes (adeò ſunt terſi ac lucidi) ſi ſemel expoliantur interpolenturque, rerum oppoſitarũ formas mirâ perſpicuitate. Effoſſi ergo è venis, quarum multas apud Mexicanos reperias, ſecantur in fruſta mediocria, & ſuapte ſponte anguloſa, confricanturque alijs aſperioribus lapillis, vt mox eminenti ligni cuiuſdam naſo pixidi vocati arcabuzij, haud abſimilis, lapide vtrimque pedis digitis maiuſculis (incuruatis in latera cruribus) comprehenſo, artifices quadam induſtriâ, ac impulſu mirabili laminas craſſiuſculas excutiant; vtrimque quadam eminentiori planitie binis dorſis, ancipitique inſignes acie, ac ſpithamam plus minus longas, gladijs noſtris paulò craſſiores, & paulò ampliores lato digito, adeoq; penetrabilis aciei, vt nihil acutius excogitari poſſit, ſed fragiles, & quæ vel facili hebeſcant deſiliantque ictu, ac minutim conterantur. Ex his cultris, ligno quatuor digitis lato, vulgariſque enſis longitudine, affixis, & gummi illo genere, quod indigenæ tzinacan cuitzatl vocant, ferruminatis, efformant enſes adeò immanes & atroces, vt vel vno ictu homo integer in duas partes ſecari contingat, modò primus ille ſit: reliqui enim caſſi pænè ſunt atque inanes; ea eſt huius teli acies atque fragilitas. Quo tempore præfractos gladiolos detrahentes, atque acuentes, ruſus addunt præfiguntq; ſagittis; quibus excuſſis arcuum flexu ac vi transfigãt hoſtes eminus pugnantes, adeoq; exaniment: neque enim eſt harum in bello Indis minor vſus, quàm enſium noſtratibus aut in iaculandis inferior dexteritas. Huius

lapidis puluis admixtus cryſtallo, eodem modo redacto in læuorem, mirè extergit oculos,& leucomata argemataque diſſipat, exacuitque viſum.

CAPVT V.

De toltecayztli, ſeu lapide nouaculari.

TOltecayztli, ſeu lapis nouacularis varius,ſpecies habetur yztli, variata nigro ac minij colore, cuius puluerem admixtum cryſtallo ferunt argemata diſcutere, acuere viſum, & carnem eiſdem ſuperexcreſcentem abſumere.

CAPVT VI.

De yztehuilotl.

AD yztli genera referendus eſt yztehuilotl. nigerrimi eſt & nitentis coloris.

CAPVT VII.

De plumâ fœtidâ.

QVetzalxaquyac, ſeu pluma fœtida, ſmaragdi genus eſt valdè virens, vile tamen,& minime tranſlucidum, cuius puluerem teſtantur mederi vetuſtis plagis,ac præcipuè pudendorũ. Nomen inuenit à fœtido odore,quem,dum interpolatur,ſpirare ſolet.

CAPVT VIII.

De lapide lactis.

TLacuiloltecpatl,ſeu lapis pictus,eſt candido lapillo ſimilis,niſi quòd purpureis maculis, coccineis ac virentibus ſit tranſlucidus. Fertur lac augere.

CAPVT IX.

De tlapaltehuilotl.

TLapaltehuilotl dicunt prodeſſe renum & vrinæ ardori,alligatum renibus. Fortaſſe eſt amethyſtus. alij vocant tlapaltehuilatl.

CAPVT X.

De oculo æluri.

FOrtaſſe heliotropia eſt lapis hoitzitziltetl,ſeu oculus æluri dictus. Magna eius vis apud Tototepecenſes, ſed paruulus eſt.

CAPVT XI.

De iaſpidibus viridibus.

LOcutus Franciſcus Hernãdus de eztetl, ſeu lapide ſanguinis, Virentis iaſpidis, inquit, videtur ſpecies, ſanguineis tamen guttis reſperſus. Aiunt alligatum metacarpo dyſenteriam compeſcere, aliaſq; ſanguinis defluxiones. Sunt qui alligent collo, & puluerem eius naribus diſpergãt fluente inde ſanguine,aut cuiuis alteri parti,cui effluxio contigerit. Eſt & alia iaſpidis viridis ſpecies,nouo orbi frequens & vulgaris, ſed albis cinereiſve diſtincta punctis,quam ytlibayotcam quetzaliztli vocant, ſeu obſcurum ſmaragdum (ad genus ſiquidem ſmaragdorum ipſi referunt) aiúntque brachio appenſam colicis doloribus iliaciſque mederi, atque idem præſtare vmbilico admotam, aut cuiuis alij affecto loco. Alius lapillus delatus ad me, vt viſum eſt, prædictis congener, ſed virore longè dilutiore, aut cinereo, ac paucis viridibus diſtinctus maculis, ad iaſpides virides pertinens, aut ſmaragdos viliores, quem xoxouhqui vocabant tecpatl, ſeu viridem lapillum; ſed nullam eius inſignem facultatem narrauerunt. His etiam venit annumerandus lapis virens, & ad prædictorum pertinens differentias, ſed maculis obſcurioribus reſperſus, quem vocant cuicuiltic tecpalt, ſeu depictum lapidem, quamquam in quibuſdam partibus magis tranſlucidus; cuius nihil narrant inſigne: necnon alius obſcurior atque viridior, tlilayotic vocatus, & quem quetzalyztli vocant, colicis iliaciſque ſalubris, & ad iaſpidis viridis pertinens differentias. Sunt & alij lapides, quos y tecpayoquetzaliztli vocãt, viliorum ſmaragdorum differentiæ, colicis quoque & iliacis vtiles ſubalbidæque.

CAPVT XII.

De ſuccinis.

PErgit idem Auctor, agẽs de apocconalli. Ita vocant ſuccinum noſtrũ, cuius duas indicant ſpecies, alteram quæ in flauum colorem magis inclinat, vocata tletic, ſeu flammeum apoconalli; alteram verò dilutiorem, quam quetzal apoconalli ſeu plumæ ſuccinum vocare ſolent. Ad huius genera videtur pertinere xochipaliztli, lapillus obſcurus, quamquam ad ſuccinum potiùs, quem vocant coagulatum, aut chalcedoniam gemmam, pertinere quiſpiam putare poſſit.

CAPVT XIII.

De lapide ſanguinis.

APud me habeo iaſpidem coccineum, admirandæ ſiſtendo ſanguini virtutis: fortaſſe non diſſimilis ab illo, de quo idem Franciſcus Hernandus ita ſcribit: Oſtẽdunt & aliam gemmam rubram & obſcuram, ſed viridi colore maculatam, affirmãtes ſanguinis etiam obſiſtere fluxui, quam ego inter iaſpidis quoque collocarem genera, etſi chal-

chalcedoniæ quadãtenus videatur similis. Illa vero quã eztetl vocauimus, & eiusdẽ vsus esse diximus, viridior est, ac minùs rubra, hæc verò magis rubrã est, ac minùs viridis.

CAPVT XIV.

De cornerinis.

COztictecpatli vocant, quas nostri cornerinas appellare solent, seu lapides luteos; aiuntq; cordis affectionibus sanãdis magnopere inseruire: quam facultatem, & ceteras omnes prædictorum lapidũ, aiunt Mexicani ab Hispanis accepisse, cùm ante aduentum eorum solùm essent eis ornamenti & lusus gratiâ, non aliter ac aurum & argentum, cochleæ ac pennæ.

CAPVT XV.

De lapidibus qui vices ferri supplent.

DIaphani quidam lapides in nouo orbe ad armorum vsum aptantur in secures, cuspides, gladios: existimo hos lapides ex ytztli esse, de quo iam diximus.

CAPVT XVI.

De sapphiris.

SApphiri putamen inuentum est anserino ouo grandius.

CAPVT XVII.

De auro.

AVrũ inuenitur, præter fodinas, in terræ superficie, in riuis, in fluuijs, quò alluuies conferũt. Inde extrahitur dilutã arenâ. Cerabarois populis Numen creditũ aurum. Non nisi expiati quærunt, à coitu, cibo, potu, & omni oblectamento abstinent, vt religiosè legant. Grana auri octo pondo inuenta in Hispaniolâ, vnum inuentum triginta sex librarum, quod vidit Anonymus auctor manuscriptæ historiæ.

CAPVT XVIII.

De electro.

ELectrum purum in Occidente inuẽtum testatur Petrus Martyr oculatus testis.

CAPVT XIX.

De zuruchec, seu metallo plumbeo.

ARgentum viuũ notum tantũ fuit Barbaris, sed nullius vsus: namque loco illius ad argenti beneficium aliud metallum sufficiebatur, inuentum in alio colle humiliori, qui iuxta Potosi tumulũ iacet. Vocant Indi huayna Potochi, id est Potochi adolescẽtem. Hic inuentum quoddã vilius metallum, & pænè plumbum admixtũ argento, pro hydrargyro fuit. Illud zuruchec dixere, quod significat *faciens dilabi*, quoniã eius inflatione argentũ liquefieret, nec adureretur.

CAPVT XX.

De lapidibus admirationis.

INter hęc seria aliquam fabulã admisceamus. Hoc ipso iam seriò agimus, dum fidem incertã fatemur. In Lybicis montibus Alard & Quemque (iacent inter Neubam & Zinchem) scribunt Mozaudi & Ludouicus Marmol inueniri lapides admirationis. Beth vocant Arabes. Hi non aliter quã lupi aspectus, feruntur mutefacere conspectores. Ex his Arabes narrant extructã ab Alexandro Domum admirationis. Ad eos quęrendos & conuehendos monuisse Aristotelem (Arcatotalis à Barbaris dicitur) seruum præmitti, qui lapidẽ publicaret mutefactus, iussus statim tegere saxum, ne noxiũ esset vectoribus.

CAPVT XXI.

De lapide aqueo.

ADmirandę conditionis lapidem narrat Franciscus Hernãdus his verbis: Sacrificus quidam ostendit mihi gemmam etiam candentẽ, & ad crystallorum (vt videbatur) pertinentẽ genera, in quã mirum erat guttulam velut aquæ interceptã, & paruâ contentam cauitate, semper tenere foraminis superiora: quoq; magis deprimeretur, eò auidiùs ad superiora tendere; cuius naturalem rationem adhuc peruestigare nequiui.

CAPVT XXII.

De lapide speculari.

CHimaltizatl species est lapidis diaphani & candescẽtis, qui in laminas tenuissimas numerosasq; philyras facili operã dirimitur, vnde habuit nomen: est enim chimaltizatl minerale candicans, in laminas sectile, quod antiqui vocauere speculare. Cõbustum gypsi vicem præbet, pigmentiq; candido tingentis colore. Ceterùm de specularibus petris antiquorum haud ingratũ erit censuram Guidonis exhibere. Specularia, seu speculares lapides, materia quædã lucida erant, vt sanctus Basilius scribit, & instar aëris transparens. Hanc veteres fenestris imponebant, vt nos vitrum. De his specularibus apud Piniũ extat, & in Iure ciuili. Nero sacellum siue templũ Fortunæ ex specularibus cõstruxit, in quo qui erat extrinsecus, absq; vllo obstaculo conspiciebatur, ac, vt Plinius scriptum

reliquit,portis etiã clausis lux ibi inclusa non transmissa videbatur. Speculares hodie nõn reperiuntur. Deposita apud me quondã fuit crystallus ex simili materiâ, altior digitos duos, adeò trãslucens, vt aër quodãmodò videretur, extremis solùm partibus visui expositis. Continebat in se chelydrũ, qui ore aperto agnellũ quasi deglutiturus erat, sed ab hoc ei crux opponebatur. Erat affabrè effigiata.

CAPVT XXIII.

De stercore Lunæ.

MElcuitlatl, seu stercus Lunæ, est alius lapis Nouæ Hispaniæ, similis speculari, seu chimaltizatl. In prætenues etiam secatur laminulas ex aureo colore purpurascentes. Medijs ignibus, mirabile dictu, non comburuntur; mirabilius, non calent.

CAPVT XXIV.

De lapide gossipij.

YChcatetl, seu lapis gossipij, est terræ genus candentis, quod febricitãtibus mirabili successu solet sumendum propinari ex aquâ aut liquore alio frigido. Generatur hæc in saxorum cauitatibus Xonotlæ, iuxta quas flumẽ ab excelso loco fluit in præceps. Sunt huius complura certissimaq; testimonia, nec est difficilis sumptu, aut si non profuit, nocuit vmquam sumenti.

CAPVT XXV.

De tlanexillo, seu gummi luteo.

DE tlanexillo hæc scribit Frãciscus Hernandus: Gummi lutei genus est mollissimi ac lubrici, quod saxis inuenitur adhærescens, ab insilienti sæpè verberatis vndâ. Pectoris asperitati, tussique est vtilissimum; nec dissimili ab eo quod ex poterio stillari solet. Sunt qui eiusdem rei causâ addant tapacpatli. Prouenit Hocitlalpæ.

CAPVT XXVI.

De tapacpatli, seu hepatis medicinâ.

MInerale quoddã est atri coloris, inter duo saxa Tapayolami proueniens, oppidi Hocitlalpæ, nec alibi scaturit. ergo quo diximus loco cogitur iuxta fauces, vnde colligi solet ab Indis, ac sumendũ præberi duarum drachmarum mensurâ. Tritum ac resolutum ex aquâ, tussim antiquam atque difficilem passis, bis terve, aut quoties amplius expedierit. Informis verò quædam res est, ac hepati contuso persimilis.

CAPVT XXVII.

De terrâ acidâ, seu alumine.

EIusdem Auctoris de tlalxocotl, seu terrâ acidâ, hæc sententia est. Nec venis aluminis Noua caret Hispania: cumque orbi nostro scissile, rubrũ & squamosum cognita sint, item ex vini fæcibus & herbâ, tealli vocatâ Arabibus, confecta, & quod de plumâ ob similitudinem vocant; si modò id verum est alumen; & antiqui meminerint scissilis nobis cogniti, rotundi item, & liquidi nobis ignotorum, meritò dubitare aliquis possit, ad quod aluminis genus Mexicanum debeat referri. Et ego liquido potiùs ac stillatitio, quàm alteri cuipiã generi putauerim annumerandum atque adscribendũ, persuasus à parandi modo. Terunt siquidem in primis aluminosam terrã, ac in magna quędam ac rostrata fictilia profundunt; mox aquâ affusâ liquant; quod stillat, vtile est. Coquunt hoc quantum videtur expedire, sed priùs quàm in debitam duritiem percoquatur, in frustula parua diuiditur discinditurque, & exquisitè coactum venumdatur in emporijs, candens, lucidum, diaphanum, & acri adstringentiq; velut nostrum sapore. Temperant illo pigmenta sua artifices, & coccineis adijciunt coloribus. Dentes adstringit, siccat, atque extergit vlcera; excrescentem carnem exedit abroditque. Vtile est tinctoribus & fullonibus, ac demum totidem vsibus, quot nostrum accommodari potest.

CAPVT XXVIII.

De caseo limoso.

AEmula caseo esca tecuitlatl dicitur. Scaturit nõnullis è locis aluei Mexicani lacus, persimilis limo, & summas statim petit aquas, vnde excipitur, verritur quærentibus, aut coaggeratur palis. Indi extractũ & paulisper siccari permissum ad Solem, efformant in placentulas: rursus exponitur Soli, herbis virentibus superimpositũ, donec exquisitè arescat. Ita reponitur, vt caseus, in anni tantũ vnius vsum. Estur, vbi opus est, cum maizio torrefacto, vulgaribusq; Indorũ placentis. Vnaquæque limi huius vomica peculiarem sortitur dominũ, cui mille aceruos interdum annuos reddat. Sapore est casei, à quo sumpsit apud Hispanos nomen, sed minùs grato, & cœni quodã odore. Color adhuc recenti cyaneus aut viridis, sed limosus; inueterato è viridi, nempe vergens in nigrum. Edulis exiguâ portione, eademq; assumpta loco salis, condimentíve maizij, aut quæ ex eo parantur, placentularum. Improbi est ac rusticani cibi.

CA-

CAPVT XXIX.

De sale & nitro.

SAl dicitur yztatl,de quo hæc scribit Frãciscus Hernãdus: Reperias apud Nouam Hispaniam omnia circiter salis genera, quæ in reliquo proueniunt orbe, nam nec deest maximum yztaxalli nuncupatum, cum suo flore,& spumâ; fluuiatile,lacũstre, fontanũ, aut puteale; neque in generando fossili fuit alibi liberalior natura. Quid? quòd aliud insuper genus non paucis in locis è terrâ percolatâ lymphis paratur,inferius reliquis,formaturque in crassiores placentas, nuncupatum patrio nomine yztayahoalli. Nec verissimi nitri prouentu,baurach Arabibus vocati,Indis verò tequixquitl, vlli terrarũ cedit. Verrunt id è terrâ arescente lacu,aut è muris deradunt antrisve, roseum ac candidum plerumque,leue,fistulosum & fragile, percolatumque formam &splendorem nostratis repræsentans. Quo fit, vt mirari subeat illorum sententiam, qui vulgare nitrum, & quod dissoluendis liquandisque metallis inseruit ac fert opem, tormentisque bellicis plumbeas pilas excussuris, ab antiquorum nitro differre enixiùs contendunt, aut spumam nitri,quã in antris potissimùm in spumæ formam,raram, & mirum in modum candescentem, & in specubus alijsque subterraneis meatibus conspicias,nesciant ab aphronitro,quod mediam quamdam nitri & spumæ nitri naturam participet, distinguere atque separare;contrà ab aphronitro aphrolitrum diuersum esse contendentes. Paulò acrior vulgari sale est nitri natura, sed adeò ei vicina, vt si crassiores particulas sæpiùs percolando separes,verissimũ sal sis ex nitro extemplò habiturus. Quid dicam de sale vocato Indo, qui saccharum antiquorũ esse cõstat,aut de muriâ alatrone,& alaxatre vocatis, qui sales sunt factitij & familiarissimi omnes nouo orbi. Naphthico tamẽ ammoniaco, & similibus salsis venis (nostrâ, vt opinor, incuriâ, non plagæ huius omnium ferè rerum feracissimæ culpâ) nondum in hunc vsque diem adinuentis.

CAPVT XXX.

De nitro.

PRæter dicta in superiori Capite, adijciẽda hæc de nitro seu tequixquilitl: Ex lacubus ęstate arefactis verritur scopis,aut colligitur manibus nitri verissimi,& candidissimi aphronitri, in grana velut vulgaris salis coacti, copia non mediocris, ac in vsus reconditur. Abundat eo totus pænè Mexicanus lacus. Additur quibusdam ferculis & obsonijs iucundiùs atque commodiùs ipso sale,nec tamen omnino similem præstat effectum; siquidem nonnihil accidit gratius. Extergit ex aquâ aut vino caput,amouet furfures, & alias sordes ei innasci solitas,roboratque & exsiccat,eleuat ampullas spumasque non minùs ipso smegmate siue sapone. Propinatur ab Indis Medicis permixtum alijs medicinis,quas ijdem patli vocant; frigidumque esse aiunt: quo minùs mirer, caphoram adeò mordentem,& quàm celerrimè abeuntem in flammas,frigefactoriç esse naturæ assertum à multis, nitrumque in vinum aut lympham coniectum, mirum in modum eos refrigerare; liquores, ipsumque grandinem,gelu ac niuem in hac re pręstandâ vincere. Emollit prætereà maizij spicas, aquæ cui incoquuntur additum, gratiamq; addit non mediocrem. Abluuntur eodem aquæ insperso, & perquam accommodè extergumtur crura ac pedes, & tuetur ea à frigore,& fissuris ab eo consuetis oriri, corroboratione & adstrictione quadam.

CAPVT XXXI.

De salinâ de Arayâ.

COmmemoranda est hîc mira salis officina. Tanta vis est in salinâ de Arayâ,vt si hodie decem oneres nauigia,intra quatriduum totidem implere possis. In anfractu quodam è mari ardentibus Solis ęstibus breui coagulatur salsus vapor. Meminit eius Petrus Martyr. In eâ,inquit,Pariæ orâ regio est,nouo genere salinarum insignis, nomine Haraia; vi namque ventorum agitatum ibi mare aquas impellit in adiacentem latam planitiem, quæ Sole superueniente, pacato æquore congelantur in candidissimam sal optimum: quo, si priusquam pluat,properè adierint, onerari quirent quotquot nauigia mare sustinet. Illicò namque,cadentibus imbribus,liquefit,& sorbetur arenâ liquor, reditq; per terræ meatus ad suam originem, vnde fuerat impulsus. Dicũt alij ,non è mari planitiem repleri,sed è quibusdam fontibus salientibus aquâ marinâ amarioribus, qui remouent illas aquas tempestate vigente. Salinas eas magnifaciunt incolæ, qui sale non ad vsum modò patrium fruuntur, verùm etiam in laterum formam redactum, peregrinis permutatione rerum alienarum venumdant. Idem alibi inquit. Ciuitates hæ Ponti adhærentes sal conficiunt, quo vniuersæ illarũ terrarum nationes vtuntur,ex aquâ lacunæ salsę illud congelant, per fossulas in terram ad id condensandum aptam deductâ, congelatum concoquunt in glomos, post hæc aut paniculos formant, perfora & nundinas peregrinarum rerum permu-

mutatione asportandum. Muteczumæ deditij salis illius commoditate participes fiebant, detrectantes autem illius mandata minimè: sine sale propterea Tascaltecani, & Guazuzingi, plerique etiam alij suas escas condiebant, qui Muteczumę imperio aduersabantur. Idem Auctor ait: In regione Bainoæ prouinciæ in montibus Daiagonis, ad milliaria duodecim à Caspio salso lacu, salinæ sunt montanæ, saxeâ crystallo lucidiores candidioresq́. Sunt & huiuscemodi salinæ, quæ crescunt mirum in modum in Laletaniâ, quæ Catalonia dicitur, sub Duce Cardonæ, regionis illius Optimate primario. Sed nobiliores has Bainoas esse asseuerant, qui vtrasque noscunt. Sine cuneis & ferreis clauis hoc scindi minimè posse aiunt. Laletanum autem facilè frangi, & ego expertus sum.

CAPVT XXXII.

De sale palmarum.

CAribes sale carent: substituunt ex palmis, quarum germina & teneriores caules adurunt; dein lixiuium ex cinere coagulant pro formâ & modulo vasculi. Condensatum albescit ad salis vsus, licet non sinceros, nonnihil enim amarescit.

CAPVT XXXIII.

De chapopotli.

FOrtasse bitumen Iudaicum, ab antiquis dictum chapopotli, est ex atro fuluescens, purpureo colore splendet, ac trifolij asphaltitis aut rutæ grauem quemdam odorem spirat, & eisdem facultatibus pollet. E Septemtrionali scaturit Oceano, & liquidum fluens statim, in Nouæ Hispaniæ littora decurrit, in laminas cogitur, bina passuum milliaria quãdoque longas, crassas verò duas tresve spithamas. Vili (tanta est eius in his regionibus copia) venditur pretio: vtuntur eo Mexicanę mulieres commanso, ac passim non sine voluptate quadam ore retento, ad extergendos & nitori antiquo restituendos dentes.

CAPVT XXXIV.

De arenâ candenti.

YZtacxalli dicitur arenæ genus Hucitlalpæ proueniens, vbi aqua ex edito quodam præcipitatur loco, quod febricitantibus egregiam ac propè diuinam fert opem, si drachmæ vnius mensurâ aliquoties sumatur. Est autem yztacxalli *arena candens.*

CAPVT XXXV.

De terrâ albâ.

IN planitie Venetucle ingens serpentium vis. Natura prouidit damno. Fodina est terræ albæ, & mollis; hæc hausta liquore, præstat probatissimum antidotum.

CAPVT XXXVI.

De pigmentis raris.

TEticatl, seu lapis ticatl, genus est lapidis albi, quo vsto vtūtur pictores ad album colorem exprimendum, quamuis chimalticatlo candore cedat. Texotli, seu silaticũ genus est terræ, in montibus quarumdã Nouæ Hispaniæ regionum effossæ. Teritur hæc, includitur saccis, atque affusâ desuper aquâ tenuior pars permittitur excolari: siccata redigitur in placētas cyaneas, quibus pictores eũdem colorem ęmulantur. Quæ remansit in saccis crassior pars, tunditur, affusaq́; rursus aquâ, tenuior secundò fluit ad eadem vtilis, quamquã dilutior atque vilior. Quod Mexicani tlahuitl vocant, nos Arabum æmulatione macram, Latini verò rubricam fabrilem appellant. Genus est pallentis terrę, quæ torrefacta, rubrum euestigiò inducit colorem, vtilis pictoribus, ædiumque parietibus solóve rubro inficiendis colore.

Tetlilli seu ater lapis genus est terrę in Mystecarum regione Nouæ Hispaniæ pręcipuè effossæ, atra, & quâ pictores eidē colori imitando passim vtantur, etsi alia paretur apud eos atramenti differentia. Vocatur ocotlilli, ex fumo assularum pinus cuiusuis nuncupati patriâ linguâ ocotl, vnde nomen atramento. Vstarum nempe fumus in vasorum opertorum cauitate in pilulas coit, quas demum derasas, in suis emporijs venumdare frequenter solent.

Tecuixtli genus est terræ, cuius fumo condecorare Indi denigratas trabes, ceterasque materias, solent; atque inficere rudes quasdam & modici sumptus tabellas.

Xicaltetl est aliud candidum ac minerale pigmentum, quo xicaræ vocatę quãprimùm illinuntur, vt alij desuper appositi colores tenaciùs adhærescant, nec valeant facilè deradi, aut vllâ violentiâ deleri.

Tecocahict est ochræ aut terræ pallentis quoddam genus, quo pictores luteum colorem imitantur. Cutī hæc frigore dehiscenti opitulari consueuit. Sunt ex hisce mulieribus, quæ faciem illo fucent; viri autem corpus vniuersum eodē inficere consuescebant, cùm olim essent impetum in hostes facturi, aut adituri bellum, ita enim illis fore terrori, habebant persuasum.

CA-

CAPVT XXXVII.

De terrâ fœtidâ.

DE tlalyac, seu terrâ fœtidâ, inquit Franciscus Hernandus: Effodiuntur apud Nouam Hispaniam myseos, quod ijdem tlalyac vocant, nostri verò Arabes queazeg, duæ differentiæ: altera formâ terræ, sed laminulis argenteis aut aureis interstincta; altera ad lapidis naturam magis accedens, nigraque. Ambæ sunt calidæ, siccæ, atque adstringentis naturæ, & acri gustu. Conficiunt ex eis indigenæ atramentum, quamquam idem, ex hædarum fumo, in fictilia excepto vasa, & postquam in glebas coactus est, deraso, velut antiquos etiam fecisse constat, soleant interdum parare. Excitant etiam eo medicamento Brasilij colorem. est enim citra dubium antiquorum mysi, aut illi velut chalcisis & psoci congener.

CAPVT XXXVIII.

De ahuachtetl.

LApis est candens & translucidus, iuxta Panucinorum flumina repertus, cuius puluis ex aquâ sumptus dicitur febribus ardentibus, & quas puncta comitantur, mederi.

CAPVT XXXIX.

De Alcececæ lapide.

ALlatus est, inquit Franciscus Hernandus, ex oppido Alcececâ regionis Panucensis, lapis quidam crystallo pæne similis, sed suffuscus, cum bituminis genere quodam atro duroque; quorum ramenta æquo pondere sumpta aiunt mirâ breuitate insanientibus mederi. Verùm neque nomen mihi dictum est, neque pondus. sunt tamen apud nos & lapis & bitumen.

CAPVT XL.

De eztetl.

INuenitur in regione Panucensi alius lapis è nigro fuluescens, & in chalybis inclinans colorem, prægrauis, cuius ramenta sumpta dysentericis medentur, ac ventris dolori: naribus verò insperſa, sanguinem ab ipsis fluẽtem sistunt, & hemicraniæ medentur. Et quamquam lapis apud nos sit, non potuit tamen ab Indis extorqueri vbi proueniat, aut reperiri possit.

CAPVT XLI.

De tzocui omitl lapide.

IN Chichimecis quoque lapis quidam reperitur ex albo in cinereum vergens, leuis ac pumicosus, à quibus vbi nascatur non potest extorqueri, etsi fingant Angelorum esse os. Madentem hic lapis terram olet, nec malo sapore constat, quo fit vt enixæ ramenta eius sumant, nec non lateris patientes dolorem, aut febres, cum æquâ portione radicis quam lucheanmec vocant, ab arbore quadam magnâ apud Chichimecas nascentem, vt ijdem ferunt, depromptam. Eiusdem lapidis ramenta coniecta in nares, aiunt sedare capitis dolorem.

CAPVT XLII.

De ambiâ bituminis genere.

IN Peruinâ Prouinciâ fluit bituminis genus quoddam mellis colore, lentoreq; & odore tacamahacæ, in fontem quemdam mari propinquum, morbis antiquis, & à frigore ortis, sedandisque doloribus, & flatui discutiendo valdè vtile; roborans dissipansque tumores præter naturam, & partibus, quibus admouetur, mordicus adhærescens. In eadem prouinciâ Incollao extrahitur è cespitibus, palis impositis arundinibúsve, expositisque Soli, liquor fuluus, & grauis odoris ad eadem vtilis, & recentibus plagis conglutinandis atque medendis. Hæc ex Francisco Hernando. Posteà Monardis sententiam producam.

CAPVT XLIII.

De tecopalli saxeo.

INnascitur tecopalli, seu gummi saxeum, cautibus, haud dissimile adnascenti quibusdam arboribus, nomine, odore, formâ & facultatibus, verùm efficacius, ac præcipuè ad arcendos vapore suo capitis dolores, & in cuius foraminibus vespatum quoddam genus prolem edunt, vermiculósve, qui sedandis dentium doloribus, si tusi ex oleo amygdalarum dulcium maxillis illinantur, mirabiles sunt. Nascitur apud Quauhnahuacenses, vbi lapidum violatorem vocare consueuerunt.

CAPVT XLIV.

Vnde Rex Salomon tantã auri vim coëgerit.

NOlo prolixas quæstiones implicare: dumtaxat exhibebo sententiam Petri Iarrici, vbi in Sophalam incidit, de quâ

hæc habet: Regnum hoc auri ferax est; in plurimis enim illius prouincijs venæ sunt, è quibus auri magna eruitur copia, ac præsertim in regno Toroâ; in quo etiamnum veterum ædificiorum lapideorum supersunt vestigia, quæ & magnitudine, & splendore, cum veterum sunt Romanorum ædificijs comparanda. Hanc ob causam non desunt qui credant, hinc Salomonem, ac deinde Reges omnes Hebræos, quod singulis tribus annis, teste Scripturâ, ex Ophir (quã Sefalam aut Sephalam esse dicunt) accipiebãt, aurum eduxisse. Septuaginta enim Interpretes *Sonpheir* aut *Sopheiram* nuncupant, quod nomen *Sophale* affine admodum est. Et hæc referunt incolæ (teste Thomâ Lopesio in suo Itinerario Indico) penes se libros esse, qui Salomonem hinc omne suũ accepisse aurum testentur. Alibi tamen diximus, probabilius videri, in auream Chersonesum, vel regionem quæ à Pegu ad vsque Malacam cum insulâ Sumatrâ extenditur, quæ & auri venis, & alijs rebus ad Salomonem deferri solitis, qualia sunt gẽmæ, simij, pauones, ebur, & lignum quod thyinum in Scripturâ nominatur, abundabat, nauigationem institutam; hæc siquidem omnia in Indiâ Orientali, non verò in Sofalâ (auro & ebore excepto) reperiuntur, vti nec in Peru, quam nonnulli esse Ophir volunt, cuius sacrę meminere Literæ; ebore enim & ligno thyino caret.

CAPVT XLV.

De Maranonibus fluuiis.

AQuam dixit Thales valentissimũ elementum: ego mirificentissimum quoque dixerim. Memorabo aliquos fluuios, fontes, maria, dignissima miratu. Fluuius de Orellanâ per quinquaginta leucas diffunditur, cũ pelago se dat; si angulos terrę respiciamus, sexaginta. Hic amnis princeps est omnium qui Peru alluunt, ab Indis propterea Apurimac dictus, id est *præcipuus*. Dicitur etiã Capac mayu, id est *fluuius augustus*. Capac enim agnomen regiũ est. Anno 1555. ingentes rupes in illum collapsę intermiserunt per triduũ torrentem, donec montem illum superarunt aquæ quatuordecim leucas supergressæ, interim incolæ inferioris plagæ admirati vastum illum fluuiũ repentè siccum, orbem finiri credidere. Circumcurrit periodum 2000. leucarũ. Mare effusus dulce facit ambitu centum leucarum. In exitu pænè iungitur cum vasto alio fluuio Marannone, qui amplissimo etiam rictu viginti leucarum immergitur pelago. Vicinitas hæc (tantùm distant ibi sexaginta leucas) confundit hos fluuios; quæq; vnius sunt, alteri adscribũtur, ideò à nonnullis vterque fluuius Amazonum dicitur, vterq; fluuius Marannon. Cùm subit mare, plusquam bis mille insulas circumscribit. Impetus ex rumore torrentis illisi in illas, à quartâ leucâ fertur audiri.

CAPVT XLVI.

De Orinoco fluuio.

ORinocus, siue fluuius Pariæ, vltra 400. dilabitur leucas septemplici ore fusus per longum interuallum, condit salsas aquas dulci Oceano.

CAPVT XLVII.

De Paranaque.

IVxta Paraguay fluuius Paranaque, siue argenti, ab alijs Parahuay dicitur, si humi fecerit salicem, in petram conuertit. Ego inueni, qui ramo salicis immerso aquis, in sclopetis vsus ad extundendũ pro silice ignem. Ipse mihi retulit, vidisse frondem partim ligneam, partim saxeam: non enim totã aqua absorbuerat. Subitis fluuius argenti intumet cremẽtis. Cogit ripæ suæ habitatores per tres menses in nauiculis morari, ab arborũ cacuminibus ligatis. Quâ parte mare subit, patet triginta leucas. Stringitur tunc, nam in superiori alueo dilatatur per quinquaginta.

CAPVT XLVIII.

De desaguadero.

DEsaguadero dicitur ab Hispanis portio lenti amnis superficie tenus, sed qui in fundo præcipiti dilabitur impetu.

CAPVT XLIX.

De aquâ marinâ.

AQua salsa maris efficax antidotus vulneratis venenato telo.

CAPVT L.

De mari sanguineo.

CHiribicensium mare quibusdam fertur anni temporibus ad colorem sanguinis circa littora rubrescere. Interrogati senes causam, putare se aiebant, quòd ingens multitudo piscium oua eo tempore egesserat, quę ab vndis raptata, supernè cruentum colorem illum darent aquis.

CAPVT LI.

De fluuijs auriferis.

IN Tacintebecha duo amnes sunt auriferi, alius in Malinaltepechâ. Aurifera quoque flumina sunt Duraba, Boragua, Naibas,

Iunna,

Iunna, Attibunicus, & Iaches. Hæc in Occidentalibus Indis noui orbis. In antiquâ sunt Tagus in Hispaniâ, Hebrus in Thraciâ, Rhenus & Danubius in Germaniâ, Pactolus in Lydiâ, Ganges in Orientali Indiâ, Ticinus ex Verbano lacu, & Adona ex Lario effluentes, Ada prætereà & Padus in Italiâ.

CAPVT LII.

De fonte piceæ aquæ.

IN Cubâ aquæ piceæ fons scatet. eius pix præstat arboreæ ad omnes vsus.

CAPVT LIII.

De fontibus dulci-salsis.

IN Prouinciæ Caizimu regiunculis, Iguanamâ, Caiacoâ, Guariaguâ, scatent admirabilis naturæ fontes, superficie primâ dulces; quæ medium tenent aquæ salso-dulces; quæ fundo iacent, amaræ salsęq;. Putāt salsas maris aquas leniter emanare, in supercilio fluere de mōtibus, per terræ meatus dulces. Hæ submerguntur, & emergunt illę; nec sufficiunt hæ corrumpere penitus illarum latices: quæ sunt mediæ vtrasque suscipiunt, & vtrarumque fiunt participes. Si autem quis in alicuius fontis margine stratus aurem fixerit, concauam esse adeò ibi terram noscit, vt reboet à milliaribus tribus veniens eques; pedes autem ab vno milliari sentiatur.

CAPVT LIV.

De fonte Boiucæ.

IN Boiucâ insulâ siue Agnaneo fons celebratur perēnis & nobilissimus, cuius aquâ epotâ reiuuenescūnt senes. Multorum famâ, aliquorum experimento id probatum fertur. Quidam senex decrepitus eò se contulit, amore vitæ audax. Lotus & potus ibi aliquot dies, resumpsit virile robur, florens demum redijt, vxorem iterùm duxit, & genuit filios. Hæc testantur serij Auctores, & seriò Petrus Martyr, me tamen fidei non oppignoro.

CAPVT LV.

De aquis Chiribicensibus.

CHiribicensis fluuij latex frangit purgatque vesicarum renumque calculos, sed oculorum nubes generat. Ex quodam fonte scaturit, vt ferunt, materia ignis inextinguibilis, vulgò alchitrani seu graeci.

CAPVT LVI.

De gurgitibus lacteis.

LActei gurgites per quadraginta milliaria nobilitant insulam quamdam iuxta Cubam; aqua argentea ac spissa, ac si farinam in toto illo pelago sparsissent.

CAPVT LVII.

De mari nigro.

QVid mirum, si pelagus nigrescat, cùm rubeat. Petrum Martyrē allego, qui ita scribit: Petro Ariæ dixit Gil Gonzalus, dixerunt & comites, ad leucas à Coloniâ Panamâ circiter centū inuenisse pelagi vastitatem nigri coloris, in quâ pisces adnatabāt magnitudine delphinali; harmonicè cantantes, vti de Syrenibus est narratio, similique modo soporem attrahentes. Hîc angusti animi homines mirabuntur, dicent remesse impossibilem: hos ego parumper affabor. Nónne legimus erythræum sinum esse rubrū, vnde Rubri maris assecutus est nomen, siue id fit ex aquæ naturâ, siue à rubris arenis, saxisque littoralibus reuerberātibus rubris id eueniat? Rubrum apparet mare, quis ergo naturā hebetat tantopere, vt ei tollat, quin & nigras genuerit arenas & saxa nigra, quæ nigras videri faciant aquas alibi? De cantu verò fabulam & ego ipse arbitror, licet à viris referatur cordatis, attamen in illorum excusationem nónne Tritones cognitū est esse vocales? Auditi fuerunt aliquando, & reperti exanimes proiecti ad littus in Occiduo mari Hispano. Nōne sub aquis & rana coaxat? Quid ergo erit mirandum, si vocales & alij pisces numquam aliàs auditi reperiantur. Credat hominum quisque ad sui libitum, ego naturam esse magnipotentem existimo.

CAPVT LVIII.

De mari feruido.

CIrca Guadalupeā & Galantam insulas mare feruidum inuenitur. Putant aliqui cænosum esse ibi mare, & herbas illas in profundo gigni, tendereque ad superna, vt videmus in lacubus, sæpè in magnis quoque fluminibus, etiam currētibus, accidere. Volunt alij non ibi natas, sed è scopulis frequētibus raptatas vi tempestatum, enatare per ea maria. Ita rem in dubio relinquunt, quoniam an fixæ cedant nauium proris, an erutæ vagentur, nondum habent exploratum. Natas ibi credendum est, aliter impulsu nauium conglobarentur (sicuti scopæ domorum conglobant scobes) & cursum impedirent.

CA-

CAPVT LIX.

De fluuio salso.

BAhuan fluuius regionem Maguanam Prouinciæ Baionæ interſecat. Hic ab origine ſalſus delabitur vſquequò pereat. Fortaſſe meatus gypſeos & ſubterraneas ſalinas peruadit. Sunt aliquæ in eâ inſulâ celebratæ.

CAPVT LX.

De fonte liquoris ambiæ.

SCripſit Monardes in ſuis Simplicibus: Miſſus eſt mihi in craſſo arundinis tubulo liquor quidam è fonte manans non procul à littore maris, mellis modo flauus & liquidus, & odore tacamahacæ. Aiunt, & litteris ad me ſcriptis ſignificant, inſignium eſſe facultatum, inueteratis præſertim in morbis à frigidâ cauſâ prouenientibus. Omnium corporis partium dolores à frigore aut flatibus ortos lenit; & perfrictiones tollit; quoſuis tumores reſoluit. Eoſdem obtinet effectus quos carāna aut tacamahaca, illarumque vicem in eâ regione præbet. Manibus non niſi madentibus tractari poteſt; & vbicumque reponitur, adeò tenaciter hæret, vt auferri nequeat, donec temporis ſucceſſu abſumatur. Exiguâ admodum quantitate, & dumtaxat pro ſpecimine mihi miſſus eſt, quoniam iſtic magnæ cùm ſit æſtimationis, pro re magni pretij adfertur. Calidus tertio gradu videtur, manifeſti lentoris particeps. Cluſius adijcit illum liquorem habuiſſe. Attuli quoque quæ Franciſcus Hernandus ſcribit inter Mineralia, nec piguit idem hîc reponere inter fontana.

CAPVT LXI.

De piſcinis Yguey.

QVædam pars ſaxoſæ Prouinciæ Yguey in Hiſpaniolâ caret fluuijs, non aquis. Crebras ſub terram piſcinas ſaxa claudunt naturæ arte fabrefactas. Indi xagueyes dicunt. Cauſa eſt confluxio vicinorum fluminum, in ſpecus illabentium, fuſis per arcanos meatus aquis. Scriptor ille Hiſpaniolæ Anonymus, quem ſępè laudo, inueniſſe ſcribit piſcinam ſubterraneā, ſiue xaguei, dimidiam leucam patuiſſe. Signum fuit, cùm per rupes illas ambularet, greſſus omnes ſonuiſſe tamquam ſi caua eſſent omnia inferna, veluti ſi per tabulationem aliquam incederet. Non ſine pauore iter egit: inuenit tandem os piſcinæ vix quatuor palmorum, reſpexit per illud, ingens abyſſus delitebat, caligo immenſa. Collegit cum ſocijs texucos qui pro funibus ſunt, demiſit vaſculum, extraxit dulcem & iucundum humorem, octo bracas, vt dicimus, diſtantem. Volens explorare profunditatem, inuenit quadraginta, per quarum triginta duas aqua ſalſa ſubſidebat, alias octo dulcis innatabat; namque leuior eſt, & eminet. Mare pluſquam quatuor leucas diſtabat. Nihilominùs creditum, marinum humorem per abdita ſaxorum illuc effundi.

CAPVT LXII.

De lacu ſalſo.

LAcus in Hiſpaniolâ quindecim porrectus leucas, tres latus, creditur colonia maris, per ſubterraneos canales & amplos meatus transfuſis illò aquis; licet decem leucas Oceanus diſtet. Argumentum eſt ſalſedo aquæ, tum profunditas ſumma; deinde, tiburones, & alios marinos piſces ibi repertos eſſe.

CAPVT LXIII.

De riuulis Amapaiæ.

GValtherus Ralegh hęc ſcribit: Regio Amapaiæ admodū eſt humilis & depreſſa, & propter aquarum copiam valdè paluſtris, & proptereà multi ibi paſſim riuuli cōſpiciuntur rubei coloris, qui venenatis vermibus ſerpentibuſq; admodum ſcatent; vnde Hiſpani, qui hac de re non erant admoniti, varijs morbis correpti ſunt, & equi plurimi extincti, ita vt poſt ſpatium ſex mēſium, quos ibi Berreo commoratus eſt, ex Hiſpanis tantùm 120. milites ſuperſtites remanſerint, pecoribus, quę habuerāt, omnibus extinctis. Nam Berreo conſtituerat longè minori viâ in Guianā peruenire, & ad minimum 1000. Anglicorum milliarium itinere ſuperſedere; ſed incidebat cum ſuis in hoc itinere in pericula non minima, ita vt inopiâ, fame, morbis & alijs moleſtijs quamplurimis affligerentur. Ego ex omnibus, qui per Amapaiam in Guianam proficiſcebantur, quærebam, quomodo iſtâ aquâ rubicunda vterētur: qui reſpondebant, ſe circa meridiem lagenas & vaſa ſua iſtâ aquâ replere, cùm Sol in medio cælo eſſet; reliquo verò ante vel poſt meridiem tēpore aquas iſtas peſtiferas admodum & noxias eſſe, circa medium autem noctis in merum venenum mutari. Intelligebā etiam ex ipſorum relatione, multas ibi aquas naturâ ſuâ venenatas & noxias eſſe.

CA-

CAPVT LXIV.

De incremento Nili.

VExauit prisca ingenia crementum Nili. Quot philosophantium capita, tot sensus, imò tot deliria. Patuit iam hoc naturæ mysterium, sine magno tamen mysterio. Ignorantia regni Congi miraculum fecerat. Nam hiems Congiana tunc incipit, dum Europæi vere gaudent, & Sol signa Septemtrionalia subit. Hæc ab Aprili in Septembrem vsque extenditur. Tunc quotidie aër aut pluuius aut nebulosus: tanta porrò imbrium copia est, vt quamuis terra maximè arescat (totâ enim æstate, quæ à Septembri ad vsque Aprilem durat, non pluit) breuî penitus madescat, atque inde tanta fluminibus aquarum copia accedit, vt latè per agros stagnantia exundent. Atque hæc inundationis Nili aliorumque Africæ fluuiorum est causa: quæ Congianis mira aut noua non videtur; vident enim eam ante oculos, imbres inquam assiduos, qui quotannis certâ anni tempestate decidunt. Alijs verò populis, & præsertim Ægyptijs qui pluuiam penitus ignorant (numquam enim in Ægypto pluit) admirabile videtur & nouum, quòd à Iunij fine ad vsque vigesimam Septembris diem aut circiter, magna aquarum vis latè per omnem regionem stagnet, magno & fertilitatis & fecunditatis indicio: sterilis alioquin ager nullum fructum proferret, cælitus non irriguus. At inundatio hæc ita fertilem & vberem reddit, vt cum feracissimâ sit Prouinciâ comparandus. Veteres porrò Ægyptij augmenti huius causam ignorantes, & creaturæ rationis experti bonum sibi à diuinâ prouidentiâ collatum attribuentes, eò vesaniæ processere, vt Nilo velut Numini victimas immolarent, ideoque ἀγαθοῦ δαίμονος ei nomen dabant, vt Ptolemæus testatur. Qui quamuis Geographus sit egregius, in huius tamen Nili origine indagandâ grauiter est hallucinatus. Putat namque, è duobus lacubus, qui ad radicem montium Lunæ, duodecimo circiter gradu, & dimidio latitudinis Australis in eodem parallelo sunt, originem trahere, & vnum ab altero centum ac decem distare leucis. Lusitani, qui aliquot annis in illâ sunt regione commorati, eamque peragrarunt, tradunt, duos quidem esse lacus è quibus oritur Nilus, sed alium illorum esse situm: vnum enim illorum duodecimo esse gradu latitudinis Australis, alium verò sub Æquatore sub eodem pænè meridiano quo prior. Sunt qui Nilum nonnisi è secundo habere ortum credunt, & primi aquas in illum se non exonerare; sed in arenosis campis, qui interiacent, sensim arescere, & perdi. Aliorum tamen contraria est sententia; quamuis perire & intermori, quòd per vastas solitudines stagnantes certo non contineantur alueo, videantur. Tanta igitur inter Auctores recentiores de Nili fontibus est opinionum diuersitas, & non minor inter veteres; sed hæc dicta sufficiant.

CAPVT LXV.

De terræmotibus.

NEc alienum erit, nostrâ narratione recentes aliquas elementorum insolentias, & firmissimæ terræ miras inquietudines posteritati commendare. Anno 1626. ipsâ nocte Festi SS. Apostolorum Petri & Pauli, ingens tremor terræ cœpit in Prouinciâ quadam Sinarum, centum dissitâ leucas ab vrbe Paquin. Per integrum mensem semel singulis horis trepidauit humus. Viginti & octo oppida aut sepulta hiascente terrâ, aut submersa aquis erumpentibus è subterraneis. Accessere vestigia tantæ stragis vsque ad ipsam aulam Paquin; in alias quoque plagas progressa calamitas. Tam importunæ pluuiæ eius anni (fuit enim ille ipse quo Hispania multis vexabatur illuuionibus) vt campi æquora simularent, nec pontes nec alia ingenia humorem superare potuerunt, ratibus dumtaxat & scaphis commercium & itineratio constitit. Multa oppida obruta, aut illuuionum impetu eradicata. Rex Sinarum largiter opem tulit mortuorum cognatis, & alijs è naufragio ereptis. Apud Camarines quoque terram eodem die quatuordecies contremuisse, fide dignis testimonijs renuntiatum est: multa interim ædificia diruta. Ingentem montem medium crepuisse immani hiatu, ex immensâ vi excussisse arbores per oras pelagi, ita vt leucam occuparent æquoris, nec humor per illud interuallum appareret. Accidit hoc anno 1628. Sed & præcedenti anno 1627. die 30. Iulij insolens terræ consternatio nonnulla Apuliæ oppida hausit, & prope Troiam eminens abortus è terrâ aut aggestus mons. Ingens quoque lacus, qui viginti milliaribus vix circumscribebatur, exsiccatus fuit. Luceria, quòd ad Deiparam spectaret, tuta mansit. Audita ibi est vox in aëre querula, *Væ fili* dictans. Propterea omnium existimatione eam terram seruauit interpellatio Virginis. Capuccini Fratres in ciuitate Sancti-Seueri euasere per hiatum domus, quæ crepuit media, cetera ciuitatis pænè obruta. Recentior est Vesuuij montis tremor & terror, de quo nonnihil posteà.

CA-

CAPVT LXVI.

De ventis vehementissimis.

ANno 1627. die 19. Octobris, validissimus ventus perflauit Dagamim, diruit opidula eius territorij cum Ecclesijs, arbores eradicauit, proceras & robustas palmas truncauit; omnia alia arbusta nudauit comis, nec vlla frons vlli relicta ramo, aut ramus arbori, aut arbos nemori. Camotes adhuc euulsit: obruit arenis homines, viuos humauit; columnas ligneas intra Ecclesias, vastas, & duorum hominum amplexu vix circumscribendas, velut arundines infregit. Dagami, cùm latissimum oppidum esset, duas dumtaxat domos stantes retinuit, sine tectis tamen; tum aquis tum vento ceteræ expugnatæ & dirutæ. Ipse vidi nuperrimè anno 1630. valido præcidi vento arbores, oculatus testis fui. Eodem die dirutos aliquos muros, eadem vi verberantis aëris, demiratus sum.

CAPVT LXVII.

De incendijs.

IN Parian anno 1627. visus est ignis è cælo labi. Transcurrebat à domo in domum, quasi saltu quodam securas interuadens. Locupletiùs dedimus hanc historiam in nostris Quæstionibus diuinis. Eodem anno in Cauite octoginta domos vnicum incendium vorauit. De diluuijs & ignibus alijs recentibus in Hispaniâ mentionem fecimus in primo libro Quæstionum naturalium. Apud Iapones in Tacacu editissimus mons est, Vngen dictus, qui subtus ardet. Erupit in aliquas dissectus voragines, & recenter in immaniorem, cœnosâ aquâ & feruentissimâ plenam. In hanc iussit Iaponicus tyrannus sedecim Christianos immergi, si fidem & legem veri Dei non desererét. Iam cùm circum barathrum horrendum constituerentur Christi milites, iusserunt carnifices primum omnium, qui adolescens erat, appellatus Xinzaburus Ludouicus, ni detestaretur Christum, immitti in feruens & fœtidum stagnum. Ille nõ expectato impulsore, actus, sicut S. Apollonia, diuino Spiritu, protinus desiluit in horrendum lacum. Admirati idololatræ, ceteros ipsi nouâ crudelitate immerserunt. Gloriam horum Martyrum cælum significauit: apparuerunt enim per aliquot noctes super voraginem cælestes ignes & claritates. Accidit hoc in persecutione Iaponicâ, quæ anno 1627. renouata fuit. Nuperrimè in insulâ S. Michaëlis, quæ vna ex septem est quæ dicuntur insulæ Azorum siue Terceræ, die 2. Septembris anno 1630. magnis terræ motibus præuijs crepuit terra, tot ignes tot faces iaculata, vt per totam insulam visæ fuerint. Ex quodam lacu procurrit duas leucas ignis vsque ad mare, quò pepulit montem per id interuallum, quantum plumbea glans emissa scopleto pergeret. Fragor vndique ingens, villæ dirutæ, homines multi extincti. Posterâ die obscuratus Sol nimio cinere & pumice. Promota caligo est vsque ad diem sequentem, in quâ perinde fuit meridies ac media nox. Cinis posteà quatuor digitis terram superans gressum impediebat. Ingens palus exsiccata quoque. Madriti hoc ipso anno, quo hęc scribo, anno scilicet 1631. die 7. Iulij, lugubris & funestus dies accidit, in quo litteris vacare non licuit, implorandæ potiùs diuinæ misericordiæ cura omnibus fuit. Accidit vt secundâ horâ noctis immane incendium vastaret pulcherrimi fori latus vnum, deinde pænè insulam domuum deuoraret. Plures mercatores in hoc igne naufragati sunt. Intra duas horas viderunt se diuites & indigos. Tantâ flamma atrox diligentiâ percurrebat domos, vt vix nudi euaderent: & faustum accidisse sibi putabant, amissis bonis omnibus, cum vitâ elabi. Perierunt nihilominùs nonnulli. Alij qui ad subterranea confugerant, audiebantur lamentari. Eruti aliqui, nonnulli stupidi & pænè exanimes. Contumax flamma perstitit per vndecim dies. Contẽti fuimus obstare, ne proserperet, dirutis circum vicinis domibus. Hoc vno remedio compesci potuit non extingui. Licet aliud non paruum incendimur lacrymis, quas misera plebs effudit, soporari satis posset. Occasio tanti damni adhuc incerta: certissima tamen causa, peccata nostra. Illud prorsus mirandum, post mensem & dimidium inuentum fuisse subterraneum ignem, qui adhuc restabat integer.

Maior clades posteà accidit in eodem foro ex famâ falsâ incendij. Die 25. sequentis mensis, qui Augustus erat, celebrabãtur Taurica, & solẽnes Hispanis ludi arundinũ. Ecce tibi in medijs ludis Rege Philippo IV. præsente, clamor resonat. Forum conflagrat, forum ardet. Cepit omnes panicus pauor. Cœperunt relinquere spectacula, deserere fenestras, fugam corripere tam cæco & violento incursu, vt vsq; ad sexaginta suffocati posteà inuenirentur, & plusquam quingenti valdè læsi. Nonnulli sine sensu per aliquot dies ægrè animam agebant. Multa furta acciderũt. Proculdubio nisi Rex Philippus immotus perstitisset, cuius pręsentia continuit plurimos ne discederent, maior strages fuisset, quàm si ab hoste caperetur Madritũ. Tanta vis incursus fuit refugientiũ hominũ descendentiumq; per scalas, vt aliquæ ædes contremuerint,

muerint, parietes crepuerint. De Vesuuij mõtis abortu in fine eiusdẽ anni non opus erat commemorare, cuius sic recẽs memoria est. Absorbuit multas villas. Neapolis liberata fuit precibus S. Ianuarij, cuius sanguis inuentus tunc fuit colliquefactus & feruens. Alia Christi crucifixi imago sanguine sudauit. Alia Deiparæ icon cruentis lacrymis defleuit; signa diuinæ iustitiæ, sed misericordiæ simul. Sæpiùs olim euomuit ignes Vesuuius, annis 81. 472. 685. 1024. & 1306. eius cineres aliquando Constantinopolim vsque & Syriam & Ægyptum & Africam dissipati. Imò Marcellinus in Chronico suo ait: *Omnem faciem Europæ minuto contexit puluere.*

CAPVT LXVIII.

De diluuiis.

QVo tempore infestata aquis Hispania, eodem anno qui fuit 1626. Oriens & Occidens sensit iratum humorem, & paulò pòst Hispalensem illuuiem. Oppidum Potosi culmini inhærens pæne aquis obrutum. Quid mirandum ibi acciderit, in nostro Opere, quod *Opera & dies* inscribitur, narraui. Sed & Hispanę aquæ religiosæ fuerunt. Hispali Deiparæ imago, muro adhærens superato aquis, intacta & sicca inuenta est. Salmanticæ quoque aliud Virginis simulacrum inter rapidos fluctus prouolutum, verendum & siccum fuit repertum. Nec hactenus placatus humor: nuperrimè Mexicensis ciuitas aquis pæne superata fuit. Mirabilius aliquid accepi ab oculato teste, cum aliorum quoque fide: In nouo Regno Granatensi ingens trepidatio terræ euulsit montem quemdam, & expulit in aliam sedem satis remotam à primâ, velut lapillum per aërem iactatum. In primâ sede puteus siue abyssus magnopere hiscente terrâ relinquitur. Sine fundo cauitas illa videtur. Impletur tamen confluente è circumiacentibus culminibus turbidâ aquâ, & fœdo humore. Interdum tamen velut nauseas magno euomit strepitu cœnosum & vastum fluuium, correptis quibusque obiectis saxis arboribusque, vehementi omnium mutuo incursu horrendùm sonans.

CAPVT LXIX.

De niue admiranda quædam.

MOntana ante regnum Tibet, ad ortum fluuij Gãgis, diuturna nix sepelit. Viatores obcæcantur assiduâ splendescentiâ alboris & lucis, sed rupices incolæ se tuentur aduersus cæcitatem ocularibus quibusdam non vitreis, sed ex quodam retium genere contextis, alioqui laborant oculorum dolore, postmodum lucis orbitate. Atqui in Europâ plerosque impudicos præstaret orbos esse lumine, quàm ipsos oculos habere retia, quibus eorum animę miserrimè implicantur & obcęcantur ex feminarum aspectu splendido, lasciuè illas intuentes. In ijsdem partibus, cùm iam terra retegitur diffluxu niuium, vapores humus iaculatur instantis pestilentiæ, vt homines etiam valetudinis integræ & absque dolore & morbo, aliquo deliquio infestent, & ante quadrantem horę interimant. Illud incredibile ferè, quòd vastus fluuius Ganges transmeetur per pontes ex niue structos. Vis niuium operit fluuium, vt fornice facto sternant pontem, quà transeunt viatores subterfluente amne impetu & strepitu immani. Fortasse ex rupibus vicinis præcipitantur præ pondere fragmenta ingentia niuium, & montes gelati, qui paulatim ita struuntur, vt cooperiant per partes fluuium. Pontes quoque alioqui fiunt ibi ex rudentibus. Circa terras quoque Siranagar viri nent, feminæ agriculturam exercent. Diuturna nix ibi perseuerat. Velut panem aut edulium condîtum comedunt incolæ. Feminæ pro inauribus vtuntur folijs oblongis cuiusdam arboris similis palmæ. Frugalis hic mundus & decor Barbarorum, ornatum ridet feminarum Europæ, potiùs ex sumptu quàm specie elegantiam quærentium.

CAPVT LXX.

De fonte lacteo.

POst tot diuitias naturę, post tot mira, exhibebo miracula. Aliquo signo gratiæ lubet concludere has naturæ tabulas & fidei nostræ argumento obsignare. Narrabo fontem lacteum in Æthiopiâ quondam visum, innocentiam Christiani militis significantem Mauris. Dominus Christophorus Gama is erat, strenuus pro Lusitano Rege dux. Ter Maurum Regem vicerat fuderatque: sed numquam magis victor, quàm cùm semel victus. Captum enim iussit Maurus, vt consanguineum, & alios septem Magnates, in prælio vulneratos, applicito medicamine aliquo sanos integrosque redderet. Christophorus propinauit in potione virus. Sic subitò in præsentiâ Regis exanimati omnes. Fremuit rabidus Barbarus. Sicc\u00edne, inquit, medicaris? imperterritus Christophorus, Planè, inquit. ânne & tu vis simi-

 liter

liter à me opem & medicinam quærere? Iratus plus Maurus, Victoris ius admonens Christophorum, iterùm rogat, Quid de me victo captoque fecisses. Amputarem, inquit, caput tuum, & in Indiam mitterem: deinde in quatuor frusta te prosecarem, vt in diuersis te locis in exemplum traducerem. Idem, inquit Rex, de te constituam. Sæuissimis tamen cruciatibus priùs illum exercuit. Caput ignito lebete aut galeâ iussit operire; deinde plures corporis artus adurere, acus per vngulas transfigere, tergora ignitis forficibus proscindere; multis posteà alapis & opprobrijs obsonare patientiam inuictam, tandem manu ipsâ Rex suâ sacrum illud caput impiâ securi resecuit. Nihil, inter hęc Christophorus iterabat, formido tua supplicia, miles Christi sum & beatæ Mariæ. Posteà cadauer in quatuor partes sectum, crus vnum & maxillam ad monumentum victoriæ iussit Barbarus eodem loco sepelire. Inde tamen lacteus riuus è terrâ prosiluit. Tot inde miraculis claruit miles Christi, vt ab ipsis Mauris coleretur, cuius opem ægrotantes precarentur supplices. Pignus quoque creditum incolumitatis suæ (sic etiam inter prophetias vulgatum) donec tanti viri ossa retinerent. Cumque post multos annos à Christianis reperirentur, ingenti luctu exitium imperij sui incolæ illius regionis (Gallæ vocantur) lamentati sunt. Adijcio tandem quod nuperrimè hoc ipso anno 1631. in quo hæc Commentaria siue aduersaria concludo, mirum visu & dictu accidisse audiui, Mosam Belgij fluuium iuxta Grauiam totum sanguineum effluxisse, cuius cruentus humor igni applicitus condensatus omnino fuisset. Prodigium ingentis cladis puto; tempus id interpretabitur.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV DE MIRIS ET MIRACVLOSIS NATVRIS IN EVROPA LIBER PRIMVS.


ATIS ex nouo orbe admirationem pauimus tot naturarum peregrinarum satiatam narrationibus, quas iusti Voluminis historiâ præsentauimus; credo tamen, mirabiliora ex nostro & vetusto orbe exhiberi posse, nisi quòd iniuriosa Maiestati rerum consuetudo ipsis miraculis detrahat, quæ nullâ magis re quàm nouitatis commendantur purpurâ. At si nudè rerum spectetur æstimatio, non cedit noster orbis recenti. Accedit, quòd in nostro mundo diu Christiano aut ipsam naturæ maiestatem sublimet gratia, aut leges suas transscendat virtus Dei. Ideò miranda plura, ideò mirabiliora. Excerpsi propterea ex nobilibus Auctoribus nonnulla in nostrâ Europâ, in Hispaniâ maximè atque Hiberniâ celebrata. (Cùm omnia aliarum prouinciarum mira & miracula longum esset persequi exquisitiùs) quæ, prout in aduersarijs notaui (nec enim vacabat plus digerere) edere libuit, contexendo, consarcinando interdum, variorum Scriptorum verba. Appendi postea Palæstinæ admiranda, vbi pristina naturæ gloria decedit gratiæ honori. Plures ibi hodie naturæ miraculosæ sunt quàm miræ. Ex vtrisque consuam istas commissuras, quas à nostrâ Hispaniâ exordior. Refundam sine lege, quæ vage instillauit reminiscentia lectionis. Nescio an aliquando exundem, vltra propositum transgressus. Veniam facilem curiositas dabit, ordinis & rationis minimùm, nouitatis omnino singularitatisque studiosa. Incompta etiam placent quandoque, atque inordinata florũ variegatio decorem viridarij ampliat. Sæpè quoque neglectus & siluescens pratorum viror delectat. Quare elegantiæ aut legis alicuius minor aut nulla mihi ratio erit. Dabo quæ repperi, nec qui spicilegio carpit occurrentia, culturæ agri studet; legit tantùm spicas, quas aliena peperit gleba.

CAPVT PRIMVM.

De auibus S.Dominici de la Calcada.


LLVSTRE & mirandum innocẽtiæ testimonium Hispania seruat: notissimam tamen inter nos historiam exteri verbis, qui & oculatus testis fuit, edam. Lucius Marinæus, In antiquissimâ, inquit, ciuitate, quam Sancti Dominici Calciatensis vulgus appellat, gallum vidimus & gallinam, qui dum vixerunt, cuius coloris fuissent, ignoramus; posteà verò cùm iugulati fuissent, & assi, reuixerunt, magnam Dei potentiam summumque miraculum referentes, cuius rei veritas & ratio sic se habet. Vir quidam probus & amicus Dei, & vxor eius optima mulier, cum filio adolescentulo magnæ probitatis ad S.Iacobum Compostellam proficiscentes, in hanc vrbem, itineris labore defessi, ingrediuntur, & quiescendi gratiâ re-

stiterunt in domo cuiusdam, qui adultam filiam habebat. Quæ cùm adolescentem pulchrâ facie vidisset, eius amore capta est. Et cùm iuuenis ab eâ requisitus atque vexatus eius voto repognasset, amorem conuertit in odium, & ei nocere cupiens, tempore quò discedere volebant, eius cucullo crateram sui patris clàm reposuit. Cumque peregrini manè discessissent, exclamauit puella coram parentibus, crateram sibi fuisse subreptam. Quod audiens Prætor, satellites confestim misit, vt peregrinos reducerent. Qui cùm venissent, puella conscia sui sceleris, accessit ad iuuenem, & craterã eruit è cucullo. Quapropter comperto delicto iuuenis, in campum productus, iniquâ sententiâ & sine culpâ laqueo suspensus est: miserique parentes cùm filium deplorassent, posteà discedentes Compostellam peruenerunt. Vbi solutis votis, & Deo gratias agentes, subinde redeuntes ad locum peruenerunt vbi filius erat suspensus, & mater multis persuasa lacrymis ad filium accessit, multùm dissuadente marito. Cumque filium suspiceret, dixit ei filius: Mater mea, noli flere super me, ego enim viuus sum, quoniam Virgo Dei genitrix & S. Iacobus me sustinent & seruant incolumem. Vade, charissima mater, ad Iudicem, qui me falsò condemnauit, & dic ei me viuere propter innocentiam meam, vt me liberari iubeat, tibique restituat. Properat sollicita mater, & præ nimio gaudio flens vberiùs Prætorem conuenit in mensâ sedentem, qui gallum & gallinam assos scindere volebat. Prætor, inquit, filius meus viuit, iube solui, obsecro. Quod cùm audisset Prætor, existimans, eam quod dicebat, propter amorem maternum somniasse, respondit subridens: Quid hoc est, bona mulier? Ne fallaris, sic enim viuit filius tuus, vt viuunt hæ aues. Et vix hoc dixerat, cùm gallus & gallina saltauerunt in mensâ, statimque gallus cantauit. Quod cùm Prætor vidisset, attonitus continuò egreditur, vocat Sacerdotes & ciues, proficiscuntur ad iuuenem suspensum, & inuenerunt incolumem, valdeque lætantem, & parentibus restituunt, domumque reuersi, gallum capiunt & gallinam, & in Ecclesiam transferunt magnâ solemnitate. Quæ ibi clausæ, res admirabiles & Dei potentiam testificantes, obseruãtur. Vbi septennio viuũt, hunc enim terminum Deus illis instituit, & in fine septennij antequã moriantur, pullum relinquunt & pullam sui coloris & magnitudinis. Et hoc fit in eâ Ecclesiâ quolibet septennio. Magnæ quoque admirationis est, quòd omnes per hanc vrbem transeuntes peregrini, qui sunt innumerabiles, galli huius & gallinæ plumam capiunt, & numquam illis plumæ deficiunt. Hoc ego testor proptereà quòd viderim, & interfuerim plumamque mecum feram.

CAPVT II.

De lapideo homine Darocæ.

DAroca felicissima ciuitas non immeritò suis Corporalibus gaudet: in quibus Hostias quas Sacerdos inter sacrificandum consecrauerat, & superuenientibus hostibus inuolutas panniculo candido sub lapide reposuerat, inuenit in carnem conuersas, & panniculo adhærentes, cùm victores Duces cõmunicaturi à prælio reuertisset. Quæ quidem res admirabilis, & pro magno celebrato miraculo fecit vrbem Darocã felicem & memorabilem. Accidit, vt quidam peieraret per sancta Corporalia, in lapidẽ conuerti sibi imprecatus, si falsa assereret, & illicò in saxũ conuersus, eodem quo erat habitu & formâ hactenus durat omnibus conspicuus.

CAPVT III.

De coruis S. Vincentij & Ceivini.

MOrtuo in Hispaniâ fortissimo martyre Vincentio, corui qui ad corpus eius tamquam ad cadauer descenderunt, statim omnes occubuerunt. Sic nonnulli historiam hanc narrant. Et quoniã personale delictum in genus plerumque redundat, in ausus illius vindictam diuinâ procurante gratiâ, quã in Sanctis suis ipse mirabilem ostendit, ab illâ semper horâ circa corpus Martyris corui tãquam excubitores assistunt. Vnde & eodem corpore à Carthagine (Hispanicâ dico, non Africanâ) Vlyssiponem per mare trãslato, & corui in naue circa corpus iugiter adfuerunt. In Ecclesiâ quoque S. Vincentij, Vlyssiponensi in vrbe, vbi corpus eiusdẽ nobili in feretro reconditum iacet, corui circa altare vsque ad moderna ferè tempora excubare solebant, circa senarium numerũ vel infra: nec semper ijdem, sed successiuè diuersi. In huius rei signum signacula, quæ à peregrinis abinde deferũtur, cum Martyris imagine, inscriptam etiam corui imaginem habent. Vulgari quoque nũcupatione S. Vincentius de Coruo vocatur; & quod in vitâ non habuit, post mortem euentus agnomen dedit. Die quoq; solemnitatis S. Ceivvini in Hiberniâ corui de Glindalachan, quia fortè lac alumni ipsius fuderant, per eius imprecationem nec ad terram descendunt, nec cibum sumunt, sed circa villam & Ecclesiam cum magno clamore volantes, eodem die tam à requie suspenduntur, quàm refectione. Ex Siluestro Gyraldo ista excerpo.

C A-

CAPVT IV.

De auibus Rauennæ.

IN Italiâ quoque apud vrbem nobilem Rauennam die solemnitatis S. Apollinaris omnes vndique corui, cornices & monedulæ à cunctis Italiæ partibus singulis annis tãquam ex condicto conueniunt, quibus eodem die ex antiquâ consuetudine equi vnius cadauer datur. Si rei istius quæstionẽ facias, vt rationem quæras, assignare non pręsumo, nisi fortè longè ex vsu tractu temporis inolito, & quasi in naturam iam conuerso, vbi corpus fuerit, & aquilæ congregantur. vel potius aliquo Sancti illius miraculo ista contingunt, vnde & quoniam ab hoc coruorum conuentu Teutonicâ linguâ primò *Rauensburgh*, id est coruorum vrbs est dicta, inde & Rauennam vocatam nonnulli coniectant.

CAPVT V.

De gallinâ S. Ignatij.

NArratio istarum auium suggerit quod Manresæ accidit meritis S. Ignatij nostri Patris, qui in eo oppido rigidissimè se exercuit, & in admirabilem prouexit sanctimoniam. Ibi gallinam aquis submersam puer cum alijs puerulis lacrymatus; absente enim matre suffocata auis fuerat, & timebat puer flagella. Cumque memoria S. Ignatij magna ibi sanctitatis commendatione in omnium ore frequentetur, cœperunt pueri expostulare Sanctum, vt restitueretur ales. Ecce subitò gallina mortua, & pedibus iam combusta, exurgit viua & integra, vocata deinde *Gallina miraculosa*, aut *S. Ignatij*. Cuius oua maximè quærebantur. Pignus aut argumentum aliquod miraculi auis hæç præ se deinceps tulit, vt numquam cum alijs gallinis coniungeretur, sed solitaria incederet.

CAPVT VI.

De lapidibus Clauigij.

IN Clauigij cãpo clarissima monumenta iacent victoriæ S. Iacobo & Angelis militantibus obtentæ. Lapilli eius agri insignia sunt, quibus ad S. Iacobi sepulchrũ peregrini vtuntur. Saxei bacilli ibi innascuntur, & conchæ petreæ, quas apud me habeo. Alij lapides pignore militari insigniuntur, aut ense, aut lanceâ, aut vestigio equorum; alij columbæ formam habent. At quod mirabilius est, excisæ ibi rupes effigiem S. Iacobi naturâ artifice ostendunt. Nec pigebit ex nostrò Ioanne Marianâ commemorare victoriam, quæ tantam memoriam meruit. Regnante Ramiro I. Abderrahamanus, eo nomine II. Maurorum imperium obtinebat; naturâ ferox, perpetuâ rerum gestârum felicitate ferocior effectus erat. Abdallâ enim patruo, qui denuò Valentię regnandi spe arma sumpserat, fugato sub initia regni, & post fugam defuncto, Barcinoneque Christianis ereptâ Abdelcarini Ducis virtute, viribus ipse, copijs & gloriâ maiores exæquasse videbatur. Itaque legatione ad Ramirum missâ, centum virgines ex fœdere olim cum Mauregato Rege inito repræsentari tributi nomine flagitabat: quo postulato haud dubium, nisi pareret, noui belli denuntiatio continebatur. Grauis metus, sed maior ignominia. Legati continuò extrusi: ne violarentur, Ius gentium valuit, tametsi fœdum atque intolerandum videbatur nouo Regi, de re turpissimâ fuisse interpellatum. Omnes (quorum ætas idonea erat) totâ ditione arma induere compulsi, paucis exceptis agrorum cultui destinatis, ne cum fame simul & hostibus pugnare necesse esset. Ipsi Episcopi & viri sacrati castra secuti: magna totius gentis exspectatio erat. In Riuogiam irruptio facta, quoniam is tractus in Maurorum ditione erat, & Rex amplissimum pulcherrimumq; ducebat gloriæ seruire, tueri nominis existimationẽ bello hostibus prouocatis, & quod necesse erat, sponte fecisse videri cupiebat. Abderrahamanus contrà magnos delectus habere, arma, equos, commeatum comparare, & conferre quæcumque ex vsu belli futura arbitrabatur, certus nostrorum copijs obuiàm prodire. Ad Alueldam castra castris collata: oppidum eâ tempestate munitum, deinde etiam Monasterio insigne, quod D. Martini olim nomine Sanctius Rex Vasconum ædificandum curauit, nunc ad casas fermè redactum cernitur. Monasterij redditus & bibliotheca in paucis nobilis, in D. Mariæ Rotundæ consequenti tempore commigrarunt Lugrunnium, vnde Aluelda distat octo passuum millibus. Ijs in locis pugnatum vtrimque totis viribus ac copijs: atrox dimicatio fuit, nullaque eâ tempestate maior. Collectitius nostrorum exercitus, veterano & exercitato militi impar erat viribus & industriâ. Ducũ diligentiâ, cùm partibus omnibus adessent, inclinata res stetit noctis superuentu: cùm prospectum tenebrę abstulissent, cessatũ. Nox interposita saluti nostris fuit, vt in bello nihil tam paruum est, quod non interdum magnæ rei momẽtum faciat. Ramirus Rex imminutas numero copias metu debilitatas in vicinũ collem subduxit: victum esse eâ re confiteri visus est. Loco munito pro tempore, & vulneratis curâ adhibitâ, in supremâ rerum desperatione

& luctu omnes, vt fit, in vota & preces conuersi. Regem mœrore oppressum, & de rerũ summâ sollicitum, somnus complexus est. Dormienti Iacobi Apostoli species obiecta augustior quàm pro humano habitu, bono animo esse iubet; de victoriâ nihil dubitare, Numinis ope quam certò affuturam proximâ luce speraret. Rex ad has Iacobi voces excitatus, lætusque nuntio, cùm ex stratis se corripuisset, Præsules & Magnates ad se vocari iubet. Cùm conuenissent, hac sententiâ orationem habuit: Compertum habeo, viri præstantes, quo loco res nostrę sint, iuxtà mecum vos omnes considerare. Hesternâ pugnâ tantùm non victi sumus: non nostrâ virtute, sed noctis beneficio euasimus, numero imminuti, debilitati viribus, oppressi metu, hostilis exercitus antè validus nostrâ calamitate robustior euasit. Neque pugnæ repetendæ facultatem esse videtis, neque ineundæ fugæ locum. Diutiùs in his locis esse si maximè cupiamus, frumenti aliarumque rerum inopia haudquaquam patietur. Duram & ancipitem sortis nostræ necessitatem, præsidio humano & viribus destitutâ, tantumque non malorum pondere pressam, diuinum Numen, quod certè vobis polliceor (facessat modò metus, neque animi auribus officiat, quò minùs nostris dictis fidem adiungatis) restituet atque sustentabit. Temeritas in asseuerando turpis est, præsertim cùm iudicandum est, quantum rebus diuinis religionique tribuamus; cùm sit periculum, ne aut ijs neglectis impiâ fraude, aut susceptis anili superstitione obligemur, Iacobus Apostolus mihi per quietem oblatus, victores nos fore pollicitus est. Erigite animos, mœrorem omnem deponite. Vana non esse quæ dicimus, rei euentus declarabit. Agite ergo, pleni bonâ spe in hostes irruite, pro patriâ, pro libertate, pro communi salute certate. Licuit nobis cum summâ turpitudine seruire Mauris: hæc quia intoleranda videbantur, arma corripuistis. Pulcherrimi incepti & pristinæ virtutis memores, Christianæ religionis ignominiam, vestræque gentis dedecus Deo auctore, Iacobo auspice, propulsate. Hæc vbi dixit, aciem instrui, & signa canere iubet. Nostri magnâ alacritate in hostes impressionem faciunt, D. Iacobi nomen magnis vocibus ingeminantes: quod ab hoc initio susceptum, in morem abijt, vt Hispanis militibus sit pro tesserâ militari. Barbari nostrorum audaciâ, quos victos esse putabant, commoti, & cælitus iniectâ formidine perculsi, nostrorum impetum non tulerunt. Iacobus, vti erat Regi pollicitus, in equo candido niueum vexillum præferre visus est, quod rubræ Crucis figurâ distinctum erat. Eius aspectu nostris vires auctæ, barbaris animi concidebãt. Fœda fuga fuit, neque minor cædes; sexaginta millia Maurorum perempta. Clauigium, quo loco pugnatum esse, hoc ipso tempore armorum strages passim effossæ indicãt, Aluelda & Calagurris Mauris ereptæ. Anno salutis octingentesimo quadragesimo sexto, Ramiri regni secundo, pugnatum est. Victor exercitus secundùm Deo gratias actas pro diuino munere, D. Iacobi, cuius præsidio victoria constiterat, Compostellano templo voti ream vniuersam Hispaniam fecit, tametsi pars maxima in ditione Maurorum erat, ex singulis iugeris agri vineæque modium singulis annis frumenti aut vini pendendi; quod Romani Pontifices votum nonnulli deinde ratum habuerunt, vti ipsorum litteræ indicio sunt. Ramiri Regis diploma Calagurri est, concessum mensis Maij die quintâ, ærâ octingentesimâ septuagesimâ secundâ, mallem octingentesimâ octogesimâ quartâ. Additum præterea, vt hostium spolijs diuidundis, lege in omne tempus latâ, Iacobus Apostolus pro vno milite esset, quod longâ desuetudine antiquatum est. Vectigal vini & frumenti nonnulli populi pendunt. Ex belli manubijs ædes Mariæ Virginis nomine secundo ab vrbe Oueto lapide in latere Naurantij montis ædificata, structuræ genere, & totius operis maiestate in paucis elegantissima extat; propeque altera Michaëlis nomine eiusdem Regis opus. Exornauit Regina, (quam nonnulli Vrracam vocant, alij Maternã, vnde Ordonius & Garzias nati sunt) quidquid laboris poterat impendi detrahique ex cultu domestico, solita exornandis Iacobi alijsque totâ ditione diuorum templis conferre.

CAPVT VII.

De lapidibus alijs mirè figuratis.

Apud S. Catharinam de Vadaiâ in monasterio S. Augustini inueniuntur lapides suapte naturâ ad cordis speciem formati, & figurâ rotæ insigniti: scilicet S. Augustini & S. Catharinæ insignia repræsentant. Gotorricæ reperiuntur alij lapides coturnices figurantes. In alio Aragonensis regni agro olearum effigiem perfectè ostendunt. Hos omnes apud me seruo. Apud Piedras buenas Crucis formam exhibent. Auilæ apud Augustinianas Moniales magnâ religione colitur imago Deiparæ saxo sponte suâ figurata, sicut non procul Madrito imago crucifixi, quam natura lapidi impressit.

CA-

CAPVT VIII.

De campanâ Vilillæ.

CONtinuum miraculum Hispaniæ campana Vilillæ est, de quâ Varius sic scribit lib. 2. de Fascin. c. 14. In Regno Hispaniæ, in oppido Vililla nuncupato, Cæsaraugustanæ diœcesis, campana quædam est, quam miraculorum appellant. Hæc per aliquot menses, antequam aliquid aduersi in Christianâ Republicâ contingat, ex seipsâ, nemine impellente, pulsatur. Cuius rei testimonium per publicos tabelliones, testibus plurimis adhibitis, hisce oculis egomet legi, quam de eadem illius regni Proreges suis literis faciebant. Mariana noster similiter testatur lib. 21. de Rebus Hispaniæ c. 10. Triginta sex passuum millibus infra vrbem Cæsaraugustam oppidū Vililla ad Iberi ripam situm est, ex Celsæ Romanorum in Ilergetibus coloniæ ruinis constitutum, nullaque re hac tempestate & auorum memoriâ nobilius, quàm campanâ, cuius, nullo mouente, insolito insolentique pulsu nobilissimos in vtramque partem euentus significari ijs hominibus persuasum est; ineptè an verè, non disputo. Oculati tamen huius miraculi testes citantur viri non leues. Eam campanam pridie eius diei, quâ capti sunt Reges, suâ sponte pulsatam ferunt. Iterùm ad tertium Kal. Nouembris proximi Ianuarij mensis Nonis tertio sonuisse, quo tempore composito Mediolani fœdere Aragonius est in libertatem restitutus. Hactenus Mariana. At quid opus est aggerere Auctores, cùm testatissima res sit, & ipse quater aut quinquies nostris diebus audiui pulsatam, quod fide publicâ & multis testibus comprobatum, Regibus nostris renuntiatum fuit, insigni aliquo euentu subsequenti. Similis campana inter Iapones admirabilis est, tumultus præsignificans.

CAPVT IX.

De sepulchro S. Iacobi Apostoli.

NOn solùm campana Vilillæ suggerit Hispaniæ imminentes casus, sed & sancti Iacobi, huius regni Patroni, sepulchrum, vbi audita instrumēta bellica & strepitus interni significant pericula nostra. Memini, antequam detegeretur coniuratio Neophytorum Maurorum, quos Moriscos dicimus, auditos similes sonitus.

CAPVT X.

De sepulchro Ferdinandi Gonzales Comitis Castellæ.

MEmoriâ quoque dignum est, ossa Comitis Castellæ fortissimi Fernandi Gonzali, quæ iacent in S. Petro Arlancæ, strepitu & concussione suâ significare victorias Catholicorum contra infideles. Obseruatum insonuisse vehementer in oppugnatione Granatensis regni, cùm tandem omnis Hispania Mauricum iugum excussit. Nec tantùm nostratum victorias sonitus hic prædicit, sed exterorum. Nam anno 1456. pridie ante victoriam Ioannis Huniades, cùm profligauit Turcas, insonuere pariter. Aliquando alijs prodigijs nostrorum felicitatem promittit idem Comes, quippe ante illam victoriam, miraculosam quidem, quam vocamus *de las nauas*, cùm Rex Alphonsus VIII. innumeras Maurorum cateruas prostrauit, auditus est in totâ ciuitate Legionensi bellicus strepitus vsque ad templum S. Isidori; cuius foribus pulsatis, vigilanti Sacerdoti nuntiatum fuit, Comitem Ferdinandum Gonsalum adesse cum Cide Ruy Diaz, atque aduentasse illuc vt euocaret Regem Ferdinandum primum, qui eo in templo iacebat. Posterâ die victoria illa accidit.

CAPVT XI.

De sepulchro Castillarum.

VAllisoleti quoque in sepulchro cuiusdam Equitis ex Castillarum familiâ, qui conditus est in choro monasterij S. Claræ, auditi strepitus, aliquem ex eadem familiâ moriturum significant.

CAPVT XII.

De campanis quæ vltrò pulsantur.

VIsæ in Hispaniâ multæ campanæ, quæ vltrò pulsatæ, funestum aliquod prænuntiant. Ioannes Lupus Episcopus Monopolensis scribit, campanulam in monasterio Camorensi Patrum Prædicatorum triduo ante obitum alicuius Religiosi sponte suâ solitam pulsari, etsi nemo tunc temporis decumberet lecto. Idem Auctor prodit, similem campanulam fuisse in monasterio S. Dominici Cordubensi, quę vltrò insonans portendebat aut Fratris illius monasterij aut insignis alicuius viri eiusdem Ordinis fatum. Meminit quoque Angelus Rocha alterius

campanulæ in Italiâ in cœnobio Salernitano Dominicanorum, quæ mortem Fratrum pariter prædicebat. Gobelinus etiam in Vitâ S. Meinulphi litteris mandauit, in Germaniâ in Bodkensi monasterio aliam huiusmodi campanam fuisse, præmonentem spontaneo pulsu alicuius Monialis discessum ex hac vitâ.

CAPVT XIII.

De imagine pueri Iesu crescentis.

NVper visum Scalabisci, vulgò *Santaren*, nouum miraculum in monasterio Patrum Prædicatorũ. Icon pueri Iesu aliquot ab hinc annis inuenta est creuisse & adolescere. Constat hoc plurium testium fide, qui paruulam ipsam eamdem affirmât pridem vidisse. Neque tamen oculorum dumtaxat fidem allego, nouas thecas, scilicet grandiores, fuit opus fabricari, vbi seruaretur; nam antiquæ illam iam non capiunt. Hæc imago pueri Iesu ipsa illa est, quâ cum aliud miraculum olim accidit, quod narrare operæ nostræ & pietatis pretium duxi. Vixerat in illo Cœnobio Frater quidam Dominicanus, omni virtutum cultu præsignis. Vocabatur Bernardus de Morlans, & sacrista erat illius monasterij. Hic charitatis ergô aliquot pueros prima docebat elementa, vt interim doctrinâ Christianâ & pietate illosq; imbueret. Duo prçsertim pueruli ventitabât ad illum, missi à matribus cum ientaculis in canistris, qui ante aut post lectionem secedebât in sacellum quoddam Ecclesiæ, atque ad pedem altaris ientacula amicè communicabant. Semel vnus puer attollens ad altare oculos, vidit puerum Iesum cum matre suâ. Inuitauit illum, si placeret secum ientacula gustare, descenderet, annuente etiam inuitationi altero puero. Placuit Deo simplicitas paruulorum, descenditque puer Iesus, & cum duobus paruulis comessauit aliquoties. Hoc factum, donec pueri Magistro suo dicerent, cum puero Iesu se sua ientacula partiri, nihil tamen ab ipso vnquam accepisse, neque ientaculum suum ipsis communicasse. Tunc sanctus vir iussit illos de hoc ipso queri apud puerũ Iesum, & postulare, illum, siquidem toties conuiuam illum habuissent, debere aliquando inuitare eos simul cum Magistro ad cœnandum in domo Patris sui. Factum ita: annuit puer Iesus, ante triduum dicens secum epulaturos. Renuntiarunt duo discipuli responsum Magistro: qui statim intellexit, die Ascensionis (tunc triduum complebatur) è vitâ omnes migraturos. Interim ad exitum se adornauit, orationi deditus, cælestiumque rerum contemplatione & spe delibutus. Ecce die condicto vocauit Bernardus pueros, iussit sibi ministrare in Sacro: quo peracto genibus se flexit, manibus eleuatis ante altare: imitati illum sunt pueri, atque hoc habitu Deo animam inibi reddiderunt, miraculis posteà clari.

CAPVT XIV.

De Christo fideiussore.

EOdem ipso in oppido puellam requirebat adolescẽs. Qui cùm videret, nisi contracto matrimonio reijci, maritalem fidem promisit. Testes non suppetebant. Detulit sponsa adolescentem ante altare Christi crucifixi, ipsum Dominum testem constituens nuptiarum ac fideiussorem. Maritum posteà fidem datam infitiantem postulauit puella coram Magistratu: nulla erat iuri suo tuendo probatio. Vnum testem fide dignum dicit sibi esse. Adeunt omnes Ecclesiam, sistunt ante altare. Rogat femina Christum, num ita esset, illum hominem obstrictum sibi fuisse. Mirum dictu, annuit Crucifixus, vtraque manu reuulsâ è clauis crucis. Hoc eodem habitu hactenus perseuerans, magnâ omnium religione & pietate colitur.

CAPVT XV.

De Eucharistiâ multiformi.

CEleberrimum quoq; Scalabiscum fecit maius aliud miraculum. Asseruatur ibi Eucharistia multis mirabilis, formâ varia Christi mysteria repræsentans, nunc natiuitatem, nunc passionem, nunc resurrectionem, &c. quod mirabilius est, multis simul & eodem tempore suspicientibus diuersa mysteria singulis apparent. In hoc Collegio Madritensi duo sunt Fratres Lusitani, quorum vnus Hostiam intuitus, vidit imaginem Christi spinis coronati, prout à Pilato ostensus fuit populo Iudaico, & vocamus *ecce homo*. Alter vidit frustum carnis candidissimæ.

CAPVT XVI.

De miraculosis imaginibus.

ALphonso Casto regnante, in Ouetensi templo fama est Crucem auream sine humano artifice cælitus fabricatam, repentè comparuisse, quam Rex, qui eam primus conspexit, Sacerdotibus ostendit, & religiosissimè seruari iussit. Eadem opinio vulgò est de icone B. Mariæ, quam vocant Regum, & Hispalensi templo magnâ maiestate & Regio cultu atque familiâ colitur. Huic san-

ſanctus Rex Ferdinandus victorias ſuas tribuebat, hanc ſecum in caſtris velut commilitonem ferebat; eamdem captâ Hiſpali triumpho voluit excipi, quam Angelico artificio laboratam aut è cælo lapſam, vaga traditio dictat.

CAPVT XVII.

De Cruce Carabacenſi.

CRux quoque Carabacenſis è cælo lapſa ſtetit Sacerdoti Sacra facturo coram Mauro Regulo. Creditur nihilominùs è ligno S.Crucis eſſe,& tunc temporis defuiſſe Ieroſolymitano Patriarchæ. Mirũ eſt,quantum hæc Crux infernales poteſtates fuget. Pænè quotidie miracula in hoc genere patrat. Infeſtatum oppidum Carabacæ quotidianis tẽpeſtatibus hoc remediũ in promptu habuit. Nam oſtenſum ſacrũ lignũ ingruentes retundit horriſonos & fulgurantes nimbos: qui deinde quidem redeunt, ſed oſtenſâ iterùm cruce refugiunt. Quo latere Crux retegitur in turri ad hoc deputatâ, abeunt, & circumeunt turrem, vt altero impetant angulo. Venit illuc Sacerdos qui Crucem manibus ſuſtinet, atque ſubitò recedunt ad conſpectum eius, ſicque pauliſper certant tempeſtates, id eſt dæmones, donec tandem penitus fugentur.

CAPVT XVIII.

De alijs cæleſtibus pignoribus.

ALia cæleſtia pignora Oueti ſeruantur, S. Ildefonſi nimirum caſula, quam è cælo Mater Dei detulit. Sunt qui putent, illâ eàdem veſte Chriſtum Dominum conuiuali ritu indutum, inſtituiſſe ſui Corporis & Sanguinis Sacramentum. Aliud cæleſte donum ſanctiſſimæ Dei Matris Eccleſia Tortoſæ ſeruat. Cingulum eſt ſacerdotale, quod B. Virgo deuoto Sacerdoti detulit. Hoc cingulum ipſe ego vidi, & veneratus ſum.

CAPVT XIX.

De ſanctâ Liberatâ.

SAncta VVilgefortis, aliàs Liberata, quam Belgæ à depellẽdis curis Ontcommeram nominãt, Regis Portugalliæ filia, poſtquam à Chriſto ſponſo ſuo deformari petijſſet, ne ab amaſio ad nuptias expeteretur, atque ita ſubitò promiſſa illi barba excreuiſſet, pro Chriſtianæ Religionis ac pudicitiæ defenſione cruci affixa fuit, miraculis clariſſima. De quâ hoc inter cetera, quòd ſimulacrum ipſius citharœdi cuiuſdã ad mortem damnati, atque ad patrocinium eius confugientis, innocentiam vnius ocreæ argenteę excuſſione declarârit. Vide Martyrologium Romanum,& Molanum ad Vſuardum,& Rameſium ad Aduerſaria, & Chronicon Iuliani Archipreſbyteri. Proxima huic hiſtoria eſt S. Paulæ Barbatæ, quam diuerſam puto à S. VVilgeforti, nam à Iuliano diuerſo tempore, diuerſis prouincijs & locis, atque enarratione hiſtoriæ diuersâ recenſentur.

CAPVT XX.

De menſâ ſmaragdinâ.

ROdericus Toletanus lib. 3. de Rebus Hiſpaniæ cap. 23. vbi loquitur de Taric Maurorũ duce depopulante Hiſpanias, ſic ſcribit: Cùm enim Toletum veniſſet, inuenit eam ferè habitatoribus deſtitutam: plures enim ad Amayeram, alij ad Aſturias, alij confugerant ad montana. Taric autem ex Arabibus, quos ſecum duxerat, & Iudæis quos Toleti inuenerat, muniuit Toletum, exinde iuit Guadalfaiaram, & ad montem qui dicitur Gebeleuleman, & impoſuit ei nomen Gebeltaric. Inde venit ad ciuitatem monti vicinam, in quâ inuenit menſam viridem ex lapide pretioſo, & menſa & pedes ex vno lapide erant, & erat immenſæ latitudinis & longitudinis, & impoſuit villæ nomen Medina talmeida, quod interpretatur *Ciuitas menſæ.*

CAPVT XXI.

De monte cannarum.

FIdem allego Geruaſij, ex quo nonnulla tranſſcripſit Berchorius, inter alia de noſtrâ Hiſpaniâ ſic enarrantis. In Cataloniâ eſt mons cannarum altiſſimus, & quaſi inacceſſibilis, in cuius ſummitate eſt lacus, cuius aqua eſt ſubnigra, & fundus imperſcrutabilis, vbi manſio dæmonum ab incolis fertur eſſe ſub aquâ, ad modum palatij ædificata. Vnde fit, quòd ſi modicum lapidem in lacum ieceris, ſtatim, quaſi offenſis dæmonibus, tempeſtatem & tumultum audies & videbis. In huius ergo montis confinijs eſt fluuius arenas trahens aureas: argenti etiã ſunt ibi mineræ, & in quadam eius particulâ eſt nix & glacies ſempiterna. Ibi etiam cryſtalli copia reperitur. Ibi dudum accidit vnum miraculum. Quidam enim agricola de villâ proximâ, quæ dicitur Merchera, Petrus de Tabulâ nuncupatus, paruulam habebat filiam, quæ ipſum perpetuo eiulatu turbabat: qui

qui iratus ipſam dæmonibus commendauit; qui ſtatim inuiſibiliter adfuerunt, & puellam raptam in turbine abſtulerunt. Septennio ergo decurſo, quidam viator ad pedem montis tranſiens, vidit hominem celeriter decurrentem, & voce flebili proclamantem, Heu me, qui tanto pondere premor! Et requiſitus quis eſſet, reſpondit, ſe in monte cannarum iam ſeptennium ſub dæmonum commendatione tranſegiſſe, qui ipſo quotidie pro vehiculo vterentur. Dixit etiam ſub eadem conditione, eſſe filiam Petri prædicti: & adiunxit, quòd ſi pater ipſam in monte requireret, dæmones ipſam libenter reſtituerent. Quibus prædicto patri per dictum viatorem relatis, is ſtatim montem aſcendit, dæmones adiurat vt filiam reddant. Et ſtatim repentino flatu filia prodit procerâ ſtaturâ, arida, tetra, oculis vagis, horrendo aſpectu, quæ tandem paulatim extitit reformata. Non multùm verò pòſt alius, quo pro vehiculo dæmones vtebantur, ſimili patris atteſtatione liberatus eſt; qui quia raptus fuerat ætatis & diſcretionis maioris, fidelitùs, quæ apud dæmones gerebantur, expreſſit, aſſerens, ſub lacu eſſe palatium latum, vbi dæmones conueniebant, & quid per mundum fecerant, ſuis maioribus nuntiabant. Quia maledictio parentum noceat filijs. Vnum aliud pono mirabile, quod in Aruenià dicitur accidiſſe. Quidam enim dum ſe induere nollet, mater ſua imprecata eſt ei maledicendo, quòd numquam aliàs ſe induere valeret, quod & factû eſt; quia ſtatim verba pondus habuerunt. Veſtes enim depoſuit, & ex tunc cõtinuè tam æſtate quàm hieme nudus fuit, aſſerens æſtate neque maiora caumata, neque maiora ſe hieme frigora ſuſtinere, quàm anteà. Hoc mihi narrauit quidam Abbas, qui per Clarum montem tranſiens, dictum hominem poſt animalia nudum vidit; ipſumque ad ſe conuocans, rei ſeriem ab eo inquiſiuit. Iſta poſſunt allegari exemplariter, quòd parentes nullo modo debeant filios maledicere, & maximè dæmonibus commẽdare, ne fortè, laxatâ diuinæ permiſſionis habenâ, dæmones ipſos rapiant, & eos ſaltem ad tempus indecenter affligant. Nam & ego audiui, adijcit Berchorius, in patriâ meâ Pictauiâ, in Parochiâ de Fontanis, prope ciuitatem Malleacen, ſemel accidiſſe, quòd vir quidã filium ſuum iuuenem dæmonibus commendauerit, vel dederit, diabolus verò viſus ſit ipſum in palude circumiacenti ſubmergere, vt vix, tam matre quàm pluribus alijs ab oppoſito trahentibus, potuerit puer de manu diaboli liberari. Quod addit Geruaſius, non conſtat cum noſtris hiſtorijs. Cùm Carolus Magnus, inquit, Hiſpanias peruagaretur, omnia idola paganorum confregit, excepto vno, quod erat in terrâ Andaluſiâ, quod confringere non potuit. Erat enim imago ærea, ſuper altam columnam lapideam in confinio maris ſita, quæ faciem vertit ad Auſtrum, & clauem in dextrâ manu tenet. Quod idolum Sarraceni Mahumetem fabricaſſe dicunt, & intus (ſicut dicitur) legionem dæmonum incluſit, eique tantam virtutem dedit, vt numquam frangi poſſit. Cùm autem Chriſtianus appropinquat, ſtatim periclitatur; Sarraceni adorant, & ideò non moriuntur.

CAPVT XXII.

De portu Mongiæ.

NIſi oculati teſtes plenam fidem feciſſent, ſcriptiſque mandaſſent (præcipuè Gallæciæ deſcriptor Molina) quæ de portu Mongiæ narrantur, vix credi poſſent. Excreſcentes marini fluctus, dum ſaxa offendunt, cruces & balliſtas perfectiſſimè ſculptas in ipſis ſaxis formant, quæ detumente pelago effigiatæ apparent. At rurſus æſtus Oceani ſequenti die omnes delet, & in alijs rupium partibus alias ſculpit, delendas quoque ſuccedenti æſtu, & alibi imprimendas.

CAPVT XXIII.

De naui ſaxeâ.

IN eodem Mongiæ portu nauis perſtat tota ex viuo lapide, vt malus quoque & vela ſaxea ſint. Mirum dictu, tam magnam molem, tantum pondus vnus digitus pueri contactu ſolo motabit. Fertur in hac naui Deiparam apparuiſſe.

CAPVT XXIV.

De medullis Gallæciæ.

MEdullæ apud Gallæcios vocantur luteæ ſeu argilloſæ turres, omnino ſolidæ, ſponte ſiue à naturâ factæ, non aliter ac ſi exquiſita ars illas ædificaſſet. Quinque ſunt aut ſex; rubro dumtaxat limo conſtant, interiacent inter Ponferradam & Valdiorres. Quidam putant, vi aquarum montem illum turrium figurâ effoſſum; alij malunt fodinas auri ibi fuiſſe, & à metallicis huiuſmodi effigiatam humum. Signum eſt, in ripis fluuij Sil, qui proximè labitur, aurum inueniri.

CAPVT XXV.

De antro Gallæciæ.

NOn procul immensum antrum conditur. Nemo hactenus penetrauit illud, nemo finem inuenit. Quidam ausi peruadere, triduo in latebris itinerati sunt. Obstitit profundus amnis, ne vlteriùs procederent.

CAPVT XXVI.

De lacu Carecedone.

IN eadem plagâ lacus, Carecedo dictus, æmulatur mare fluctu & furore, cùm vix ambitu vnius leucæ circumscribatur.

CAPVT XXVII.

De S. Petro de Rocas, seu Rupium.

INter miracula mundi censeri potest templum S. Petri à Rupibus dictum, siue *de Rocas*. Ex vno integro lapide constat, cum duobus ad latera sacellis, viginti duo pedes latis. Tam profundè excauata rupes.

CAPVT XXVIII.

De monte Laroco, seu Codis.

INter fluuios Sil atque Bibey, qui partem Gallęciæ alluunt, intercedit mons Larocus, vbi secta immanis rupes videtur à culmine ad medium vsque, tum in ipsâ rupe itinera satis lata circumexcisa. Codos vocant hæc itinera. Operâ Romanorum Bruto Duce creditur excauatum eiusmodi saxum.

CAPVT XXIX.

De fonte Louzaræ.

IN montanis Cebreri iuxta exordium Lori fluuij mirus erumpit fons; intumet fluctibus, & deferuet, quemadmodum pelagus, à quo viginti leucas distat. Idem incrementum ac decrementum ver & hiems conseruant.

CAPVT XXX.

De fonte Vianæ.

MIra virtus fontis iuxta Vianam eliciendo ægrotantibus sudori, quo plures morbos deponant. Aliquando pretiosior eius latex vsque in Bæticam venalis deportatus.

CAPVT XXXI.

De monte furado, seu perforato.

VOcatur mons *furado*, saxeum promontorium, quod fluuius Sil medium perforans transmeat. Mirum visu & dictu.

CAPVT XXXII.

De saxo excipiente corpus S. Iacobi Apostoli.

CVm primùm Yriam Flauiam appulit nauis, quâ corpus S. Iacobi delatum in Hispaniam, sanctum cadauer, deponendum super saxum, ipsa rupes se expandens, & in sepulchri formam sponte effigians, excepit. Hactenus perseuerat eadẽ species sepulchri.

CAPVT XXXIII.

De Lamis de Guâ, & origine Tamagi fluuij.

CElebris origine suâ Tamagus amnis. E lacu exoritur vocato *las lamas de Gua*, vbi per aliquot anni menses ingentes mugitus audiuntur, quasi eos ederet animal aliquod. Vaccæ instar resonant. Si accedas vbi clamor videtur edi, statim procul audies. Sic perpetua fuga elabitur curiosis.

CAPVT XXXIV.

De crucibus herbæ.

ANnotatione admirationeque dignissimũ est, in omnibus ædificijs, quæ iussu & sumptibus celeberrimi & magni viri D. Petri Gonzalez de Mendozâ, Cardinalis tituli S. Crucis, constructa in Hispaniâ sunt, sponte enasci herbulam, quæ crucem perfectè formet in medio atriorum. Res digna visu & miraculo habita. Erat hic Cardinalis sanctissimæ Crucis præcipuus cultor: vbicumque salutiferum hoc signum offendebat, supplex adorabat.

CAPVT XXXV.

De fontibus sacris Hispaniæ.

PErcelebres fuerunt nostris Historicis Hispaniæ fontes ad Baptismata Paschalia exundátes: iuuat tamen aliquid dare ex sancto Gregorio Turonensi. Libro 5. Historia-

ſtoriarum inquit. Eo anno dubietas Paſchæ fuit; in Gallijs verò nos cum multis ciuitatibus quartodecimo Kalendas Maias ſanctum Paſcha celebrauimus; alij verò cum Hiſpanis duodecimo Kalendas Aprilis ſolemnitatem hanc tenuerunt. Tamen, vt ferunt, fontes illi qui in Hiſpanijs nutu Dei complentur, in noſtro Paſcha repleti ſunt. Idem adfert Vaſæus ad annum 570. ex Sigiberto & Roberto Gaguino. Latiùs tamen idem S.Gregorius Turonenſis de his fontibus lib.1. Miraculorum. Eſt & illud illuſtre miraculum de fontibus Hiſpaniæ, quos Luſitania prouincia profert. Piſcina namque eſt apud Oſen campum antiquitus ſculpta, & ex marmore vario in modum Crucis miro compoſita opere; ſed & ædes magnæ claritatis ac celſitudinis deſuper à Chriſtianis conſtructa eſt. Igitur cùm dies ſacer poſt curriculum anni decedentis aduenerit, quo Dominus confuſo proditori myſticam diſcipulis præbuit cœnam, conueniunt in locum illũ cum Pontifice ciues iam odorem ſacri præſentientes aromatis. Tunc datâ oratione Sacerdos oſtia templi iubet ſimul muniri ſignaculis, aduentum virtutis Dominicæ præſtolantes. Die autem tertiâ, quod eſt ſabbati, conuenientibus ad baptizandum populis, adueniens Epiſcopus cum ciuibus ſuis, inſpectis ſignaculis, oſtia reſerat clauſa. Ac mirum dictu, piſcinam, quam reliquerãt vacuam, reperiunt plenam, ſed ita cumulo altiore refertam, vt ſolet ſuper ora modiorum triticum adgregari, videaſque huc illucque latices fluctuare, nec partem in diuerſam defluere. Tunc cum exorciſmo ſanctificatum conſperſum deſuper Chriſma omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro ſaluatione reportat, agros vineaſque aſperſione ſaluberrimâ tutaturus. Et cùm exinde multitudo amphorarum ſine collecto numero hauriatur, numquam tamen vel cumulum minuit, licet, vbi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, & baptizatis omnibus, lymphis in ſe reuerſis, vt initio produntur neſcio, ita & fine clauduntur ignaro. Quid verò acciderit vni ex hæreticis Deum non metuenti, neque venerationem præſtanti huic loco ſancto, neque credenti corde miraculum quod in eo Dominus ad corroborandam ſuorum fidem præſtare dignatus eſt, non ſilebo. Venit cum turbâ equorum, ſolutiſque impedimentis iuſſit in baſilicam poni, equitibuſque in eâ præſepia præparari, irridens miſer quæ de hoc loco narrabantur ab incolis. Igitur mediâ nocte prætereunte à febre corripitur, ac pænè exanimis, & tardiùs quàm debuerat pœnitens exclamat, equites ab æde expelli (erat enim ei ſub Rege, licet magna, tamen in illâ regione poteſtas.) Expulſiſque à Baſilicâ ſanctâ equitibus, ad ſe reuerſus, cœpit dentibus proprium lacerare corpuſculum, nec prorſus retineri à ſuis ob nimiam poterat debacchationem. Tandemque oppreſſus, inter ſuorum manus ſpiritum exhalauit. Denique Theodegiſilus huius Rex regionis, cùm vidiſſet hoc miraculum, quod in his ſacratis Deo fontibus gerebatur, cogitauit intra ſe, dicens, Quia ingenium eſt Romanorum (Romanos enim vocitant homines noſtræ Religionis) vt ita accidat, & non eſt Dei virtus. Veniens verò ad annum ſequentem, oſtium ſigillis ſuis cum Epiſcopi ſigillo muniuit, poſuitque cuſtodes in circuitu templi, ſi fortè aliquem deprehendere poſſit fraudis alicuius conſcium, per cuius ingenium in fontibus aqua ſuccederet, ſimiliter & alio fecit anno. Tertio verò conuocatâ virorum multitudine, foſſas in circuitu Baſilicæ fieri iuſſit, ne fortè dogis occultis lymphæ deducerentur in fontem: fueruntque foſſæ in profundo vicenûm quinûm pedum, in latitudine verò quindecenûm. Sed nihil abditum potuit reperiri. Tamen vitæ finem faciens, & credo pro huius inquiſitionis temeritate, anni ſequentis diem, quo hoc myſterium celebrabatur, videre non meruit, & quod arcanum virtutis diuinæ inueſtigare præſumpſit. Habentur autem in eâ Reliquiæ ſancti Stephani Leuitæ. Ergo quia fons ille diuino nutu, vt ſuprà diximus, ad officium baptizandi repletur, & quia, cùm completus fuerit, auidè ex hoc populus haurire feſtinat, quidam accepto vaſculo, Preſbytero, qui hâc aquam miniſtrabat, porrexit ad complendum. Quod dum complet ſenior, hic inter comprimentes turbas manum alterius extendit ad baltheum, cultrumque furatus eſt: quo vaginâ recondito, manus extendit ad accipiendam hydriam, quam tradiderat Preſbytero. Quâ acceptâ amotus in partem aliam, neque vnam guttam aquæ in eâ potuit reperire. Tunc confuſus valdè, & ſibi ob furti cauſam hoc eueniſſe cognoſcens, homini cultrum, quem furatus fuerat, reddidit, & ſic iterùm porrectâ lagenâ, plenam aquæ recepit. Eſt enim populus ille hæreticus, qui vidẽns hæc magnalia, non compungitur ad credendum, ſed ſemper callidè diuinarum præceptionum ſacramenta nequiſſimis interpretationum gratulationibus non deſinit impugnare. Sed virtus Domini diuerſam partem adſtruit & confundit.

CA-

CAPVT XXXVI.

De tauro sancti Marci.

APud nos in Hispaniâ testatissima fama est de tauro D. Marci, in ipsius festiuitatis die, solâ diei festiuitatis energiâ, adduci ad templum inter plebem ipsam innumeram virorum, feminarum ac puerorum, positis etiam in cuspidibus candelis. Quidam hoc ad miracula referunt, alij ad magiam, quemadmodum Grillandus libro 2. de Sortil. q. 8. num. 2. refert de quodam mago Græco tempore Adriani VI. qui solis verbis compresserat vires ferocissimi tauri corã ducentis & vltrà viris, quemque ipse Grillandus dicit se habuisse in carceribus Capitolinis examinandum, eumque horum maiora verborum potentiâ efficere potuisse, eum tamen euasisse semiexaminatum, fauoribus Romani populi, Magnatumque quorumdam. De draconibus, Holcot ad illud Sap. 16. *Filios autem tuos nec draconum vicerunt dentes*, sect. 178. sic meminit. Mercatores etiam (quod est mirabile dictu) quibusdam carminibus dracones faciunt mansuetos ad tempus, quibus insidentes, freno eos ferunt vsque cùm in Æthiopiam veniunt, vbi eos vendunt, quia nempe (vt proximè retulerat) Æthiopes in feruidâ plagâ habitantes draconum carne vescuntur, quia eam vescentes infrigidat, venenum nempe arte aliquâ priùs excutientes, vel caudam, in quâ latet, abscindentes, vt dicitur in libro de Naturâ rerum. Planè cærimoniam huius tauri inuenio damnatam à Romano Pontifice per diploma sequens, quod etiam Moura Lusitanus, à quo ista accepimus, producit.

Clemens VIII. *Venerabili Episcopo Ciuitatensi. Venerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti, apud nonnullos istius diœcesis Ciuitatensis populos inoleuisse abusum quemdam in festo sancti Marci Euangelistæ, quo die taurus quidam ferocißimus publicè ad Missam & Proceßionem à vicinis producitur Marci nomine, candelam & panem in cornu gestans, magno sanè cum diuini honoris & animarum periculo, cùm ipsimet belluæ, à feminis præsertim ac reliquâ vulgi multitudine, quasi è cælo à Deo, vel à sancto Marco ad Proceßionem mißæ, veneratio ac diuinus cultus tribuatur. Ad quod periculum, quoniam & hæc scandala atque incommoda accedunt, primùm gentilica illa superstitio affinis ac simillima idololatriæ, deinde etiam mortis discrimen, tum diuinæ virtutis, ac miraculi cuiusdam efflagitatio in mansuefaciendo animali naturâ suâ feroci, præter fœdißimas templorum conspurcationes turbarumq; inter diuina Officia excitationes, & risus per omnia Ecclesiarum loca dißolutos. Tu propterea pro tuâ in Deum pietate, ac pastorali vigilantiâ abusum prædictum, tamquam à Religione Christianâ alienum, tollere atque abhorrere desideras. Sed cùm homines illi plus nimio, & contrà quàm Christianos deceat, nefandæ superstitioni suæ indulgentes, appellationibus & inhibitionibus violenter se tueantur ac defendant, nobis humiliter supplicari fecisti, vt in præmißis prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur fraternitatis tuæ solertiam & religionem summopere in Domino commendantes, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregationis sacrorum rituum sententiâ supradictum abusum tamquam Ecclesiasticæ pietati, necnon etiam sacro ritui aduersantem, & detestabilem, ijs in locis, in quæ hucusque irrepsit, funditùs tollendum atque abolendum eße statuimus & ordinamus, ac fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus, plenam & amplam super hoc facultatem & auctoritatem tibi concedimus, vt abusum prædictum ex omnibus & quibuscumque locis tuæ diœcesis Ciuitatensis, appositis Iuris & facti remedijs, alijsq; Ecclesiasticis censuris & pœnis, tollere ac funditus abolere, omni & quacumque oppositione & recursu ac inhibitione postpositis & reiectis, auctoritate nostrâ cures, & cum effectu facias. Non obstantibus præmißis, ceterisq; in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die* 10. *Martij* 1598. *Pontificatus nostri anno septimo. Marcus Vestrius Barbianus.*

Nihilominùs fuerunt, qui ad vires naturæ id reducant. Laguna in Dioscoridem dixit, inebriari taurum; hoc tamen constat non fieri. Alij dicunt, caprifico posse tauros mansuefieri; aut dextro genu alligato. Hoc cùm Romæ Clementis VII. principatu Græculus quidam effecisset, ducto sæpiùs ferocissimo tauro per vniuersam vrbem, quem tenui admodum funiculo ita religarat à genu, peritissimi magi nomen apud imperitos assecutus est. Fertur Hispanos eumdem morem in Indiam transtulisse, & semel reliquis mansuetum taurum, in excommunicatum hominem qui aderat, impetum fecisse.

CAPVT XXXVII.

De palatio & arcâ Toletanâ.

INter memorabilia Hispaniæ admirandum est, quod nostri Historici conscribunt, & explicatiùs Rodericus Toletanus de arcâ, quæ aperta fuit à Roderico Rege, paulò antè quàm Arabes ex Africâ, instigante Comite Iuliano, in Hispaniam irruerent, & profligato Roderici exercitu, ipsoq; occiso, eam subiugarent. Inquit enim: Erat tunc Toleti palatium, à multorum Regum temporibus perpetim clausum, pluribusque seris obseratum. Id Rodericus contra omnium volũtatem aperuit, vt quid in eo lateret cognosceret. Thesauros autem, quos sitiebat, sperabat. Verùm præter arcã vnam, nihil inuenit. Quâ apertâ, pannum litteris Latinis hæc verba referentem deprehendit: *Cùm continget seras frangi, palatium atque arcam aperiri, & quæ in eâ sunt videri, tunc scito gentes eiusmodi Hispanias inuasuras, suoq; dominio submissuras.* Quibus lectis Rex doluit palatium arcamq; se aperuisse, & gemino, quo ante clausum erat, modo concludi imperauit. Erant autem in panno delineati Arabes, capita vittis tegẽtes, vestibus versicoloribus amicti, gladios & iacula vibrantes, vexillaque in altum extensa gerentes. Hisce similis illa, quæ à Cedreno historia hoc ferè modo describitur anno 779. Regnante Constantino & Irenâ, quidam apud longos Thraciæ muros fodiens, in cistam incidit: quâ purgatâ & apertâ, virum procerum in eâ recumbentem offendit, laterique cistæ incisas litteras hanc sententiam exprimentes: *Christus è virgine nascetur, inq; eum ego credo. Constantino & Irenâ imperantibus Sol me rursum videbis.* Et Suetonius geminã huic de Iulij Cæsaris fato historiam his verbis narrat: Paucos ante menses cùm in Coloniâ Capuâ deducti, lege Iuliâ coloni ad exstruendas villas sepulchra vetustissima disijcerent, idque eò studiosiùs facerent, quòd aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula ęnea in monumẽto, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ sepultus, inuenta est, conscripta litteris verbisq; Græcis. hæc sententia: *Quandoque ora Capyis detecta essent, fore vt Iulio prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisq; mox Italiæ cladibus vindicaretur.* Ammianus Marcellinus aliud huiusmodi prodigiũ scribit lib. 31. Cùm Calcedonos subuerterentur veteres muri, vt apud Constantinopolim ædificaretur lauacrum, ordine resoluto saxorũ, in quadrato lapide, qui structurâ latebat in mediâ, Græci versus incisi reperti sunt futura plenè prodentes. Sed & memorandum est ludibrium sepulchri Regis Beli. Eo namque reserato, Xerxes Darij filius vitream vrnam reperit, in eaq; cadauer oleo innatans; quæ vrna tamen plena non erat, vacuumque à summis labris palmæ ferè spatium habebat. Vrnæque columna exigua adiacebat, cui inscriptum, eum qui sepulchrum aperuisset, vrnamque non repleuisset, pessimè mulctatum iri. Quibus lectis Xerxes

Obstupuit, retroq; pedem tulit, oraq; buxo
Pallidiora gerens, exhorruit æquoris instar,
Quod fremit exiguâ cùm summum stringitur aurâ.

Sed postquã remoratus palantes sensus sub rationis vexillum retraxit, euestigiò oleum infundi imperauit: verùm iussa ita implere haud potuit, quare & iterùm infundi præcepit: sed & ne sic quidem replere potuit, donec tandem sæpiùs conamine irrito iterato desisteret, clausoq; monumento, summo cum mœrore recederet. Et certum, nec inanem euentũ columnæ prædictio sortita est. Nam Xerxes exercitu suo quinquaginta myriadum à Græcis deleto, cùm trepidus in regnum se reciperet, ignobili morte vitam finiuit, noctu in lecto à filio trucidatus. Ad huius paterni monumenti similitudinẽ Semiramis sepulchrũ sibi fecit: supra celeberrimas vrbis portas, in edito atque conspicuo loco, cum hac inscriptione *Si cui Regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro sumito quantumcumq; libuerit pecuniæ. Ne tamẽ, nisi indiguerit, alioquin aperito; non enim è re eius fuerit.* Permansit hoc sepulchrum immotũ, donec ad Darium regnum deuolutum est: qui indignũ ratus se neque ijs portis vti (ideò autem non vtebatur, quod sibi transeunti cadauer culminaret) nec sumere pecunias repostas, & eas quidem se irritantes, reserauit monumentum, proq; thesauris inane sepulchrum reperit, & intentè omnibus sepulchri partibus lustratis, in saxo ad latus sepulchri hæc verba incisa offendit: *Nisi pecuniâ esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulchra non aperuisses.* Diligentiùs autẽ perscrutato sepulchro, in obscuro angulo exiguam arculam reperit, quâ apertâ, execranda veneni violentia prosilijt, quæ tertiam hominum partem suâ truculentiâ sustulit.

CAPVT XXXVIII.

De luminibus Olianis.

APud oppidum Olianam, quod est in ripâ Sicoris, & distat ab Ilerdâ passuum millia circiter quadraginta, domus est B. Mariæ Virginis Castiluedrensis, in alto loco posita: ad quam domum singulis annis in

in Martio mense diebus Veneris ex insulâ fluminis tria lumina cærulei coloris ascendunt, & Ecclesiam per fenestras ingressa, lampades accendunt, & subinde descendunt ad eumdem locum vnde venerant, ibique ab inspicientium oculis euanescunt. Quæ res admirabilis à populis illius regionis & viris fide dignis affirmatur.

CAPVT XXXIX.

De icone Deiparæ ad aquas Lupias.

SÆuiente per vniuersam Europam circa annum Domini 600. grauissimâ peste, regnante Riccaredo Hispaniarum Rege, Gregorius Magnus Pont. creatus, priùs quã inaugurandus esset, solemni indictâ Supplicatione, frequenter iussit Clerum populumque adesse, vt Dei iram, patrocinante D. Virgine (cuius peculiarem effigiem manu gestabat) deprecaretur. Nec mora, pijssimi Pötificis precibus pestis elanguit, & sedata fuit. Hanc postmodum effigiem D. Leandro Hispalensi Præsuli vnà cum moralibus in Iob libris, alijsque Reliquijs dono misit. In Cathedrali templo summo cum honore seruata fuit, donec luxu libidineque eneruatam Hispaniam Pœni impunè vastarent, Christianis vndique fugientibus. Hispalenses aliquot Sacerdotes infidelium manibus elapsi, Toletum fugerunt, ablatis aliquot Sanctorum Reliquijs, vnà cum sacrâ hac effigie, qui cuncta hæc prope amnem Guadalupe, barbarorum metu, in marmoreo sepulchro, adiunctis litteris in rei gestæ memoriam, ingestâ tellure condidere. Multis demũ elapsis sæculis, tempore Alphonsi XI. accidit, vt bubulcus amissum bouem aduerso amne Guadalupe inuestigaret: quem mortuum reperiens, dum parat corio nudare, reuixisse videt attonitus, cùm se illi D. Virgo augustâ specie derepentè obtulit, imperans vt Clero significaret, vt eo loci occultam sacram effigiem effoderent, ibique dedicatâ æde collocarẽt. Pastor hic demum rediens, inusitatâ in Deũ flammâ, & D. Virginẽ religione accensus, vt cælestibus mandatis obtemperaret, ecce tibi familiam omnem luctu & mœrore obsitam ob filij mortem, sed ipse insolitâ quadam in B. Virginem spe, preces tanto animi feruore fudit, vt iterùm cunctis stupentibus vitalis cerneretur. Statimque vniuerso Clero rei gestæ seriem omnem retulit, recenti miraculo confirmatam. Omnes illicò ad indicatum locum conuolant, repertamque imaginem tumultuariâ excitatâ ædiculâ reponunt. Miraculi huius fama vniuersam momento Hispaniam peruasit, magnus eò statim concursus fieri, frequentes se D. Virgini commendare, vniuersi opem auxiliumque ærumnis suis experiri. Rex ipse Alphonsus XI. famâ rei excitus huc venit, multumque agri, Castri Iulij & Talabricæ templo & Cœnobio assignauit, vt Deo commodius obsequium præstarent. Templum etiam maiori ambitu extruxit, varijsque ornamentis decorauit: nec incassum; nam vix elapso triennio, D. Virginis præsens numen sensit. Memorabile enim aduersus quinque potentissimos Pœnorum Reges prælium commisit prope Amnem salsum, non procul à Tariffâ, & adiuuante Alphonso Lusitaniæ Rege, socero suo, victor euasit, circa annũ 1340. ipse Rex hostium spolia Deo obtulit, inter quæ adhuc magni ex ære tripodes templi parieti affixi visuntur. Templum vndique varijs donarijs & frequenti anathemate septum est, columnæ votiuis tabellis tectæ. Hæc inter conspicuus est cereus immensæ magnitudinis ex cerâ albâ, quem Olyssiponensis populus sæuâ pestilentiæ lue D. Virginis ope liberatus, anno 1490. offerendum curauit: nam vasa sacra tam aurea quàm argentea recensere immensum foret. Argenteæ lampades triginta perpetuo lumine visuntur, inter quas aliquæ opere & magnitudine conspicuæ. Inter multa Regum Principumque donaria videre est maioris tormenti bellici ferreum globum, quem Alphonsus Albuquercius, auorum memoriâ Indiæ Prorex, in monumentum miraculi, quo eum D. Virgo in Goënsi obsidione tutata est, misit. Nam cùm scaphâ flumen subiret, comes quidam eius ita tormenti globo discerptus fuit, vt illius cerebro fœdatus fuerit. Quo ille periculo commotus, in D. Virginis Guadalupiæ se tutelam commendat. Vix orationem finierat, cùm tormento excussus globus pectus illi percussit, sed innoxiè ad pedes eius delapsus fuit, licet vix à quadraginta passibus excussus fuisset. Nunc argenteis incrustatus bracteis hîc seruatur, cum quo monile misit multis gemmis & adamantibus ornatũ. Effigies hæc D. Virginis ex ligno est, quod quamuis cariei obnoxiũ admodum est, mirâ tamen Dei prouidentiâ per sexcentos annos sub terrâ incorrupta durauit. Fusci verò coloris est, & vultui maiestas inest tanta, vt referant ęditui, se fixis oculis non posse illam intueri, reuerentiâ enim sentiunt sibi oculorum aciem præstringi. Multa essent hoc loco de sacrâ hac æde dicenda, quæ spatijs exclusus iniquis præterire cogor. Opidum est exiguum, amœnum, fontiumq; frequentiâ irriguum admodum. Flumen Guadalupe (nam guada Mauris aquam notat) muros eius prçterfluit, cuius vtramque ripam bicolores vndiq; & proceræ populi obumbrant,

 ali-

alicubi in tantam altitudinem enatæ, vt nauium malis inseruiant; nonnullis in locis, luci instar, ita densæ, vt vel flagrantissimi Solis radios non admittant. Ager suburbanus vini mellisque & cuiusque generis fructuum ferax, cetera copiosè suppeditantur.

CAPVT XL.

De monte Serrato.

INter naturæ miracula reponi potest mons Serratus, qui licet crebris vndique rupibus ambiatur, ipse tamen longè super omnes eminet, vt procul visentibus egregiè turritæ arcis monti impositæ speciem præbeat; talique ordine rupes hæ dispositæ videntur, vt natura religioso quodam horrore intuentium oculos in se conuertere videatur. Ambitu suo quatuor leucas complectitur, nubibusque se condere ob eximiam altitudinem creditur. Vertice eius despectantibus, vicini montes camporum imaginem præbent. Raræ hîc conualles, plerumque solidæ rupes, & immensæ altitudinis aspreta: atque vbi in rupis verticem magno labore te euasisse putas, statim se offert alia multò altior, in quam vbi per ligneos gradus enixus es, crescere adhuc rupis altitudo videtur: interdum in vastæ magnitudinis murũ excurrũt, varijs hinc inde quasi castellis prominentibus: interdum seorsum collocatæ; ceterisq; auulsæ montibus, turrium imaginem præbent. Et licet horrendæ procul appareant, frequenti tamen & viridante arbore consitæ, Thessala Tempe referunt: & cùm prorsus inaccessę videantur, humanæ tamen industriæ hîc natura victa cessit. Nam inuijs in locis summâ arte sublicias scalas durissimis scopulis affixere, quæ cùm multâ fronde sunt tectæ, aduenis gratissimas vmbras aduersus Solis æstum præbent. Aiunt à montis iugo sudo cælo Baleares insulas (vulgò Mallorca & Menorca) quæ sexaginta hinc leucis distant, posse conspici. Montis radices alluit amnis vulgò dictus Lobregat, Ptolomæo verò Rubricatum; quod sanè nomen potiori ratione illi impositum fuisse puto, quàm Arabico sinui Mare rubrum. Fluctus enim toto anni tempore maximè rubent, colorem ab arenis, quas pertransit, mutuatur. Amnis est inglorius, nulliusque pænè vtilitatis: nam hibernis aquis summoperè exęstuat, æstate verò agris inutilis, arescente pænè alueo iners voluitur. Restat vt paucis B. Virginis cœnobij illis in locis exstructi originem referam. Quo tempore Barcinone Guifrius Pilosus cognomine III. Comes imperabat, anno 880. opiliones qui his in rupibus gregem pascebant, frequenter animaduerterunt, diebus sabbati post meridiem in rupem vnam frequens lumen cælo descendere vnà cum iucundissimo musices concentu. Hoc ostentum vbi parentibus retulerunt, & re ipsâ illis compertum esset, villæ illius Parocho, & Episcopo Manresæ rem totam significarunt. Qui cùm eadem oculis vidissent, frequenti Clero Supplicatione indictâ, deducente eos insolito quodam & fragranti odore, ad rupem peruenere, vbi B. Virginis imago in antro reperta fuit (nunc in cœnobio visitur) quam Episcopus vnà cum Clero Manresam versus magno honore deferre statuebant. Cùm vix eo loci ventum, vbi nunc cœnobium est, non potuere imaginem loco mouere, sed ibi fixa permansit: quo conspecto, Episcopus ibi ædem vouit D. Virgini, dedicauitque. Cœnobium in medio montis sitũ est, sub inaccessâ rupe, vt è propinquo spectantibus ruinam minari videatur, nec immeritò. Nam ante paucos annos pars pręcipitis scopuli diuulsa decidit, vt nosocomium protriuerit, multosq; in illo ęgros afflixerit. Templum est exiguum, & obscurius paulò, frequentibus vndique votiuis tabellis ornatum. Spectantur supra nonaginta argenteæ lampades. Imago B. Virginis colore est subfusco, & intuentium oculos cælesti quadam maiestate perstringens. His in rupibus duodecim sunt Anachoretarum casę: nec admiratione caret, videre inter confragosas & asperrimas rupes domunculam quamdam tamquam hirundinis nidum scopulo affixam. Et quia pensiles sunt, videntur quouis vento casum minitari: & quod captum pænè omnem superat, vbi eò perueneris, videas vno in tuguriolo conclaue, triclinium, musæum, sacrarium, atrium, hortum, & quidquid demum concinnis ædibus conuenit, omnia affabrè facta. Nec modicis impensis his in locis casula vna exstrui potest. Multa de hoc monte dicenda supersunt, quæ, vt orationis satietatem effugiam, silentio inuoluo, si hoc vnum instar colophonis addidero, montem hunc natum videri ad solitariam vitam degendam. Nullæ hîc turbæ, nulli importuni strepitus, qui mente à diuinâ contemplatione possint auocare. Solùm hîc audire est iucundos auicularum garritus, ipsasq; aues videre Anachoretarum manibus intrepidè alludere, & cibum capere. Miraculorum seriem enarrare, non est huius instituti, neque paucis ea complecti possem.

CA-

CAPVT XLI.

De piscibus viuiparis.

SVnt in Hispaniâ pisces qui non oua, sed animalia pariunt. Valentiæ siquidem, Marineus Siculus ait, piscē vidimus, quem piscatores è mari captū portauerant, & torculari magno locauerant aquæ pleno, crassitudine & longitudine magnæ mulæ: cuius caput, os, nares, oculi, bouis esse videbantur, præter cornua quibus carebat. Mammas habebat muliebres, & manus mamillis appositas. Vuluam quoque mulieris, quam postero die vidimus parientem pisciculum sibi persimilem, longitudine trium pedum, & crassitudine colli canis Gallici, quem die quarto post partum mater fame, vt opinor, coacta deuorauit. Quam rem ne quis commentitiam putet, vidit etiam mecum vnà Rex Catholicus Ferdinandus, viderunt & alij complures Equites.

CAPVT XLII.

De sale fossili.

IN Hispaniâ sal non modò coquitur, verùm etiam plurimus effoditur, hoc est, & fit & gignitur: fit enim in multis Hispaniæ locis ex aquis haustis è puteis, vt apud Seguntiam, ex quo Regibus magnum vectigal exigitur; gignitur etiam in extremis maris littoribus ceteris candidior. Sunt & montes Hispaniæ natiui salis, vt apud Ribagoruam, in quibus lapicidinarum modo sal cæditur, & arborum modo posteà pullulat ac renascitur. Apud oppidum Antiqueram vallis est amœnissima, cuius longitudo est passuum mille & quingentorum, & ex omni parte clausa montium iugis, quæ vallis hieme pluuialibus aquis impletur, & in formâ magni lacus efficitur. Cuius aquæ calore Solis in salem candidum conuertuntur. In Antecæ valle salinæ sunt aquarum. Sunt & in oppido Salinarum salinæ memorabiles, & aliæ in oppido quod *Salinas de oro* dicitur, & apud Nouanos Nauarræ populos.

CAPVT XLIII.

De fonte Salsularum, & piscibus fossilibus.

ARx quæ hodierno die *Salsas*, antiquitus Salsulæ vocabatur. Meminit eius in Itinerario Antoninus: is siquidē Narbone salsulas xxx.m.p. numerat, qui septē magnis leucis respondent, quæ hodie numerantur. Pomponius Mela in Galliæ Narbonensis descriptione fontis meminit, quem Salsulas vocat, qui leucâ tantùm ab hac arce distat. Priscis scriptoribus non incelebris, nostris verò recentioribus omnino præteritus. Et quia res est admiratione digna, nollem etiam mihi obliuionis notam vt ceteris inuri: proinde fusiùs paulò de illo in præsentiarū agam. De eo sic Pomponius Mela: Vltra Leocata litoris nomē, & Salsulæ fons non dulcibus, sed salsioribus, quàm marinæ sint, aquis defluens; iuxtà campus minutâ arundine graciliqùe peruiridis, ceterùm stagno subeunte suspensus. Id manifestat media pars eius, quæ abscissa proximis, velut insula natat, pelliqùe se atque attrahi patitur. Quin & ex ijs quæ ad imum perfossa sunt, suffusum mare ostenditur, vnde Graijs nostrisque Auctoribus, veríne ignorantiâ, an mendacij libidine visum est, tradere posteris in eâ regione piscem è terrâ penitus erui, qui vbi ex alto hucusque penetrauerit per eius foramina, ictu captantium interfectus extrahitur. Athenæus verò lib.8. ex Polybij opinione eadem pænè refert, licet alijs verbis. Polybius 34. Historiarum libro, vltra Pyrenem ad Narbonem fluuium campum pertinere ait, quem Illiberis & Rhuscino interfecât eiusdemnominis vrbes prēterfluentes, quas incolunt Celtæ: in hoc campo pisces eos, qui fossiles vocantur, erui tradit. Campus ipse exilis parumque fecundus est, multo tamen gramine lætus, subtus verò, cùm arenosa duorum vel trium cubitorum altitudine ea terra sit, ex proximis fluminibus aqua influit, cuius tortuosos atque multiplices cursus cùm pisces cibi gratiâ sectentur (auidissimè enim graminis radices dicuntur appetere) effecerunt vt vniuersus ille ager subterraneis piscibus sit refertus. Aristoteles verò his omnibus antiquior, libro De Mirandis auscultationibus, circa locum vbi fons hic erumpit, non solùm longè à vero deuiauit, sed alia etiam de hac piscaturâ diuersa tradit. In finibus Massiliensium, inquit, circa Ligusticam lacus esse fertur, qui ebulliens effususque pisciū multitudinem immensam veriqùe fidem superantem eijciat, ceterùm flantibus Etesijs tantum puluerem concitari, vt coaceruatâ in lacum humo siccâ, superficiem obtegat, in formamq; areæ redigat, vnde indigenis licet, pertusâ siccitate, in triuijs quoscumque pisces citra negotium eximere. Strabo etiam lib.4. idem manifestè asserit his verbis: Iuxta Ruscinonem lacus est, & ager quem alluit paulum supra mare, refertus salinis. Habet & effossiles cestrias pisces: nam si quis duos aut tres fodiat pedes, & in limosam aquam fuscinam demiserit, piscem eximiæ magnitudinis fixū penetrat. Quod

ne cui fortè mirũ videatur, non vno id loco accidere testatur Theophrastus libello De piscibus: refert enim, circa Heracleã, & alibi in Ponto, & circa Tium Ponti, Milesiorum coloniam, fossiles reperiri pisces. Nascuntur verò illi circa fluuios & aquosa loca, quæ cùm siccantur, paulatim pisces subinde humorem sectando terram subeunt. Quod verò in Paphlagoniâ cõtingit, peculiarem & abditã rationem habet: illic enim multos & bonos pisces effodi aiunt, cùm neque restagnẽt ijs in locis amnes; miraturque & ipse gigni sine coitu. Eadem pænè ex Theophrasto narrat Plinius lib. 9. c. 57. Lepidè hac de re Seneca lib. 3. Quæst. nat. ad Lucillum. Theophrastus affirmat, pisces quibusdam locis erui. Multa hoc in loco tibi in mentem venere, quæ vrbanè in re incredibili fabulosáq; dicas, non cum retibus aliquem aut cum hamis, sed cum dolabrâ ire piscatum. Exspecta vt aliquis in mari versetur. Quid est autem quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? T. Liuius prodigij loco narrat lib. 52. in Gallico agro, quà induceretur aratrum, sub existentibus glebis emersisse pisces. Iuuenalis idem vt valdè rarum, & instar portenti, Satyrâ 13. esse dicitur.

—— *Miranti iam sub aratro*
Piscibus inuentis, & fœta compare mulæ.

Sed nihil æquè mirandum duco, quã quod Appuleius Apologiâ pro se primâ dicat, in Getuliæ mediterraneis montibus pisces per Deucalionis diluuia reperiri. Fossiles verò pisces & hoc æuo quandoque inueniri, referunt Rondeletius lib. De piscibus, & Georgius Agricola lib. De animantibus subterraneis. Sed ad carceres redeo. Fontem hunc à salsulis non totâ leucâ distare, oculatus testis refert Gaspar Barrerius, cuius aqua salsa est. Hiberno tempore percalida est, æstiuo verò gelida. Adiacet huic fonti campus, multâ humilique arundine, & aquaticis herbis frequens (vt notauit Mela) & continuâ aquarum ex hoc fonte emanantium illuuie vdus. Hinc verò per canales quosdam in vicinum lacum aqua omnis se exonerat. Fons verò piscosus admodum est: nam & hiberno tempore aquæ calore, æstiuo verò grato eius frigore allecti, gregatim huc pisces confluunt. Arx verò loco campestri sita est, egregiè munita, & propugnaculis instructa, vt hostiles impetus contemnere videatur. Tali verò arte propugnacula hæc disposita sunt, vt non vna, sed plures arces videantur. Sublicijs enim pontibus ita sunt distincta, vt, vno capto, nihil damni hinc reliqua percipiant.

CAPVT XLIV.

De Pityusis insulis Hispaniæ.

Ex Nonio quoq; descriptionem harum insularum vsurpo. Mediterraneum mare intrantibus geminæ se offerunt insulæ, à frequenti pineo frutice dictæ Pityusæ. Posteà Ebusus vtraque vocata. Dehinc vna vocata est Ebusus, altera verò Ophiusa, quæ & Colubraria. Distant à Balearibus trecentis stadijs, vt Antonini fert Itinerarium, vt verò Plinius lib. 3. cap. 5. septingentis. Subiacet verò Ebusus maiori insulæ Balearidum, vt refert in Cosmographiâ suâ Æthicus. De vtraque verò insulâ sic Strabo lib. 3. Pityusæ, inquit, longiùs in pelago existẽtes quàm Gymnesiæ, declinantur in occasum, è quibus vna quidẽ vocatur Ebusus, vrbem eiusdem nominis continens; circuitus insulæ stadiorum quadringentorum; latitudo inæqualis, vti & longitudo: propè iacet insula Ophiusa longè minor, & deserta. Cur verò deserta sit, serpẽtum facit copia adeuntibus perniciosa, nisi, vt Mela sub finem lib. 3. ingressis eam intra id spatium, quod Ebusitanâ humo circumsignauerunt, sine pernicie tuta est. Iisdem illis serpentibus, qui solent obuios appetere, aspectum eius pulueris, aliúdve, quod verius, procul & cum pauore fugientibus. Vnde & Plinius lib. 3. cap. 5. *Ebusi terra serpentes fugat, Colubraria parit. Ideò infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inserentibus.* Vocatur autem hodie Monocolobrer, vt auctor est Ambrosius Morales, qui ait, illos falli, qui vicinam illi insulam Dragoneram Ophiusam credunt. Ebusus verò interfluente tantùm freto ab Ophiusâ separata, quæ à Dionysio Alexandrino & ab Eustathio eius Commentatore Βόσ⁊ος vocatur, prorsus contrarijs dotibus exornata: siquidem, teste Pomponio Melâ citato loco, frumentis tantùm non fecunda, ad alia largior, & omnium quæ nocent animalium adeò expers, vt nec ea quidem, quæ de agrestibus mitia fiunt, aut generet, aut, si inuecta sint, sustineat. Plinius etiam, *Nec cuniculos*, inquit, *Ebusus gignit populantes Balearium messes.* Idem asserit lib. 8. cap. 38. Diodorus verò Siculus libro 6. cap. 5. vites ibi & lanam prouenire, palmisque fertilem esse refert. Plinius autem, & ficus ferre lib. 15. cap. 19. dicit. *Honos laudatas seruat* (ficus) *in caspis, Ebuso insula præstantissimas amplissimasq; mox in Marrucinis.* Saccharum etiam, rarum olim felicitatis donum, tulisse innuit Statius Papinius Siluarum lib. 1. hoc Hendecasyllabo.

Quod

Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas præcoquit Ebosia cannas,
Largis gratuitum cadit rapinis.

Nihil enim moror illos, qui contra omnium librorum consensum Hypasita substituunt. Compascuam verò pecori etiam fuisse ostendit Festus Auienus in suâ orbis terrarum descriptione,

Ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus.

Vrbem habuit cognominem, & Carthaginensium coloniam, quæ centum sexaginta annis post conditam Carthaginem, teste Diodoro Siculo, deducta fuit. Vnde Silius Italicus lib. 3. Phœnissam vocat.

Iamq́; Ebusus Phœnissa mouet, mouet Artabrus arma.

Liuius etiam lib. 28. Magonem totâ Hispaniâ pulsum, Ebusum vt ad sociam vrbem traiecisse dicit. Inde nauibus ad Pityusam insulam centum millia fermè à continenti (Pœni tunc eam incolebant) traiecit. Itaque classis bonâ cum pace accepta est, nec commeatus modò benignè præbiti, sed, in classis supplementum, iuuentus arma que data. Firmam autem & validam fuisse vrbem idem asserit lib. 22. Plinius verò fœderatam ciuitatem fuisse auctor est. Distat autem à Dianio Ebusus, teste Plinio, septingentis stadijs, licet Hieronymus Surita ex Isidoro lib. 14. Originum cap. 6. septuaginta vult substituere, nixus etiam ms. Plinij exemplari. Sed à vero deuiare palàm est. Nam præterquam quod Iulius Solonius cap. 26. Plinio subscribat, accedit Titus Liuius, qui lib. 28. dicit, fermè centum millia passuum à continenti distare, & benè; nam huic numero explendo centum tantùm stadia desunt. Adde his Diodorum Siculum, qui diei vnius tantùm nauigatione ab Iberiâ abesse dicit. Quare retinendam puto Plinianam lectionem, & Isidori locum emendandum, & septingenta stadia pro septuaginta substituendum. Nam cùm septuaginta stadia vix decem millia passuum expleant, ipse visus longiùs à continenti distare iudicabit. Proinde ita legendum censeo in Isidoro, *Ebusus insula Hispaniæ dicta, quòd à Dianio non procul sit, quasi Ebozos. Nam septingentis stadijs ab eo distat.* Sed quid sibi vult etymon illud, *quasi Ebozos.* Delio opus habet natatore, nisi placeat legere, *quasi* ἑπόμενα. quòd videlicet Dianium statim excipiat & subsequatur. Nam Græcam vocem ætatis lapsu corruptá esse, & in Ebozos, aut, vt alij codices præferũt, Abozos migrasse, nihil certius est. Sed Lectorum iudicio cõiecturam hanc expono. Insula hæc hodie Zuiza vocatur, clarâ, inexhaustâ & perenni salis copiâ, quæ non solùm Hispaniæ, sed & vicinis prouincijs sufficit.

CAPVT XLV.

De Limiâ, siue Lethe fluuio.

NOn tam aquarũ gloria, quàm priscorum fabulis celebratus est Limia Lusitaniæ amnis, Græcis Λήθη, vt & Silio Italico *Lethe* vocatus: Pomponio Melæ, & Plinio *obliuionis flumen* dictum; Francisco Taraphæ, & Hieronymo Paulo lib. de Fluminibus Hispaniæ, *Eunemius* vocatur, sed parum exactè, cùm, secundùm Plinium lib. 4. cap. 22. Æminius sit dicendus, cuius hæc sunt verba: *A Minio, quem suprà diximus, ducentis millibus passuum (vt auctor est Varro) abest Aeminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limeam vocant, obliuionis antiquis dictus, multumq́; fabulosus.* Strabo ex Celtiberis & Vaccæis dicit Limeã fluere, sed ab Andreâ Resendino erroris conuincitur, qui refert, ex palustribus quibusdam locis inter Aquiscaldensem vrbẽ & opidum Monteregium erumpere, cuius accolas olim Limicos ex vetusto lapide docet vocatos. Sed vnde fabularum origo, & obliuionis nomen refert Strabo? Celticos, Lusitanos & Turdulos, cùm socijs armis ad hæc loca peruenissent, traiecto Limeâ, exortâ seditione Ducem amisisse, quare palantes & vagos proximas amnis ripas occupasse, oblitosq́; expeditionis susceptæ & iniuriarum, amni nomen obliuionis indidisse. Vanum hoc nomen, vanior deinde religio auxit, cũ passim percrebuisset, his aquis epotis obliuionem incurri, adeò vt Decius Brutus omnium ore ferretur, quòd primus tantopere formidatum militibus flumen traiecisset, vt testantur Appianus lib. de Bello Iberico, L. Florus lib. 12. cap. 17. & Plutarchus in Quæstionibus Romanis. Auri etiam grumulos, vt pleraque Hispaniæ flumina, suis vndis commixtos defert. Vnde Silius Italicus lib. 11.

Quiq́; super Grauios lucentes voluit arenas,
Infernæ populis referens obliuia Lethæ.

In Bæticâ etiam fluuiolus est *Guadalete* dictus, quẽ Florianus Oecampius, nudâ nominis similitudine allectus, Lethem etiam indigetat, quasi flumen Lethem dixeris.

CAPVT XLVI.

De Anâ fluuio, siue Guadianâ.

INter Hispaniæ præcipuos amnes iure censetur Anas, qui corruptè hodie *Guadiana* dictus, tum quòd notissimus inter Bæticam & Lusitaniam limes, tum quòd magnitudine suâ conspicuus sit. Oritur autem, teste Plinio, Laminitano in agro cite-

rioris Hispaniæ (quem alij Mancha de Aragon, alij Campo de Montiel vocant) modò se in stagna fundens, modò in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens, & sæpiùs nasci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur. Nam cùm procul ab ortu suo, ex hominum conspectu se eripiat, per cæcos & subterraneos meatus ad septem milliaria lucifugus fluit, donec prope Villaharta (loci id nomen est) iterùm in lucem erumpat maiori vi & latiori alueo. Video tamen has Anæ latebras controuerti, & vt fabulosas à plerisque eliminari. Sed Plinio & receptæ passim opinioni suffragantur Hieronymus Giraua, & Hieronymus Paulus, & Gaspar Barrerius, doctissimi Hispani, & res omnibus nostris apertissima est. Iactitet se nunc fabuloso suo Alpheo Græcia, quem ferunt in Peloponeso Pisas transire, & in Mediterraneum mare influere, nec adulterari pelagi salsugine, sed sub ima maria hospitales suas aquas seruare, & in Arethusam fontem prope Syracusas refundere: hoc tamē vno Alpheo Anas inferior, quòd Græcorum præconijs caruerit. Amnis huius latebræ incolis iocandi materiam præbuere, dum patrio sermone ferunt pontem esse in Hispaniâ, vbi perpetuò plurima armentorum millia pascantur. Ausonius vbi de Emeritâ loquitur, vocat Anam æquoreum. Prudentius vero Hymno in S. Eulaliam (loquitur de Emeritâ:)

Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Mœnia pulchra alluit.

Festus Auienus in Iambis dicit per Cynetas populos fluere.

Ana amnis illic per Cynetas effluit
Sulcatq; glebam.

Sed si Ortelio fides aliqua, hallucinatur egregiè Auienus. Nam cùm Cynetæ circa Promontorium sacrum sint, multis millibus passuum inferiùs fluere Anam in comperto est.

CAPVT XLVII.

De Tago fluuio.

QVid prohibet persequi iam ex eodem Nonio nobiliores Hispaniæ amnes? Tam apud Græcos quàm Latinos scriptores Tagi nomen illustre fuit, adeò vt cum Marone dicere liceat:

Cui non dictus Hylas? ———

Oritur autem nobilissimus hic amnis in Celtiberis, teste Strabone, & per Vettones & Carpentanos lapsus, Toletum præpotentem vrbem pænè circuit; tandem Lusitaniam mediam secans, pleno alueo sub Olysiponensium mœnibus Atlantico pelago infunditur. Quid in mētem Isidoro lib. 13. venerit de Tagi etymo, admirari licet. *Tagum*, inquit, *fluuium Carthago Hispaniæ nuncupauit, ex quâ ortus procedit arenis auriferis copiosus, & ob hoc ceteris fluuijs prælatus.* Sed vnde Tagi etymon à Carthagine deducit, aut quidnam Tago cum Carthagine commercij? nam procul admodum à Nouâ Carthagine oriri, ex Strabone iam dictū. Fama illi præcipua, ex auri arenis grumulisque, quos tamquam telluris spolia Oceano defert. vnde Iuuenalis:

Omnis arena Tagi, quodq; in mare voluitur
aurum.

Ceterique passim Poëtæ, quos recensere operosum est. Mela verò non aurum solùm, sed & gemmas illi adscribit lib. 3. cap. 1. his verbis: *In altero* (sinu) *Olysipo, & Tagi ostium amnis aurum gemmasq; generantis.* Mirantur multi, celebris illius & passim vulgatæ auri famæ rara adeò extare vestigia. Causam refert Andreas Resendius, lege cautum id scrutari, ne commotis arenis, depressiores frumentarij agri aquarum illuuiem patiantur. In fidem tamen vetustæ gloriæ, Lusitanorum Regum sceptrum ex Tagano auro conflatum, quo purius nullū reperiri possit.

CAPVT XLVIII.

De Salone.

INter Hispaniæ amnes clarus admodum est Salo; qui licet nec lato alueo tumeat, nec auriferis arenis superbiat, nulli tamen cedit ferri gloriâ: omni enim ferro ipsius aqua est violentior; aquæ enim temperamento ferrum acrius robur & miram duritiem acquirit. vnde Martialis, vbi de Congedo amne egit, subdit:

Quibus remissum corpus astringes breui
Salone qui ferrum gelat.

Et lib. 4. Epigr. 5. vbi de Bilbili:

Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum salo temperator ambit.

Num verò hic sit idem amnis, qui Iustino lib. vltimo Bilbilis vocatur, vel, vt manuscripti aliqui, Birbilis, non abhorret animus vt credam, præsertim cùm illi maximam ferri temperiem adscribat, *adeò vt nullum apud eos telum probetur*, inquit, *quod non aut Bilbili flumine, aut chalybe intingatur.* quæ certè Saloni nostro in primis quadrant. Nullus enim, præter Salonem, ferri gloriâ in Hispaniâ notior est, nec eâ de causâ magis celebris. Potuit enim ab adiacente Vrbe Bilbilis vocari. Vnde mihi nata suspicio, non incommodùm apud Iustinum legi posse, *Quod non aut Bilbilis flumine*, vt nomen fluminis

minis prætereat, vrbem verò ostendat. Sed Lectori hoc dispiciendum relinquo.

CAPVT XLIX.

De Bæti.

NObilissimum Hispaniæ flumen Bætis, à quo & prouinciæ nomen inditum. Tugiensi saltu exoritur, teste Plinio. Strabo verò & Stephanus Byzantinus ex Argenteo monte, quẽ Festus Auienus Argentarium vocat, prope Castulonem dicunt erumpere. Sed idem Strabo ex Orospedâ monte oriri auctor est. Aristoteles verò, æui sui ignorantiam secutus, lib. I. Meteororum, vnà cum Danubio ex Pyrenæis montibus putat fluere. Polybius verò vnà cum Anâ ex Celtiberiâ credidit oriri, qui tamen amnes nongentis inter se distant stadijs, auctore Strabone. Modicus autem primo impetu fertur Bætis, sed multis stipatus fluuijs, quibus aquas famamque ingratus aufert. Non procul à mari grandem lacum efficit, qui Festo Auieno Ligusticus vocatur. Meminit & Suidas Ligustici in Hispaniâ, sed quid esset, non expressit. Atque hinc, tamquam vno fonte, geminus exoritur: quantusque vnico alueo venerat, tantus singulis se mari miscet; licet temporis iniuriâ alterum eius ostium, quod ad meridiem vergebat, oblimatum nunc sit. Dissentit tamen à passim receptâ hac opinione clarissimus vir Ioannes Genesius Sepulueda, & geminis ostijs in mare adhuc hodierno æuo dicit erumpere: infra enim Hispalim constat quatuor insulas ab hoc amne effici, sed duas esse præcipuas, alteram sedecim, alteram vigintiocto circiter millibus passuum longitudine patere. Minor illa, hæc Maior ab indigenis dicitur, quarum inferiorem Bætis quasi duobus brachijs complexus alluit, donec Oceano, breui sinu terras vsque ad insulam intranti occurrat, quæ duo brachia Oceanum dextrâ læuaque influentia, veteres duo Bætis ostia esse dixerunt. Hinc Strabo: *Bætis bifariàm partitus in Oceanũ exit, inter cuius ostia intercepta insula centum, vel (vt quidam tradunt) ampliùs stadijs à littore distat.* Festus verò Auienus triplici se ostio mari quondam infudisse auctor est:

—— Sed insulam
Tartessus amnis, ex Ligustico lacu
Per aperta fusus vndique adlapsu ligat.
Neque iste tractu simplici prouoluitur,
Vnúsve sulcat subiacentem cespitem:
Tria ora quippe parte Eoi luminis
Infert in agros, ore bis gemino quoque
Meridiana ciuitatis alluit.

Vulgò Guadalquiuir, id est *fluuius magnus*, vocatur. Olim verò ab incolis Cirtiũ appellatũ, auctor est Titus Liuius l. 28. *Martius*, inquit, *superato Bæti, quem incolæ Cirtium appellant; duas opulentas ciuitates sine certamine in deditionem accepit.* Stephanus verò Byzantinus ab incolis περκὴν scribit vocari, sed perperàm vtrobique, vt in Epistolicis Quæstionibus obseruauit I. Lipsius, & *Certim* ex manuscripto Liuio substituit. Fuit etiam Tartessus antiquis dictus, vt ex Helichoro ostendit Strabo; quomodo etiam Aristoteli citato loco dicitur, quibus Stephanus suffragatur, qui Tartessi amnis prope vrbem Tartessum meminit, vnde & Festus Auienus in Iambis suis:

Ager his adhæret, adluitq́; cespitem
Tartessus amnis.

Isidorus Originum lib. 13. Bætis etymon à βαθὺ deducit, quòd scilicet per humilia loca fluat; Becanus à Belgicâ dictione *Baet*, quod vtilitatem designat, Bætis nomen deriuat, quia illius aquis commodissimè lanæ inficiuntur, cuius causâ maximè commendantur ab antiquis. Vnde Martialis:

Bætis oliuiferâ crinem redimite coronâ,
Aurea qui nitidis vellera tingit aquis.

Huc etiam allusisse videatur Iuuenalis Satyrâ 12.

—— Generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adiuuat aër.

Refert Philostratus lib. 5. cap. 2. Vitæ Apollonij Tyanæi, Bætim Oceani quasi naturam præ se ferre: siquidem increscente Oceani æstu, versus fontes agi, spiritu quodam ipsum à mari impellente. Vnde & Statius Papinius Sil. lib. 2.

Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior milite Bætis.

CAPVT L.

De Durio.

DVrius ex maximis Hispaniæ amnibus, ortus in Pelendonibus, teste Plinio, & iuxta Numentaniam fluens, dein per Areuacos & Vaccæos lapsus, disterminat ab Austriâ Vettones, & à Lusitaniâ Gallæcos. In Oceanum Atlanticũ multis fluminibus auctus procurrit. Straboni Δωρίας, Ptolomæo verò Δώριος, Appiano in Ibericis Δώριος vocatur, nostrâ verò ætate incolis *Duero* dictus. Isidorus lib. 13. cap. 21. Durium à Græcis quasi Doricum cognominatum dicit. Amnis est egregiè piscosus, & optimas alosas & lampetras (quas murænas fluuiales nonnulli vocant) & salares magnâ frequentiâ fundit. Sed præcipuè clarus olim ob

ob auriferas arenas. quod & Silius Italicus cecinit lib. 1.

Hinc certant Pactole tibi Duriusq; Tagusq;.

Licet nostro æuo ob accolarum inertiam admodum rarò inueniantur.

CAPVT LI.

De Ibero fluuio.

Placulum pænè esset, Iberum præterire, nobilissimum Hispaniæ amnem, quippe qui toti prouinciæ Iberiæ nomen dedit, vt multis placuit, qui, teste Plinio lib. 3. c. 3. nauigabili commercio diues oritur in Cantabris, haud procul opido Iuliobrigâ quadringentis quinquaginta millibus passuum fluens, nauiumque ducentis quinquaginta passuũ millibus à Variâ opido capax. Idem tamen exactiùs lib. 4. cap. 20. à Portu Victoriæ Iuliobrigensium fontes Iberi quadraginta passuum millibus abesse scribit. Florianus verò Oecampius pensiculatiùs eius exortum rimatus, dicit non procul ab *Aguilar del Campo* (loco id nomen est) Iberum binis fontibus scaturire, & ab incolis locum indigetari *Fontible*, quasi Iberi fontes dicas. Multis hîc stipatus fluminibus à Septemtrione in Austrum fertur, cùm ceteri Hispaniæ fluuij ab Ortu in Occasum delabantur. In causâ est Iubeda mons, à quo in Occasũ ire prohibetur, vnde in Austrum necessariò se flectit, multas & illustres præteriens vrbes. Infra Dertosam indignanti similis mari se infundit, tanto quidem impetu, vt vltra quinquaginta passus Mediterranei maris salsas vndas edulcoret. Nobilitatus etiam Luctatij Catuli fœdere, quo inter potẽtissimos populos Romanos & Carthaginenses vtriusque Imperij terminus est statutus. Vnde prima Hispaniæ diuisio vltra Iberum & cis Iberum manauit. Sed & præter hunc Iberum amnem alterius in eadem Hispaniâ meminisse videtur Auienus, & in Bæticâ statuere. nam cùm multa de Tartessijs dixisset, subdit:

Iberus inde manat amnis, & locos
Fecundat vndâ: plurimi ab ipso ferunt
Dictos Iberos, non ab illo flumine,
Quod inquietos Vascones prælabitur.

Vnde forsan Florianus Oecampius Bæticæ fluuiolum *Riotinto*, vocatum olim fuisse dicit Iberum. Etiam ista Nonio debemus.

CAPVT LII.

De fonte Villa-nouæ.

IN paruo Lusitaniæ oppido, quod vulgò Villam-nouam vocant, distatq; à Caurâ ciuitate passuum millia circiter vndecim, fons oritur ab aliorum fontium naturâ longè diuersus. Siquidem non solùm oritur, sed etiam occidit. Oritur autem Kalendis Maijs, & ad Kalendas vsque Nouembres aquas Villæ-nouanis abũdè diffundit. Postea verò occultatur, latetque hieme totâ, & ad statutum tempus, hoc est ad Kalendas Maias, renascitur, & accolas reuisit. Quod quidem singulis annis fieri compertum est.

CAPVT LIII.

De fonte Boëtio.

SVpra Burgensem ciuitatem ad passuum millia circiter viginti versus Orientem, pagus est nomine Boëtius, sub altissimâ rupe positus, ex quâ fonticulus effluens, in planitiem apud pagum prænominatum descendit, & duos in lacus ingreditur, quibus tantam vim salubritatis & virtutis infundit, vt omnes fluxum sanguinis patientes, cùm hac aquâ lauantur, statim liberentur. In iugo autem montis, vnde fonticulus oritur, ædes est sacra sanctæ Casildæ dicata.

CAPVT LIV.

De fonte Antiqueræ.

NOn minoris virtutis est fons egregius in Bæticâ prouincia iuxta oppidum Antiqueram. Nam si lotis fons Boëtius sanguinis profluuium sistit, potis Antiquarius calculos dissoluit. Ideoque à petrâ, quam extrahit per vrinam, cognominatus est.

CAPVT LV.

De Pæninsulâ.

INter mirabilia Hispaniæ enarrare licet propugnaculum olim Valentini regni, quod ex Bernardini Gomesij Commentarijs describam. Est illud magnus quidam mons, seu potiùs saxeum quoddam & immane monstrum, ex rebus inter se quasi contrarijs congestum, quale ex præsenti descriptione, quam nos ibidem commentati sumus, atque ob rarũ, neque alibi vsquam repertum similem eius situm, aliquantò fusiùs hîc explanatum, facilè erit colligere. Siquidem moles ipsa, quà mari prominet, atque Balearium maiorem ad orientem Solem directò respicit, ambitu quidem mille, diametro verò, quod inæquale sit, solùm quingentis passibus constat, estque altissima & acuminata paululùm, atque omni ex parte, nisi quà domicilia continentur, prærupta, quamque totam pænè mare cingit, inde-

indeque Pæninsulam vocant: tam paruo enim terræ spatio cum continenti committitur, vt sæpiùs excrescentibus fluctibus prorsus abeat in insulã, talisque nunc quoque manufacta est. Montis prætereà tanta est excelsitas, vt præter amœnissimum indeq; aperti maris prospectum, facilè sit aduentantes naues ad triginta ferè milliaria à summo iugo prospicere. In cuius vertice area tam lata est, vt in eâ potuerit arx amplissima atque inexpugnabilis extrui, oppidanis quidẽ solâ eâ parte montis quâ continens aspicitur, quæ quodammodò iucundior est, ad habitandum relictâ. Per hanc enim vnicus est in oppidum ingressus, vnaque porta validissimo aggere munita, fuaq; fossâ & ponte ab eodem continenti distincta. Quin & vtrobique maris læuâ dextraque tanta est altitudo, vt minoribus nauibus portus fiat, ex eo quòd, dempto Subsolano, cui est apertus, à reliquis ventis etiam terrestribus tutus sit, nauibus hinc inde commutato mari obiectu montis à tempestate protectis, atque ab hostilium quoque nauium incursu beneficio arcis defensis. Sed quæ in eâ monstrosa apparent, sunt duo in primis. Alterum, cauernarum ad radices montis frequentia, quæ mari ita peruiæ sunt ac penetrabiles, vt fluctus maximo cum fremitu & æstu, ac etiã infinito saxatilium congestu piscium, subtus per excauata foramina erumpant, vtpote quibus tantopere intus contusæ rupes ne hiscant quidem, sed constipante salsugine multò magis obdurescant. Alterum est fons magnus aquarum maximè dulcium, & limpidissimarum, qui ab imâ quoque mole è rupibus mari interfluente emanat, ad solius arcis ac oppidanorum vsus enatus, cùm sese protinus effundat in mare, vt appareat, naturã in muniendo loco artificio quasi vsam fuisse. Cuius profectò inexpugnabilis molis natura haud incomperta fuisse creditur Benedicto Papæ cognomento Lunæ, Aragonensi, quo maximè tempore (nota est historia, sed breuî nunc percurrenda) Apostolicâ Petri Sede Pastore carente, & Cardinalibus in partes diuisis, ac varias inter se electiones commolientibus, ab eorum parte Auenione congregatâ electus ille fuit, ac Pontifex renuntiatus, qui protinus pro tali se gerens, solaque Hispaniæ & Aquitaniæ obedientiâ contentus, quò posset tutiùs Pontificio fungi munere, in Pæninsulam se recepit; vbi palatium cum templo magno, ex secto lapide (quale extat) tam magnificè ædificauit, vt dignitati summæ & Cardinalibus ad habitandum suffecerit. Sed cùm ex tribus electis duo alij cesserint, seque decreto Constantiensis Concilij Pontificatu abdicauerint; Luna neque Concilij exhortationibus, neque anathemate seu minis, neque demum Sigismundi Imperatoris rogatu, qui à Germaniâ Perpinianum, eius abolendi schismatis causâ venerat, à proposito dimoueri potuit. Nec dubium, quin situs loci inexpugnabilis, atque inde secuta animi securitas, in tantâ eum pertinaciâ confirmauerit.

CAPVT LVI.

De balneis Alhamæ.

NObiles Alhamæ thermæ sunt, quarum occasione de ipsâ vrbe pauca excerpenda ex Nonio erunt. Credit Iosephus Moletius, Alhamam esse Artigim Ptolemæi, quam Plinius Iuliensem dicit cognominari, Turdulorum opidum quondam: sed quibus coniecturis fultus hoc asserat, incertus sum; quare neque confirmare argumentis, nec reijcere mihi in animo est. Distat nunc à Granatâ septem milliaribus; immensis vndique præcipitijs & asperrimis rupibus ambitur, agro tamen lætissimo fruitur, in pratis, hortis aruisque mira passim luxuries: Granatensibus olim Regibus amœnissimum otium & delicias præbebat, sed salubres & vberrimi hîc ebullientes fontes locum præcipuè commendabant, qui secreto quodam naturæ miraculo, ex intimis terræ visceribus secum calorem beneficum ferunt, nullius externæ flammæ indigi vt calefiant. Cùm enim multis in locis terra opertos ignes tegat, quibus iuge pabulum aluminis, sulphuris aut bituminis vena præbet, fit, vt eorum ardore incalescens tellus, feruidum vaporem in superiora emittat loca, quo offensi vicini fontes efferuescunt inter venas suas, atque ita profluunt calidi, incorrupto interdum sapore, si remotiores ab ignis pabulo fontium ortus. Quòd si verò per ipsa loca sulphure aliáve materiâ plena fluant aquæ, calorem non solùm illius contactu, sed & saporem & odorem trahere, in confesso est: sed cùm studio hæc inquirant, qui naturæ arcanis nobiles curas intulerunt, temperatum adeò huius fontis calorem prædicant, vt nudo corpori nulla inde noxa; ipsa verò aqua pacata adeò & limpida fluit, vt numerare iniectas stipes, & relucentes calculos facilè quiuis possit. Epotam varijs ægritudinibus, & neruorum præcipuè, ferunt conferre. Martio præsertim & Septembri vtilis mensibus. Adauget etiam structuræ elegantia natiuam loci amœnitatem. Regum enim curâ & liberalitate thermæ hîc excitatę magnis impensis, adeò vt inter Hispaniæ balnea nobilissimæ habean-

beantur, & cum Statio Papinio I. Syluarum liberè dicam:

Nec si Baianis veniat nouus hospes ab oris,
Talia despiciat (fas sit componere magnis
Parua) Neroneâ nec qui modò lotus in vndâ,
Hîc iterùm sudare negat. ———

CAPVT LVII.

De aquis calidis.

IN Cilicinis est vrbs, olim Amphilochopolis dicta, & deinde Amphilochia; nam eam Amphilochus, qui Teucrum ex Troiâ in Hispaniâ est secutus, condidisse dicitur. Romani tamen Calletiâ deuictâ Aquascalidas vocarunt, quòd prope eam fons sit, cuius aqua tantâ inflammatione perpetuò feruet, vt quibus ignis vsum expectare fastidium est, aut quos inopia vrget, illic oua, carnes & obsonia percoquant. Sed præsertim vitularum capitibus radendis, quarum ea regio feracissima est, magno est vsui: nam citra vllam coquorum molestiam dicto citiùs, ablatis pilis, coria pura relinquuntur. Thermæ inde saluberrimæ deriuantur varijs ægritudinibus salutares. Sueui, qui ex illâ Scytharum gentiû inundatione vniuersam Hispaniam subiugarunt, eâ Calletiæ parte post Romanos occupatâ, proprio idiomate VVarmse appellare ceperunt, id est lacum, siue flumen aut fontem calidum (*se* enim particula aquam significat) quæ cognominatio paulû immutata adhuc durat. Quare non sunt audiendi, qui ab auri copiâ, quod ex proximo Minio fluuio colligebatur, dictum esse prodiderût. De his aquis Nonius sic scribit: Præcipuè vrbem nobilitant non vno loco erumpentes calidi & salubres fontes, vnde & vrbi nomen, quorum nonnulli ita moderati sunt caloris, vt innoxiè corpus eum queat perferre: alij verò tam intensè ferunt, vt tactus calorem aspernetur, & oua in illis facilè coqui possint. Tantus verò circa hos fontes æstus erumpit, vt vel rigente brumâ, & opertâ tellure niuibus, vicinæ fontibus ædes numquam niue vel pruinâ albere conspectæ sint. Diceres, vnâ in vrbis regione hiemalem, alterâ verò vernalem & tepidam auram regnare. Mira etiam hîc naturæ prouidentia elucescit: nam cùm suburbanus ager raras siluas ferat, nec cæduæ materiæ multùm sit ferax, quantum vrbi ad focum opus esset, calidarum hanc copiam diuite venâ effudit, quibus incolæ ignis beneficio sine igne fruerentur. Cùm verò validi omnes fontes, à latentibus sub terrarum aluminis, sulphuris & bituminis venis originem trahant, vt refert Vitruuius lib. 8. cap. 3. (vnde Poëta de illis:

Siue bituminea rapiunt incendia vires,
Luteáve exiguis ardescût sulphura fumis.)

discriminat naturam arcani metalli sapor, vel odor aquæ impressus. Huius tamen fontis aqua nullâ peregrinâ qualitate adulterata, ex terrâ erumpit calidâ, quod mirum est.

Siue pares flâmas vndarum lance rependês,
Arbiter in fœdus mons elementa vocat.
Ne cedant superata tibi, sed legibus æquis
Alterius vires possit vtrumque pati,

vt ait Claudianus elegans Poëta. Pro comperto enim habent incolæ, à sulphuris venis vires sumere. Vnde & multis medetur malis, quæ sulphurea curant balnea. Sed remotum esse caloris fomitem, extra dubium est; vnde nullum eius vestigium secum vehunt aquæ.

CAPVT LVIII.

De balneis Ledesmæ.

IN ripâ Thormis, à Salamanticâ ciuitate passuum millibus circiter octo, mons est, ex quo latitans aqua per sulphureas venas deorsum fluit, & prope flumen erumpit; quæ tanti caloris est, quantum manus & nuda corpora ferre possunt. Cuius aquę virtutem cùm Maurus, vt ferunt, nomine Cepha expertus esset, eam clausit ædificio, tectoq; lapideo cooperuit, quò & meliùs vim suam conseruaret, & infirmi curari commodiùs possent. Ædificiû autem quod aquam sistit, piscinæ formam efficit: ad quod aqua perueniens, vbi profluere nequit, inferiùs crescit ac surgit in altum, & aucta gurgitem præbet, in quo homines ad pectus vsque merguntur, & velut in pelago natant. Qui vbi languescere incipiunt, aquæ calore ad viscera vitalia penetrante, statim egrediuntur, seque linteis inuoluunt, & pallijs laneis cooperti, sudando dormiendoque purgantur omni morbo, & præcipuè scabie. Huic autem balneo Ledesma oppidum, cui propinquum est, nomen dedit.

CAPVT LIX.

De balneis Beiaræ.

APud opidum Beiaram aqua de gelido ac fermè semper niuoso monte per subterraneos meatus ad planiciem descendit, vbi vicus est longus, qui ab ipsis balneis nomen accepit. Verùm hîc vim duplicem natura demonstrat. Sunt enim balnea duo diuersarum aquarum, quæ nonmultùm inter se distant, quorum alterum calidioris, &

& alterum frigidioris est aquæ; quarum alteram bibentes, alterâ verò lauãtes homines, mirificè iuuantur. Hinc præterea non longè abest lacus, non vtilis minùs quàm admirabilis, qui & turtures pisces subnigros & excellentes gignit, & futuram pluuiam turbinemque magno aëris sonitu prænuntiat, adeò vt eius murmur quasi tauri mugitus sæpenumerò ad duodeuiginti millia passuum fuerit auditum.

CAPVT LX.

De Tamaricis fontibus.

Mirificum est quod de Tamaricis fontibus in Cantabriâ prodit Plinius lib.31.c.2. his verbis: *In Cantabriâ fontes Tamarici in augurio habentur. Tres sunt, octonis pedibus distantes. In vnũ alueum coëunt vasto amne. Singulis siccantur duodecies diebus, aliquando vicies citra suspicionem vllam aquæ, cùm sit vicinus illis fons sine intermißione largus. Dirum est, non profluere eos aspicere volentibus, sicut proximè Lartio Licinio Legato post Præturam post septem dies accidit.*

CAPVT LXI.

De puteo Hispalensi.

IDem Plinius refert lib.2.cap.97. Hispali puteum fuisse, qui crescente maris æstu minueretur, augeretur verò decedente, ceteris naturâ vulgaris.

CAPVT LXII.

De monte Stellâ.

HAbet altissimos Lusitania mõtes, quorum vel præcipuus, qui à Stellâ cognomen habet, in cuius cacumine frequẽter in lacu quodam fragmenta nauium reperiuntur, cùm tamen à mari plus quàm duodecim leucis distet. Quin & exæstuare, & tẽpestatem ibi audiri, affirmãt accolæ, quoties intumescit mare. Similia ferè leguntur de monte quodam prope aquas Flauias, vulgò *Chaues*, in transmontanâ Portugalliâ.

CAPVT LXIII.

De fonte Catinensi.

OCto leucis, inquit Vaseus, à Conimbricâ visitur etiam hodie fons ille admirabilis, quem Plinius in Catinensi (ita enim in Plinio legendũ) Hispaniæ agro ponit, qui, quidquid admotum fuerit, absorbet. Cuius rei se præsente factum periculum, mihi affirmauit perpetuò mihi venerandus Dominus meus Henricus Cardinalis & Princeps, coram Rege Ioãne & ceteris fratribus Regijs, cùm in arborum truncis & ramis, tum in iumento, quod fonti admotum, pede paulatim absorberi cœptum, ægrè tandem à famulis extractum est. Affirmat Plinius alterum iuxtà fluere, qui omnia respuat. Is hodie si extat, saltem ignoratur. Fons ille nunc appellatur *Feruentia*, & ager in quo visitur *Cadima*, non procul à Tentugalensi municipio.

CAPVT LXIV.

De monte ferreo.

CAntabria est vbiq; montosa & aspera, & Hispaniæ pænè dissimilis, Baccho prorsus inimica, Marti verò & Vulcano adeò amica, vt non immeritò quis illius Dei officinam vocet, ex quâ plenâ manu natura Martio huic populo arma largiatur. Nam præter plumbum & magnetem lapidem (quem nonnulli *ferrum viuum* vocant) copiosas adeò ferri venas fundit, vt auctor sit Plinius lib.34.cap.14. Cantabriæ maritimâ parte, quam Oceanus alluit, montem esse præruptè altum, incredibile dictu, totũ ex eâ materiâ ferro. Inexhausta hæc ferri copia, & in nostram vsque ętatem durat, quam per Hispanias Galliasque incolæ magno quæstu distribuunt.

CAPVT LXV.

De temperamento ferri.

CEltiberi armis ferroq; abundabant raræ bonitatis: nam præter Salonis ad Bilbilim aquas, quibus inuictam armorũ temperiem parabãt, peculiaris ipsis erat ratio ferri temperandi; siquidem, teste Diodoro Siculo lib.4.cap.9. ferreas laminas in terram abscondentes, ibi tamdiu esse sinũt, quoad infirmiori parte ferrugine exesâ validior superesit. Ex eo tũ enses fortissimos, tum cetera ad belli vsus arma necessaria componunt. Hoc pacto fabricatis cedũt omnia, vt neque scutũ, neque galea, neque aliud vim eorum remoretur. Salonis fluuij vim indurãdo ferro non semel celebrauit Martialis, præcipuè hoc versu lib.4. Epigr.v.

Grato non pudeat referre versu
Sæuo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit chalybasq́, Noricosq́,
Et ferro plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto,
Armorum salo temperator ambit.

Latiùs de hoc fluuio egimus iam.

CAPVT LXVI.

De equabus Olyssiponensibus.

COnstans inter veteres fuit fama & admiratio, circa Olyssiponensis vrbis confinia equarum fœturam ventis maritantibus inolescere. Vnde Silius Italicus lib.3.

Hîc adeò, cùm ver placidum flatusq; tepescit,
Concubitus seruans tacitos grex prostat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aurâ:
Sed nõ multa dies generi, properatq; senectus.
Septimaq; bis stabulis lõgissima ducitur ætas.

Luculẽter idem confirmat Plinius l.8.c.42. sed de ætate multùm à Poëtâ diuersus. *Constat in Lusitaniâ circa Olyssiponem opidum, & Tagum amnem, equas Fauonio flante obuersas animalem concipere spiritum, idq; partũ fieri, & gigni pernicissimum, sed triennium vitæ non excedere.* Sed suspectæ fidei ne sit Plinius, ex M. Varrone hæc hausit lib.2. de Re rusticâ cap.1. *In fætura,* Varro inquit, *res incredibilis est in Hispaniâ, sed est vera, quòd in Lusitaniâ ad Oceanum in eâ regione, vbi est opidum Olyssipo monte Tagro, quædam è vento certo tempore concipiunt equæ, vt hîc gallinæ quoque solent, quarũ oua ὑπηνέμια appellant; sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium viuunt.* Hęc ille. De equabus alijs Græciæ idem affirmauit S. Augustinus. Et Columellæ res certissima est, & quę suo tempore in dubiũ vocari non posset. Miror ita asseuerare hoc serios istos Auctores & Philosophos, atque sapientissimos naturę Doctores, quales Varro & Columella fuerunt, quasi compertum ipsis esset ex aliquo experimento euidenti aut minimè reprobando. Quare non credũt aliqui hoc omnino fabulosum, cùm non sit extra naturæ vires; nam & pisces multi sine mare fecundantur. & equa visa in Hispaniâ edere mulã aliâ mulâ grauidam, quemadmodum de muribus refert Ælianus. Sed nec leue vestigium priscæ, hoc est immaritatæ fecunditatis, nũc apparet ex ijs quæ Resendius sic narrat. Sed quãquam de conceptu ex vento disputandũ à me negaui, referam tamen, quod inquirendæ rei gratiâ percunctãti mihi indicatũ est. Diuerti abhinc septennium apud colonum agri Beneuentani iuxta Tagũ, & cùm ab illo quęrerem, ecquid de huiuscemodi conceptu aut sciret ipse, aut ab alijs auditum meminisset; respõdit, neque se neq; vicinos, qui equarias haberent, de eâ vmquam re fuisse sollicitos; tantùm vt equire feminas animaduerterent, admitti eas curare: se tamẽ, cùm pulchram equam haberet, cuperetq; benè vendibilem in proximas nũdinas efficere, ante hinnitum in Insulâ, quæ in medio Tago est, solâ inclusisse vt abundantiâ pabuli saginaretur. Post menses duos reperisse grauidã, miratumq; eò quòd illuc numquã accessisset admissarius. Euentum expectasse. Septem ferè iam menses cùm tulisset vterum, enixa, non quidẽ animal, sed concreti sanguinis informem materiam, abortumq; suspicatum. De hac equarũ geniturâ aliud noui nihil. Hactenus Resendius. Quare Ludouicus Carrion, & Eduardus VVetonus famam antiquam veram fuisse censent. Accedit, quòd natura sæpè mutari soleat; nec conuincit, Non est hodie, ergo non fuit heri.

CAPVT LXVII.

De speculo fabuloso.

INter Gallęcios Lucẽses in magno Portu Flauium Brigantiũ à Ptolomæo recensetur. Dion etiam lib.37. vocat Brigantiã: ab Athico verò & Paulo Orosio Brigantia vocatur altissima, pharo memorãdi operis ornata. Antonius Beuterus Betaneos esse, Florianus verò Oecampo, & diligentissimus Gaspar Barrerius *la Coruña* vocari asserũt. Magnę cuiusuis classis capaci portu ornata. In honorem gentis Flauiæ olim extructam, nomen ipsum ostendit, Domitiani forsan æuo: nam à Plinio nulla eius mentio, qui sub Vespasiano vixit. Incolæ ab Hercule conditam referunt, turrimq; hîc esse ab eodẽ extructam, in quâ speculũ arcanâ arte fabricatũ erat, vnde naues vel longissimo spatio distantes contemplari liceret. In tam ridiculam opinionem vocum ignorantiâ, & antiquitatis imperitiâ lapsi sunt. Nam cũ turris illa specula dicatur, speculum illud mirandum sine opifice vllo cõfinxere, &, vt ex inscriptione licet videre, in Augusti honorem extructa fuit à Lusitano architecto: sed lubet illã apponere. *Marti. Aug. Sacr. C. Sæuius Lupus Architectus Æ. Daniensis Lusitanus exul.* Ab hac fabulâ persuasi nonnulli, credidere, arcem Herculis fuisse, & alteras colũnas ab illo hîc fixas, non secùs ac circa Gades; dictamque vrbem hanc *Coruña* tãquam *Columnam.* Quod egregium etymon apud Paulum Iouium tantum valuit, vt ab imperito aliquo Hispaniæ antiquitatis persuasus, huic opinioni etiam subscriberet, cùm in Vitâ Gonsalui Ferdinandi de Aguilar, agens de aduentu Regis Philippi I. in Hispaniam, ita scriberet: Nec diu Philippus amicorum suorum studia votaq; frustratus, vt sua regna ex arbitrio administranda susciperet, in Cantabriâ Oceano deuectus peruenit in Portum, qui vocatur ad Colũnas, fortasse quòd ibi quoq; alteræ Herculis columnæ sicut Gadibus positæ fuerunt, cùm eo externo litore terræ Hispanicæ finis.

Sed

Sed opinio hæc infirmiori tibicine fulta, quàm vt rationibus conuelli mereatur. Non procul ab hoc opido præstantissimi iaspidis sunt fodinæ; quæ omnia eruditè obseruat Ludouicus Nonius.

CAPVT LXVIII.

De lampade vltrò accensâ.

APud exterum Auctorẽ inuenio historiam, quam Madriti annis accidisse preteritis, ipse memor sum, nec commemorare nequeo, cùm ad gloriam B. Mariæ spectet. Auctor est Ioannes Burgesius libro de Patrocinio B. Virginis, ad homines Societatis Iesu. Hic scribit editũ à Paulo V. diploma 31. Augusti, anno 1617. sui Pontificatus anno 13. quo sententiam illam, asserentem quòd beata Virgo fuerit cõcepta in peccato originali, deinceps in publicũ efferri vetuit siue in scholis, siue in templis, concionibus, lectionibus, conclusionibus, alijsq; quibuscumque publicis actibus. Igitur quo die Madritum cursor Regius Pontificium diploma detulit, vbi descẽdisset ex equo, lampas nocturnis tantùm horis coram imagine purissimæ Virginis accendi solita, mediâ plateâ, clarâ die, eo ipso cùm cursor appelleret momento, cunctis obstupescentibus sponte ardere cœpit, consumptoq; exiguo, quod à præteritâ nocte supererat oleo, perdurauit flamma, ipsâ, quæ supposita erat, aquâ ignis fomentum suppeditante. Ad quod exciti spectaculum proximâ nocte innumeri propè mortales conuenere, vigiliasque stupore defixi produxere.

CAPVT LXIX.

De statuâ B. Virginis Foyensis, seu Fidei, & lapillis miraculo celebribus in eo agro repertis.

QVid refert, si excurram vltra Hispaniam, vt enarrem cum eodem Auctore glorias alias B. Mariæ? In agro Foyensi, inquit, Dionantinæ regionis, emerśit fons vberrimus Deiparæ beneficiorum & miraculorum, perpetuò confluentium vndique peregrinorum affluxu frequentatus: quibus peregrinis ad spiritale subsidium atque solatium præstò sunt homines nostræ Societatis, qui continenter accersuntur è Collegio Louaniensi ab ijs qui ad B. Virginis Sichemensem, è Dionantensi qui ad Foyensem seu Fidei, & toto propemodum orbe Christiano frequentes adeunt. Ac si de miraculis, quæ hodieque per clementissimam Dei Matrem tum Sichemij, tum Foij plurima eduntur, dicere velim, duo mihi iusta complenda essent volumina: paucis dumtaxat de statuâ B. Virginis Foyensis, quę recentior est historia, nondum adeò multorum litteris celebrata, Collegio Dionãtensi, ob viciniam, nostrorumque hominum in Deiparam colendam studium, annexa, deque lapillis, quos primi discipuli nostri compererunt, miraculorum gloriâ celebribus, edissseram. Quercus erat annosa & procera, cuius in octo pedes sese diameter explicabat, quam vix suo complexu quini homines cingerent, quo indicio trecentis abhinc aut quadringentis annis stetisse credebatur. Hęc dum in frusta cæditur, pabulum ignis futura, in ipsius trunci meditullio ac corde reperta fuit, paulò maior pedali, statua sanctissimæ Virginis Filium Deum gestantis, fictilis quidem illa ac testacea, sed eleganti formâ mirâ totius oris ac corporis venustate ad cælestem quamdam maiestatem composita. Credibile est, iam olim ante aliquot sæcula, cùm primùm illa quercus adolesceret, cæso apertoque cortice, statuam illi impositam atque affixam, pòst excrescente sensim robore, interceptâ atque inclusam in illius visceribus tamdiu delituisse: cui rei fidem faciunt quoque reperti clathri ferrei, vetustate propemodum exesi ac consumpti, quorum septo inclusa tenebatur. In alio item eiusdem quercus fragmento, velut ad Deiparæ pedes ritè compositum puellare capillamentum, virginitatis, vti coniectura est, Virgini matri dicatæ monumentum. Denique vulgares cærulei quidam lapilli, & ipsi senio obsoleti, quos quâ de causâ Reginæ cæli consecrarint, haud facile est diuinare. Suspicio quoque est, à prioribus illis sæculis B. Virginem hoc loco coli solitam à peregrinis, vt non noua, neque recèns orta, sed vetusta, & postliminiò reuocata & redintegrata videatur hæc religio. Nam ex itinere quædam est vallis, & depressa planities, quæ ante omnem hominũ, qui supersunt, memoriam à peregrinantibus nomen inuenit. Cùm aliquamdiu domi seposita, & sine cultu & honore iacuisset imago hæc Deiparæ, iussu Toparchæ alteri propinquæ affixa quercui, miraculis clarescere cœpit, ac peregrinorum ex omni vicinâ regione concursantium multitudine frequentari, dum aliquando eiusdem curâ Toparchæ Sacellum eo loco cõstrueretur, quo prior stetisset illa quercus, cuius in trunco tot annos imago sacra latuerat. Ad id Sacellum Serenissimi quoque Belgarũ Principes Albertus & Isabella Austriaci peregrinationem instituerunt, miraculorum famâ permoti, ac pro eâ quâ sanctissimã Dominam nostram colunt pietate, multis locum muneribus exornarunt, inter cetera tabellam affabrè factam in arâ principe locandam donarunt, quam

Dionantenses nostri discipuli agmine pulcherrimo supplicantium ritu detulerunt, oblatoque per singulas classes cereo, ac breui carmine sanctissimæ Matri recitato, dedicarunt. Ab eisdem quoq; discipulis nostris primùm est obseruatum, quod à ceteris deinceps magno plausu celebraretur. Ager est proximus Sacello B. Virginis: in eo leui terræ conuersione splendentes gemmarum in morem effodiuntur lapilli, tantâ colorum varietate ac venustate, vt natura, vel naturam supergressus Deus, in ijs mirificè lusisse videatur. In his adamantis candidus nitor, in illis onychius pallor arridet; in istis pyropi micat ignis, in alijs crystalli lux effulget; quidam chrysolithi aurū, alij smaragdi virorem, lac alij galactites, alij epali rosam, aliqui amethysti purpuram, alij hyacinthi violam, nonnulli coralli coccum, alij hæmatitę sanguinem æmulantur, nonnulla saturum ruborem amant, alijs dilutus rubor gratiam conciliat: denique videtur in hunc agellum beata Mater omnium gemmarum colores ac pretia transfudisse; quodq; magis mirandum, diuiniorem quamdā vim ijs indidisse ad salutem mortalibus impertiendam: nam plurimi solo lapillorum attactu grauissimis leuati sunt doloribus, ac periculosis erecti morbis: febricitantibus verò passim haustus puluisculus lapillorum, aut potionis cui fuerit iniectus sacer lapillus, segminum denique vtriusque quercus, saluti fuit. Theologo viro iam ætate prægrandi, mihi eiusdem vitæ rationibus, alijsque multis nominibus coniuncto, cùm pestifera lues grassaretur, enatum vlcus pestilens ac lethale ab aure in humerum, vt de vitâ planè conclamarent Medici. Venit in mentem Deiparæ Foyensis opem implorare, ac lapillum vlceri imponere, tum aquam, cui lapillus sacer erat iniectus, potare, voto nuncupato, se quinquies ad aram Virginis Foyensis facturum. Illicò sensit vlcus maturuisse, ac pręter spem Medicorum erupit, eaque viâ expurgato omni noxio humore, pristinæ sanitati restitutus, multos adhuc annos S. Theologiæ lucubrationibus ac sanctissimæ Matris laudibus celebrandis impendere se posse confidit. Cetera miracula, illuminatos cæcos, erectos claudos, herniosos solidatos, curatos languidos, & apoplecticos, mortuos infantes ad vitam & Baptismum exsuscitatos, consultò prætereo. Non vulgaris mihi miraculi loco est ipse admirandus peregrinorum vndequaque confluentium è Belgio atque extremâ Galliâ concursus, summusq; aduersus Deiparam pietatis ardor, qui frustū aliquod ac segmentū istius quercus, siue prioris quæ sacrā statuā suo cōplexu tot annos occuluit, siue posterioris, in quâ locata triēnio prima edidit miracula, lapillos item hosce summi, infimi, plebeij, viri nobiles, Principes, summopere expetūt, ac eximio quodā sensu religionis asseruant. Ex segminibus ac fragmentis quercus effigiātur insignes statuæ ad prototypæ normam & ideam, aut cruces efformantur, aut corollæ precatoriæ torno effinguntur. Lapilli aut eisdem corollis inseruntur, aut palis annulorum includuntur, aut in thecis religionis causâ asseruantur. Quidam suapte sponte forati reperiuntur velut ad precatorias corollas facti; quidam à vero adamante vix differunt, ob duritiem chalybi seu nitro inscribendo opportuni; ceteri facillimè secantur, & ferè in hexagonam figuram, quæ stellæ formam repræsentant, vt B. Matris, quæ stella est maris, & stellis coronata, memoriam ingerant. Nemo enim adeò rudis est, qui nesciat, in fragmentis quercus aut lapillis istis nullam inesse vim naturâ insitam miracula patrandi, sed quòd ijs Deus supra naturæ cursum ac vires effecta quædam edat admiranda, id pro arbitrio clementiæ suæ facit, ad memoriā sanctissimæ suæ Matris in animis nostris exsuscitādam, ne quando nos vmquam tam beneficæ Parentis obliuio capiat; tum denique ad superbiam nostram edomandam, & inserendam humilitatem, quam præ ceteris virtutem amat sanctissima Mater, & cuius studium suis sectatoribus cupit esse commendatissimum, vt illam in ijs quoque minutis iconibus, fragminibus quercus ac lapillis, & in ipsâ Deum piè ac religiosè colamus. Per hasce verò icunculas, cruces, corollas, gemmeosque lapillos, præclara sese obtulit hominibus nostris occasio Deiparę cultus amplificandi, & in exteras vsque regiones propagandi. Nec incommodè se Domina nostræ fidei prodidit in eius Principis ditione, cui pro symbolo illud est, *Auitâ fide*; cùm aduersus auitam fidem hæresis Caluiniana, si quando aliàs, atrociter exsurgere, & in Principes suos rebellis, Christianam perturbare Rempublicam omni ope contenderet.

CAPVT LXX.

De fonte Brasiliensi miraculoso.

OCcurrit quod idem Ioannes Burgesius scribit ad honorem Deiparæ; nec est cur prætermittam obuiam narrationem. Qui primi, inquit, Societatis Patres in Brasiliam traiecerunt, ad oppidum Portus-securi sedem sibi delegerant leucâ circiter dissitam, cæli salubritatem, & situs amœnitatem secuti, templumque Virginis Matri adiutrici dicarant, sed crebro tumultu, belloque inter barbaros orto, coacti sunt in oppi-

oppidum se conferre. Cùm id templum ædificaretur, & cùm aliæ ad victum opportunitates suppeterent, vnaque potantibus aquæ copia desideraretur, admirabili casu fons mirè opportunus & salutaris erupit. Arborem ingentem secus fabricam vnus ex operarijs conscenderat, cumque ligna cæderet, illicò conuulsa ad terram cadens arbor, hominem molliter humi exposuit, suaq; ruinâ montem, cui adhærebat, secum traxit. Ex illo hiatu limpidissimus fons aquæ potabilis erupit, quæ ad pellendos morbos aspersa vel epota præsentem vim haberet, & nunc ex ipsâ Virginis arâ videtur emanare, & tum Christianorum peregrinatione tum Ethnicorum sermone celebrata, *aqua sancta Dei Matris* ab adiutorio nuncupatur. Hanc sedem vnà cum templo, & aquæ custodiam numquam Patres deseruere, sed ad religionem piumque cultum retinendum, Oratorij seu eremitorij nomine conseruarunt. Ad hoc Virginis templum, cùm Franciscus Diazius graui periculosoq; morbo laboraret, ab Iosepho Anchietâ, quasi voto se obligans, petijt vt die postero pro se offerret Missæ sacrificium. Morbi genus erat ignis sacer, seu supercutanea inflammatio, quam nobiles Medici caustérem vocant. Is in extimâ cute circa lumbos dextro è latere nascens cum acerbissimo cruciatu, quasi perpetuo cinctu in orbem serpit; cuius ea natura est, vt si extrema coëant capita, exigua admodum vitæ spes supersit. Iosephus haud grauatè Sacrum se pro eo facturum ad diuæ Virginis recepit. Interim tamen, inquit, vnge morbi locum oleo ex lampade quæ ardet ante sacrã Eucharistiã, non ægrum erit Matri, nos prius ad opem à Filio petendam confugisse. Ea inunctio dolorem mitigauit, & quasi quidã præs futuræ valetudinis fuit. Postridie Pater ad templum se Virginis contulit, promissique fidem liberauit, quo eodem die post Missam cùm se aquâ ex eodem fonte ægrotus, qui vnà venerat, abluisset, dolore & morbo prorsus liberatus est, vnaq; Bayam, diuinæ Matris laudes deprædicantes, peruenere. In eo Bayensi seu Saluatoris Collegio Franciscus Fernandus, nondum Sacris initiatus, longo tempore quartanã laborauerat, & cùm die festo Præsentationis B. Virginis, quem diem *S. Matris æscate* nuncupant, 11. Kal. Decembris multi è Bayensi Collegio ad eiusdem Collegij templũ eius inuocationis, duabus leucis Bayâ dissitum, proficiscerentur, hærebat quarternarius in Collegio; erat enim dies paroxysmi. Rogat P. Iosephus Prouincialis, cur non vnà cum alijs communem diei religionem obeat. Eo die respondet se febrim expectare. Vade nihilominùs, inquit Pater, atque ita eam istic relinque, vt non ampliùs te adoriatur. Iuit, sequaque ibi eum inuasit febris. Confert se ad templum, atque ante altare Virginis abiectus, supplex ab eius clementiâ opem petit: eò se Iosephi iussu venisse, ab ipso sibi mandatum esse contestans, ne febrim inde referret ad Collegium. Fauit Iosephi precationi & iuuenis obedientiæ sanctissima Mater, ratamq; habuit Patris auctoritatem, ægrotusq; molestissimo in posterum morbo leuatus reuertit ad Collegium.

CAPVT LXXI.

De imagine B. Virginis Mariæ Canariensi.

IN Canarijs quædam beatissimæ Mariæ matris Dei imago colitur, quæ incolarum dumtaxat humeris die ipsi festo permittit portari. Si alij id tentent, immobilis perstat. Claret multis miraculis.

CAPVT LXXII.

De sanctis Vrgauonensibus nuperrimè repertis.

REcentissima est inuentio sanctorum Martyrum, Bonosi, Maximiani & aliorum in oppido Vrgauonis, certè admirabilis, si vmquam fuit. Ignorati prorsus erant, sed cælestes claritates, cælestiumque luminum processiones, & alia mira signa locum, vbi latebant, indigetarunt. Reperti effossâ terrâ cineres, & ossa clarissimis posteà illustria prodigijs: explorationem enim sanctarum Reliquiarum, & distinctionem ab ossibus & cineribus profanis, nouo miroque modo ostendit Deus. Colligit plura admiranda diuersis relationibus eruditissimus vir Bernardus Iosephus Aldrete: ego ex nouissimâ excerpam aliqua; nec enim inusitata hæc miracula tacere penitus permisit affectus erga hos Sanctos, quorum officulum apud me seruo & colo, tinctum sanguine quo manauit, & penetrauit chartam cui inuolutum erat, miraculoso illo cruore purpuratam. Mense, inquit ille, Decembri iam adulto, scilicet anni 1630. in castris Posthumianis, vulgò *Castro del Rio*, quodam Numinis impulsu ciues ad ducentos sibi inuicem Religiosam ad visitandos Martyres Vrgauonem votis conceptis condixerunt peregrinationẽ. Primarios è Clero ductores deuotæ sequebantur turbæ omnis ætatis, sexus & cõditionis. Sacrosanctum Crucis præferebatur pulcherrimum vexillum, in sanctuario collocandum. Multiplex

apparatus, familiæ, & impedimenta, non exiguæ manus referebat speciem. Noctu propter æstiui temporis calores, iter est peractum. Albente cælo peruentum in municipium. Festiuæ pompæ supplicatio ingreditur, & excipitur ornatu. In purissimæ Virginis Deiparæ conueniunt omnes æde, diuinis simul adstant mysterijs & concioni, quæ solemni ritu ab aduenis sunt celebrata; sanctaque exomologesi expiati, sacræ Eucharistiæ diuino sunt pane refecti. Eodem mox ordine sanctuarium adeunt, sanctos Martyres, eorum fornaces & rogos, simulque illa sancta loca pio venerantur affectu, ingentique alacritate erigitur, & figitur Crucis speciosum trophæum. Pomeridianâ horâ, sumpto cibo, à municipibus per vias & vicos Sanctorum lipsana & cineres religiosè emendicant, & pijssimè erogantur. Sole in occasum vergente, hilares regrediuntur, Obulconem prætergressi, non longè à riuulo salso ad puteum in satis commodo metati prato per familias & contubernia, multâ nocte ad cœnam assident. Paratus ex peris eorū promiturcommeatus. Sarcinulam, dum se volutat, strigosus volutat asturco. Herus ab eâ in mappulâ educit oua cum putamine elixa: hæc per linteum pellucent. Ipso euoluto, tria, ceteris in volutabro attritis, sic micare sunt visa, vt ad eorum splendorem legi & scribi posset. Nox illunis, & qualis in autumno. Ab adstantibus miraculum conclamatur. Concurrunt certatim omnes. Inter primos adfuit Presbyter virtute & sanctæ Inquisitionis ministerio grauis. Is pro suâ auctoritate duo reseruauit, tertium iam direptum fuerat. Præ tanti signi admiratione stupor occupat omnes: nec sine religiosis lacrymis lux illa, quæ similis adamantis, vel cæli, cùm serenum est, cernitur & consideratur. Solerter quæritur & inquiritur à curiosis causa: occurrit & probatur certior & vera. Erant in eadem perâ è Sanctorum cineribus typici pastilli seu formæ, decenti obuolutæ orario. Ab his in volutatione collisis tenuissimus resultauit puluisculus, putaminibusque inhæsit, atque ex illo polline lux affulsit; alij verò credunt ex contactu. Durauit lux illa ad nonum vsque diem. Ciuium & externorum concursus conspiciebatur. Sanctorum ex cineribus & vel minutissimis officulis fulgores frequenter emicant. Hisq; ipsis coruscantibus, corpora, quo condita in loco, indicata sunt; seque planè beati Martyres his luminibus, sicut & sanguinis eruptionibus, Vrgauonenses & Argionenses testantur. Patriam purpurâ, quæ Argiona est; & lucis coruscationibus Vrgauonenses: Vrgauo quippe *Lucis apes*, vt dixi, est. Aptissimè sanè, cùm ipsi & apes sint. Nec extra analogiam & proprietatem: naturâ namque potiores melioresq; melissas fulgore illustres Poëta perhibet. Duplicem vetat esse Regem, deteriore ablato, bono reseruato; aitque:

Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci: melior vacuâ sine regnet in aulâ:
Alter erit maculis auro squalentibus ardēs,
(Nam duo sunt genera) hic melior insignis & ore,
Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
Desidiâ, latamq; trahens inglorius aluum.
Vt binæ Regum facies, ita corpora gentis
Namque aliæ turpes horrent, &c.
——— *Elucent aliæ, & fulgore coruscant*
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis,
Hæc potior soboles. ———

Nostri igitur Martyres, vt optimæ præstantissimæque lucis apes, suas ostentant splendoribus exuuias & opes, & tamquam pulcherrima ex fornacibus eruta vasa aurea, aureis rutilant ardentes radijs, & vario allucent fulgore luminosi.

Vrgauonem cum conciuibus honestus adit vir cum vxore, ipsiusq; amitinâ Annâ de Cordubâ (hæc fratris, illa sororis filia.) Ab ijs Anna à triennio domi fuerat educata, quæ duodecimum annum agens, à suis enixè petijt nutritijs, vt secum eam adducerent; & est adducta. Puella tum candore tum sinceritate, alijsque virtutibus magnopere commendata erat, & iam diu erga sanctos Martyres magnâ deuotione afficiebatur, siue quòd de ipsis inaudierat, siue etiam simul, quòd eorum intercessione credebat se à periculoso morbo fuisse liberatam. In municipio cælestis alimenti participationem deuotè percepit, & in itinere cordatâ se gessit. Peractâ peregrinatione, domum omnes læti perueniunt. Non multos post dies teter ingruit imber, nubium atrâ densaq; caligine procellosa oppidum occupat tempestas, tonitrua & fulgetra, & fulmina fragore nimio reboant: inhorrent oppidani: qui non vt auiculæ ad lauros, sed ad laureatos confugiunt Martyres, seq; eorum lipsanis veluti certissimâ muniunt tutelâ. Anna verò à suo affini, inter familiares ea quæ Vrgauone obtinuerat diuidente, particulam reuerenter accipit, & in folliculo ad collum appendit, & in sinu condit. Sequentis mensis Octobris quintadecimâ die, in annuâ S. Virginis Teresiæ celebritate, ad Carmelitarum cœnobium frequentes oppidani conueniunt. Adest cum amitinâ etiam Anna, & eius familia. In ipsâ verò concione, dum insignia sanctæ Virginis referuntur miracula, incipit puella angustiari, eiusque pectus

pectus magno exęstuare ardore. Vultu, quãto prematur angore, perspicuè demonstrat. Innuitq́; vestem remouens, pectus conflagrari. Summissè rogat, vt inde educatur. Ne concio turbaretur, obtinere nequit: præcipitur seriò, vt quiescat, & patienter toleret dolorem. Ipsa existimans igneum illum ardorem ex folliculo prouenire, in sinum manum mittit, quæ sanguine imbuta recenti, cum folliculo, eodem etiam madido, educitur; eoq́; reserato, sanguinem ab officulo fluxisse, euidentibus cognoscunt adstantes signis. Vident & subuculá cruore infectam. Mirantur, & silentio occultant prodigium. Mysterijs sacrosanctis peractis, peruulgatum innotuit. Magnalia Domini magnificant omnes, & officulum maximâ cum reuerentiâ seruatur. Non ex eo Anna est elata, sed solitis domesticis obsequijs inseruit humilior, & feruentior in Sanctorum religiosâ deuotione perstat frequentiùs. Accipit ab amitinâ aliud officulum hilaris, nouoque indit sacculo, chartâ inuolutum, & in sinum pro more mittit. Sextâ verò Nouembris die, secundâ ante meridiem horâ, dum cibos ad foculum, vt solita, parat, somnum obrepere sentit. Vt quieti se dedat, in interiorem domus recedit aream, ad trabes in eo loco constitutas reclinata, paululũ dormitat. Maximo illicò pectoris ardore excitatur. Querulâ clamitat voce se comburi, manu educit sacculum cruentatum, & amitinæ ostendit. Recognoscit ea, officulum, à quo sanguis, idem esse quod dederat: notat etiam & sanguinem adhuc dilatari, & eum qui digitis, subuculæ & pectori hæret, recentissimum. Aduenit opportunè Presbyter ipsius leuir, continuoq́; adsunt plures Clerici & laici, non tamen pari fide; qui tardiùs, minùs creduli, sanguis enim siccus erat. Iam vesperi quinque regressi Sacerdotes de re adeò disceptant arduâ, in eamq́; veniunt sententiam, vt iterùm exploretur. Senior, vt experiretur, officulum petit, & exhibitum in sacculum mittit, quem serico purpureo consuit filo: tricis ac nodis sic suâ nectit manu, vt nemo dissuere posset, nisi nexibus sectis. Tradit & puellæ, monetque amitinam, quanti momenti & ponderis sit negotium; neque se dubitare ait de Domini omnipotentiâ atque puellæ virtute; sed oportere in similibus omnem solertiam & curam adhiberi, ne qua fraus aut illusio ex ignotis causis subsit; sedulò igitur caueret, ne qua obreperet deceptio. Sic & alia pro rei grauitate edisserit. Mulier illius maximè affligitur verbis, vt quæ certò sciret de puellæ sinceritate, quòd non dolus aut suspicio alicuius fraudis esset. Ipsam eius consolatur Confessarius; & vt omnibus veritas pateret manifesta, consentaneum maximè fore & necessarium, his tentari experimentis. Illa noctem peruigilat precibus intenta summis, Dominum obsecrans, vt suâ declaret virtute, an ea miracula vera ab ipso sint. Manè Nouembris septimâ Anna ciborum incumbit in curam. Eadem fermè horâ, quâ pridie, somnus occupat; iussa, in lectulo recumbit. Vix obdormierat, cùm solitus opprimit æstus: surgit, & maximo pectus torqueri dolore queritur. Sacculum educere conatur, sed prohibetur. Euocantur ocyùs Presbyteri. Adueniunt, simul & Magistratus cũ curiâ. Presbyter idem, omnibus præsentibus, perplexos acu sensim dissuit nexus, eosdem esse asserens qui à se fuerant intricati. Officulũ eruit, ex eo conspicitur à cunctis ebulliens cruor fluere, & chartæ inuolucrum eo imbutum. Aduertunt omnes diligenter; nec est qui ambigat. Certissimum mirantur & reuerentur miraculum. Eadem die, secundâ post meridiem horâ, Presbyter alius ossis adducit fragmẽ, & folliculum induit, & puellæ tradit, seque ait dubium esse an ex sanctis sit Martyribus, licet ex eo suauis effletur odor. Suscipit illa, in sinuque condit. Post duas circiter horas notus aduenit Clericus. Is ab ijs efflagitat ossa sanguine conspersa ostendi. Anna educit folliculum sericum nouum è sinu, promptoque osse, sanguineæ stillæ recentes cernuntur. Amitina iubet pectori iterùm adhiberi. Paret paruula: mox magnâ premitur anxietudine; amitinam enixè precatur vt remouere sinat. Detenta, vultu, clamore, collacrymatione, & etiam animi deliquio doloris significans magnitudinem, soporatur. Subitò) experrecta, emergente dolore ingemiscit. Inter hæc plures è Clero & plebe ventitant; alij euocati, alij vulgante famâ miraculum. Adfuit & Magistratus, demum & Ecclesiasticus Iudex. Absque hæsitatione vllâ omnes perspicuè cernunt manantem fluentemq́; sanguinem ab ipso osse, eoque charta, folliculus, & digiti liti inspiciuntur. Summâ veneratione Dominum glorificant, gratiasque agunt, tam insignis miraculi suspiciunt excellentiam. Eâ nocte duo simul officula in ipso sacculo ad puellæ collũ appendit eius amitina. Postridie sextâ Feriâ, Nouembris octauâ, dum foculi consueta exequitur obsequia, somno grauata paululùm obdormit tremens ac gemens. Dolor rursum redit acerrimus, excitatque violenter ingenti feruore. Sacculum auferri clamore postulat. Ablatus, humectus & cruentatus reperitur. Sanguis ab ossibus erũpebat, qui inuolucra imbuere est visus. At puella, quòd vehementi & intolerabili vexaretur & opprimeretur pectoris dolore,

refugit, & omni nititur & contendit vi, ne sibi Sanctorum apponantur ossa. Iurataque, testata est, quoties ab his sanguis profluerer, se suauissimo perfundi odore. Ipsius pietas, virtus & sinceritas à Iudice, Assessoribus & testibus magnopere commendatur. Atque in suâ depositione hæc modesto refert modo, se sanctos Martyres Vrgauonenses religioso venerari cultu, inque eorũ honorem frequenter Virginis Deiparæ beatissimę Rosarium, vel aliquam partem, Christo Domino nostro magno offerre affectu, eius suauitate suum affluere sensum, ex eoque nonnumquam martyria somniare, vt inaudierat. Hæc illa. Vnus verò ex Parochis, qui duabus ei noctibus adstiterat dormienti, simul cum eius amitinâ & ipsius marito, tres integerrimi & oculati testes, testificantur, quòd cùm puella placidissimo quiesceret somno, audita sit hæc verba proferre: *Infantulus Iesus ad Crucis imum adstat stipitem.* Deinde amitinam vocans, clamabat: *Thia* (vulgaris nostra dialecto Græcâ patrueles, auunculos, materteras, & amitas *thios* & *thias* compellat, & honoris gratiâ puella seniorem non amitinâ, vt erat, sed amitam semper vocat) *thia manum mihi præbe, genua flecte, & Iesum Christum adora* Mox quasi lallabat, & blandiusculè arridens, puerulum Iesum soporabat, ac pijs modulata mulcebat cantiunculis, hac nempe & similibus: *Vt Filij Virgo perluit crepundia Maria, ac pressa in libanotide expandit.* Sed gratia & lepos omnis Latino non exprimitur sermone. Aniculæ & nutrices, his versiculis soporem suis aduocant pusillis, scilicet:

Como lo laua y tuerce la Virgen Maria,
Como laua y tuerce, y en romerico tendia.

Rursus addebat: *Vis mi pusille, vt in tuis recumbam cunis? Ex peregrinatione namque lassitudine sum defatigata.* Canoro etiam lallantis tono & modulo clarè sæpius inculcabat de Sanctorum martyrijs: aliquot nimirum Sanctandreanâ fuisse cruce decussatos, alios raptatos, alios viuos in fornacibus Sanctuarij combustos, alios è saxis & turribus præcipitatos, alios muris in ipsis obstrusos, sicuti in parietibus occlusos, alios manicis, compedibusque vinctos è turrium fastigijs in præceps deturbatos, & in puteum proiectos. Subiungebat deinde: *Eheu sancti Martyres, quàm immania tormenta & martyria, quamq; sæuos passi estis cruciatus à nequissimis illis!* Atque ad singula quæque replicabat: *Quàm pulcher mirabilisq; locus! Quàm pulcher mirabilisq; locus!* Hæc ab eâ referunt & testantur dicta in somnis, & inaudita non alia: quod manè interrogata, silentio occultabat. Hac sanguinis tam frequenti fluxione terrentur multi, ac immane aliquid, strages horribiles cædesq; portendi verentur. Signorum densitate nonnulli præstringuntur. Atqui plura & maiora sunt spiritalia quàm corporea. Omnia manifestè Dei digitus, non humana efficit industria. An hæc promiscui sexus & ætatis frequentem multitudinem in tenebris, ipsoque noctis silentio & conticinio eodem verborum continere valeat? Atqui non huius sed illius mirificus est effectus & opus. In maximo per latissimos lætissimosque campos in vijs concursu, ad Fescennina & Sotadica carmina, dicteria, scommata, conuitia, quibus rusticuli agrestesque operæ vrbanos vrgent, & verberant impudētissimè, ille certè frenat, fremitusque cohibet consuetos. Hominum metamorphoses à vitijs ad virtutē, vitæ morumq; reformationem, plurimaque religiosa, non ab alio certè quàm ab illo. Ipse est, qui omnes caliginosas tenebrarum conterit potestates. *Quæ conuentio lucis ad tenebras?* In Sole caligat, qui in tantâ luce non discriminat quæ sunt ipsius, vel è contrario Cimmerijs obsita tenebris. At quæris causas. Effectus conspicui, illæ latent. Omnium ratio gnesia, & quasi ex oraculo reddi nequit. In abstrusis aptè physiologus dixit: *Nec quærenda in vllâ parte naturæ ratio, sed voluntas.* A diuina hæc proueniunt, ac, vt dixit Apostolus, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Infert subinde: *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?*

Post aliqua idem Auctor scribit: A castris Posthumianis oppidum, nuperrimè ciuitatis honore nobilitatum, Bujalanze ad millia sedecim distat, à Cordubâ verò, in cuius est Episcopatu, quatuor & viginti. In eo Maria pusilla, adhuc sine cognomine, duodecimum agens annum, ciui viro probo, eiusque coniugi benè morata ancillula inseruit, virtutis indole sincera fideliter. Hæc, vt præsentaneum remedium, cinericij pastilli horum Martyrum partem, tumori in manus sinistræ carpo vt adhiberet, in pectore ad ipsum condit cor, Dominicâ die, vigesimâ tertiâ Martij currentis huius anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi, post horæ quadrantem se sentit sensim incalescere & aduri, ac heræ significat. Ipsa sinum nudat, & cinericiam rubescentem educit particulam, sanguine delibutam recenti. Eius adspectu ambæ turbatæ consternantur, ac è manibus prolabitur formæ illius pars. Hanc reuerenter eleuant, & chartâ mundâ inuolutam iterùm in sinum mittunt. Simul autem domo exeuntes, in viâ æstuat secundò: eximitur inuolucrũ cruentatum, eoque in custodiam tradito, formæ eius-

eiusdem pars altera pectori admouetur. Necdum horæ medietate decursâ, ijsdem ardore, adustione, etiam sudore, & animi corripitur deliquio. Promitur particula cruore magis quàm prior imbuta. Lectissimæ feminæ domum venerant: quæ rei nouitate intellectâ, ossiculum, quod secum deferebat, à Canonico Toletano sibi sanguinis necessitudine iuncto acceptum, in puellæ sinu recipiendum curat. Mox maiore quàm anteà æstuans ardore, magnoque animi deliquio, ad parietem se demittit, sensibusque priuata manet. Educitur ossiculum sic sanguine manante imbutum, vt fluentes guttas manibus excipere potuerint. Inde abeuntes, ad eiusdem Canonici patrem diuertunt. Eius filia cinericiam formam & ossicula puellæ condit in sinu. Nec multa mora: iteratur ardor, & exanimatur paruula prompta, cuncta cruenta simul apparent. Sed pusilla adeò lassa & fatigata, vt lectuli indiguerit laxamento; quo recreata, ad Solis occasum domum regressa cum herâ est. A concione ibi rogata, ne vrbanitati deesset, ossicula papyro amicta excepit; & pectori necdum admouerat, cùm angoribus afflictata ijsdem, cruore conspersa promuntur. Posterâ die, quartâ & vigesimâ Martij, apposito ipsi pro more ossiculo, per tres horas solitis intenta manet obsequijs. Exit verò in compluuium, in eoque maioribus & grauioribus affecta molestijs, sensibus collabitur destituta. Ad lectulum adductam, eductum acerbissimo afflictat dolore ossiculum cruore infectum. Plura per sequentes dies vsque ad Aprilis octauâ diem in paruulæ sinum missa sunt ossa, & cinericij etiam pastilli; non tamen ex omnibus erupit sanguis, nec pari in ipsis apparuit modo. Martyrum certò ea credita, quæ sanguine consperse; semper tamen ijsdem correpta ardoribus ita fatiscebat, vt exanimis prolaberetur. Cuncta ad Ordinarium deferuntur. Is nunc (quòd Ecclesia nostra Præsule caret) V.C. Don Consalus Castro Toboso, amplissimi nostri Senatus Decanus, simulque Canonicus, pietate & litteris conspicuus. Ab eo iudex est primarius constitutus. Qui cùm eximiâ religione in hos Martyres affectus, ipsorum inuiseret Sanctuarium, in eo speciosissimam erigendam Crucem suis curauit sumptibus. Iussit igitur per Vicarium, assignato illi Assessore, diligenter probationes fieri, nihilque omitti quæ ad vestigandam veritatem opus fore intelligerent. Iudices ad rei cognitionem diligenter solertiam omnem adhibent, pluribus Religiosis, virisque probis receptis testibus, qui diuersa signa patrata attestantur, & paruulæ animi candorem etiam, & preces commendant, & virtutem; eamque tradunt auditam orantem, dum ossicula condita in sinu, atque ex ijs sæpiùs visum fluentem sanguinem, & guttas cadentes. Ipsâ autem Aprilis nonâ die in Assessoris ædes delata, eadem ipsa iureiurando adstricta deposuit, aliorum testimonijs perhibita. Cetera cautè iudices prouideri censent & curant. Ex Lucinæ ministerio & opitulationi addictis feminis, artis Apollineæ etiam è peritioribus, nobile binum iubent aduocari par. Illæ ad præscriptum secretò diductam reducunt puellam, seque in eâ explorandâ haud ignauè strenuam nauasse affirmant operam: simulque asserunt ætatula paruulam, prorsus sanguinis, nedum vulneris seu plagulæ vestigio & indicio alienam prorsus. In læuo verò carpo tumorem (quem vulgus furunculum vocat) fuisse, verùm tam siccum & sanum, atque ab ipsis, cùm vniuersa fuerint scrutata, mundo indutam indusio, nequid suspicionis subesset. Medici verò pusillam, vt erat, supra lectulum cubare, pectusque præcipiunt nudari; id, vestes, cuncta quoque quantum possint & fas, attentissimè rimantur. Nihil prorsus odorantur, nec notant, quod fraudis vel versutiæ habeat indicium, vel minimam suspicionem. Et ad omnem abolendam, ne quis à pectore cruentus manet sudor, vt quandoque, rarissimè tamen, contingit, cutis meatibus & poris obstruendis & obturandis, simulque comburentium ardorum refrigerationi efficacissimis, comparatis etiam pretiosis & gelidis medicaminibus, pectoris partes fouent, & studiosè subuentas curant. His ex artis non vulgari, sed abstrusiore doctrinâ curatis, atque ad effectum dato interuallo, cinericiæ sex formæ, & ossiculum pectori applicantur, sinusq; sueto amicimine obnubitur. Vicarius stolâ sumptâ, Cruce, aquaque lustrali cùm accensis cereis paratis, deprecationes & exorcismos, quibus ab obsessis dæmones, eorum & illusiones magicæ, vanaque veneficia propulsantur, Romano recitat deuotè ritu. Paruula Catholicam iussa profitetur fidem, ac præ cunctis prolata nil hæsitans verba profert; satanæ omnibusque operibus eius, pactis etiam tacitis vel expressis abrenuntiat, seq; lætissima asseuerat eam fidem tenere & credere, quam sancta Romana Ecclesia mater & magistra nostra docet & tenet, singulaque mysteria ipsius enuntiat, & se in eâ vixisse gaudet, & morituram protestatur, in eiusque testimonium Apostolorum vltroneâ clarâ altaque profert Symbolum.

Ad hoc plures conuenerant spectaculum post tres circiter horas, nullusque in eâ esse motus: cineres & ossiculum amouen-

uentur, aliaque reponuntur ossium fragmina. Plures discessere: Vicarius tamen cum Notario & alijs, non longè à lectulo manet, ac eam continue intuetur, si qua in vultu turbatio. Ad Solis occasum aduertit angorem: preces & exorcismos resumit, magnaque religione, vt sapiens omnia exequitur exorcista. Pusilla solito anxia affligitur ardore. Deficientibus sensibus, ac si deuixisset, exanimatur. Vocati qui abierant, redeunt, & ex Medicis vnus præstò adfuit: eoque diligenter cuncta aduertente, Vicarius sigillatim ossa educit. In cubiti caui fragmine sanguis recentissimus cernitur. Excipit Medicus, & accuratâ circumspicit cōsideratione, eius recognitis ex extremis sanguinem erupisse, certissimò noscit, ab eaque parte non tam largè, quæ carni hæserat. Digito cruorem tentat intento, verissimumque asseuerat, supra vires naturæ prodigiosè fusum. Hoc tanto perhibito testimonio, quod omnibus adstantibus notissimum (nec erat qui ambigeret) Iudices, ipseq; Medicus, & alij, Notario exscribente subscribunt. Posterâ die, Aprilis decimâ, Iudices manè testibus adhibitis, in puellæ sinu plura officula reponunt; nec temporis multâ intercapedine pro more doloribus ignitis correpta, animo deficit. Promuntur apposita, & ex ossiculo largus sanguinis tantummodò fluxus. Id autem minimum erat, nec auellanâ maius. Vespere autem alijs appositis ossium particulis, nullus ex ijs prodijt sanguis. Tunc paruula heris est restituta. Sequentibus diebus sæpiùs emissus. Hæc autem omnia publicis notata tabulis, ad Ordinarium sunt transmissa.

CAPVT LXXIII.

De sacris Hostiis Complutensibus.

A Multis iam seruantur annis in Collegio nostræ Societatis Complutensi incorruptæ Hostiæ consecratæ, miraculis illustres, quæ præsentiam Christi in Eucharistiâ certissimo confirmant argumento. Has Hostias, vt argenteam pyxidem venderent, impij homines ex Maurorum gente surripuerant. Complex sceleris fuerat adolescens ex Hispanis parentibus, & ab auitâ origine Christianis. Hic seruauit Hostias, quas ceteri contempserant, & restituit P. Ioanni Sorio, insigni viro nostrę Societatis, virtute & sinceritate mentis. Hic sanctus vir, ex consilio doctissimi Patris Gabrielis Vazquez, ob suspicionem veneni, reposuit loco humido, sed decenti, vt corruptas humefactione in cineres redigeret, & sanctè dissiparet. Visit illas post aliquod tempus, num putrefierent: sed ecce mirus candor & integritas omnibus. Adhibuit proximè in aliâ thecâ Hostias non consecratas: reuisit postea: has repperit vermiculis scatentes, illas integras, candicantesque. Sæpè hoc experimentum factum, donec tandem Complutensium Doctorum Theologorum, Medicorumque iudicio miraculum conclamatur. & magno omnium cultu & deuotione in publicas aras & Sacellum productæ miraculis clarent. Ego tunc temporis Compluti eram, Theologię operam nauans. Sæpissimè intuitus illas, miratus sum, ceteras Hostias candoris splendore vincere.

CAPVT LXXIV.

De saxo Complutensi.

SAxum, super quod sancti pueri Iustus & Pastor securi cęsi fuerunt, seruatur Compluti, salutari manans oleo, siue potiùs exsudans, quod ipse vidi. Medetur pluribus ægrotis.

CAPVT LXXV.

De statuâ Christi Xaueriensi.

VEneranda Christi Domini pendentis patibulo colebatur imago in castello Xauerij, vbi natus est S. Frãciscus Xauerius. Igitur quotiescumque magno in aliquo labore versabatur in Indiâ Franciscus dum viueret, sudabat in Nauarrensi regno statua Christi. Mortuo verò Xauerio, per illius anni sextas hebdomadarum Ferias sanguinem sudauit imago Crucifixi.

CAPVT LXXVI.

De imaginibus desudantibus, & miraculosis S. Ignatij.

NOuis nuper prodigijs gloria S. Ignatij parẽtis nostræ Societatis cælitus significata in Hispaniâ est. Antiqueræ miraculosus imaginis huius Sancti sudor multos è morbis recreauit, plura alia patrauit admiranda. Celebrior tamen, pluribusque, scilicet pænè innumeris, miraculis commendata est imago Muniebregæ in Aragoniæ regno, quo loco nullus his annis præteritis peregrinantium multitudine, votis miraculisque frequentior. Erecta Ignatij species in altari omnibus colẽda anno 1623. (diu enim contempta in vestiario erat inter alias virorum etiam sæcularium imagines) eo ipso die plures ægrotos impedimento aliquorũ membrorum repentè sanitati integræ restituit, magno

magno omniũ stupore, & reuerentiâ tanti patroni. Quędam mulier cæca, quæ aderat, ex rumore audiuit lætitiam & admirationem plebis ob miracula patrata, secretoque orationem deuotam fudit pro visus restitutione. Sensit statim oculos sibi intus tractari, mox subitò vidit. Auctâ euidẽtibus signis deuotione, concurrit miserorũ plebs. Multi quotidie miraculosè restituebantur valetudini: nullam diem tria aut quatuor miracula ad minus, insignem non fecerunt. Duo mortui eiusdẽ Sancti meritis ibidem vitam receperunt. Vnus erat filius Medici illius oppidi, quem, patre iubente humari, mater priùs vnxit oleo lampadis ardentis ante altare sancti Ignatij. Mirabile dictu, statim reuixit puer, vitæ sanitatique simul restitutus. Primâ sextâ Feriâ postquam publico cultui in altari producta fuit hæc imago, mirũ sudauit quatuor horas liquorem, qui nec aqua nec oleum videbatur; mirabilior tamen virtute, cùm multi ægrotantes, madefactis eodem sudore linteis, valetudinem obtinuerint. Sequenti deinde sextâ Feriâ similis sudor per duas horas repetitus fuit. Augustum & mirũ quid dicunt præ se ferre hanc imaginem, & reuerentiam obtuentibus ingerere. Sunt etiam qui dicant diuino aliquo artifice & Angelicâ manu factá. Historiam sic narrant. Peregrinum hominem obtulisse cuidam Nobili Sacerdoti se velle pingere Ignatium Societatis Iesu fundatorem, & qualibet mercede contentum perfecisse: mox quæsitum, vt pretium acciperet, disparuisse. Hæc fama inter multos: nescio an aliud certius.

CAPVT LXXVII.

De Crucifixo Manresæ.

MAnresæ quoque marmorea Christi Domini species, ante quam preces olim solitus fuit fundere S. Ignatius, in eiusdem Sancti festo visa est sanguineum sudorem fundere.

CAPVT LXXVIII.

De miraculoso oleo Damasci.

APpendam iam alia admiranda de liquoribus, seu oleis sacris, quæ occurrunt. Matthęus VVestmonasteriẽsis in Floribus sic narrat. Anno 1203. oleum cœpit emanare miraculosè à quadã imagine beatæ Mariæ de Sardenai, non longè à ciuitate Damasci, quod miraculum etiam multos Saracenos ad fidem Catholicam vocauit, & multis languidis cõtulit sospitatẽ. Soldanus etiam quidam, scilicet Damascenorum, penitus cæcus effectus, inuocato B. Virginis Mariæ auxilio, infusione olei illius visus sui claritatem suscepit, qui sexaginta metretas olei annui reditus dedit ad lumen incẽdendum ante altare B. Virginis, vt lumen redderet pro lumine; & quia primùm, ex quo lumen recepit, lampadem vidit lumine coruscantẽ. Et ex illo tempore, scilicet ad Natale sequens, cœpit vberius oleũ à prædictâ imagine stillatim eliquare, & oleum illud in anno consequenti in carnem solidari. Anno gratiæ 1204. Rex Ioannes Natale Domini celebrauit apud Cantuar, Huberto Archiepiscopo illi necessaria ministrante. Deinde in crastino Circumcisionis conuenerũt ad colloquium apud Oxon Rex & Magnates Angliæ, vbi cõcessa sunt Regi auxiliaria militaria de quolibet scuto duæ marcæ & dimidia, nec etiam Episcopi, vel Abbates, siue Ecclesiasticæ personæ sine promissione recesserũt. Eodem anno miraculis crebrescentibus de oleo, emanãte de imagine B. Mariæ de Sardenai, vnde prædictum est, in carnem solidato, & exinde Soldano Damascenorum curato, fama celebris in Oriente fidem solidauit.

Nec refert, quòd recentiores quidam suis in Itinerarijs negent hoc de oleo miraculorum: nam sæpè accidit, vt priorum temporum miracula posteris sæculis desinerent, quòd homines ijs indignos sese reddidisset, vel alias ob causas occultas soli Deo cognitas. Occurrit hîc, quod S. Germanus Constantinopoleos Patriarcha scriptũ reliquit in Epistolâ ad Thomã Claudiopolitanum Episcopũ, quæ inserta est Actioni IV. Concilij VII. Maximè omniũ manifestissimum, & nullam controuersiã vel ambiguitatem sustinens, est, quòd imago, quæ pridem Sozopoli Pisidiæ intemeratæ Dei Genitricis fuit, ex depictâ palmâ suâ vnguenti emanationẽ profuderit. Cuius miraculi testes sunt multi. Licet autem nunc huiuscemodi non fiat opus miraculi, non tamen incredibilia erunt priora, ne pari modo incredibilia iudicentur, quę in Actibus Apostolorum sunt descripta in principio prædicationis signa diuersa, & charismata Spiritus, quæ nũc minimè patrantur, amatore hominum videlicet Deo per talem condescensionẽ eos qui infirmiores erant, potentiores in fide suâ perficiente, & pariter scientiâ virtutem etiã per hos ostendente, quemadmodum Apostolorum factum est tempore. Aliquando enim horum vmbra, aliquando verò vestiũ sublata sudaria sanitates præstabãt. Sicut ergo in illis non omnis corporis vmbra, sed Petri tantummodò, dabat laborantibus medelã; similiter & sudaria non omnis vestimẽti, sed Pauli solummodò, sanabant infirmos, in satis-

tisfactionem fidei eius qui ab ipsis prædicabatur, qui gratiam suam etiã per inanimata demonstrabat. Ita & super imaginibus sæpè fieri placuit, non in omni imagine vel picturâ talis specie beneficij inter credentes effectâ, sed in solis Sanctorũ, vel etiam eiusdem Domini, quo non suapte intelligerẽtur sanitates accidere, sed ex solâ gratiâ Dei nostri.

De eadem imagine, eiusq; origine & miraculis, longè vberiùs Matthæus Paris (siue idem siue diuersus à VVestmonasteriensi) in Ioanne Rege; cuius relationem, quia obseruatu digna est, paucisq; nota & obuia, huc transscribere placuit. Anno 1204. Feriâ tertiâ ante Paschalem solemnitatem, contigit miraculum omni laude dignissimũ, de oleo imaginis Marię Matris Dei apud Sardenai, in hunc modũ. Accidit in carcere militum Christianorum in castro Damasceno, quòd miles quidã extraheret de armario suo fiolam vnam, in quâ posuerat de oleo quod de iconiâ Dei Genitricis apud Sardenai distillat. Sed cùm diligenter fiolam illam inspexit, in quâ oleum reposuerat, lucidissimum, & velut aquę fontis perspicuum, apparuit in eâ oleum incarnatum, sed in duas partes diuisum. Hęrebat namque ima pars olei in inferiori parte fiolæ, & altera superiori. Miles autem accipiens cultellum suũ, voluit coniungere partẽ superiorem cum inferiori: sed continuò vt acies cultelli oleum illud incarnatum tetigit, videntibus Capellanis militibusq; captiuis, & ceteris vniuersis, guttæ sanguinis inde, cunctis admirantibus, effluxerunt. Et quoniã plerique de hac Matris Dei imagine veritatem ignorant, dignissimũ est, vt quam habuit originem, ad laudem eiusdem Dei Matris nescientibus referamus. Fuit apud Damascũ metropolim Syriæ ciuitatem venerabilis quędam matrona, quæ sanctimonialis habitum suscipiens, Deo deuotissimè seruire studebat. Et vt liberiùs diuinis vacaret obsequijs, ciuilem declinãs tumultum, sex ab vrbe prædictâ milliarijs ad locum Sardenai appellatum recessit, ibique domum sibi, & Oratoriũ in honorem sanctę Dei Genitricis Mariæ ædificans, hospitalitatis officiũ deuotè peregrinis & pauperibus exhibebat. Contigit autem Monachum quemdã de vrbe Constantinopolitanâ orationis gratiâ, & sacra Ierusalem loca visitandi, venire, qui à sanctimoniali præfatâ in ostium est charitatiuè receptus. Quem cùm cognouisset ad sanctam tendere ciuitatem, rogauit eum humiliter & deuotè, vt rediens adferret secum de sanctâ ciuitate Ierusalem iconiam quamdam, id est quamdam tabulam depictam, quam in oratorio suo poneret, & quæ sibi oranti Dei Genitricis imaginem repræsentaret. Ille verò fideliter promisit se iconiam illi dilaturum. Qui cùm Ierosolymam peruenisset, expletis orationibus suis, sui immemor promissi, redire disposuit. Cumque iter arripiens, à ciuitate fuisset egressus, ecce vox emissa de cælo dixit ad eũ: Quomodo manu vacuâ siccine redis? vbi est iconia quam te sanctimoniali delaturum promisisti? Et tunc promissi memor Monachus effectus, in ciuitatem reuersus est, & veniens ad locum vbi iconiæ vendebantur, vnam quę sibi placuit comparauit, & secum rediens portauit. Et cùm venisset ad locum qui Gith appellatur, vbi leo ferox & hominum deuorator in speluncâ latebat, Monacho venienti occurrẽs, humiliter cœpit lambere pedes eius, & sic diuinâ eum protegẽte gratiâ illæsus euasit. Deinde latronum perpessus insidias, cùm manus in eum violentas extendere decreuissent, angelicâ eos voce increpante adeò perterriti sunt, quòd nec loqui, nec se mouere aliquatenus potuerũt. Tunc Monachus iconiam, quam tenebat, diligenter inspiciens, aliquid diuinæ virtutis in eâ latere cognouit; & secum deliberans vt iconiam ad suam deferret patriam, sanctimonialem defraudando, inaniter laborabat. Tunc veniens ad Achon ciuitatem, nauem intrauit, volens repatriare, si posset. Cũque dies aliquot velis cucurrissent patentibus, ecce subitò tempestate subortâ adeò periclitari cœperunt, vt singuli quæ sua erãt in mare proijcerent. Monachus autem cùm suum sacculũ inter alios vellet vndis committere, dixit ad eum Angelus Domini: Vide ne feceris, sed leua iconiam manibus tuis vehementer ad Dominum. Qui Angeli obtemperans iussionibus, iconiam in altum leuauit, & continuò tempestas quieuit. Ignorantibus autẽ illis quò pergerent, ad Achon ciuitatem reuersi sunt. Tunc Monachus de imagine Dei intelligens voluntatem, suisq; promissionibus satisfacere cupiens, ad sanctimonialem redijt, & ab eâ beneficiũ hospitalitatis suscepit. Ignotus tamen ei erat, propter frequentiam, & ideò iconiã ab eo non requisiuit. Monachus verò hoc ipsum aduertens, cogitauit cum iconiâ ad propria remeare. Manè autem facto, cùm abeundi licentiam impetrasset, gratiâ orationis Oratorium intrauit: & cùm, factâ oratione, exire voluit, ostium inuenire non potuit. Ponens ergo quam tenebat imaginem super altare Oratorij, ostium vidit apertum: & cùm iterùm assumptâ iconiâ ab Oratorio exire moliretur, quà egrederetur non inuenit. Videns tandem Monachus circa iconiam diuinam virtutem, posuit eam in Oratorio super altare, & rediens ad sanctimonialem feminam, omnia per ordinem retulit quæ de iconiâ mirabiliter, vt superiùs relatum est, gesta sunt.

ſunt. Dixit ergo, diuinam eſſe voluntatem, vt iconia ibi remaneret, & debito ibidem veneraretur obſequio. Accepit ergo imaginẽ Sanctimonialis, benedicens Dominum eiuſque Genitricem de omnibus quę ibi Monachus reuelauit. Monachus quoque in eodem loco reſiduum vitæ ſuę peragere decreuit, propter virtutes quas Dominum feciſſe cognouerat per imaginem ſuæ ſanctæ Genitricis. Cœpit iconia deinceps valdè ab omnibus venerari, & cœperunt omnes in eâ Dei magnalia admirari.

His ita geſtis, femina Sãctimonialis locum præparãs, vt ſibi videbatur, honeſtiorem, in quo imaginem poneret, rogauit Preſbyterũ quemdam, tamquam ſe digniorem, & morum honeſtate præditũ (vt credebat) vt veſtibus ſacris indutus ad imaginẽ accederet, & eum ad locũ prænominatum transferret. Ille autẽ verebatur nimis eam tangere: quia & tempore illo quo ſuper altare poſita fuerat, ſudare cœpit; & liquorem olei lucidiſſimum emittere nõ ceſſauit. Quam deſudationẽ femina Sanctimonialis priùs cum ſindone mundâ detergens, poſteà vaſculũ parauit æneũ, & liquorem recepit; quem cùm in nomine Domini eiuſque Genitricis tribuiſſet, à varijs languoribus illicò ſanabantur, & huc vſque ſanantur. Preſbyter autem prædictus ad imaginem temerè accedens, vt eam transferret, protinus cùm liquorem ex eâ manantem tetigit, arefactæ ſunt eius manus, & poſt triduũ migrauit ad Dominum. Poſteà verò nullus præſumpſit imaginem, præter ſolam Sanctimonialem, tangere, vel eam loco mouere. Tunc femina religioſa ſubter imaginem vaſculum præparauit vitreum, in quo liquor ab imagine reciperetur, & infirmorũ neceſſitatibus ſeruaretur.

Procedente denique tempore res dictu mirabilis contigit, & hactenus inaudita. Nam imago prętata, admirantibus cunctis, cœpit mamillas carnis emittere, & mirabiliter carne veſtiri. Vnde hucuſque à mamillis deorſum carne videtur induta, à quo liquor ille inceſſanter diſtillat. Quem liquorem Fratres templi ad domos ſuas deferunt cùm inducias habent à paganis, vt peregrinis orationis gratiâ aduentantibus inde diſtribuãt, qui honorem Dei Genitricis in diuerſis mundi partibus attollant. Sunt autem Monachi in quadam monaſterij parte, diuinum agentes Officium, ſed dignitas & magiſterium Sanctimonialium eſt, propter reuerentiam prædictæ mulieris, quæ locũ priùs inhabitauit, & in honorem S. Mariæ Dei Genitricis Oratorium fabricauit. Hactenus ille.

Commemorat deinde miraculũ in Soldano Damaſceno per oleum huius imaginis patratum, prout iam alter Matthæus (ſi tamen alter, nõ vnus & idem) nobis expoſuit.

CAPVT LXXIX.

De balſamis Ægypti.

Licet in mirabilibus terræ promiſſæ aliquã ſcribam de Ægypti balſameto, & fonte Ieſu, iuuat hîc ampliare hiſtoriã probatis teſtibus. Petrus Martyr memoriæ prodidit lib. 3. Legationis Babylonicæ, de fonte Ægypti, è cuius aquâ olim balſametum rigabatur, in quo Chriſtum infantulum à Virgine matre ablutum fuiſſe, vetus traditio habet, tam apud Chriſtianos quã apud Saracenos. Ab his, quibus fuerat à Soldano de me cura demandata, peto, vt me ad eum locum, vbi Chriſtus latuerat intereà temporis, dum Herodes Ieroſolymis moraretur, perducerent, tum vt loci numen colerem, tum etiam quoniam ibidem balſami arbuſta cõſeuerant, id exoptabam. Eum locum noſtrâ tempeſtate Mataræam incolæ appellant, qui ab vrbe Cairi paſſuũ millia circiter decem diſtat. Mercurij igitur die ſexto Idus Februarij, qui noſtræ Quadrageſimæ primus eo anno fuit, vbi primùm eluxit, Mataræam verſus proficiſcimur, palatium primo adſpectu & primâ fronte Regali mole conſtructum ingredimur, in internis autem dirutum, eò quòd deſertũ, ex quo balſami arbuſta interiere. Illuc enim, quo tempore balſamum colligebatur, Soldani relaxãdi animi gratiâ ſeſe quotannis conferebant. Prô dolor! adeò pretioſi arbuſta liquoris interiere; ſed incertum an cuſtodũ incuriâ, an fraude dolóve & inuidiâ, an religione & pietate læsâ id acciderit. Quidã enim viridarij cuſtodes terram irrigando malè tẽperaſſe aiunt. Ex fonte namq; viuo, puteali tamen, in eo loco ſcaturienti aquâ exhauſtâ, arbuſta illa rigabantur & nutriebãtur: neq; enim ex ſimplici illâ materiâ balſamũ conſtabat, quod non aliter ex perfractis aut cõciſis ramis per ſtirias & guttas cadentes colligebatur, quàm ex vitiũ putatuſis lacrymales guttæ cadunt, cùm apud nos verno tẽpore palmites inciduntur. Sed nullâ prætereà eius fontis aquâ transplantatis balſami arbuſtis adhuc vt naſcerentur, aut adultis vt coaleſcerent, profuiſſe vmquam, longo experimento cõprobatum eſt. Imò & cùm in aliud ſolũ transferrentur, eadem etiam aquâ inde aſportatâ parum viguiſſe. Rex enim quondã Cyprius, nomine Iaches Caitbeio, Soldano permittente, arbuſta pauca cupaſq; ipſas aquâ plenas, quibus illa irrigaret, in Cyprum afferri iuſſit, vbi neque balſamum procreabant, neque frutices diu vixerunt.

Qui fraudem interueniſſe cenſent, aiunt id factū iniectu panni menſtruo infecti, cuius venenifera vi arbuſta balſami radicitus enecta fuerint. Aſt qui læſam pietatem credunt, ita prędicant, inquit Martyr: Cautum fuit ſemper priſcorum Regum Soldanorum decreto, ne Iudaicæ prouinciæ quiſquā balſametum ingrederetur, ne quid ignominioſum in loci numen perpetrarent, cùm in eo fonte paruuli Ieſu, pro tempore in Ægypto laritauit, pānos, quibus inuoluebatur, Maria Virgo lauerit, vbique arbuſta germinabant, ibi Soli ſiccādos expoſuerit. Beatam namq; Virginem Mauri obſeruant, eiuſq; nomen religioſiſſimè venerantur. Incautos igitur ad cuſtodiam Soldani conſtitutos œconomos Iudæum, qui ſe Maurum profitebatur, admiſiſſe inquiunt, Iudæamq; vxorem ſuam, quā intromiſit, paruulum vtriuſque filium linteaque infantuli in opprobrium matris Chriſti in ipſo fōte immerſiſſe, ac lintea ibidem ſiccanda protēdiſſe volunt. Quare terram, cuius virtute arbuſta germinabāt, fontemq;, cuius vigore rigata nutriebātur, illicò poſt contumeliam vim ſuam amiſiſſe, inhęſitanter inquiunt. Vtcumque ſit, omnia illa arbuſta radicitus interiere, nec vllum ex eis éxtat veſtigium. Ea in roſeti modum acuta intra quinquenniū ſeneſcebant, ſed ipſorum rami in idem ſolum tranſplantati, facilè ad ſuum genus inſtaurandum pullulabant. Eſt autem id balſameti ſpatium paſſuū longitudine circiter ducentorum, latitudine verò non multò plus dimidio, terreis aggeribus ſine calce ac lapidibus circumſeptum.

Deſcribit deinde Martyr tuguriolum, in quo B. Virgo infantulū Ieſum lactaſſe fertur, vbi, inquit Martyr, duo ſummæ pietatis in hominibus aduerſæ legis (in Sarracenis) annotaui argumenta, quæ prætermittenda minimè duxi. Extat in prædicto tugurio intra murum cauata quædam in modum armarioli feneſtella, in quā paruulū infantem ſollicita Virgo, dum ſibi aliquando foris victum quæritaret, recondebat: ibi ardentem perpetuò lampadem Mauri ſeruant. Tenent & aliam, funiculo traiecto illi arbori, quam ſeſe aperuiſſe, tranſeuntiq; Ieſu ceſſiſſe, populus credit, appenſam, arboremq; ipſam reuerenter obſeruant. Ficulneam ipſi Pharaonis arborem appellant. Ea verò eſt, quæ à noſtris ſycomorus dicitur, terræ illius arbor peculiaris. Obijt Martyr Legationem Ægyptiam anno Chriſti 1501. & 1502.

Sed Ill^mus Princeps Nicolaus Chriſtophorus Radziuilus, Dux Olicæ, & Nieſuiſij Palatinus Vilnēſis, qui anno 1582. ex Poloniā egreſſus, Venetijſq; anno 1583. ſoluens, peregrinationem Ieroſolymitanam inijt, & Ægyptū quoque luſtrauit, indicare videtur, balſami liquorē fermè vſque ad illud tempus, quo in Ægypto erat, duraſſe. Ita enim ſcribit: Arbor hæc (ficus Pharaonis) ſita eſt in horto; in quā balſamū proueniebat, cuius etiam extant plantulæ duos circiter cubitos altæ, ſed exaruerunt omnes. Nā Aſſan Baſſa prædeceſſor Imbraimi huius, qui meo tempore prouinciā adminiſtrabat, Æthiopem quemdam qui curā balſami habebat, quòd magnam pecuniæ vim collegerat, præfocari iuſſit: quo factum eſt, vt nullo qui arborum eiuſmodi curā gerere noſſet reperto, penitus deperirent. In Felici tamen Arabiā, Imperatore Solimanno procurante, balſamum in copiā prouenit, ex hoc horto vt plurimum tranſplantatum; quod etiā Mechā per Carauanam aduehitur, cuius mecum bonam quantitatem aſportaui. Hęc ille. Ego tamen puto Balſamum in Arabiā ſemper fuiſſe.

De horto Balſami ſcribit quoque Bredenbachius Metropolitanæ Mogūtinæ Eccleſiæ Decanus, in ſuo Hodœporico Ieroſolymitano. Nam Ieroſolymitanam peregrinationē ſuſcepit anno Domini 1483. Poſt ſancta loca Palæſtinæ adita, pieq; culta, mōtem Sinai, & inde Ægyptū petijt, & inter cetera in Ægypto viſenda, viſit quoq; Balſami hortum, qui adhuc odoriferum illū liquorem reddebat; cùm hæc peregrinatio aduentum Petri Martyris in Ægyptum nouemdecim dumtaxat annis anteceſſerit. De Domo D. Virginis, & infantis Chriſti habitaculo, & de fonte, & Ficu Pharaonis, eadem propè quæ Martyr ſcribunt Princeps Radziuilus & Bredenbachius, vt intelliget Lector, ſi horum ſcripta inter ſe conferre velit.

CAPVT LXXX.

De oleo in lac mutato.

IN Vitā ſanctæ Burgundoforæ apud Bedā Tom. 3. de oleo in lac mutato, & deinceps multiplicato, huiuſmodi hiſtoria narratur. Quędam puella, nomine Bitihildis, in eodem Cœnobio intra adoleſcentiæ annos conuerſa, cùm, diu regularis diſciplinę habenis confecta, immobili deſiderio cæleſtia ad præmia anhelaret, venit, vt iuſtus arbiter iuſtam animam iuſtitiæ copiā plenā cælo condere vellet. Cumq; iam in extremis poſita, poſceret per ſucceſſiones noctiū lumen corā ſeſe accēdi, & ſacræ lectionis pręconia ante ſe legi, & vna aſſiſtētium vas quoddā oleo lymphaq; repleſſet, omnes ſopor oppreſſit ſorores, ſicq; traiectā noctis metā abſque ſodalium ſolamine ægra nocte peregit. Reuertente autē diei crepuſculo, cùm Matutinas laudes Domino ceciniſſent, ægra, quæ iacebat, intuita lucernā, quæ oleo lymphaq; repleta erat, in lac commutatā, quærit vtrùm hoc

hoc aliqua sodalium commutasset. Illæ inquiũt: An nescis, quia hîc lac non fuerit? Ægra ait: Nequaquã hoc labore animã meam consumite, sed quid rei veritas habeat, simpliciter indicate. Affirmantibus itaq; sororibus, quia nihil prorsus inde certũ haberent, Matrem Monasterij vocant, & rei causam indicant: at illa protinus, vt diligẽtiùs agnosceret, oleum à lacte separare iubet. Cumq; segregatum fuisset oleum, & nihil exinde super specie lactis remansisset, cœpit oleum denuò crescere, & vberiùs à vase manare. Tum demum hæ quæ astabant Dei virtutem agnoscentes, omni studio collegerunt oleũ illud, & in sacrario condiderunt, ex cuius olei perunctione quædã infirmæ sorores postmodum attactæ, pristinæ sanitati redditæ sunt; illa verò quæ felicẽ expectabat exitum, omni iucũditate repleta, cùm animam cælo reddidisset, tanta suauitas odoris cellam repleuit, vt balsamum inibi crederes desudare. Quid autem aliud fuit, vt creatura aquæ in lactis speciem verteretur, vel oleum multiplicaretur, nisi quòd miseratio diuina alijs ostendere voluit, qualiter ægrã visitauerit; & dũ illa sodalibus noluit indicare quid vidisset, vestigium visitationis suæ reliquit.

CAPVT LXXXI.

De alijs oleis miraculosis.

DE oleo seu humore quẽ emisit linteum, quo theca, in quâ Reliquiæ S. Eligij erant, operiebatur, hæc S. Audoënus lib. 2. de Vitâ S. Eligij cap. 39. n. 40. Ea theca propter auri gemmarumq; splendorem Quadragesimę diebus tegi solebat lineo panno, itemq; holoserico sanè eleganti & pretioso. Quod cùm aliquando initio Quadragesimæ factũ esset, post aliquot dies multis adstantibus cõtigit inauditum miraculum. Cœpit enim sudare linteum illud, sensimq; magis atque magis vapores exhalans, copiosiùs humectari. Quod vt viderunt qui tum aderant, rei nouitate obstupefacti, Christi eximiam illic aiebant declarari potentiam. Cùm autem etiã distillare cernerent linteum, senioribus id cõsultissimum visum est, vt ablato linteo à thecâ, exprimerent humorẽ in vasculum, isque pro medicinâ seruaretur; sicq; factum est: & ille liquor in vase æneo seruatus, multis posteà attulit sanitatem. Tanta autẽ fuit eius sudoris admirandi copia, vt pannus holosericus, cui erat linteum illud adiunctum, optimo colore tinctus, colorem illum amitteret, eoque linteum illud inficeretur. Duos ferè sextarios sudor ille compleuit.

Eâ tempestate aliquot Franciæ vrbes dirè vastabat morbus quidam, cuius pellendi causâ credimus liquorẽ hunc diuinitus collatum. Si quis enim illo correptus morbo in mortis discrimen venisset, & eum liquorem attigisset, cõfestim sanabatur. Erat tum Veromanduorum Comes Ingomarus, homo prædiues & potens. Is metuens vndiq; tum grassantẽ pestem, vbi didicit sudoris huius miraculum, totum se contulit ad B. Eligij patrociniũ implorandum, atque ex eodem liquore cum multâ fide nonnihil sibi dari petijt, promittens, si sanctus Episcopus obtineret apud Deũ, vt eius prædia non infestaret is morbus, decimas rerum suarũ, & maximam villã se eius Ecclesiæ delegaturum. Accepto igitur salutari liquore, inuisit prædia sua, iussitque omnes eorum incolas reuerenter eum attingere. Atque ita factũ est, vt cùm vndiq; morbus ille prouinciã vastaret, nullã tamen ex ijs qui erant ditionis eius corripuerit. Quamobrem valdè ille exhilaratus, decimã partem ex omnibus donauit Ecclesiæ S. Eligij. Fuit autem donũ illud amplissimum, ita vt centum homines & pecora plurima cesserint Ecclesiæ illi.

Mirabile est quod de oleo, ex sacris lipsanis S. VValpurgæ manare solito, memoriæ prodidit Philippus Episcopus Eystettensis in historiâ S. VValpurgæ. Notandũ, inquit, quòd etiam idem sacrum oleum tantæ munditiæ ac meracitatis existit, vt sine omni corruptione, & fœdâ maculationis fæculentiâ, per ducentos annos seruatum consimilis puritatis inueniatur cum illo quod hodierno die de stillicidio eiusdem sacræ emanationis scriptum est.

Compluti ego vidi lapidem, in quo securi cæsi fuerunt fortissimi pueri SS. Iustus & Pastor. oleo etiam manat.

Celebre erat quondam oleum S. Martini, de quo in S. Eugẽdi Abbatis Vitâ talis historia legitur: Vice quadã imminente vesperâ, omne illud monasteriũ, quia erat ex lignis, & non solùm contignatis indiscretisq; cellulis, verùm etiam pulchrè fuerat cœnaculis geminatum, ita subitò redactũ est in fauillam, vt manè non solùm nihil resideret ex ædificijs, verùm etiam celeritate arentis pabuli ignis ipse pænè totus redderetur extinctus. Cumque Fratres illi, prout quisque sarculum securimq; posuerat, ferrum reuerà, quod solum exuri nequiuerat, prunis euentilatis inquirerent, ecce Antidiolus sanctus Presbyter prospexit ampullam cum oleo B. Martini, quæ salutis gratiâ ad lectuli sui capitium dependebat, plenam, clausamque, vt fuerat, post vasta incendia, postq; cœnaculorum desuper ruentium ardentiumque ruinas ita integram ac stabilitam inter fumantes igniũ residere fauillas, vt tres quondam

dam pueros roscidis refrigerijs legimus in camino Persico claruisse. Quæ etiã ampulla cum oleo ipso ad virtutum testimonium vsque hodie in eodem Monasterio reseruatur. Vnde non ampliùs sub Eugendo sancto incendiali arbitror casui licuisse, quam, vt dixi, beatissimo quondã cessisse Martino, vel postmodum Condatescenses Monachos cum oleo virtuteque Martini reminiscimur euasisse.

CAPVT LXXXII.

De oleo Regum Angliæ.

Mira sunt quæ de vnguento, quo Reges Angliæ in suâ inauguratione inungi solent, scribit Thomas VValsinghamus in Henrico IV. Die trãslationis S. Eduardi Regis & Confessoris coronatus est Rex Henricus IV. apud VVestmonasterium per manus Domini Thomæ Archiepiscopi Cantuariẽsis, ipso videlicet die quo fuerat in exilium relegatus anno reuoluto; non sine diuino miraculo (vt putatur) & in auspiciũ vberioris gratiæ sibi futuræ (prout creditur) vnctus est illo cælesti vnguento, quod olim B. Maria mater Dei commisit B. Thomæ Martyri Archiepiscopo Cantuariensi, dum esset in exilio, conseruandũ, prædicens eidẽ, quòd Reges Anglorũ, qui vngerentur hoc vnguento, pugiles essent Ecclesiæ benigni. Hoc vnguentũ in aquilâ aureâ, & ampullâ lapideâ conseruatum, latuit per multa tempora, sed tãdem miraculosè manifestatum. Dum Dominus Henricus I. Dux Lãcastriæ bella gereret Regis sui in partibus transmarinis, ipsi nempe tradita fuit prædicta aquila per quemdã sanctum virum, qui illam inuenerat reuelatione diuinâ. Qui dedit eam nobilissimo Principi Eduardo (primogenito Eduardi Illustris Regis Angliæ) vt in eâ vnctione post mortem patris vngeretur in Regem. Qui posuit in turri Londoniarum vnguentum præfatum, recludens in cistâ multis firmatâ seris, latuitque ibi vel per obliuionem, vel per negligentiam, vsque ad tempus Richardi Regis, filij Principis memorati.

Anno Domini prædicto millesimo trecẽtesimo nonagesimo nono prædictus Rex Richardus curiosè perscrutatus res à progenitoribus sibi relictas, inopinatò reperit aquilam & ampullam, & scripturã siue prophetiam S. Thomæ Martyris cum eisdem: & cùm didicisset virtutem talem vnctionis, rogauit Dominum Thomã Cantuariensem Archipræsulem, vt eum denuò vngeret hoc vnguento. Qui hoc facere omnino recusauit, dicens sibi sufficere quòd semel per manus suas sacram suscepit in coronatione pristinâ vnctionem, quæ habere nõ debuit iterationem. Hanc aquilam cum ampullâ Rex Richardus portauit in Hiberniam profecturus, & denuò rediens in hanc terram, quam petenti Archiepiscopo apud Cestriã tradidit, dicens iam patenter clarescere, quòd non fuit voluntatis diuinæ vt vngeretur illo vnguento, sed alteri deberi tam nobile Sacramentum. Archiepiscopus verò reseruans tanta iocalia sub reuerendâ custodiâ, ea tenuit vsque ad tempus coronationis Regis moderni, qui primus Regum Anglię vnctus est tam pretioso liquore. Vngebantur porrò Regis manus, caput, pectus, scapulę, & ambæ compages brachiorum, additâ hac apprecatione: *Vnguntur manus, caput, pectus, scapulæ, & compages brachiorum de oleo sanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetæ, & sicut vnxit Samuel Dauidem in Regem, vt sis benedictus, & constitutus Rex in regno isto super populum istum, quem Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum & gubernandum.*

CAPVT LXXXIII.

De caudatis hominibus.

Scribit Ioannes Maior lib. 2. de Gestis Scotorum c. 9. Ad Rochestriã transiens Augustinus, in Angliam à S. Gregorio Magno missus, verbum Dei euangelizare cœpit: sed contra virum Dei pisciuni caudas vulgus irrisoriè proiecit; quare Numen supplex Augustinus implorat, quatenus illius loci paruuli caudati in peccati pœnam nascantur, & quatenus moniti addiscant non temnere Diuos. Et propterea, vt Anglorum Annales recitãt, paruuli caudati nascebantur. Ab influentiâ igitur cæli has caudas minimè habent. Nec in hac tempestate homines caudatos illic nasci arbitror, sed ad tempus, vt fidem Doctori gens incredula daret, hæc pœna inflicta est. Scotis & Gallis oppositum asserentibus haud assentior. In Hispaniâ quoque fertur aliam gentem huiusmodi fuisse.

IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV DE MIRIS ET MIRACVLOSIS NATVRIS IN EVROPA

LIBER SECVNDVS.



LIA nunc peruolabo regna, quocumque lubuerit spatiatus: scilicet hunc ordinem nostrorum miscellaneorum pollicitus, oscitanter ordinare. Palabor vbique; præcipuus tamen campus Hibernus erit, amplissimum admirationis atrium. Hîc duo præmonita sunto: non naturæ viribus veritatem harum historiarum æstimandam; alterum est, iniquam incredulitatis exceptionem esse, Non est, ergo non fuit. neque enim eadem seruat Deus lege mirabilia sua; tempora & circumstantias habent. Namque si ea quæ pura naturæ auctoritas sustentauit, sæpè languerunt; quid mirum si quæ aliena, nempe non naturali, opulentiâ constiterunt, tandem desiderentur. Sæpè peccata communem naturam præuerterunt, cur occasio nequibunt esse derogandis miraculis?

CAPVT PRIMVM.

De insulis admirandis.



IRVM est quod Gretserus noster ex Siluestro Giraldo exscripsit, duas insulas esse lacus in Momonio Boreali, quarum altera maior, altera minor. Maior, teste Giraldo, Ecclesiam habet antiquæ religionis, minor verò capellam, cui pauci cælibes, quos Cælicolas vel Colideos vocant, deuotè deseruiunt. In maiorem numquam femina vel feminei sexus aliquod animal intrare potuit, quin statim moreretur. Probatum est hoc multoties per canes & catos, aliaque sexus illius animalia quæ periculi causâ frequenter aduecta statim occubuerunt. Mirum de auibus terræ illius, quæ cùm masculæ fructibus insulæ passim insideant, alterius sexus illius auiculæ præteruolando, seu (mares) pares ibi relinquunt, & tamquam insitæ virtutis non ignaræ, insulam illam quasi pestem fugiunt. In minori verò insulâ nemo vmquam moritur, numquam mortuus fuit, vel morte naturali mori potest: vnde & Viuentium insula vocatur. Morbo tamen lethali grauissimè interdum vexantur, & vsque ad extremam exhalationem miserabiliter afficiuntur. Cumq; nihil amplius spei, nihil iam vitæ vitalis superesse præsentiunt, cumque inualescente valetudine tam finaliter afflicti fuerint, vt morte mori malint quàm vitam ducere mortis, in maiorem demũ insulam se nauiculâ deferri faciunt, qui statim vt terrã attingunt, spiritum reddunt. Hactenus ille: quod indignum fide plures putabunt; sed Auctores graues reperio idem comprobare, licet alij non experti iudicium contineant. id mihi indubitatum, naturæ auctoritatem hoc vltimum excedere. quare miraculo adscribi licet; vt sunt ijs partibus alia huiusmodi.

CAPVT II.

De insulâ Sanctâ.

EST quoque in Boreali Britanniæ parte, ait ibi cap.4. Giraldus, insula quædam, quæ & Sancta vocatur, vbi mulieres non pariunt, concipiunt tamen, & prægnantes

 effe-

effectæ vſque ad pariendi articulum naturaliter intumeſcunt: quo imminente ad alteram inſulam aduectæ, naturali libertati naturæ indulgent. Quæ ſi fortè detentæ fuerint (ſicut aliquoties probandi causâ compertum eſt) intolerabili ſtatim vexatione torquentur, & vſque ad ipſas ferè mortis anguſtias, donec emittantur, dolore premuntur.

CAPVT III.

De inſulâ Aren.

EST etiam inſula quædam in Occidentali Conactiæ ſolo poſita, ait Giraldus cap.6. cui nomen Aren, à S. Brendano, vt aiunt, conſecrata. In hac hominum corpora nec humantur, nec putreſcunt, ſed ſub dio poſita, & expoſita permanent incorrupta. Hîc homines auos, atauos & tritauos, longamque ſtirpis ſuæ retrò ſeriem mirando conſpiciunt & cognoſcunt. Eadem inſula nec profert nec patitur mures. Cùm per totam Hiberniam, ait Giraldus cap.6. copiosè nimis mures abundent, hæc tamen inſula mure caret. Mus enim nec naſcitur hîc, nec viuit inuectus; ſed ſi fortè allatus fuerit, ſtatim præpeti curſu in proximum mare ſe præcipitat, ſin autem impediatur, ſtatim emoritur.

CAPVT IV.

De gallis gallinaceis.

GAlli gallinacei, inquit Giraldus c.35. non hîc vt alibi tertiam & extremam noctis partem à duabus primis triplici interuallo vociferãdo diſtinguunt; parum enim ante diem hîc audiuntur, & quantum alibi à tertiâ, tantum hîc à primâ galli voce dies diſtare dignoſcitur. Nec arbitrandum tamen eſt, aliam hîc quàm alibi gallos habere naturam; haud aliter enim vociferantur huc aliunde aduecti: ſed ſicut breui contenta Britanniæ nocte eſt, ſic & Hibernia, & tantò breuiore, quantò Sol adiacet occaſui ſpatio propinquiore. Quantò igitur nox hîc contractior, tantò poſt galli cantum dies acceleratior. Vnde & ſemper æſtiuo tempore tamquam aurorâ ſurgente perclarâ dieſcat, ex Solis ſplendore parum ſub terrâ gyrantis, nocte totâ ſupra Horizontem polus albeſcit.

CAPVT V.

De lacu Lageniæ, & anatibus S. Colemanni.

IN lacu Lageniæ inueniuntur anates minores, quæ vulgari vocabulo cercellæ vocantur. Hæ à tempore Sancti tam mãſuetæ factæ ſunt, vt de manibus cibos ſumant, & vſque hodie hominum acceſſus non reformident. Sunt autem quaſi ſemper conuentum adimplentes circà tredecim numero. Quoties verò vel Eccleſiæ & Clero, vel ipſis auiculis iniuria fit fortè, vel aliqua moleſtia illata fuerit, ſtatim euolantes, in lacu quodam procul inde remoto ſe recipiunt, nec ad priorem locum redeunt, donec condigna ſatisfactio fuerit ſubſecuta. Interim verò dum abſentes fuerint, aquæ ſtagni illius, quæ limpidiſſimæ prius & claræ fuerant, fœtidæ fiunt & corruptæ, & nec ad hominem nec ad pecorum vſus accedunt. Accidit & miluum cum vnâ auicularum iſtarum, quam rapuerat, in arborem quamdam propinquam ſe recepiſſe, qui & multis intuentibus membris omnibus ſtatim irriguit, nec prædam ſub pedibus prædo reſpexit. Accidit etiam glaciali quodam in tempore vulpeculam auium iſtarum vnam rapuiſſe, quæ manè facto, in tugurio quodam lacui coniuncto, & S. Colemanni conuerſatione olim venerabili, intra fauces auiculâ vitalem ſpiritum præcludente, inuenta eſt ſuffocata. Relatus igitur ad lacum, auibus prorſus illæſis optimi patroni beneficio, prædâ indemni, mortis pœnas prædo perſoluit vterque.

CAPVT VI.

De Fernigenenſi terrâ.

EST quoque in Lageniâ prouinciâ quædam, quæ Fernigenan dicitur, quam à VVeſefordiâ ſolùm Slanenſis aqua diſterminat, vnde mures maiores, qui vulgariter rati vocantur, per imprecationem ſancti Iuſti Epiſcopi (cuius fortè libros corroſerant) prorſus ſunt expulſi, nec ibi poſteà naſci nec viuere poſſunt inuecti. Etiam Reliquiæ & puluis tumuli, quo ſepultus S. Vdalricus, glires fugant, imò & necant: quod num ex maledictione his animalibus inflictâ à S. Vdalrico acciderit, an Deus peculiari ratione S. Vdalrico hanc gratiã conceſſerit, dicere non habeo: vtrumque accidere potuit, & experientia in promptu eſt, cui cur reluctemur, cùm ipſe ſenſus nos conuincat? Bruſchius in Catalogo Monaſteriorum de

Vten-

Vtenburâ. Effecit idem Episcopus (S. Vdalricus) vt nulli magni mures sint in Cœnobio, imò vt & aliunde importati viuere non possint, sed illicò expirent ac intermoriantur. Quâ verò industriâ id factum, ignoratur. Eodem beneficio affecisse dicitur totum Episcopatum suum Augustanum.

CAPVT VII.

De lacubus miris.

MIscebo inter tot Hiberniæ miranda, quæ noster Molina prodidit in descriptione Gallæciæ. Lacum inquit in Hiberniâ esse, cuius limo aut sabulo si infixeris baculum ligneum, facessere in ferrum, quâtum arenæ conditus est, reliquam partem paulatim lapidescere. Alium narrat lacum, cuius aqua dulcis & amara quotidie fit, ita vt dimidium diei dulcescat, posteà acerbetur, vt pro veneno sit. Redeo iam ad Giraldi narrationes.

CAPVT VIII.

De cœmeterio Vltoniæ.

EST in Vltoniâ cœmeterium quoddam, locusque sacer, sanctorum virorum diutinâ frequentiâ consecratus. Femineus hîc sexus non admittitur. Huc sponsum sponsa non sequitur. Celebrato quoque locali diuortio, consortes orationum non effecti, in hac parte iam ad imparia iudicantur. Huc sine gallinâ gallus intrabit. Vbi & pastu quolibet intus inuento (mirabile visu) voce monitoriâ sociæ quoque suadet, nec persuadet.

CAPVT IX.

De salicibus pomiferis.

PVer quidam nobilis, quam S. Keivvinus alumnum habuerat, ægrotans, fortè poma desiderabat: cui Sancto compatiente, & orationem ad Dominum fundente, salix quædã non procul ab Ecclesiâ poma protulit, tam puero quàm alijs ægrotantibus salutifera, & vsque in hodiernum diem tam salix illa, quàm aliæ ex eâ circa cœmeterium transplantatæ more pomarij (salicis tamen aliàs per omnia tam folijs quã frondibus naturâ permanente) singulis annis poma producunt. Sunt autem hæc poma alba & oblonga, salubria magis quàm sapida; in magnâ reuerentiâ ab indigenis habita; quæ etiam ad remotas partes, contra varios morbos à multis deferuntur, & S. Keivvini poma dicuntur. De hoc Sancto Siluester Giraldus lib. 4. Topogr. Hiber. cap. 28. hæc habet: S. Keivvinus Quadragesimali quodam tempore hominum frequentiam ex consuetudine fugiens, solitudine quadam tugurio modico, quo à Sole tantùm & pluuiâ defenderetur, soli contemplationi vacãs, lectioni & orationi insistebat. Qui cùm manum more solito per fenestram ad cælum eleuaret, ei fortè merula insedit, & quasi nido fungens oua deposuit. Cui prædictus Sanctus tantâ mansuetudine & patientiâ compassus est, vt nec manum clauderet, nec retraheret, sed vsque ad plenam pullorum exclusionem eam infatiganter extenderet & aptaret. In huius autem signi perpetuam memoriam omnes imagines S. Keivvini per Hiberniam in manu extensâ merulam habet. Ab alijs dicitur hic sanctus Coenginus, de quo memorat Scriptor rerum ab ipso gestarum, qui in nostrâ Bibliothecâ Ingolstadiensi extat manuscriptus. Prædictus puer (sermo fuerat de filio cuiusdam Reguli ægrotante, quem in studio pietatis S. Coenginus informabat) cùm poma desideraret, S. Coenginus arborem salicis benedixit, quæ vsque in præsentem diem poma gignere solet. Hæc ille. Salicis huius per benedictionem pomiferæ mentio est in Vitâ S. Laurentij Episcopi Dublinẽsis. Cùm enim Auctor c. 16. descripsisset situm loci, in quem olim S. Coenginus secedere cõsueuerat, & ad quem subinde ipse etiã S. Laurentius se recipiebat, subiungit: Nec sine fontis dulcedine locus est, nam ex eadẽ rupe riuulus sonorus erũpit, apud quem riuulũ etiam salix mirifica reperitur, poma ferens vsque ad hiemale S. Martini festum crudissima, vt vix à quoquam tum possint degustari; appropinquante autem Natiuitate Dominicâ, celeriter maturescunt, solis infirmis pro medicinali remedio reseruanda.

CAPVT X.

De lapide vinifero.

CIrca partes Corcagiæ est insula quædam, Ecclesiam continens S. Michaëlis, antiquæ nimis & authenticæ religionis; vbi lapis quidam est extra ostium Ecclesiæ à dextris, ipsi ferè cohærens ostio, in cuius superioris partis concauitate quotidie manè per merita Sanctorum loci illius tantum vini reperitur, quantum ad Missarum solemnia iuxta numerum Sacerdotum, qui ibi eodem die celebraturi fuerint, conuenienter sufficere possit.

CAPVT XI.

De auibus Vltoniæ.

IN vlteriore Vltoniæ parte sunt montana quædam, in quibus grues, & grutæ, auesque variæ suo in tempore abunde nidificant, propter refugium & pacem non tantùm hominibus, verùm etiam pecoribus & auibus ab incolis ibidem exhibitam, ob reuerentiam scilicet S. Beani, cuius Ecclesia locum illustrat. Sanctus iste miro & inaudito more non tantùm aues, sed & auium suarum oua tuetur. Si enim, vt oua rapias, manum admoueas, videas protinus pullos marcidos & rubros, & tamquã eadem horâ iam exclusos: sin autem manum retrahas cum voluntate, videas iterùm, seu miraculosè, seu phantasticè, contra naturæ cursum pullos in oua vel conuersos vel reuersos. Accedunt duo, inspector simul & raptor; hic pullos, ille oua videbit.

CAPVT XII.

De asylo ferarum.

IN australi Momoniâ, inter collem Brendani & mare spatiosũ, quod Hispaniam interluit & Hiberniam, est locus quidam non modicus, vno ex latere fluuio piscoso, altero verò riuulo quodam inclusus, qui ob reuerentiam S. Brendani aliorumq; loci illius sanctorum, non tantùm hominibus & pecoribus, verùm etiam ipsis feris, tam aduenis quàm indigenis, refugium præstat inauditum. Vnde non tam cerui, quàm apri & lepores, aliæque feræ, cùm canes à vestigio sequentes nullatenus fugere posse se præsentiunt, à partibus procul inde remotis ad locum istum quantocyùs transferuntur. Qui vt riuulum pertransierunt, canibus ibidem cursum sistentibus, nec vlteriùs insequentibus, ab omni statim periculo tuti sunt. Mira Dei virtus, quòd Sanctorum meritis nec natura vorax, nec venator instigans, & præda præcurrens, prædones impios & pertinaces promptam transferunt ad rapinam. In duobus istis refugijs ex longo pacis vsu, quasi domesticæ, hominum frequentiam aues & feræ non refugiunt.

CAPVT XIII.

De fluuio pisculentissimo.

IDem Giraldus inquit: Ex altero loci prędicti latere illabitur piscosissimus, & pręcipuè salmonibus ad miraculum vsque fecundissimus. Hospitalitatis namque gratiâ, quam sancti ibidem viri pro viribus, imò longè supra vires in peregrinos aduenas infatiganter exercere solebant, ad charitatis explendæ tam sufficientiã quàm exuperantiam, piscium indulta est copia tanta. Et ne auaritiæ stimulis (vt assolet) ad emolumentum mercimoniale cupidos mortalium animos ipsa prouocaret abundantia, ad mannæ modum remedium diuinitus est indultum, vt numquam vltra primam capturæ noctem pisces vtiliter reseruentur: quãtumlibet enim sale conditi, putredini tamen semper obnoxij, insipidi manent & insulsi, nec arte quantalibet in crastinum reseruati vel ad vsum prouenient, vel ad esum.

CAPVT XIV.

De pascuis Brigidæ.

CAmpestria pulcherrima *Brigidæ pascua* vocantur, in quæ nullus aratrum ausus est mittere, de quibus pro miraculo ducitur, quòd licet prouinciæ totius animalia solotenus vesperi herbam corroserint, manè facto, non minùs herbositas apparebit; tamquam de pascuis illis dictum fuerit:

Ex quantum longis carpunt armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponit.

CAPVT XV.

De molendino S. Lucherini.

APud Ossyoriã est molendinum S. Lutherini siue Lucherini Abbatis, quod diebus Dominicis nihil, de furto verò vel rapinâ numquam molit.

CAPVT XVI.

De molendino S. Phechini.

LAudatus iam Giraldus c. 52. ait: In Mediâ apud Fouenam est molendinum, quod S. Phechinus in latere cuiusdam saxi miraculosè nimis manibus suis exsculpsit. Hoc, sicut & Ecclesiam Sancti istius mulieres non intrãt; nec in minori reuerentiâ molendinum istud ab indigenis, quàm vna Ecclesiarum Sancti eiusdem haberi solet. Contigit autem, Hugone de Lacy exercitum per locum illum ducente, sagittariũ quemdam mulierculam, violenter attractam, in ipso molendino libidinosè violasse, qui repętinâ vltione igne infernali in mẽbro percussus, vsque in ipsum corpus statim exarsit, & nocte eadem expirauit. Item, exercitu ibidem pernoctante, annonam, quam ab Ecclesijs & mo-

molendino passim rapuerant, Hugo de Lacy totam restitui fecit, præter pauculam auenæ particulam de molendino surreptam quam coram dextrarijs suis duo milites occultè reliquerant, quorum vnus in insaniam versus, eadem nocte in stabulo confracto cerebro interijt; alter verò manè (milite, qui insidebat ei, alios, qui annonâ reddiderant, super fictâ religione irridente) subitâ & improuisâ morte iuxta latus Hugonis de Lacy, vidente & admirante maiori exercitus parte, obiter occubuit.

CAPVT XVII.

De campanis & baculis Sanctorum.

HOc etiam non prætereundum, quòd campanas baiulas, baculosq; Sanctorum in superiore parte recuruos, auro & argento vel ære contectos, in magnâ reuerentiâ tam Hiberniæ & Scotiæ, quâ & VValliæ populus & Clerus habere solent, ita vt sacramenta super hæc longè magis quàm super Euangelia, & præstare vereantur, & peierare. Ex vi enim quadam occultâ, & ijs quasi diuinitus insitâ, nec non & vindictâ (cuius præcipuè Sancti illi appetibiles esse videntur) plerumque puniuntur contemptores, & grauiter animaduertitur in transgressores. Hæc Giraldus cap. 35.

CAPVT XVIII.

De baculo Iesu.

INter vniuersos Hiberniæ baculos, ligneæque naturæ Sanctorũ Reliquias, virtuosus ille & famosus, quem *baculum Iesu* vocant, non immeritò primus & præcipuus esse videtur, per quem vulgari opinione sanctus Patritius venenosos ab insulâ vermes eiecit: huius siquidem tam incertus est ortus, quàm certissima virtus. Nostris autem temporibus, & nostrorum operâ, nobilis thesaurus ab Armachiâ Dubliniam est translatus.

CAPVT XIX.

De campanâ fugitiuâ.

ESt in Lageniâ, in terrâ scilicet Mactalevvi, campana quædam, quæ nisi à Custode suo exorcismo quodam, ad hoc composito, singulis noctibus adiuretur, & vinculo quolibet vel fragili ligetur, manè in Mediâ apud Chenarech, in Ecclesiâ S. Finnani, vnde venerat, reperitur, quod & aliquoties certum est contigisse.

CAPVT XX.

De cornu S. Patritij.

VIdimus, inquit Giraldus c. 34. in VValliâ (vnde & vehementiùs admiramur) Hibernensem (al. pauperē & mendicum) baiulum quemdā cornu quoddam æneum, quod S. Patritij fuisse dicebat, pro Reliquijs in collo gestantem. Dicebat autem, ob reuerentiā Sancti illius, neminem ausum hoc sonare. Cùm igitur (Hibernico more) circumstāti populo cornu porrigeret osculandum, Sacerdos quidam, Bernardus nomine, de manibus illud eripuit, & oris apponens angulo, aëremque impellens sonare cœpit, qui & eadem horâ, multis adstantibus, ore quidem aure tenus paralyticè retorto, duplici passione percussus est. Cùm enim torrentis eloquij priùs extitisset, & delatoris linguam detractor habuisset, sermonis cuiuslibet statim amisit vsum. Vnde & in hac parte sic læsus est, vt semper hactenus linguæ fuerit impeditæ. Prætereà lethargum patiens, hic statim obliuioni cuncta tradiderat, vt vix etiam se nomen habuisse meminisset. Enimuerò tam enormiter in memoriâ læsus fuerat, vt Psalmos, quos anteà corde tenus optimè nouerat, multis abinde diebus quasi de nouo recordantem videremus, & litteras etiam, quarum notitiam copiosè satis habuerat, denuò mendicantem, tamquam elementarium, senem miraremur. Cui tandem in Hiberniam ad S. Patritium excessus huius causâ peregrè profecto plenior valetudo redijt, sed non plena.

CAPVT XXI.

De baculo S. Cyrici.

IN Prouinciâ de VVarthrenion, inquit Giraldus lib. 5. Itinerarij cap. 1. in Ecclesiâ videlicet S. Germani, baculus, qui S. Cyrici dicitur, inuenitur, superiùs in Crucis modum paulisper vtrimque protēsus, auro & argento vndique contectus. Qui quamquam virtuosissimus in omni negotio comprobetur, longè plus tamen ad glandiculas gibbosas & strumas, quæ in humanis corporibus excrescere solent, euacuandas penitus & delendas, speciali quadā virtute præpollet, adeò quidem, vt omnes passim qui huiusmodi vexantur incommodis, si baculum deuotè cum vnius denarij oblatione petierint, optatam recipiāt sanitatem. Contigit autem his nostris diebus strumosum quemdam solùm obulum baculo præsentasse, cui per medium illicò residēs strumosus

ſus ille tumor euanuit. & poſt puſillum, poſtquam alterius oboli relatione debita eſt oblatio redintegrata, & integra quaſi ſtatim curatio eſt ſubſecuta. Item alius ad baculum accedens, cum certâ denarij promiſſione curatus eſt, qui tamen die ſtatutâ promiſſa non complens, priſtinum ſtatim incommodum cum confuſione recepit: ſed vt delicti veniâ faciliùs impetraret, cùm trium denariorum oblatione, non abſque timore magno & deuotione beneficium triplicaſſet, continuò ſtabilis curationis gaudia recuperauit.

CAPVT XXII.

De campanâ baiulâ.

IDem Giraldus in Itinerario Cambriæ lib. 1. cap. 1. ſic prodit: Apud Eleuein in Eccleſiâ de Glaſcum, eſt campana baiula virtuoſiſſima, quâ proprio vocabulo *Bangu* vocant, quæ & ſancti Dauid fuiſſe perhibetur. Hanc mulier quædam viro ſuo, qui in caſtello de Raiderguuy iuxta VVarthrenion (quod Reſus filius Gruffini noſtris diebus conſtruxerat) in vinculis tenebatur, vt eum vel ſic liberaret, clàm allatâ ſuppoſuit. Sed quoniam caſtellani non ſolùm ob hoc virum non liberarunt, verùm & campanam ipſam violenter captiuam quoque tenuerunt, nocte eadem vltione diuinâ totum oppidum, præter parietem vnum vbi campana pendebat, igne proprio conſumptũ eſt.

CAPVT XXIII.

De lapide in inſulâ Monâ.

EST hic lapis humano femori ferè conformis, cui inſita virtus hoc habet, vt ſpatio quantolibet aſportatus, proximâ per ſe nocte reuertatur, ſicut ab accolis pluries eſt compertum. Vnde & Vgo Comes Caſtrenſis, qui tempore Regis Henrici I. tam inſulam iſtam, quàm terras adiacentes viriliter occupauerat, auditâ huius lapidis virtute, ipſum alij lapidi longè maiori ferreis catenis fortiter ligatũ, probandi causâ procul in mari proijci fecit, qui tamen ſummo diluculo, cum multorum admiratione, priſtino more, ſuo in loco repertus eſt. Cuius rei occaſione publico Comitis edicto prohibitum eſt, ne quis de cetero lapidem à loco mouere præſumat. Contigit aliquando ruſticum quemdam experiendi gratiâ ad femur ſuum lapidem ligaſſe, ſed putrefacto ſtatim femore, ad locum priſtinum lapis euaſit.

CAPVT XXIV.

De collibus admirandis.

SVbiungere iuuat, quod Giraldus idem lib. 2. Itinerarij Cambriæ cap. 7. ſcribit. Eſt in inſulâ Monæ collis ſaxoſus, non magnus, & parùm altus, cuius ex vnâ parte ſi clamaueris, ex alterâ nequaquam audieris, & vocatur ab incolis per antiphraſin *rupis audientium*. In Boreali quoque maioris Britanniæ latere, quod ab Humbro flumine quaſi Trans-Humbrum ab Anglis nomen accepit, eſt collis haud diſſimilis, cuius ex vno latere ſi cornu altiſonum vel tubæ clangor experitur, oppoſito in latere non auditur.

CAPVT XXV.

De Eccleſiâ S. Tefredauci.

EX eodem Giraldo Gretſerus ſcribit? Eſt in Monâ inſulâ Eccleſia ſancti Tefredauci Confeſſoris, in quâ Hugo Comes Sloſburienſis, cùm ſemel vnâ cum Comite Ceſtrenſi hanc inſulam vi ingrederetur, canes nocte quadam poſuiſſet, inſanos omnes manè recepit, & ipſemet infra menſem mirabiliter extinctus occubuit.

CAPVT XXVI.

De fontibus admirandis.

CVr fontes prætereundi ſunt? Eſt fons in Momoniâ, inquit Silueſter Giraldus Cambrenſis lib. 2. de Topographiâ Hiberniæ c. 7. cuius aquis ſi quis abluitur, ſtatim canus efficitur. Vidi hominem, cuius pars barbæ lymphis iſtis lota canis incanduerat, alterâ parte totâ in ſuâ naturâ fuſcâ manente.

Eſt econtrà fons in Vltoniâ, quo ſiquis abluitur, nõ caneſcet ampliùs. Hunc autem fontem feminæ frequentant, & viri canitiem vitare volentes.

Eſt & in Conactiâ fons dulcis aquæ in vertice montis excelſi, & procul à mari: qui die naturali bis vndis deficiens, & toties exuberans, marinas imitatur inſtabilitates.

Eſt etiam in VVailiâ non procul à caſtello Dineucer, in prouinciâ tamen de Canterbochan, fons, qui ſimilis inconſtantiæ lymphas habere ſolet. Vide ipſum Girald. lib. 2. Itiner. Cambriæ cap. 10.

Eſt fons in vlteriore Boreali Vltoniæ parte, qui ob nimiam ſui frigiditatem ligna impoſita

posita per septennij spatium in lapides obdurat.

Est in Norvvegiâ fons similis naturæ, quantò ad frigidam Zonâ magis accedit:in hoc enim non tãtùm ligna,sed & lina,lineęque laneæq; telæ per annũ imposita,durissimum in lapidem congelãtur. Vnde & Gucialdemaro Danorum Regi nostris diebus regnanti quidam Episcopus Norvvegiæ Oxippale,quod anno præterito probandi causâ ab eodem susceperat, naturæ iam retulit bipartitæ. Parte enim mediâ fonti imposita lapis erat,alterâ parte,quæ extrà iacuerat,in suâ permanente naturâ. Simile quid accidit in lacu quodam Cappadociæ.

Est in Cappadociâ,itinere quod est inter Mazaca & Iuana, lacus amplus, in quem lacum pars siue arundinis, siue alius generis, si dimissa fuerit,& postero die exempta, inuenitur lapidea; quæ autem pars extra aquam manserit, permanet in suâ proprietate.Ecce quantę efficaciæ est lacus iste,quia quod alibi per annum vel etiam septennale spatium cõpletur, aquæ istius natura vnius diei naturalis spatio complet.

Sunt & certa quædã ligna, quæ aqua non tolerat. Est in Cornubiâ silua quædam,cuius ligna, quantumlibet modica, in aquam missa,aqua nõ sustinet,inquit Gyrald.ibid. Rursus sunt ligna, quæ aquis iniecta lapidum instar submerguntur.

Est in Galliâ silua quædam, Parisiensi ab vrbe parum distans,Sequanæ fluuio lateraliter coniuncta, quam publica quædã strata distermina, cuius vnâ ex parte si ligna in aquam proieceris, occultâ quadam,innatâ tamen grauitate, ligneæque naturæ nimis aliena ad fundum fluminis lapideo statim tam more quàm mole descendunt.Est igitur hæc silua duplici prodigio monstrosa. Admiranda est enim in ipsâ tam innaturalis leuium grauitas, admiranda quoque est sub modico soli discrimine tam magna diuersitas.

Aiunt lignum cuiusdam ficus Ægyptiæ, dicit S.Augustinus lib.21.Ciuit.nõ vt ligna cetera in aquis natare,sed mergi,&,quod est mirabilius, cùm in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere prægrauari. De eadem Solinus cap.45. Materia ficus Ægyptię in aquam missa subsidit. Deinde cùm diu sederit in liquore, leuior facta sustollitur, & versâ vice, quod natura in alio ligni genere non recipit, fit humore sicca.

Est in Conactiâ fons quidam, aquas habens solis hominibus acceptabiles,iumentis verò & pecoribus alijsq; animalibus quibuscumque,si gustatæ fuerint,pestilentes.

Est & in Francorum Regno,non procul à Castro Pascensi, fons quidã, aquas habens masculorum vsui competentes, mulieribus verò nec ad interiorem nec ad exteriorem vsum vtiliter accedentes.

Adde huc duos Siciliæ fontes, non procul à Gelonio stagno. Ibi & fontes duo, inquit Solinus cap.11. alterum si sterilis sumpserit, fecunda fiet;alterum si fecunda hauserit, vertitur in sterilitatem.

In Britanniæ Chiltrensi territorio sunt fontes multi, quibus in generali frugũ fertilitate penitus desiccatis, aquarum inopiâ tellus arescit. Contra defectum verò famemque ruptis aquarum venis, & reseratis fontium claustris, malorum prænuntia vndique videas exuberare fluenta.

In Francorum Regno Vicomensi territorio,& Nichatensi vico, est fons quidam eiusdem prognostici prodigio pollens.

In Normanniæ verò partibus quibusdam secùs contigit. Abundant enim in abundantiâ, in defectu quoque frugum aquæ deficiunt.

Est fons in Sueuiâ prouinciâ, (quæ Suitis dicitur) in vertice montis excelsi, qui non nisi Sole super Horizontem elucente,scaturigines emittit: statim enim ac Sol sub Horizontem descendit,& donec iterùm per reuolutionem se nobis manè præsentauerit, scaturire desistit. Manè verò non tamen statim vt diescit, sed Sole recens orto, & super Horizontem emerso,in magnâ quatitate aquas emittit; nocte totâ, quamquam tamen noctis naturæ,quæ humida est & frigida, magis aquæ proprietas conuenire soleat, nec stillam præbens.

Est fons in Pictauiâ apud S. Ioannem d'Angely, qui in hieme nullis, in æstate verò contra communem fontium naturam vberrimis solet manare fluentis. Adde fontem, de quo Plinius Iunior lib. 4.Epist.vlt. Attuli tibi ex patriâ meâ pro munusculo quæstionem altissimâ istâ eruditione dignissimam. Fons oritur in monte,per saxa decurrit, excipitur cœnatiunculâ manufactâ. Ibi paululùm retentus,in Lariũ lacum decidit. Huius mira natura ter in die statis auctibus ac diminutionibus crescit decrescitque. Cernitur id palàm,& cum summâ voluptate deprehenditur. Iuxtà recumbis, & vesceris,atque etiam ex ipso fonte (nam est frigidissimus) potas. Interim ille certis dimensisque momentis,vel subtrahitur vel assurgit. Annulum seu quid aliud ponis in sicco,alluitur sensim,ac nouissimè operitur: detegitur rursus, paulatimque deseritur. Si diutiùs obserues,vtrumque iterùm ac tertiò videas. Spiritúsne aliquis occultior os fontis & fauces modò laxat, modò includit,

prout

prout in latus incurrit aut decessit expulsus? quod in ampullis certisque generis eiusdem videmus accidere, quibus non hians, nec statim patēs exitus. nam illa quoque, quamquam prona & vergentia, per quasdā obluctantis animæ moras crebris quasi singultibus sistunt quod effundunt. An quæ Oceano naturæ, fonti quoque; quaque ille ratione aut impellitur aut resorbetur, hac modicus hic humor vicibus alternis supprimitur vel egeritur? An vt flumina quæ in mare deferuntur, aduersantibus ventis, obuioque æstu retorquentur, ita est aliquid, quod huius fontis excursum per momenta repercutiat? An latentibus venis certa mensura est, & pigrior cùm collegit quod exhauserat? Minor riuus est & pigrior cùm collegit; agilior, maiorque profertur? Anne quod libramentum est abditum & cæcum, quod, cùm exinanitum est, suscitat, & elicit fontem, cùm repletur, moratur & strangulat? Scrutare tu causas (potes enim) quæ tantum miraculum efficiunt. Mihi abundè est, si satis expressi quod efficitur. Hactenus ille.

Est fons in Hungariâ tantò malitiæ maioris, quantò generaliùs ipsa se malitia infundit. Huius enim fluenta non minùs hominibus quàm alijs quibuslibet animantibus libamina propinant venenosa.

Est fons in Armoricâ Britanniâ, cuius ex aquis in cornu bubali haustis, si petram ei proximam fortè perfuderis, tempore quantumlibet sereno & à pluuijs alieno, pluuias in continenti non euades.

Erat & in Siciliâ fons miræ naturæ, ad quem rubro indutus vestimento si quis accesserit, statim ad eiusdem staturæ modum in altum prosiliens fontis ebullit scaturigo, quæ ad alios prorsus immota colores, ad cuius etiā abscessum solitę mensuræ se conformans, pristinos iterùm redit in canales.

CAPVT XXVII.

De fonte Momoniæ.

EST fons in Momoniâ, inquit Giraldus lib. 2. Topograph. Hiberniæ c. 7. qui si tactus ab homine, vel etiam visus fuerit, statim tota Prouincia pluuijs inundabit: quæ non cessabunt, donec Sacerdos ad hoc deputatus, qui & virgo fuerit à natiuitate, Missæ celebratione in Cappellâ (quæ non procul à fonte ad hoc dignoscitur esse fundata) & aquæ benedictæ, lactisque vaccæ vnius coloris aspersione (barbaro satis ritu & ratione carente) fontem reconciliauerit. Nec iniuriâ Giraldus barbarum satis & ratione carentem ritum nominat. Meritò appellasset planè superstitiosū. Ad quid enim Sacerdos à primo ortu virgo, & lac, & vnius coloris vaccæ? Extant & alibi, quæ vel tacta vel mota tempestates vel excitant, vel vulgò creduntur excitare.

In Cyrenaicâ prouinciâ fons, quem Solis appellant, & rupes quædam visitur Austro sacra. Hæc cùm manibus humanis attingitur, ille immodicus assurgit, arenasque quasi maria agens, sic sæuit, vt æquor fluctibus, inquit Mela lib. 1. Vadianus Melæ commentator non vult hæc inter fabulosa numerari, cùm Plinius paria memoret, veluti cap. 47. lib. 2. de Dalmatiæ specu, in quem deiecto leui pondere, quāuis tranquillo die, turbini similis emicet procella. Quod & in proximis alpibus Abbatis cellæ (ita pagus Heluetiorum vocatur) ingenti & altissimè demisso specu fieri obseruauimus. Hæc Vadianus.

CAPVT XXVIII.

De lacu & monte Pilati.

IDem Vadianus lacum seu stagnum in Pilati monte iuxta Lucernam Heluetiorum nobilem vrbem, eiusque admiranda, seu vera, seu ex solâ persuasione vulgi nata describens, ita infit: In Heluetiâ prope Lucernam, veterem & percelebrem vrbem, mons est præaltus, quem ob fragosam asperitatem, & præcipitem altitudinem, etiamnum vernaculâ linguâ fractum cognominant, alienæ linguæ durante vestigio Fracmont; infra cuius editissimum verticem lacus est, Pilati cognomento, angustus admodum, & palus veriùs quàm lacus, in quem de industriâ iniecta maximas tempestates ciere, & omnia vndis opplere aiunt, quæ verò casu incidāt, nihil irritare eum tamquam planè humano sensu culpâ carere, quod casu fit, intelligat. Capit res fidem, quòd pacatū irritare ausos mox fuisse capite plexos, ob illatam accolis calamitatem, oppidani referant. Ego anno superiore, cùm mense Augusto Lucernam venissem, lacus visendi gratiâ in ipsum postridie montem à varijs comitibus eductus sum, ac primâ quidem luce oppidum egressi, in mediam ferè montis altitudinē equis, difficili sanè, nec admodum tritâ viâ, vehebamur. Mox equitandi ampliùs cùm copia non esset, iumentis in proxima pascua dimissis, & conducto qui nos anteiret pastore, baculis nixi reliquum altitudinis pedites, arctissimâ semitâ, quaq; non cuiuis iter fuerit, per ingentes hinc & inde rupium anfractus scandendo exuperauimus; demumque non sine sudore ad paludis marginem peruentum est. Mons ipse cetera

tera ferè præceps, eo in loco pascuus est, & ingenti sese ambitu in speciem orbis inclinans, valle profundâ residet, ipso in meditullio lacum sustinet tenui tantùm iunco vestitum, & horridâ iuxtà clausum siluâ, quodque solum adeunti religionem incutiat, alto vndique silentio septum. Nullus in eum riuus influit, nullus exit: aqua nigricãs, phlegethontea, & plusquam palustris immota iacet, nec venti facilè torpẽtem excieant. Austro enim & Zephyro reliqua montis pars altissimè assurgens latè obducitur ab Euro & Aquilone loci profunditas, &, quam dixi, densa silua tuetur. Mirum autem, hibernis eum niuibus nõ crescere, nec rursum æstiuis contrahi caloribus, deside aquâ perpetuo, vt ferunt, tenore suos sese intra limites continente. Illud retulerim, nos in ascensu à pastore illo, qui ducebat, tantùm non iurisiurandi sacramento adactos fuisse, ne quid importunius tentaremus viso lacu, aut ne quid inijceremus, capitis ille sui aleam ludi aiebat: iterùm iterumque modestiam, atque etiam silentium, tamquã ad sacra perduceret, expostulans. Quâ re vt veteri loci famæ quidquam tribuerem, non parum, fateor, commotus fui: quamquam fabulosum esse constet, quod de Pilato quidam somniarunt, cerni eum quotannis in lacu videlicet Iudicis habitu, nec annum superuiuere posse qui viderint, magnâ vanitate. Hæc enim mortalium leuitas est, vt locis naturæ Numine aliquo insignibus fabularũ præstigias adnectant, & interim naturâ nescio quomodo comparatũ, vt non difficilè credant qui audiunt, religionis vi quadam ad hoc ipsum nos alliciente, & in hanc etiam credulitatem rerum nouarum ducente cupiditate. Porrò, verum sit nec ne, quod de memorato lacus ingenio constans accolarum fama circumfert, ne nunc quidem dixerim, cùm experiri mihi nõ licuerit, ac ne, si licuerit quidem, id facere sine magno discrimine potuissem. Sed pleraq; tamen omnia, vt recipiam multorum experientiâ & auctoritate deprehensa confirmataque naturæ miracula, omnibus propè in partibus eius insignia monent: vt interim non referam, eum mihi loci genium visum esse, qui in hoc præsertim tam edito haud difficilè natæ de se famæ respondere possit: adeò enim excelsus mons est, vt à primâ luce ad lacum videndum, mox ad summum montis verticem egressi, & citra moram longo descensu ad equos reuersi, occaso iam Sole cum noctis principio vrbem ingressi fuerimus, duabus plurimum horis ad cibum medio in monte capiendum insumptis.

Hæc Vadianus scribit, qui præter solitum hoc loco religiosus apparuit, nec lapillum quidem in lacum illum inijcere ausus, ne Lucernæ & finitimis oppidis exitium crearet. Adiicio quæ Gretserus testatur: Ego, inquit, quemdã noui (& quî non nossem, mihi, cùm viueret, familiarissimum, P. Ferdinandum Crendelium, studiorum meorum adiutorem strenuissimũ, & prorsus indefessum) qui cùm Lucernæ degeret, cupiditate lacus huius videndi ductus, cùm ante aliquot annos, eo asperrimo & difficillimo itinere euasisset, non modò vnum alterúmve lapillum, sed plures etiam grandiores lapides immisit, nullo prorsus vllius concitatæ tempestatis indicio, sed cælo, vt anteà, sereno vultu allucente, ita vt vulgaris illa opinio non tam veritate, quàm traditione imperitæ multitudinis niti videatur.

CAPVT XXIX.

De alijs fontibus prodigiosis.

ADijciam alia mirabilia cum Gretseri nostri censurâ. In Halesinâ regione, inquit Solinus c. 11. fons aliàs quietus & tranquillus, cùm siletur; si insonent tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur, & quasi miretur dulcedinem vocis, vltra margines intumescit. Apud Garamantas perhibent, inquit S. Augustinus lib. 21. de Ciu. c. 5. fontem esse quemdam tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam feruidum noctibus, vt non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces, vt in ceteris, extinguuntur accensæ, sed, non vt in ceteris, accenduntur extinctæ. Prioris fontis meminit Plinius lib. 5. c. 5. & Solinus c. 32. posterioris idem Plinius lib. 2. c. 103. Solinus c. 13. Isidorus lib. 13. Origin. c. 13. Priori est similis fons Ammonis, de quo Plinius l. 2. c. 103. Iouis Ammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet. Nec plures fontes accumulo; prędictos scriptores adeat, quem plures mirificos fontes cognoscendi desiderium tenet. Quamquam nonnulli non tantùm à Poëtis, sed & ab Historicis & Philosophis proditi, ad fabulas potiùs quàm ad rerum naturam, vel potiùs ad superstitiones malorumque geniorum præstigias spectare videantur, vt sunt illi de quibus Solinus cap. 10. *Fontes sanè calidi & salubres aliquot locis efferuescunt, qui medelas adferunt, aut solidant ossa fracta, aut abolent à solifugis incertum venenum, aut etiam ocularias dissipant ægritudines.* Hactenus rectè. his enim & similibus medendi facultatibus non paucos fontes in-

 structos

structos præditosque inuenire licet. *Sed qui oculis medentur*, subdit Solinus, *& coarguendis valent furibus. Nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat, vbi periurium non est, cernit clariùs; si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admissum tenebris fatetur.* Hæc Solinus, quæ aut facta sunt vi naturali aquæ, aut diuinâ virtute, aut operatione dæmonis. Non primum: nam nulli aquæ ea vis naturaliter insita est, vt occulta patefaciat, fontemq; tactu puniat, & insontem illæsum abire permittat. Non secundū: vbi enim Deus ad hęc per horum fontium aquas patranda sese obligauit? Vbi hoc scriptura vel traditio testatū fecit? Restat ergo tertium, vt scilicet, quidquid hîc fit, id ope dæmonis fiat, cuius vires nequaquam transscendit, vt quem tactu illa aqua vel acutiore videndi acie donet, vel lumine penitus priuet, ita vt aquam illam non pro instrumento, sed pro signo producendi effectus adhibeat; quo offuciarum genere crebrò olim dæmon Ethnicis nondum Christiana fide illustratis illudere consueuerat.

Eiusdem classis fons est, de quo Philostratus lib. 1. de Vitâ Apollonij Thyanæi c. 4. Est autem iuxta Thyana (Apollonij patriam) ciuitatē Cappadocię aqua Ioui (vt perhibent) sacrata, quam indigenæ inextinguibilem vocant. Fons eius frigidus sanè scaturit, ebullit autem non secùs atque igne calefactus lebes. Hanc puris, & iuramenti fidem seruantibus viris aspectu placidā, & gustu dulcem esse perhibent; periuris verò & infidis palàm aduersatur. epota namque oculos pedesque ac manus peierantis inuadit, pustulis ac vomicis totum corpus inquinans; neque illinc discedendi facultas datur, sed ibidem permanentes, coram aquâ ipsâ suam deplorant calamitatem, palàm quod peierarunt profitentes.

Quamquā hæc, & si quæ huiusmodi alia etiam Dei voluntate, non Angelorum bonorum vel malorum ministerio, in detestationem perfidiæ & periurij contingere possunt. Scribit Stephanus esse fontem in Siciliâ Palicenum vocatum, quòd iuxta Palicos Fratres sit. In eum, inquit, tabella mittitur à iuratis, quæ, si verum dixere, fluitat; si falsum, mergitur, ipsique continuò flammantur. Fontem ipsum decem fistulis aquam reijcere in altitudinem cubitorum senum, putes inundatum iri loca circum omnia, & protinus coire denuò in se ipsam. Gurgitē amnis Olachæ in Bithyniâ periuri velut flammam vrentem pati videntur, vt scribit Plinius lib. 31. cap. 2. Inter insulas Fortunatas vna singulari duorum fontium, inquit Mela, ingenio maximè est insignis, alterum qui gustauere, risu soluuntur in mortem; ita affectis remedium est, ex altero bibere. Hæc de miris fontium.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Et fontem lustrare boni. ——

Sed quoniam humanis ingenijs modus est positus, & longè citra perfectum omne est, omne quod humanum est, rerum huiusmodi causas vos

Dicite Pierides, non omnia possumus omnes.

Istorum enimuerò & similium causas inter arcana sui miracula, sibique soli reserata, inuida natura reseruauit. Ex quibus rectè concludit S. Augustinus lib. 21. Ciuit. cap. 5. non omnium quæ fides tradit rationem exposcendam esse, cùm ne eorum quidem omnium, quę in sensus incurrunt, rationem reddere queamus. *Homines infideles*, inquit, *quibus cùm diuina vel præterita vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus ostendere, rationem à nobis earum flagitant rerum: quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis humanæ) existimant falsa esse quæ dicimus: ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus, vel videmus, deberent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse viderint, fatendum est eis, non ideò aliquid non fuisse, vel futurum non esse, quia ratio inde non potest reddi, quandoquidem sunt ista, de quibus similiter non potest* Hæc Augustinus. Et cùm multa naturæ admiranda tum circa alia, tum circa fontes enumerasset, subiungit: *Reddant ergo rationem de his quæ pauca posuimus, quæ proculdubiò si esse nescirent, & futura esse diceremus, multò minus crederent, quàm quòd nunc dicentibus nobis nolunt credere aliquando esse venturum. Quis enim eorum nobis crederet, si quemadmodum dicimus futura hominum viua corpora, quæ semper arsura atque dolitura, nec tamen aliquando moritura sint, ita diceremus in futuro sæculo futurum salem quem faceret ignis velut in aquâ fluescere, eumdémque faceret aqua velut in igne crepitare: aut futurum fontem, cuius aqua in refrigerio noctis sic ardeat, vt non possit tangi; in æstibus verò diei sic algeat, vt bibi non possit; aut futurum lapidem, vel eum qui suo calore manum constringentis adureret, vel eum qui vndecumque accensus extingui omnino non posset, & cetera quæ, prætermissis alijs innumeris, commemoranda interim duxi. Hæc ergo in illo sæculo, quod futurum est, si diceremus futura, nobisq; increduli responderent, si vultis vt ea credamus, de singulis reddite rationem; nos non posse confiteremur, eò quòd istis & similibus Dei miris operibus infirma mortalium ratiocinatio vinceretur: fixam tamen apud nos esse rationem,* non

non sine ratione Omnipotentem facere, vnde animus humanus infirmus rationem non potest reddere: & in multis quidem rebus incertum nobis esse quid velit; illud tamen esse certissimum, nihil eorum illi esse impossibile, quæcumque voluerit: eique nos credere prædicenti, quem neque impotentem neque mentientem possumus credere. Ex vulgi rumore, vel potius superstitione est illud Vadiani in l. 3. Melæ. *Audio, inquit, vulgò credi, in Badensibus thermis, quæ ad Rhenum sunt, fonticulum esse feruentis aquæ, in quem si quis pullum gallinámve, aut aliud huiusce generis merserit, facilè deplumari volucrem: si furto subtraxerit, nihil efficere calorem, nec plumas solui, aperto furti indicio.*

CAPVT XXX.

De fontibus alijs superstitiosis.

HAbuerunt etiam ethnici alios fontes insolitis effectibus admodum mirandos. Nam Eustathius lib. 2. n. 11. de Amoribus Ismenij testatur, Actecomij & Daphnopoli fontem fuisse, in quem si virgo intraret, aqua pellucida maneret, si verò quæ virum passa esset, turbida continuò redderetur. Similis fons prope Ephesum memoratur Stygis nomine vocatus, de quo mira Achilles Statius lib. 8. de Amoribus Clitophontis: cùm aliqua violatæ pudicitiæ arguitur, eum in fontem descendere compellitur, cuius vnda vix medias tibias attingit. Iudicium autem fieri hoc pacto consueuit: quæ delata est, falsò se insimulari iurat; iusiurandumque in tabellâ descriptum collo suo alligatum sustinens, in fontem descendit, ac si verum iusiurandum iurauerit, aqua omnino immota manet, sin minùs, intumescit, atque ad collum vsque se attollens tabellam contingit. Nec ab his diuertunt, quæ de Palicis scribit Stephanus, & iusiurando sacro ibidem. Quæcumque enim quis iurauerit, in tabellam scribit, atque in aquam adijcit: si verè iurauerit, tabella supernatat; si peierauerit, illa quidem euanescit, ipse autem periurus vritur. Cuius fontis meminit quoque Aristoteles lib. de Admirandis auditionibus.

CAPVT XXXI.

De aquis oleosis.

SVnt & fontes lacusque oleosi. In lacu Agrigentino oleũ supernatat, inquit Solinus c. 11. Hoc pingue hæret arundinũ comis de assiduo volutabro, ex quarum capillamentis legitur vnguentum medicũ contra armentarios morbos. Est & in Æthiopiâ lacus, teste eodem Solino cap. 43. quo perfusa corpora velut oleo nitescunt. Huius lacus aqua, potui sanè saluberrima, adeò liquida est, vt ne caducas quidem vehat frondes, sed illicò folia lapsa ad fundum demittat, laticis tenuitate. Eadem Mela lib. 3. similia Herodotus in Thaliâ. Liparis Ciliciæ flumen natantes seu lauantes ipsâ suâ aquâ inungit. Et in Indiâ seu locus seu fons est, qui sereno cælo magnam olei multitudinem emittit. Carthaginenses fontem habent, in quo oleum supernatat odore quasi citrij scobis, ex quo etiam pecora vngi solent, vt scribit Vitruuius lib. 8. cap. 3.

CAPVT XXXII.

De aquis sanguineis.

INuenias etiam fontes, ex quibus olim seu Dei seu dæmonum virtute sanguis effluxit. VVilhelmus Malmesburiensis l. 4. in VVilhelmo huius nominis secundo Anglorum Rege: In pago Perrucheseire in villâ Hamstede continuis quindecim diebus fons sanguinem tam vbertim manauit, vt vicinum vadum inficeret. Rogerius Houedenus in Henrico II. Eodem anno 1148. quidam fons fluentis aquæ iuxta Ecclesiam S. VVinini in Occidentalibus partibus terræ Regis Scotiæ manauit sanguine per octo dies, & totidem noctes, sine intermissione.

CAPVT XXXIII.

De fontibus ad Sanctorum merita exortis.

MAtriti habemus fontem salutarem, S. Isidori agricolæ meritis exortum. Sitibundo enim Domino largiter propinauit perennes aquas sanctus Bubulus, quas percussâ terrâ baculo suo effudit. Dantur istæ aquæ febrientibus, qui posteà valetudine integrâ gratias piè referunt. Alios fontes Sanctorum meritis exortos collegit Gretserus lib. 1. Rerum variarum cap. 11. Ex quibus, inquit, primas hic teneat ille S. Iuonis Persæ Episcopi & Confessoris, cuius sepulchro apud Eastreiâ in Orientali Angliâ reperto, sanctoque corpore in linteo exposito, ex ipsis Mausolei sinuosis anfractibus erupit vnda bullis vberrima fugacibus. Manat ad hunc diem fons dulcis, potui accommodus, omnium valetudini, vt scribit Malmesburiensis lib. 4. de Gestis Pontif. Anglorum, cap. De Episcopis Dorcestrensibus siue Lincolniensibus.

Secundus ſit fons S. Auguſtini apud eumdem Malmeſburienſem lib. 2. de Geſtis Pōtif. Anglorum. Nam cùm in Dorſatenſi pago ad Baptiſmum deeſſet aqua, ad iuſſum Pontificis ex occultis meatibus fons erupit, qui hodieque & Auguſtini merito, & vsûs ſui commodo incolis clarus habetur.

Tertius ſit fons S. VVenefredæ virginis & martyris in Cambriâ ſeu VValliâ, de quo Pouelus Caluiniſta in ſuis ad cap. 10. lib. 2. Itinerarij Cambriæ, auctore Giraldo, varias calumnias eiectauit. Eſt fons hodie celebris, à ſuperſtitioſo (ſcribe religioſo) VVenefredæ virginis cultu nomen habens, cuius aqua pura eſt, ſalubris, & grati ſaporis, qui ingēti murorum ſtructurâ arctatus ſubitò ebulliens, magnum ex ſe emittit flumen, muſcumque odoriferum ſuâ frigiditate gignit, qui fons ad cædem prædictæ virginis primùm ex terrâ emanauit ob meritorum eius ſanctitatem, omnes lāguores tam hominum quàm pecudum curare ſolitus. Ait Pouelus, hanc de iſto fonte opinionem natam ex Monachorum auaritiâ. Quomodo, dic ſodes? Hoc modo, inquis. Henricus II. Angliç Rex, cùm ex Cambriæ primâ ſuâ expeditione reuerteretur, caſtellum de Baſivvuerk præſidijs firmauit, & cellam prope idem caſtellum pro Templarijs conſtruxit, eamque poſſeſſionibus ſufficiēter locupletauit. Poſtquam ille Templariorum Ordo communi generalis Concilij decreto deletus eſſet, cella illa in cœnobium Monachorum conuerſa eſt anno 1312. atque illarum poſſeſſionum quædam ab Eduardo II. eiſdem Monachis conceſſæ ſunt. Hi Monachi primā hanc fonti miraculoſæ ſanctitatis opinionem ſui quęſtus cauſa procurarunt. Quâ ratione hoc probas? Attende. Ante cœnobij huius erectionem nullus extat Auctor, qui ad fontem iſtum miracula patrari cōſueta teſtetur: ergo à Monachis quæſtus gratia confictum eſt, quidquid de huius fontis miraculis vulgi ore decātatur. Vbi antecedens falſum, & conſequentia vana eſt & mendax. Nam Robertus Salopienſis res S. VVenefridæ litteris mādauit, & in his etiam miracula ad fontem ſuprà nominatum patrari ſolita. At Robertus iſte tempora Henrici II. anteceſſit, vixit enim ſub Rege Stephano anno redemptionis 1140. ipſo etiam Balæo teſte Centur. 2. Scriptor. Britanniæ, cap. 76. Idem teſtatur Molanus in Additionibus ad Vſuardum, & Surius Tom. 6. ad 3. Nouembris, quo die anniuerſaria huius virginis memoria recolitur etiam in Martyrologio Romano. Vitam S. VVenefridæ à Roberto ſcriptam inuenies apud Surium loco citato (ſed, quod dolēdum, compendiariè & mutato ſtylo) in quâ ſalutiferi huius fontis, & miraculorum quæ edit, expreſſa ſit mentio, quæ ſine dubio nec Clerius Cambrius ſilentio inuoluit, qui priùs Vitam huius virginis poſteris tradidit, vt ſcribit Balæus Cent. 10. Claruit autem Clerius circa annum ſalutis 660. teſte eodem Balæo. Ait Illuſtriſſ. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum 3. Nouembris, ſe miracula ad fontem S. VVenefridæ patrata longè maiora his quæ prodita ſunt, accepiſſe à Reuerendiſſimo Thomâ Epiſcopo Aſaphenſi teſte oculato, quod argumento eſt, thaumaturgiam iſtam, ad noſtram vſque ætatem medios inter hæreticos perduraſſe. Deinde etiam, quomodo fieri potuiſſet, vt res iſta in emolumentum Monachorum verteret, ſi ſanitas ſiue hominibus ſiue iumentis ægris reddita, fuiſſet tantùm dolo & impoſturâ conceſſa? An qui ad fontem opis causâ ventitabant, tam ſtupidi erant, vt vnum ægritudo depulſa eſſet animaduertere nequirēt? Sed en alium, & quidem validiſſimū arietem Poueli: Giraldus Cambrenſis lib. 2. Itinerarij cap. 10. non meminit huius fontis, vtique mentionem haud prætermiſſurus, ſi quid illius tempore de huius fontis miraculis compertum fuiſſet. Quæ hæc veſania, ex vnius ſilentio alijs loquentibus frenum inijcere, & ipſam experientiam voce publicâ veritati teſtimonium perhibentem opprimere velle? Deinde, Robertus Salopiēſis, horum miraculorum teſtis, antiquior eſt Siluestro Giraldo Cambrenſi, vt taceam Clerium Cambrium: quo iure igitur ſilentium huius aſſertioni illius præiudicet? Homo erat Giraldus non infinitæ ſed finitæ memoriæ; quid mirum igitur, ſi fontis huius meminiſſe excidit, quamuis in Baſinvverck ad dimidium milliare diſtante pernoctaſſet? Meminit eiuſdem fontis in ſuâ Britanniâ VVilhelmus Cambdenus Caluiniſta; loquens enim de Baſinvverck, ait: Sub hoc Baſinvverck Holyvvell, id eſt fons ſacer VVenefridæ virginis memoriâ, quæ ſtuprum per vim oblatum ibi morte luit, & muſco gratiſſimi odoris longè eſt celeberrimus: ex quo emanat fluuiolus ſtatim eximius, parque molæ agendæ; tanto impetu proruit. Vbi nullam diſertam mentionem miraculorum vides. Cur? niſi quia Cambdenus eodem ſpiritu agitabatur quo Pouellus, Caluiniſtico ſcilicet, omniū miraculorum atrociſſimo hoſte. Deinde Cambdenus ita VVenefridam deſcribit, quaſi altera Lucretia fuerit, quæ ſtuprum per vim ſibi illatum ipſamet manu ſuâ vindicarit, quod non eſt ita. Nam cùm Cadocum Alani Regis filium, caſtitati ſuæ inſidiantem, fortiter repuliſſet, ab eodem præ libidinis impatientiâ capite amputato interfecta eſt, vt in eius

Vitâ

Vitâ scribit Robertus Abbas Salopiensis. Hinc Additio ad Vsuardum 3. Nouemb. In Angliâ S. VVenefridæ virginis & martyris, quam Cadocus filius Alani Regis occidit pro castitate.

Fontem S. Clementis Romani Pontificis & Martyris precibus miraculosè productum, inuenies in Vitâ S. Clementis Tom. 6. Surij, vt & fontem S. Trudonis Presbyteri & confessoris.

CAPVT XXXIV.

De Iustiniano Imperatore, & alijs miris proprietatibus hominum.

SCribit Procopius Cæsariensis in historiâ arcanâ, nuper à Nicolao Alemanno publicatâ, Iustinianum Imperatorem ab aduersarijs suis, præsertim à Prasinis vocatum asinũ, tum ob stupiditatem quâ iam senior tenebatur, tum quia subinde asinorum ritu auriculas mouebat. Respexit huc Chronicon Alexandrinum: Ἄλλοι δὲ ἔκραζον, Ἐπορκεῖς σγάνδαρι. id est: *Alij clamitarunt, Peieras sgaudari.* lege γαύδαρε, siue γαῦδαρε, quia linguâ Græcorum vernaculâ γαύδαρος est asinus. Hæc & mirabiliora S. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 24. Hominum quorumdam naturas nouimus multùm ceteris dispares, & ipsâ raritate mirabiles, nonnulla vt volunt de corpore suo facientium, quæ alij nullo modo possunt, & audita vix credunt. Sunt enim qui & aures moueant vel singulas, vel ambas simul. Vidi & ego quemdam, qui arbitratu suo vel vnam vel vtramque aurem mouebat. Apud Athenæum lib. 10. initio. Hercules cibum sumens κινεῖ τὰ ὦτα τῶν τετραπόδων οὐδὲν ἧττον. id est, *aures mouet non minùs quàm animantes quadrupedes.* Andreas Vesalius lib. 2. de Humani corporis fabricâ cap. 13. ait, se Patauij duos vidisse, vnum Foroiuliensem, alterum Genuensem, quibus aures mouerentur. & cap. 17. Interdum, inquit, quibusdam raris fibris carnalis membrana, quam carnosam vocamus, supra aures augetur, & modicè auri proximam cutem & ipsam quoque aurem motu agit arbitrario. Quin & Andreas Laurentius lib. 11. Histor. anatom. cap. 12. scribit, se in quibusdam obseruasse aures moueri, idque exiguorum musculorum operâ fieri existimandum: & Valuardus lib. 2. Anotomes corporis humani, cap. 2. refert, se Romæ vidisse Hispalensem quemdam, cui nomen erat Mansiglio, qui aurem moueret. Quin ipse noui quemdam Societatis nostræ virum prudentissimum, quique hanc Prouinciam Toletanam moderatus bis fuit, cuius aures motare vidi. Rarum est hoc, & quia rarum, ideò admirandum. Ob cuius rationem affirmat Aristoteles lib. 1. de Histor. animal. cap. 11. soli homini aures immobiles datas esse, & vnum hominem aures non mouere, ab eo quod ex communi lege naturæ & ordinariè fit, assertione vniuersali prolatâ. Adiũgit S. Augustinus: Sunt qui totam cæsariem capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocántque cùm volunt. Sunt qui eorum quæ vorauerunt incredibiliter plurima & varia, paululum præcordijs contractis, tamquam de sacculo, quod placuerit, integerrimũ proferunt. Quidam voces auium pecorumque, & aliorum quorumlibet hominum sic imitantur atque exprimunt, vt nisi videantur, discerni omnino non possint. Plutarchus in Quæstionibus Sympofiacis adducit Parmenonem animalium voces pecorumque grunnitum scitissimè imitari & exprimere solitum, à quo prouerbium illud, Οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν· *Nihil ad Parmenonis suem.* quo significatur, neminem in animalium vocibus exprimendis Parmenoni parem fuisse. Huiusmodi alium hominem ipse vidi, & quemadmodum testatur Gretserus de quodam familiari suo, qui canum maiorum & minorum latratus tam dextrè effingebat, vt vel ipsi canes canem latrantem se audire mutuo latratu testarentur. Pergit S. Augustinus: Ipse sum expertus, sudare hominem solere cùm vellet. Notum est quosdam flere cùm volunt, atque vbertim lacrymas fundere. Iam illud multò est incredibilius, quod plerique fratres memoriâ recentissimâ experti sunt. Presbyter fuit quidam nomine Restitutus, in paræciâ Calamensis Ecclesiæ, qui quando ei placebat (rogabatur autem vt hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coràm scire cupiebant) ad imitatas quasi lamentationes cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solùm vellicantes atque pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igni vreretur admoto sine vllo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere. Non autem obnitendo, sed non sentiendo non mouere corpus, eo probabatur, quòd tamquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus, hominum tamen voces, si clariùs loquerentur, tamquam de longinquo se audire posteà referebat. Simile quid de Hermotimo Clazomenio prodidit Plinius lib. 7. cuius anima relicto, vt vanè credebatur, corpore vagari, & quæ in longissimis regionibus viderat, narrare solebat.

CAPVT XXXV.

De monstrosâ muliere.

HÆc memoriæ prodidit Giraldus in Topographiâ Hiberniæ part.2.c.20. Duuenaldus Rex Limiricensis mulierem habebat vmbilico tenus prorsus barbatã, quæ & cristam habuit à collo superiùs per spinam deorsum in modum pulli annui crine vestitam. Mulier ista duplici prodigio monstrosa, non Hermaphrodita tamen, sed aliàs muliebri naturâ emollita ad intuentiũ tam risum quàm stuporem, curiam assiduè sequebatur. In spinæ quidem pilositate neuter, in barbæ verò prolixitate morem gerens patriæ, non naturæ.

CAPVT XXXVI.

De agilitate pedum.

IN vrbe Cretensi visa est nostris diebus mulier, inquit Girald. lib.2. Itiner. c.11. manca, manibus carens à natiuitate, cui tamen contra defectum istum tale natura remedium dederat, vt pedes tam flexibiles, tam delicatos articulos haberet, quòd articulorum proceritate pariter & flexibilitate non minus subtiliter quàm aliæ mulieres acu suere consueuerit, & quidquid filo ac forfice manibus fieri solet; citra defectum omnem, cum intuentium admiratione, pedibus ista complet. Similis, sed vir, Halæ Sueuorum ante viginti & aliquot annos magno cuidam Principi illac iter habenti iucundum spectaculum exhibuit pedibus suendo, farciendo, scribendo, & alia agendo, quæ alij manibus peragunt. Hæc ille. Nostrâ quoque ætate Salmanticę visus qui mutilus brachijs pulcherrimè litteras pingebat pedibus, & alia manuum præstabat munia.

CAPVT XXXVII.

De igne S. Brigidæ.

REstituamur rursus Hiberniæ rebus, vnde digressi paululum fuimus. Giraldus Cambrensis in Topographiâ Hiberniæ sic testatur: Apud Kildariam Lageniæ, quam gloriosa Brigida reddidit illustrem, digna memoratu sunt miracula multa, interque ea primum occurrit ignis Brigidæ, quem inextinguibilem dicunt, non quòd extingui non possit, sed quia tam sollicitè Moniales & sanctæ mulieres ignem suppetente materiâ fouent & nutriunt, vt à tempore virginis per tot annorũ curricula semper manserit inextinctus; & cùm tanta lignorũ strues tanto in tempore sit hîc consumpta, numquam tamen cinis excreuerit. Cùm tempore S.Brigidæ viginti Moniales hîc Domino militassent (ipsâ vigesimâ existente) post gloriosum eius transitum semper tantùm viginti ibi extiterunt, & numerum non auxerunt. Cùm verò singulis noctibus singulæ per ordinem ignem custodiant, nocte vigesimâ Monialis vltima lignis appositis inquit: Brigida, custodi ignem istum tuum, te enim nox ista contingit, & sic igne relicto, manè materiâ more solito consumptâ inextinctus reperitur. Virgeo quodam & orbiculari sepe ignis iste circuitur, intra quem mas non intrat; & si fortè intrare præsumpserit (quod à temerarijs quibusdam nonnumquàm attentatum) diuinam vltionem non euadit. Item mulieribus solùm, & his non oris flatu, sed follibus tantùm & ventilabris ignem licet exsufflare. Item per imprecationem Virginis caprarum fœtus hîc non proueniunt.

CAPVT XXXVIII.

De falcone casto.

A Tempore Brigidæ, idem Auctor inquit, falco quidam egregius locũ istum frequentabat, qui Ecclesiasticæ turris summitati insidere consueuerat. Vnde, & à populo Auis Brigidæ vocabatur, & in veneratione quadam à cunctis habebatur. Hic ad nutum ciuium seu militum Castrensium, tamquam mansueta, & ad hoc domestica, anates, & alias aues, tam campestres quàm fluuiales, circa planiciem Kildariæ, cum intuentium non modicâ delectatione persequi solebat, & ad terram ab aëre innatâ velocitate coërcere (quis verò locus miseris auiculis relinquebatur, cùm homines terram & aquas, auis inimica grauisque tyrãnus aërem obsidebat?) mirũ de hoc alite, quòd circa templum, quod frequentabat, parem non admittebat, sed amoris tempore procul inde secedens, & apud montana de Glindelachan ex consuetudine parem inueniens, naturæ indulgebat, quo completo, iterùm ad Ecclesiã solus reuertebatur, viris Ecclesiasticis, tunc præcipuè cùm intra Ecclesiarum sinus & septa diuinis deputantur officijs, signum præferens honestatis. In ipso discessu primò Domini Comitis Ioannis ab Hiberniâ auem (quæ per tot durauerat sæcula, & delectabiliter Brigidæ locum illustrauerat) demum prædæ, quam ceperat, minùs cautè insidentem, & humanos accessus parum euitantem, baculo quem gestabat rusticus quidam petijt. Ex quo patet, casum

casum in secundis fore metuendum,& vitæ diuturnæ, delectabili & dilectæ parum esse confidendum.

CAPVT XXXIX.

De libro miraculoso.

IDem ait: Inter vniuersa Kildariæ miracula nil mihi miraculosius occurrit, quã liber ille mirandus tempore Virginis (vt aiunt) Angelo dictante conscriptus. Continet hic liber quatuor Euangelistarum iuxta Hieronymum concordantiam: vbi quot paginæ ferè sunt, tot figuræ diuersæ varijsque distinctissimæ. Hîc maiestatis vultũ videas diuinitus impressum: hinc mysticas Euangelistarum formas nunc senas, nunc quaternas, nunc binas alas habentes. Hinc aquilam, inde vitulum, hinc hominis faciem, inde leonis aliasque figuras pænè infinitas; quas si superficialiter & vsuali more minùs acutè conspexeris, littura potiùs videbitur, quàm ligatura; nec vllam attenderis prorsus subtilitatem, vbi nihil tamen præter subtilitatem; sin autẽ ad perspicaciùs intuendum oculorum aciem inuitaueris, & longè penitus ad artis arcana transpenetraueris, tam delicatas & subtiles, tam actas & arctas, tam nodosas & vinculatim colligatas, tamq; recentibus adhuc coloribus illustratas notare poteris intricaturas, vt verè hæc omnia Angelicâ potiùs quàm humanâ diligentiâ iam asseueraueris esse cõposita. Hæc equidem quantò frequentiùs & diligentiùs intueor, semper quasi nouis obstupeo, semperque magis ac magis admiranda conspicio. Nocte primâ (cuius manè librũ scriptor inchoaturus fuerat) astitit ei Angelus in somnis, figuram quamdam tabulæ, quam manu pręferebat, impressã ei ostendens, & dicens: Putásne hanc figuram in primâ libri, quem scripturus es, paginâ possis imprimere? Cui scriptor de tantæ subtilitatis arte, & de tam ignotæ & inusitatæ rei diffidẽs notitiâ, respondit nequaquam. Cui Angelus: In crastino die dic Dominæ tuæ vt ipsa pro te orationes fundat ad Dominũ, quatenus ad acutiùs intuendum, & subtiliùs intelligendum tibi tam mentis quàm corporis oculos aperiat, & ad rectè protrahendum manus dirigat. Quo facto, nocte sequente iterùm adfuit Angelus eamdem figuram aliasque multas ei præsentans. Quas omnes diuinâ opitulante gratiâ statim aduertens, & memoriæ fideliter commendans, libro suo locis competentibus ad vnguem scriptor impressit. Sic igitur Angelo præsentante, Brigidâ orante, scriptore imitante, liber est ille conscriptus.

CAPVT XL.

De ligno reuirescente.

DE eadem S. Brigidâ narrat Ioannes Capgrauius: Cum grauiter ab amicis ad accipiendum maritum arctatam se videret, rogauit Dominum, vt aliquam deformitatem super corpus suum daret, vt homines eam petere & affectare cessassent, & statim alter oculus eius crepuit, & liquefactus est in capite suo. Et assumptis secum tribus puellis, perrexit ad Episcopum Machillam sancti Patritij discipulum: & intuens eam Episcopus sanctus, columnam ignis super caput eius apparere vidit: lectis enim orationibus, Brigida capite submisso pedem altaris ligneum manu suâ tetigit, & ab illâ horâ pes ille viridis sine putredine & sine defectu in æternum manet. Et accepto velamine, perfectæ sanitati redditur oculus eius.

CAPVT XLI.

De lapide molari.

MIrabiliora fortasse scripsit Cogitosus de eadem virgine Brigidâ. Non solùm autem, inquit, in suâ vitâ carnali, antequam sarcinam deponeret carnis, virtutes operata est plurimas, sed largitas diuini muneris in suo Monasterio, vbi eius venerabile requiescit corpus, semper operari virtutes non cessat, quas nos virtutes non solùm audiuimus, sed etiam oculis nostris vidimus. Nam Præpositus maximi & clarissimi Monasterij S. Brigidæ, de quo in eius Opusculi principio breuem fecimus mentionem, operarios & lapidum cæsores quęrere, lapidem & incidere molarem, per loca quæcumque vbi possent inueniri, transmisit; & illi sine vllâ prouidentiâ viarum arduam ascendentes viam, ad cacumen petrosi montis perrexerunt, & elegerunt lapidem grandem in ipso montis altissimi cacumine: & cædentes eum de omni parte in rotundum & perforatum, molarem lapidẽ formauerunt. Cùm verò Præpositus de Monasterio inuitatus ab eis venisset cum bobus ad illum montem, in quo lapis formatus fuit molaris; atque cùm boues secum propter arduam montis ascensionem trahere & cogere non posset; durissimum iter cum paucis illum sequentibus vix ascendere potuit. Ille verò cum omnibus suis operarijs dum cogitaret quomodo illum molarem deportaret lapidem de iugo altissimi montis, cùm boues in illo pręrupto montis sub oneribus & iugum esse nullo modo potuerint; tunc factâ despera-

tione, alijs ex eis descendentibus illum deserere lapidem, & eos in vanum laborasse qui illum formauerunt, ille Præpositus prudenti dispensatione & consilio suis operarijs fideliter dixit: Nequaquam hoc ita fiat, sed hunc leuate viriliter molarem, & submittite in præcipitium de altissimo isto montis cacumine in nomine & virtute Reuerendissimæ S. Brigidæ, quia nos nullis artificijs & viribus per ista loca petrosa hunc molarem lapidem possumus portare, nisi Brigida, cui nihil impossibile est, secundùm illud quòd omnia possibilia sunt credenti, illum portabit ad locum ex quo vires boum trahere ipsum possint. Et sic fide firmâ præcipitans illum in vallem, & paulatim de monte descendens, aliquando petras deuitans, aliquando super eas saliens, & in locis verrens humidis in radices montis positis, in quibus nec homines nec boues stare poterant pro illorum funditate, mirabili comitatu vsque ad loca plana sine vllâ fractione, vbi illorum erant boues, cum eis progressus est, & exinde cum bobus vsque ad molendinũ vectus est, artificiosè cum altero iunctus est lapide. Et vt plus iste molaris lapis, qui in nomine beatæ directus est Brigidæ, omnibus adhuc innotesceret, addit & hoc inauditum anteà & præclarum miraculum. Nam cùm quidam paganus, ac molendino vicinus suo habitaculo dolosè per alium simplicem virum, ignorante molendinario qui opus molituræ exercebat, suum granum ad hoc transmisit molendinum. Et cùm inter hos molares transiectum & fusum fuisset lapides, illum supradictum lapidem molarem nullus impetus fortis fluminis, & nulla aquarum violentia, nulla artificum conamina mouere potuerunt. Et dum illi qui hoc viderunt de hac re cogitarent, nimio perculsi stupore, granum illud magi esse cognoscentes, nullo modo dubitabant, quòd ille molaris lapis, in quo S. Brigida virtutem operata est diuinam, granum gentilis hominis in farinam comprimere respuisset, & statim tollentes foras granum ipsius pagani, & suum granum Monasteriale subter molarem illum lapidem ponentes, cursus solitus & quotidianus sine vllis impedimentis reparatus est molæ. Et post interuallum temporis accidit, vt molendinum ipsum igne combureretur. Nec & hoc paruum fuit miraculum, cùm ignis totam domum combureret, & alterum lapidem, qui iunctus supradicto lapidi fuit, hunc tantùm specialem S. Brigidæ lapidem nullo modo tangere est ausus & comburere, sine vllâ molestia ignis in magno molendini incendio permansit incolumis. Posteà hoc viso miraculo, ad Monasterium perlatus est iuxta portam interioris castelli, quo Ecclesia ambitur, vbi multi conueniunt ob venerationem S. Brigidæ. In ipsâ portâ honorificè positus est, & de fidelibus hunc lapidem tangentibus morbum expellit.

CAPVT XLII.

De lupo loquente.

ADhuc dabo aliquid plus admirãdum ex Siluestro Giraldo: Circa triẽnium, inquit, ante aduentum Comitis Ioannis in Hiberniam, contigit quemdã Sacerdotem de partibus Vltoniæ versus Mediam itinerantem, in siluâ quadam coniunctâ Mediæ pernoctasse. Cumque ad igniculum, quem sibi sub arbore quadam frondosâ congesserat, vno tantùm comitatus puerulo, lucubrasset, ecce lupus ad eos accedens, qui statim in huiusmodi verba prorupit: Securi estote, & nolite timere; non enim trepidandum vobis est vbi timor non est. Cumque ipsi tantò vehementiùs consternatis animis obstupuissent, verba de Deo sana subiunxit. Et obtestatus à Sacerdote, adiuratusque per Deum omnipotentem, & per fidem Trinitatis, ne eis noceret, & quænam creatura fuisset, quæ sub bestiali formâ humana verba proferret; Catholicum in omnibus responsum præbens, tandem tamen subiecit: De quodam hominum genere sumus Ossyriensium, vnde quolibet septennio per imprecationem Sancti cuiusdam, Natalis scilicet Abbatis, duo, videlicet mas & femina, tam à formis quàm finibus exulare coguntur. Formam enim humanã prorsus exuentes, induunt lupinam. Completo verò septennij spatio, si fortè superstites fuerint, alijs duobus ipsorum loco simili conditione subrogatis, ad pristinam redeunt tam patriam quàm naturam. Et mihi quidem peregrinationis huius socia non procul grauiter infirmatur; cui, si placet, iam in extremis agenti, Sacerdotale solatium intuitu diuinæ pietatis indulgeas. Quo dicto, lupum præcedentem vsque ad arborem quamdam satis propinquam Presbyter sequitur tremebundus. In cuius concauitate lupam conspicit sub specie ferinâ gemitus & planctus humanos emittentem. Quæ statim vt ipsum vidit, præmittens salutationẽ satis humanam, gratias etiam Deo retulit, quòd in tali articulo tanto eam solatio dignatus esset visitare, & sic vsque ad extremam Communionem à Sacerdote cuncta ritè peracta suscepit, quam & ipsam constanter efflagitauit, attentiùs supplicans, vt Viatici largitione beneficiũ cõsummaret. Quo Sacerdos cùm se carere firmiter asseruisset, lupus, qui parumper

rumper abſceſſerat, iterùm acceſſit, oſtendens ei paruulum librum manualem,& aliquot hoſtias conſecratas continentem,quæ more patriæ Presbyter itinerans ſub indumento à collo ſuſpenſa deferebat. Rogabat etiam, ne Dei donum & ſubſidium eis diuinâ prouidentiâ deſtinatũ aliquatenus denegaret. Et vt omnem abſtergeret dubietatem,pede quaſi pro manu fungens, pellem totam à capite lupę retrahens vſque ad vmbilicum replicauit, & ita ſtatim expreſſa forma vetulæ cuiuſdam apparuit. Quo viſo, tandem Sacerdos obnixè poſtulantem & deuotè ſuſcipientem, terrore tamen magis quàm ratione compulſus,communicauit,& ſtatim à lupo pellis retractata priori formæ ſe coaptauit. His ergo ritè potiùs quàm rectè peractis, humanam potiùs quàm beſtialem ſocietatem eis ad igniculum totâ nocte lupus exhibuit. Manè verò facto,extra ſiluam ipſos conducens, Presbyteroque præbens iter, viam ei certiſſimam longè præoſtendit. Multas etiam Sacerdoti ſuper impenſo beneficio gratias in diſceſſu referebat,promittens efficaciores multò ſe ei gratias relaturum,ſi Dominus eum ab hoc exilio, cuius iam duas partes compleuerat, reuocauerit. Inter vltima verò confabulationis huius verba quæſiuit Presbyter à lupo, vtrùm gens inimica, quæ in inſulam ſuperuenerat,olim foret, diuque in eâ permanſura.Cui lupus,Propter peccata,inquit,populi noſtri, & vitiorum enormitates ira Dei deſcendens in generationem prauam, dedit eam in manus inimicorum.Quamdiu ergo gens ea mandata Domini cuſtodierit, & in vijs eius ambulauerit, tota manebit & inconuulſa:ſin autẽ(quia procliuis eſt curſus ad voluptates, & imitatrix eſt natura vitiorum) ad noſtros ex conuictu mores fortè condeſcenderint, diuinâ in ſe quoque proculdubiò vindictam prouocabunt.Similem quoque ſententiâ in Leuitico reperies, Domino ad populum Iſraëliticum loquente in hunc modum:*Omnes enim execrationes iſtas* (prædictas ſcilicet) *fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos & polluerunt eam. Cauete ergo, ne & vos ſimiliter euomat, cùm paria feceritis, ſicut euomuit gentem quæ fuit ante vos.*Totum hoc autem poſtmodum contigit primo per Chaldæos, & poſteà per Romanos. Item & in Eccleſiaſtico: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias,& iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.*

Biennio verò pòſt ela pſo contigit me per Mediã tranſitum feciſſe,vbi Epiſcopus terræ illius Synodum tunc fortè conuocauerat. Epiſcopos etiã & Abbates vicinos aſciuerat, vt ſuper hac re (quam ex Sacerdotis confeſſione iam didicerat) quid agendum illi foret,communicato conſilio certiùs inſtrueretur. Audiens ergo me trãſire per partes illas,duos mihi de Clericis ſuis tranſmiſit,rogans vt tanto negotio tractãdo in propriâ perſonâ, ſi fieri poſſet, intereſſem: ſin autem, de aſſenſu meo litteris ſaltem eos certifacerem. Audito ergo ab illis ſeriatim negotio (quod& priùs tamen ab alijs audieram) quia cauſis quibuſdam vrgentibus adeſſe non potui, litterarũ beneficio, conſilio quidem abſens non fui. Cui & Epiſcopus cum Synodo obtemperans, Sacerdotem ipſum,cum litteris ſuis,rem geſtam & Sacerdotis confeſſionem continentibus, appoſitis etiam Epiſcoporum & Abbatum qui intererant ſigillis, ad Summum Pontificem deſtinauit.

Non itaque diſcredendum eſt, ſed potiùs fide certiſſimâ eſt amplectendum, diuinam naturam pro ſalute mundi humanam naturam aſſumpſiſſe, cùm hic ſolo Dei nutu ad declarandam ſui potentiam & vindictam, non minimo miraculo humana natura lupinam indueret.

Sed animal huiuſmodi brutum an homo dicetur? Animal namque rationale à bruto longè alienũ videtur eſſe. Præctereà,animal quadrupes pronum in terram, nec r ſibile, humanæ naturæ quis adiũget?Item qui hoc animal occiderit,numquid hominem occiderit,& homicida dicetur?Sed miracula diuina non in rationem humanę diſputationis trahenda ſunt,ſed admiranda. Auguſtinus tamen lib. 16.de Ciuitate Dei cap.8.vbi de monſtroſis hominũ generibus,quos Oriens parit,quæſtionem mouet,quorum quidam caninis capitibus, alij verò capite carentes oculos in armis habere dicuntur, & varijs deformati formis, vtrùm à primo parente propagati reuerà homines dicendi ſunt,tandem ſubiungit,idem de iſtis ſentiendum eſſe quod de monſtroſis hominum partubus, quos fieri perſæpè audiuimus, & quidquid hominis definitionem (animal ſcilicet rationale,mortale)ſub quącumque formâ recipit,illud hominem eſſe verâ ratione teſtari.Idem lib. 18.de Ciu.Dei cap. 18.refert de Arcadibus, qui ſorte ducti tranſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta viuebant.Si autẽ carne non veſcerentur humanâ, rurſum poſt annos nouem renato ſtãgno reformabantur in homines.Cumque itidem de varijs hominum in lupos mutationibus ſermonem produxerat,demum ſubnectit: *Nam & nos cùm eſſemus in Italiâ,audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi ſtabularias mulieres imbutas ijs malis artibus,in caſeo dare ſolere*

lere dicebant quibus vellent seu possent viatoribus, vnde in iumenta illicò verterentur, & necessaria quæque portarent, postq; perfuncta opera iterùm ad se redirent, nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamq; seruari, sicut Apuleius in libris, quos asini aurei titulo inscripsit, sibi ipsi refert accidisse, vt accepto veneno, humano animo permanente asinus fieret. Nostris quoque temporibus quosdam vidimus, qui magicis artibus imbuti, pingues, vt videbantur, porcos, sed tantùm rubros, ex quacumq; præiacente materiâ producentes in nundinis vendebant: sed hi statim, vt aquam aliquã transibant, euanescentes, in propriam & veram reuertebantur naturã. Quantalibet autem industriâ seruatis assumpta species vltrà triduum non durabat. Item vetulas quasdam tam in VValliâ, quã in Hiberniâ, & in Scotiâ se in leporinam transmutare formam, vt adulterinâ sub specie vbera sugendo, lac alienum occultiùs surripiant. Vetus quidem, sed & adhuc recens frequensq; querela est.

Dæmones igitur seu malos homines, sicut nec creare, ita nec naturas veraciter mutare posse, simul cum Augustino sentimus: sed specie tenus, quę à vero Deo creata sunt, ipso permittente, vt scilicet videatur esse quod non sunt, sensibus hominum mirâ illusione captis ac sopitis, quatenus res non videantur sicut se habent, sed ad falsas quasdã & fictitias videndum formas vi phantasmatis seu magicæ incantationis mirabiliter abstrahãtur. Sed omnipotentem Deum, sicut naturas creare, sic & easdem, cùm voluerit, in se inuicem permutare, seu vindicando, seu diuinam potentiam declarando, vel vnam in alteram penitus transferre, sicut vxoris Lot contra Dominicum præceptum respicientis in statuam salis, sicut etiam aquæ in vinum mutationem; vel interiore manente naturâ, solùm exteriùs transformare, sicut in propositis patet exemplis, potentissimum esse, indubitatâ veritate credendum est. De illâ verò speciali panis in Corpus Christi mutatione nec speciali, imò veriùs substantiali (quia specie totâ manente, substantia sola mutatur) hîc prætereundum tutius existimaui; quoniam supra humanam longè intelligentiam alta nimis & ardua est eius complexio. Hactenus ille.

CAPVT XLIII.

De Rege mutato in vulpem.

IVuat hîc apponere, quę Iocelinus narrat. Regnabat in finibus quibusdã Britanniæ, quæ modò VVallia dicitur, tyrannus quidã Cereticus nomine, flagitiosus, fraudulétus, iniuriosus, blasphemans vbiq; viam Domini, Christianorum persecutor, & interfector crudelissimus. Audiens autem sanctus Patritius illius bellue tyrannidem effrenatam, studuit illum ad viam salutis reuocare, dirigens ad illum conuertendum à vitijs suis pessimis Epistolam commonitoriam. Ipse verò venumdatus vt faceret malũ, de die in diem se ipso deterior factus, admonitionem desserit sancti Patritij, & despexit, suaq; flagitia, facinora, fraudium factiones, cruentatas cædes dilatauit. Quod cùm Patritius relatu veridico didicisset, diuinitus edoctus, intellexit vas contumeliæ obduratum in nequitijs, nullimodę obduratũ correctioni, sed potiùs perditioni præparatũ, in hunc modum fertur orasse ad Dominum: Domine Deus omnipotens, sicut scis, & potes hominem hunc vulpinum in vitijs monstrosum, modo monstroso eijce à facie terræ, & illius consummatæ malitiæ finem impone. Inclinans Dominus aures suas ad vocem serui sui, prædictum tyrannum quadã die in medio fori stantem, circumstante multitudine suorum, subitò in vulpem transformauit, illeque à conspectu omnium fugiens, numquam in terrâ vlteriùs comparuit. Hoc factum nullus discredere iure poterit, qui vxorem Lot in cautem mutatam, aut historias de Nabuchodonosor Rege legerit.

CAPVT XLIV.

De pulicibus à S. Nannano deportatis.

EST in Conactiâ vicus quidam quem S. Nannani illustrat Ecclesia, vbi ab antiquo tanta pulicum excreuerat multitudo, vt eâ pestilentiâ locus ille ferè desertus, & habitatoribus vacuus extitisset, donec intercessione S. Nannani in pratũ quoddam proximum sunt deportati, vt nec vnus postmodum hîc reperiri potuisset. In tantũ igitur meritis Sancti istius locum illum vis diuina mundauit: in prato verò tanta superabundat copia, vt non tantũ hominibus verũ etiã bestijs semper maneat inaccessibile.

CAPVT XLV.

De mirabili virtute receptiuâ.

EST quoque in eadem Conactiâ, addit Giraldus, locus quidam muratus, ampli Castelli similitudinem præferens, à S. Patritio consecratus, in quem tot armenta numquam introëunt (cùm tamen totius prouinciæ præda refugij causâ sæpissimè includi soleat) quin multò plura intrare potuerint: donec fortè vel sufficientiæ vel diffidentiæ verbum eruperit.

CA-

CAPVT XLVI.

De fimi exterminio.

IOcelinus de S. Patritio hæc ſcribit: Erat autem in quodam promontorio ſupereminenti præfato oppido Empthor, munitio quædam extructa, cuius adhuc murorum apparent ruinoſa veſtigia. Dominus autem loci iugo duræ ſeruitutis ſibi ſubiugatam in famulam depreſſerat nutricem S. Patritij. Inter opera ſeruilia cetera ipſi iniuncta, iuſſit illi quotidie cunctas officinas infra municipium exiſtentes ſcopis emundare, à ſtabulis etiam equorum fimum exportare. Mulier verò, mente ingenua, intelligẽs omnem poteſtatem à Deo eſſe, cunctaque quæ à Deo ſunt, ordinata exiſtere, neceſſitatem vertit in virtutem, ac patienter ſuſtinuit impoſitá ſibi ſeruitutem. Puer verò Patritius compaſſus afflictioni nutricis ſuæ, Dominũ exorabat, vt illam dignaretur de tam ſeruilis operis laborioſo laboritio liberare. Orante igitur Patritio, omnia habitacula illa abſque humanâ manu mundata cernebantur, nec infrà ſeu iuxtà fimi alicuius veſtigium inueniebatur. Mirabatur municeps, & omnes qui viderant vel audierant hoc ſignũ. Abſoluitur nutrix à iugo ſeruitutis ob alumni ſui meritum. Nec hoc miraculum momentaneum videtur, aut annuum, quia vſque in præſens conſtat eſſe continuatum. Sicut enim incolę loci illius atque finitimi atteſtantur, ſi infra præfatæ munitionis ambitum tot iumenta, quot locus capere poſſet, aggregata ibidem demorentur, nullatenus aliqua fimi particula reperitur. Eſt autem locus celebris in valle Clud. ſitus, linguâ gentis illius Dunbreatan, id eſt mons Britonum nuncupatus. Signum ſcire ſitientes, non ſinit latere, vtpote toties diuulgatum à patriotis omnibus.

CAPVT XLVII.

De ſene refloreſcente.

IDem narrat: Erat prædicto Dichu germanus carne, Rius nomine, ætatis & infidelitatis prouectæ, cuius corporis tabernaculum præ ſenio ſentiebatur pronũ proximumque ruinæ, qui grauiſſimè dolebat ſuper Magi interitu & fratris cõuerſione. Hic enim totus terram ſapiebat, vitam nullam præter præſentem eſſe credebat: fratrem etiam ſuũ ſe amiſiſſe æſtimabat, qui in Chriſtum credens, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in ſeruis eius, omni anniſu anhelabat. Hac de causâ ſingulis diebus impugnãs tribulauit Patritium, & nitebatur oppilare os ſuum, ne diſſeminaret verbum Dei per illam regionem, vt augeretur in Domino numerus credentiũ. Sanctus autem hominem Chriſto lucrifacere volens, conuenit illum viuis ac veris rationum aſſertionibus, ad credendum in cunctorum Conditorem, ex ipſis creaturarum ſpeciebus & naturis perſuadens: & vt eum in viam veritatis efficacius induceret, verbis fidem faciens, ſignum ſecuturum ſpopondit, dicens: Cùm omnium artuum ſenſuumq; tuorum officia in te ſopiantur emortua, vitæque tuæ lumen in limine iaceat, ſi Chriſtus tibi reſtituerit vires & venuſtatem vernantis iuuentutis, nónne iure in illũ credere tenereris? Reſpondit ille, ſi tanti miraculi exhibitionem exequaris in me per Chriſtum, conſequenter credam in ipſum. Orauit ergo S. Patritius, & manus imponendo eum benedixit, ſtatimque decorem & fortitudinem induens, in ſtatum iuuenilis ætatis refloruit. Omnes ergo qui aderant, ob tale ſignum patratũ ſtupor circumdedit, & in laudes Chriſti & reuerentiam S. Patritij illorum ora reſoluti.

CAPVT XLVIII.

De immutatione oris.

NEc minùs admirandum, quod idem Auctor ſubdit. Fuit quidã ex Hiberniæ Magnatibus Eugenius vocabulo, qui diu prædicanti ſibi reſiſtebat Patritio; ſed verbi viui & efficacis ratione tãdem circũſeptus & conſtrictus, ac ſignis irrefragabilibus conuictus, credidit, atque vitalis vndæ lauacro lotus, in Chriſto renouari meruit. Erat idem diues & potens in regno, ſed vultu membrorumq; habitudine cũctis deformior qui fuerunt ſub eius conſtituti dominio. Hic multoties ſuper deformitate ſuâ ſancto Patritio cõqueſtus, precabatur illum vt precum ſuarum obtentu ſuæ larualis faciei horrorem exterminaret, vt ſic Dei ſui omnipotentiam, in quem cunctus populus credidit, experiri poſſet. Quadam vice ſanctus Patritius precibus pulſatus hominis, de ſe ipſo ſic verecumdati atque confuſi, ſciſcitabatur ab eo, cui in formâ optaret aſſimilari. Ille verò circumſpectis cunctis in circuitu poſitis, præelegit ſpeciem Roichi Eccleſiaſtici cuſtodis codicũ ſancti Patritij: erat ipſe natione Brito, gradu tunc Diaconus, ſancti Pręſulis conſanguineus, ſpecioſus formâ præ filijs hominũ in finibus illis degentium: erat nihilominùs homo vitæ ſanctiſſimæ, vt dicere poſſet illud Pſalmiſtæ ex ſententiâ; *Domine, in voluntate tuâ præſtitiſti decori meo virtutem.* Si verò Patritius fecit eos in vno lecto ſub vno amictu ſomnum capere,

re, stansque super eos, leuauit puras manus in oratione. Res mira, & valdè inusitata. Cùm excusso sopore à strato surrexissent, nulla in vtriusque vultu apparuit distantia. Discreuit illos tantummodò tonsura. Cunctos ergo hoc agnoscentes admiratio percussit. Sed hoc in se signũ experti copiosior lætitia pectus perfudit. Quoniam S. Patritius Eugenio super formâ in melius mutatâ satisfecit, ipse confidens adhuc de impetratu petitionem alteram adiecit; erat enim valdè pusillæ staturæ. Precatus igitur Pontificem sanctum, vt quod suis meritis non præualet homo, in nomine Dei sui adijceret ad staturam suam cubitũ vnum. Præcepit Patritius homini mensuram desideratæ longitudinis sibi ostẽdi. Stetit ille articulis pedum innixus super hastam suam erectam, extrema digitorum quantum potuit extendit, suique staturam ad eiusdem mensuræ altitudinem poposcit pertingere. Orante ergo Patritio, sub oculis omnium homo, imò homuncio, ad præostensam altitudinem excreuit, & ne signa magica seu mendacia iudicarentur in staturâ & in formâ præscriptâ, in admirationem multorum vsque ad vitæ terminum perdurauit.

CAPVT XLIX.

De vestigijs petræ impressis.

Eiusdem Auctoris sequentem historiam accepi. Quadam vice S. Patritius quatuor Virgines stantes super lapidem vnum velauit, consecrauit, sponsoque cælesti desponsauit. Res autem apparuit mira, & valdè inusitata. Virginum Deo dedicatarum lapidi duro impressa vsque in præsens apparent vestigia, vt cunctis clarescat, quòd benedicentis Patritij precatio siue prædicatio penetrare possit, emolliendo pectora etiam saxea. Datur nihilominùs nobis hac in re intelligere, vt ad eum, cui se probauerunt, possint peruenire. Vocatur locus, in quo consecratæ fuerunt, Tedna, vbi illis Domino seruituris ædificabatur Ecclesia, quæ pertinet hodie ad ius Metropolitanæ sedis in Aramachiâ.

CAPVT L.

De lapidibus maledictis.

INter miracula S. Patritij hæc refert Iocelinus. Intẽtione Ecclesiæ videlicet ædificandæ diuertit Christi famulus ad locum famosissimum Vsneach nomine Duo verò germani, Fiechus & Enda nominati, illis in finibus principabantur: quibus S. Patritius multa bona in præsenti sæculo atq; futurò, & etiam semini illorum, si sibi acquiescerẽt, pollicebatur. Illi autem non solùm à prece & prędicatione Patritij aures auerterunt, verùm etiam à loco prædicto violenter ipsum expulerunt. Sanctus molestiùs impedimentum Ecclesiæ fundandæ, quàm sui expulsionem accepit, ipsis & semini ipsorum inijcere maledictionis iaculum incepit. Secundinus autem discipulus S. Patritij sententiæ verbum ex eius ore rapuit, & antequam fine concluderetur, deprecando dixit: Obsecro Domine Pater, vt maledictio vestra non sit super homines istos, sed super vicinos loci lapides. Sanctus priùs modicè subticuit, & postmodum postulata concessit. Mira res. Ab illo die vsque in prę́sens lapides illi nulli structuræ apti aut vtiles inueniuntur, quin etiam si fortè aliqui ex improuiso ædificio imponantur, velociter opus illud ruere seu dissipari dicitur. Nullum etiã ignis calorem naturalem admittunt, nec in aquam missi strepitum, vt moris est lapidum, faciunt; vnde & prouerbium apud Hibernicos increbuit, vt si quando lapis in ędificio frangitur, de lapidibus Vsneach maledictis à S. Patritio esse dicatur. Enda verò, prædictorũ fratrum iunior, super iniuriâ S. Patritio illata pœnituit, & prouolutus pedibus ipsius, veniam poposcit, & postulatam promeruit. Hic nouem filios habuit, quorum vltimum natu, nomine Cormacum, obsequio diuino mancipandum cum tota nonâ parte suę terræ S. Patritio obtulit. Frater verò ipsius Endæ, Leogerus dictus, conuersus ad fidem, qnindecim villas S. Patritio contulit cum suo nepote, quæ spectãt ad ius Ardmachanæ Ecclesiæ. S. Patritius baptizauit puerũ, educauit, litterisq; imbuit: puer autem ætate, sapientiâ & sanctitate creuit, virtutibus atque miraculis clarus in Domino requieuit.

CAPVT LI.

De legumine sine semine nato.

ANonymus Auctor inter alia S. Columbani miracula hæc habet: Legumen pisi, quod rustici herbiliam vocant, ex aduentus sui tempore per singulos annos sponte nascitur per illas rupes, quas ipse perambulauit, nullo serente, & quod nobis maius miraculum videtur, per scissuras petrarum, vbi nullus humor adest, non æqualiter tamen, per singulos annos nascitur. In multis autem locis, vbi præsenti anno orta fuerat, in alio deerit. Sed in hoc virtutem Domini nostri esse credimus, quòd ipse per seruum suum quotidie operatur. Nam si in vno loco per singulos annos nasceretur, forsan multi

multi putarent non esse meritum Sancti, sed de illius semine vbi caderet & inde oriretur. Mos enim est custodi ipsius speluncæ, quando apparuerit, ibi signum mittere, quousque ad maturitatem peruenerit, diligenterque hunc colligere, & Abbati transmittere. Abbas verò Regibus suis siue Principibus solitus est pro benedictione sancti Columbani dare.

CAPVT LII.

De arbore rosariorum.

NVperrimè nostris diebus in Hiberniâ germinauit arbos à manè ad noctem, apta ad nectendos rosarios ad nostræ fidei & Deiparæ deuotionis argumentum. Res notissima fuit.

CAPVT LIII.

De piscibus sancti Mauritij.

IN quodam monasterio Galliæ, S. Mauritij appellato, tot sunt in quodam stagno pisces, quot Monachi, quorum aliquo ægrotante, supernatat aliquis piscis infirmus; morituro præmoritur piscis.

CAPVT LIV.

De S. Rosaliâ.

SAncta Rosalia Regio Normannorũ sanguine nata, aulâ virginitatis amore auersata, in peregrini mõtis specu, Angelo ductore, vt vixit, ita obijt sanctè: cuius quingentis propè ab obitu annis, pestilẽtiâ Panormum anno 1624. infestãte, in quo vixerat loco, intactum virgineũ corpus, vnâ manu innixũ, alterâ rosario dependente lapideo cortice obductum inuentũ, miraculis nobilitatum, Panormum anno 1625. inuectum est.

CAPVT LV.

De sceleto mirabiliter contexto.

CVm Negapatani moreretur seruus Dei P. Franciscus Perezius, qui insigni sanctimoniâ, virtutibusque, inter lumina nostræ Societatis illuxit, quòd nulla tunc ibi Sociorũ domus templumq; foret, inter pauperum cadauera suum sepeliri iusserat: at Misericordiæ sodales illius iussa nihil morati, in primario eum sacello cõdidere, eiusq; reliquias velut pretiosissimum thesaurum asseruandũ duxere. Omnes quippe eum tum viuum tum mortuum, vt virum sanctissimum colebant, multi crines & vestis frustilla velut reliquias asseruabant. Credebãt opidani, ex quo pretiosum hoc ossiũ pignus penes se habuere, à grauibus calamitatibus & incommodis eius intercessione ac meritis conseruatos. Hinc & Naichus, cui parẽt, cùm antè quotidianas prope depeculationes immisso milite ageret, & opidanos miris diuexaret modis, ex quo Perezij hîc quieuere ossa, numquam, etsi daretur occasio, quòd à Lusitanis varia ipse detrimenta acciperet, eos infestauit. Vt verò suam Patres ædem construxere, Perezij huc trãsferri ossa placuit, oppidanis sodalibusq; Misericordiæ licet obstantibus. sed precibus hi tandem victi cessere. Aperto ergo tumulo, dũ ossa singula legêre, Patrum quispiam conatur, eadem vincta ac colligata à radice quadam tenui, quæ desub cranio, cui iuncta erat, proserpebat, comperit: eius hîc velut origo erat, è quâ aliæ radiculæ totum ad talos vsque corpus ambientes, & ossa femoris genuumque pertranseuntes pullulabãt. Mirari rem prodigiosam vniuersi, idque tum potiùs, cùm nullã adesse circumquaque vident arborem, è quâ hæcce produceret radix, quæ, & à capite progigneretur, & in pedes dũtaxat desineret. Tum primùm obniti plebs, & sacrũ tolli corpus impedire: at pollicitis Patribus ipsum opido non efferendũ, sed ad suam dumtaxat ædem transportandum, quò ab omnibus inspiceretur, refragari desiere. Supplicatio ergo indicta, & magno ossa plausu ad templum nostrum delata, ligno perpetuo magniq; pretij, quod Thecam dicunt, inclusa, quæ fornicatæ fossæ imponũtur. Magno certatim quisque sacrum hunc thesaurum honore prosequi, seque felicissimũ credere, si quid ex ipso, vel quod ipsum tetigisset, nancisci posset. Ita scilicet Deus honorare solet, à quibus, dum viuerent, eius honor promptus est.

CAPVT LVI.

De Cruce sanguineâ.

PAulò antequam grauis cõcitaretur procella aduersus Neophytos Trauãcorios, insigni prodigio significata fuit; cuius historiam cum alijs mirabilibus lubet referre ex relatione Petri Iarrici. Priùs, inquit, quàm procella hæc in Christianos descenderet, aliquibus eam signis ac præsagijs præsignasse videtur Deus. Cotatæ enim, vbi templum ac Crucem erexisse Buceriũ diximus (erat hic Andreas Bucerius ex nostrâ Societate) diei Veneris vesperâ anno 1604. liquor quidam sanguineus ex vno Crucis latere promanare visus est. Hoc liquore in Crucis modũ diffuso, omne lignum circũsecus maduit, &

ad septimanas aliquot mansit humectatum; è medio verò Crucis fulgor quidam, qualis è gēmis emicare solet, prodijt. Adeò mirum hoc visum cunctis, vt plurimi ad spectaculum, pars Christiani, pars Ethnici, confluxerint, variasque de eadem re composuerint (quod indigenis si quando nouum & insitatum contingit, perfrequens) cantilenas, quas magnâ gratulatione Christiani decantabant. Notatū pòst latus Crucis, è quo liquor ille stillabat, illum terræ tractū respicere, in quo neophyti vexati fuere, quasi instātis eos aduersitatis, quæ trimestri pòst illos oppressit, simul & splendoris & gloriæ Crucis Christi hinc promanaturæ cōmoneret. Similia quippe iam superioribus sæculis alibi contigisse, referunt historiæ, præsertim quando suos exagitare Deus, & nominis sui inde gloriā elicere decreuerat. In hocce incendio aut pòst paulò, duo sanè memoratu digna contigere, quæ silētio minimè prætereunda. Colchetæ cùm templum, quod è ligno constructum, barbari in cineres redegissent, Crux tamen ingens eius in medio sita, nullum ab igne damnum sensit, vti nec tabula lignea altari superposita. Vacciacorini quoque templo, quod D. Apostolo Iacobo sacrum erat, iam absumpto, puerpera è partu gemellorū grauissimè laborans, cùm vnum effudisset, alterum eniti non poterat: ergo templi ædilem rogat, num quod sibi applicaret remedium nosset. Is ergo paululum terræ è loco vbi Apostoli steterat imago aquæ mixtum, puerperæ in potum cùm dedisset, sine vllo ipsa labore mortuum fœtum peperit. Infinitam suam hoc pacto potentiam ostendere voluit Deus, & hanc vel pulueri locorum sacrorū, in quibus nomen eius olim inuocatum erat, virtutem indere.

CAPVT LVII.

De aquâ ignis alimento, & aliquibus miraculis S. Francisci Xauerij.

ADijcit idem Auctor aliqua admiranda meritis S. Francisci Xauerij eodem loco patrata, nec pronam occasionem præteribo tantum virū memorandi. Non omnia, aliqua dumtaxat excerpam. Quod subnectitur, inquit, plurium comprobatum est testimonio. Ethnicus audito plurima hoc in loco patrari miracula, rei periculum facere voluit, aut si secùs habere rem se comperisset, Christianis illudere, mendacijque coarguere. Aquā ergo lustralem lampadi iam deficienti inijcit, visurus num prodigiū operaretur Deus. Cernens autem eâ ipsam collucere magis, mirari cœpit. Idem faciunt & Christiani, idem quoque sequitur effectus, vt bonam noctis partem rei finem spectaturi in templo manserint, Deumque in Sanctis suis laudarint, Ethnici verò obstupuerint. Aliquot pòst diebus Christianus, qui peregrinationis causâ templum adierat cum donario, ei eiusdem facere voluit periculū: pòst accensas enim triginta lampades, oleaginus liquor ad tres horas arsit. Concubiā reuersus nocte, extinctas omnes reperit, & ellychnium in plerisque absumptum. Tum insigni cum candore adstanti neophyto, Experiri, inquit, volo, num hîc Deus operetur miracula. Mox ellychnia aliquot aquæ lustrali immergit; ignique applicat. Ardent illa quasi oleo suffusa. Replet quoque duas eadem aqua lampades, impositisque aquâ tinctis ellychnijs, non minùs collucēt, quàm si vnguine pinguissimo scaterent. Tum ille miraculum ingeminat. Adsunt illicò plurimi, qui cùm verbis eius non crederent, facere idem ipsi periculum voluere. Omnibus ergo lampadibus aquam infudit, quæ horæ spatio arsere. Quòd verò ellychnia antè oleo perbibita calumniarentur Ethnici, noua ellychnia aquæ immersere, quæ non minùs alijs cunctis inspectantibus lucem dedere. Quin & postridie quindecim lampadas oleo ac totidem aquâ lustrali replerunt: applicatum ignem non minùs hæ quàm aliæ concepere. Hoc pridie Kal. Aprilis anno 1607. contigit.

Quod iam narrabo, longè est mirabilius. Neophytus Antonius, loci cui nomen Moral Magistratus, ab octimestri oculorū, manuum pedumque vsum amiserat, & varia remedia tentauerat frustrà. Ergo secundùm quietem videre sibi visus est quemdam Societatis virum, ad vestem talarem Pluuiali indutum, quem ingens hominū turba supplicantium ritu præcedebat. Accedens is propiùs, manuq; apprehensâ, Cotatæ templum suum adire iubet. Experrectus æger, hocque spectro animatus, iussa exequitur, & Cotatam abit. Hîc in soporem incidit. Apparet denuò idem Pater, sed eâ quā tabula altaris præferebat formâ, benè iubet sperare Deoq; fidere, qui salutem membrorumque vsum redderet, quem non multò pòst S. Francisci intercessione, vt vero simile fit, etiam dedit. Ille diuinum agnoscens beneficiū, elegans poëma panxit, quo & morbos suos, & S. Francisci apparitiones, illiusque precibus impetratam valetudinem commemorat. Hæc omnia curatus ipse suo confirmauit testimonio, vt taceam illorum, qui ægrū antè, pòst sanatū coràm viderunt.

Ecce & aliud eiusmodi plurimorū adstantium confirmatum calculo. Christiana matrona, cui Annæ nomen, à bimestri & ampliùs omnem linguæ vsum perdiderat. Mater

ter filiæ nomine S. Frãcisco votum nuncupat, Cotatamque peregrinatũ abituram se spondet. Cui eodem vespere visus quidã Patrum, qui paruulorum agminatim velut ad doctrinam Christianam procedentiũ cœtu stipatus, per vicos incedens altâ diceret voce: Mirabile quid iam editurus sum. Vt matronæ domum subijt, loqui ipsa incipit, moxque omnis disparet visio.

Matrona nobilis duplici laborabat morbo, frustrà in Medicos effusis opibus. Templum hoc se adituram vouet, auream q; daturam crucem, saluté modò obtineat. Nec irritæ preces: nam mox sanitati reddita. Alia prodigia miraculaque hoc in tractu fieri indies solita prætereo; satis sit, plurimos tam Ethnicos quàm Christianos illum suis in morbis, afflictionibus, aduersis, periculisque inuocare, ac sæpè votorum fieri compotes; præsertim in æde Cotaneâ; quæ quamuis SS. Trinitati sacra, vulgò tamen S. Xauerij nomine dicitur, ob innumera quæ patrocinio eius meritisque quotidie fiunt miracula. Patres Cotatâ abire compulsi, veriti nequis maleuolus fortè per contumeliam S. Patris imaginem tolleret, aliamque eius loco substitueret (nec inanis is metus erat) Colanio eam mercatori dedere, vt Rectori Colanio dein traderet. Ipse noctu Colanũ ingressus, manè Rectorem adire constituit. Verùm hac ipsâ nocte vicinam hospitio domum incendiũ corripit, adeò quidem vehemens, vt iamiam, afflante in primis vento, vicina quoque in cineres domus redigenda videretur. Institor illicò tabulã effert, cetera flammis credidit iam instantibus; & sanè velut stuppea deflagrasset domus, vtpote lignea, & aridis palmarum frondibus tecta, si accessisset ignis. Sua ergo defẽsurus, omni humanâ destitutus ope, Deo se ac S. P. Xauerio commendat: repente mutatus ventus, & à diuersorio flammam diuertens, aliorsum, vbi nocere non poterat, flauit. Omnes inopinatam mutationem vt miraculum suspexere, tabulæ eius ignari; verùm re compertâ, S. Francisci precibus hanc venti mutationem adscripsere, atque inde maiori Colanes erga ipsum studio affectuque ferri cœpere, etsi antè eius perstudiosi forent. Quòd verò tabulæ videndæ percupidi essent, Natalis Dominici die publicè in templo spectanda proponitur; quam visura osculaturaque ciuitas vniuersa ad templum confluxit. Collocatam dein in sacello Collegij, plurimi voti causâ adeunt, domique colunt ob innumera quæ Beati viri meritis à Deo consequuntur beneficia. Quòd verò Crux ante templum Cotatenum fixa, cuius vna extremitas sanguineum, vt diximus, antequam inde Patres egrederentur, liquorem stillarat, ingens foret, vtpote quæ sexaginta longitudine spithamas, quindecim latitudine complecteretur; visum est ob ventorum vehementiam eamdem accidere. Ergo transuersi ligni, è quo liquor ille manarat, pars quarta recisa est, è quâ pòst plures formatæ cruces minores in aris collocandæ, quin & aliæ minutiores in populum petentem distribuendæ: beatum namque se credebat is cui habere contigisset. Has auro argentóve insertas de collo gestabant, & B. Xauerij lignum dicebant. Colonij verò præsidiarij Lusitani tanti ipsas fecere, vt si similem nanciscerentur, aut æream S. Patris effigiẽ, hac assumptâ, maiori cum fiduciâ conflictũ inirent, quàm si cataphracti & armis imperuijs tecti forent. Hinc & semper victores redibant: & tametsi pauci numero, infinitas tamen hostiũ turmas profligabant, vix vllis suorum amissis. Testantur id varia certamina ac conflictus, quos cum Regulis arci Colaniæ inhiãtibus iniere: cùm enim pellere præsidiũ vellent, annuo arcem pressere obsidio, sed frustrà, nam omnibus in oppugnationibus irriti, à Lusitano fusi sunt, idq; protegente eum diuinâ potentiâ, & precibus S. P. Xauerij, erga quem vrbs hęc mirificè afficitur.

CAPVT LVIII.

De arbore subitò arescente.

IN quodam Æthiopiæ regno centũ quinquaginta iam olim templa in vno territorio decem circiter leucarum spatio numerabantur, quæ Æthiopes olim, si quid à Deo obtinere contendebant, Litanias decantando adibant. Ferunt orare illos solitos, vt in precationum exauditarum argumentũ arborem arefaceret Deus, haud procul ab illis dissitam templis. atque ita cùm fieret illis ad orandum se componentibus, arborem ad pristinum virorem interim reuerti solitam: itaque petitorum se compotes fore intelligebant. Verùm ex quo ab Ecclesiæ se Romanæ vnione separarunt, hoc cessasse sunt qui dicunt.

CAPVT LIX.

De statuâ Iesu lacrymante.

IDem Iarricus, cùm ageret de Fratre nostræ Religionis Benedicto à Goes, sic narrat: In Indiâ militẽ cùm ageret, classe oram Malabaricã decurrẽte conscensâ, Trauancoridem appulit. Templũ hîc haud procul à Colecheâ situm, ac Deiparæ sacrũ ingressus, cùm in arâ Deiparæ eiusdem paruulum

collo pendulum gestãtis videret imaginem, in genua coram illâ prouolutus est. Ludo tum ac ceteris adolescẽtiæ, ac præsertim militaris vitę illecebris nimiopere deditus erat. Vitæ ergo superioris delicta reuoluente, ita omniũ pœnituit, vt de salute quodãmodò desperaret. In terrã ergo prouolutus lacrymisque perfusus, benignissimam misericordiæ Matrem orauit, vt suam apud Filium mediatorem hominum noxarũ impetraret veniam. Et ecce paruulus quem mater vlnis stringebat, in lacrymas visus est prorũpere. Videbat quippe oculis eius distillantẽ quàm vberrimè liquorem lacti persimilem; quo tota infernè ara permaduit. Quo ille spectaculo consternatus, commilitones testes miraculi futuros aduocat, remque ex ordine narrat. Illi suis rem oculis videntes, linteum eidem intinxere liquori, quod inter se diuisum, velut sacrũ quid apud se deinde asseruarunt, ac suum inde natum gaudium festa bombardarum maiorum ac minorũ displosione, templique frondibus & arborum ramis condecoratione, testati sunt. Is verò cuius vnius ob causam hæc contigerant, re ipsâ breuí se potenti Dei dexterâ tactum ostendit; nam totius vitæ superioris noxarũ exomologesim apud quemdam Societatis nostrę Sacerdotem insigni cum dolore ac pœnitentiâ mox peregit, ac Religionis se voto obstrinxit. Ergo Societatem Iesu ingressus, vitam in eadem prçclaro cunctis dato exemplo posuit. Ea autem viri fuit humilitas, vt etsi à superioribus sacris Sacerdotij ordinibus ex singulari priuilegio, quod in rerum temporalium vsum in Societatẽ cooptatis (qui temporales coadiutores dicuntur) rarissimè conceditur, admoueretur, nũquam voluerit condescendere, paratus, quò humilitatem magis magisque exerceret, Marthæ semper obire partes.

CAPVT LX.

De statuâ sancti Antonij de Paduâ ambulante per aquas.

NEque præterire possũ, quod idem Auctor alibi scribit. Anno 1595. Rupellani piratæ Bayam deprædaturi cùm soluissent, priusquam in Brasiliam tenderent, arcem quamdam Lusitanorum, in Africæ orâ ad promontorium Candidum, quod 21. gradibus est latitudinis Septemtrionalis, sitam, inuaserunt: quòd enim negligentiùs excubarent vigiles, sine vllo obstaculo obtinuerunt, iugulatoq; cum aliquot militibus Prçfecto, mœnia ad terram deiecere. Quòd verò hæreticâ labe conspersi essent, templum quoque euertere, altaria demoliri, imagines confringere, & quidquid in eo sacrum & religiosum erat, destruere cœpere, seruatã dũtaxat, ad ludibrium D. Antonij Paduani (quamuis patriâ Olyssiponẽsis) statuâ. Huic in naues acceptæ gladiũ accingunt, ac contumeliarum in eamdem plaustra exonerant. Antonium Lusitanum per contemptum nuncupant, & rogant, suã vt nauem ad portum Bayensem perducat, vtque secum conflictum ineat inuitant: sed breuí vltrix Dei manus adfuit. Fœda siquidem tempestas vniuersam classem huc illucq; distraxit, perque nauicularios dirissimâ peste grassante, tantam calamitatem subijt, vt binæ dumtaxat naues oram Bayensem attigerint: quarum vectores, aquandi gratiâ exscensione factâ capti à Lusitanis, in vincula coniecti sunt; ceteri, qui in nauibus permanserant, quòd exhausti essent morbis, vitâ integrâ, se suasque naues Lusitanis dedidere; quarum altera, quòd ex hauriendæ sentinæ vectores non sufficerent (omnibus contagio extinctis) fundũ præ aquæ subintrantis pondere petijt; altera verò, quâ D. Antonij imago vehebatur, vt ridendo postularant piratæ, Bayam perducta est. Veriti verò, sua ne pateret nequitia, imaginem truncatam ac mancam in mare præcipitem dederunt: vndæ verò rationis expertes, maiorem (vt apparet) statuæ honorem exhibuere; post aliquot enim dies ad litus eam eiecerunt, & quidem stantem. Eminus conspicientibus inambulans homo in littore videbatur, sed cominus imago visa. Quam honestus ciuis in littore repertam, magnâ cum reuerentiâ in æde sacrâ proximâ collocauit: sed vrbis Præfectus totâ rei serie cognitâ, ad vrbem eamdem deferri voluit: quæ vt magnâ omnium gratulatione & plausu à Clero supplicante excepta, in æde Capucinorum collocata fuit. Ita suos in hoc mundo & in altero Deus, ob ludibrium quod à nefarijs sceleratisque sacrilegis sustinent, honorare solet.

CAPVT LXI.

De vaccis S. Columbæ.

ADamãnus Scotus hæc memoriæ prodidit de S. Columbâ: Alio tempore vir beatus quadam nocte, cùm apud Colũbanum tunc temporis inopem benè hospitaret, manè primo Sanctus de quantitate & qualitate substantiæ plebeium hospitem interrogat. Qui interrogatus, Quinque tantũmodò, ait, vacculas habeo, quæ, si eas benedixeris, in maius crescent. Quas illicò à Sancto iussus adduxit, & huius Columbani bu-

buculas quinales æqualiter benedicens inquit: Centenas & quinq; Deo donante habebis vaccas, & erit in filijs & nepotibus tuis florida benedictio. Quæ omnia iuxta sancti viri prophetationem in agnis & pecoribus eius, & prole plenissimè adimpleta sunt, mirumq; in modum numerus à Sācto præfinitus suprà memorato viro in centenario & quinario expletus numero, nullo modo superaddi potuit: nam illa quæ suprà præfinitum numerū excedebant, diuersis prærepta casibus nuspiam comparuerunt, excepto eo quòd aut in vsus proprios familiæ, aut in opus eleemosynæ expēdi poterat. In hac itaque narratione miraculum & prophetia simul apertè ostenditur: nam in magnâ vaccarum ampliatione benedictionis pariter & orationis virtus apparet, & in præfinitione numeri prophetalis præscientia.

CAPVT LXII.

De terrâ Hiberniæ exitiali serpentibus.

ADmirandam benedictionē Hibernia à sancto Patritio accepit, eiectis inde baculo suo omnibus venenatis reptilibus, eaq; gratiâ regioni impetratâ, vt ne toleret quidē eiusmodi animalia, etiā aliunde illata, &, vt omnia fermè quæ insula illa progignit, non inefficax antidotū aduersus venena præbeat. Rem hanc explicabo verbis Giraldi Cambrēsis ex Topographiâ Hiberniæ desumptis. Et quamuis ipse dubitet, vnde hæc felicitas Hiberniæ prouenerit, num à sancto Patritio, an verò ab innatâ cæli temperie, & occulto quodam insulæ genio, & insitâ naturali antipathiâ huiusmodi veneniferis animalibus prorsus aduersâ, nos tamen ipsum philosophari, ne dicam fatuari, sinemus, nobisq; id quod tota Hibernia Orthodoxa semper sibi persuasit, pariter persuadebimus, nēpe gratiam hanc ex S. Patritij fonte manasse. Non enim audiendi sunt, qui vt Sanctorū honorem ac gloriam deterant, ea quæ ipsis tamquam supra naturæ vires gesta attribuuntur, ad naturæ arcanam quamdam energiam reuocant, vel saltem reuocare conantur. Iam Giraldo mira prorsus memoranti aures præbeamus.

Inter omnia, inquit, vermium genera solis nō nociuis Hibernia gaudet, venenosis enim omnibus caret. Caret serpētibus & colubris, caret bufonibus & ranis, caret tortuis & scorpionibus, caret & draconibus. Habet tamen araneas, habet sanguisugas, habet & lacertas, sed & prorsus innocuas. Vnde satis historicè satisque facetè dici vel etiam scribi potest: Ranæ in Galliâ & Italiâ clamosæ & garrulæ, in Britāniâ mutæ, in Hiberniâ nullæ. Quidam verò figmento satis fauorabili coniectant, sanctum Patritium, aliosq; terræ Sanctos, pestiferis cunctis insulam purgasse. Sed probabilior asserit historia, à primis tēporibus longeq; ante omnem fidei reuelatæ gratiam, sicut aliarum quarumdam rerum, sic & istarum naturali quodā defectu semper insulam destitutam fuisse. Nec mihi mirandum videtur, quòd vermium istorū, sicut & piscium auiumque & ferarum quarumdam naturalem defectum terra patitur. Sed hoc stupore dignū occurrit, quòd nihil venenosum aliunde aduectum vmquam continere vel potuit vel potest. Legitur namque in antiquis terræ istius Sanctorum scriptis, quòd aliquoties experiendi gratiâ serpentes in ollis æneis delati sunt, sed quàm citò medium maris Hibernici cursum transmeauerant, exanimes & mortui reperti sunt. Toxicum quoq; similiter allatum, medijs in fluctibus innatâ malitiâ beniguior aura priuauit. De his autem Beda scribit in hunc modum, de Hiberniâ loquēs: Nullū ibi reptile videri soleat, nullus viuere serpens valeat. Nam sæpè illò de Britāniâ allati serpentes, mox vt proximante terris nauigio odore aëris illius afflati fuerint, intereāt. Quin potiùs omnia pænè quæ de eadē insulâ sunt, contra venena valent. Scrutatores tamē Oceani mercatores asserentes audiuimus, quòd cùm naues in portu Hibernico aliquoties exonerassent, bufones casu illatos in fūdo nauium inuenerunt, quos dum viuos in terram proiecissent, statim verso ventre, videntibus & admirantibus multis, medij crepuerunt & interierunt. Constat igitur, quòd vel Sanctorum meritis (sicut vulgata per orbem asserit opinio) siue ex aëris nouâ quidem & inauditâ, benignissimâ tamē clementiâ, siue terræ ipsius vi quadam occultâ, & venenis inimicâ, nec animal venenosum hîc subsistere potest, & venenum quodlibet, aliunde aduectum, omnem malignitatis efficaciā prorsus amittit: in tantum siquidem terra hæc inimica veneno est, vt si aliarum regionum seu viridaria, seu quælibet alia loca puluere ipsius aspergantur, venenosos abinde vermes procul exterminet.

Corrigiæ quoque terræ istius, non adulterinæ, sed veræ, & de corijs animalium quæ hîc nata sunt, factæ, cōtra bufonum serpentumq; morsus in aquâ, rasæ & potæ, efficax remediū ferre solent. Vidi oculis meis corrigiam huiusmodi strictam & arctā bufoni circulariter periculi causâ circumpositā, ad quam perueniens, & transire volens, statim tamquam percussus capite retrocecidit, partesq; ad appositas se trāsferens, & corrigiam vndique inuentā tamquam pestem quamdam fugiens, in medio tādem circuli spatio

terram fimosam subitò pedibus effossam, multis intuentibus subintrauit. Quinimò omnia pænè quæ de eadē insulâ sunt, iuxta Bedæ obseruationem, cōtra venena valent. Asserit enim, se vidisse quibusdam à serpentibus percussis, rasa folia codicum, qui de Hiberniâ fuerant, ipsamque rasuram aquæ immissam, protinus tōtam vim veneni grassantis, totum inflati corporis absumpsisse ac sedasse tumorem.

Contigit autem nostris diebus in Borealibus Angliæ finibus, iuuenis os dormientis colubrum intrasse, & per guttur apertum in ventrem descendisse. Qui male suum incontinenti remunerans hospitem, eius intestina rodere dentibus & lacerare non cessauit, adeò vt iuuenis ille tantis angustijs torqueretur, quòd morte mori mallet, quā vitam ducere mortis. Post cibum tamen sumptum, aliquam quietem respectu temporis alterius habebat, antè verò penitus nullam. Cùm autem loca Sanctorum Dei per Angliam lustrasset, & diu, & incassùm, tandem saniori consilio in Hiberniam transuectus, statim aquis terræ illius salubriter haustis, & cibarijs sumptis, lethalem hostem lethaliter extinctum per inferiora transmisit, & lætus sanitate resumptâ repatriauit. Hæc Giraldus, qui & de Baculo, quo S. Patritius venenifera animalia ex insulâ expulisse fertur, ista litteris prodidit. Inter vniuersos Hiberniæ baculos, ligneæque naturæ Sanctorum Reliquias, virtuosus ille & famosus (quem *baculum Iesu* vocant) non immeritò præcipuus & primus esse videtur, per quem vulgari opinione sanctus Patritius venenosos ab insulâ vermes eiecit, cuius siquidem tam incertus est ortus, quàm certissima virtus.

De eodem S. Bernardus in Vitâ S. Malachiæ: Nigellus (inuasor Episcopatus) videns sibi imminere fugam, tulit secum insignia quædam sedis illius, textum scilicet Euangeliorum, qui fuit S. Patritij, baculumque auro tectum, & gemmis pretiosissimis adornatum, quem nominant *baculum Iesu*, eò quòd ipse Dominus, vt fert opinio, eum suis manibus tenuerit atque formauerit. Hæc sanctus Bernardus.

Eiusdem Baculi fit mentio in manuscriptâ quadam S. Patritij Vitâ, vbi dicitur, ab ipso Domino & Saluatore nostro gestatum, & per seruum suum Amatorem (cuius meminit Baronius in Notationibus Martyrologij Romani ad diem 17. Martij, & Vita S. Patritij typis excusa Tomo 3. Bedæ) Patritio muneri transmissum.

CAPVT LXIII.

De sepulchro S. Remigij.

PVluis quoq; pauimēti circa sepulchrum sancti Remigij serpentes fugat, scribit Flodoardus lib. 1. Historiæ Rhemensis de quodam colono villæ Rhemensis Episcopi, qui secus amnem Saram loco lutoso manebat, & in suis habitaculis à serpentibus molestiam magnam sustinebat. Hic ergo accipiens puluerem, quem secum ab Ecclesiæ (sancti Remigij) pauimento collectum detulerat, per habitacula sua respersit, & cetera, ac posteà serpens in ijsdem locis non apparuit. Compertum quoque traditur, quòd in omnibus Ecclesijs S. Remigij, circumiacentibus atrijs vel cœmeterijs coluber numquam soleat inueniri. Sed & si delatus huc aliquò modo fuerit, nullatenus hîc viuere possit. Hæc Flodoardus.

CAPVT LXIV.

De Melitâ insulâ, & lapillis S. Pauli.

QVod interuentu S. Patritij Hibernis diuinitus concessum est, idem etiam obtigit Melitensibus B. Pauli meritis. Nam ex quo vipera sanctam illam manum inuadere ausa fuit, omnia animantia venenifera venenū innoxium in illâ insulâ habent, & hoc non accidere ex naturali regionis institutione, sed B. Pauli meritis, inde liquidum fit, quia incolæ illius insulæ cùm vidissent viperam ex manu S. Pauli pendentem, existimarunt eum iam iam, in tumorem conuersum, animā exhalaturum. Quâ suâ opinione & expectatione cùm falsi fuissent, Deum esse existimarunt. Signum igitur est, viperarum priùs in Melitâ, vt & alibi, morti ferū morsum fuisse, neque mutationem viperæ & aliorum alteri quàm S. Paulo adscribi debere. Ex cuius specu, in quo trimestri habitasse fertur, non Melitenses tantùm, sed & aduenæ lapillos cædunt, ad scorpionum & anguium exitiale virus ab humanis corporibus profligādum, vt ait Thomas Flazelius prioris Decadis de rebus Siculis lib. 1. Quamuis autem aliæ etiam terræ, nominatim Gaulus insula, non procul Melitâ distans, venenifera animalia vel non progignant, vel aliunde illata mox interficiant, quod & de Ebuso non longè à Balearibus dissitâ proditum est; attamen quod vni solo naturale est, id alicui alteri cælitus per merita Sancti cuiuspiam obtigisse, nihil à fide alienum continet. Quapropter licet particulæ terreæ ex Ebuso

Ebuſo aut Gaulo in Colubrariam inſulam, ſerpentium feracem, aut aliò illatæ & allatæ, ijſdem exitium adferant, non rectè tamen colliges, id quod vni terræ à naturâ conceſſum eſt, id alteri ſimiliter à naturâ non à miraculo alicuius Sancti obtigiſſe. Simile priuilegium carendi venenatis Epiſcopatus Toletanus poſſidet ſancti Ildefonſi meritis.

CAPVT LXV.

De fonte S. Columbæ.

IN Vitâ S.Columbæ, inquit Adamannus vetuſtus Scriptor, Alio in tempore vir beatus, cum in Pictorum Prouinciâ per aliquot demoraretur dies, audiens in plebe gentili de aliquo fonte diuulgari famam, quem quaſi diuinum ſtolidi homines, diabolo eorum obcæcante ſenſus, venerabantur. nam de eodem fonticulo bibentes, aut in eo manus vel pedes de induſtriâ lauãtes, dæmoniacâ, Deo permittente, percuſſi arte, aut leproſi, aut luſci, aut etiam debiles, aut quibuſcumque alijs infeſtati infirmitatibus reuertebantur, ob quæ omnia ſeducti gentiles, diuinum fonti deferebant honorem. Quibus compertis, Sanctus aliâ die intrepidus acceſſit ad fontem. Quod videntes magi, quos ipſe ſæpè confuſos & victos à ſe repellebat, valdè gauiſi ſunt, ſcilicet putantes eum ſimilia illius nocuæ tactu aquæ paſſurum. Ille verò inprimis eleuatâ manu ſanctâ, cum inuocatione Chriſti nominis manus lauat, & pedes, tum deinde cum ſocijs de eadem à ſe benedictâ bibit, ex illaque die dæmones ab eodem receſſerunt fonte, & non ſolùm nulli nocere permiſſus eſt, ſed etiam poſt Sancti benedictionem, & in eo lauationem, multæ in populo infirmitates per eumdem ſanatæ ſunt fontem.

CAPVT LXVI.

De mirâ arboris mutatione.

IDem Adamannus narrat: Quædam erat arbor valdè pomoſa prope Monaſterium Roboris-campi, in auſtrali eius parte: de quâ cùm incolæ loci haberent pro nimiâ fructus amaritudine querimoniam, quadam die Sanctus ad eam acceſſit autumnali tempore, videnſq; lignum incaſſùm abundos habere fructus, qui ex eis guſtantes plus læderent quàm delectarent, Sanctus eleuatâ manu benedicens ait, In nomine omnipotentis Dei omnis tua amaritudo, ô arbor amara, à te recedat, tuaque hucuſque amariſſima, nunc in dulciſſima vertantur poma. Mirum dictu, dicto citiùs eodemque momento eiuſdem arboris omnia poma, amiſsâ amaritudine, in miram, ſecundùm verbum Sancti, verſa ſunt dulcedinem.

Ceterùm non pigebit mirabiliorem mutationem dare ex eodem Adamanno. Nam puer quidam valdè veſtitu & habitu deſpectus, benedictione à S.Columbâ acceptâ, in alium hominem mutatus eſt, quem ad virum ſanctum accedere volentem, cùm familiares repellerent; Sinite Fratres, aiebat, ſinite modò. Ad puerum verò valdè tremefactum dicit; O fili, aperi os tuum, & porrige linguam. Iuſſus tum puer, cum ingenti tremore aperiens os ſuum, linguam porrexit: quam Sanctus, ſanctam manum extendens, & diligenter benedicens, ita prophetice præfatur, dicens: Hic puer, quamuis vobis nunc deſpicabilis & valdè vilis videatur, nemo tamen ob idipſum deſpiciat, ab hac enim horâ non ſolùm vobis non diſplicebit, ſed valdè placebit, boniſque moribus & animæ virtutibus paulatim de die in diem creſcet, &c. Hic erat Ereneus poſteà per omnes Scotiæ Eccleſias famoſus, & notiſſimus.

CAPVT LXVII.

De arboribus ſterileſcentibus.

ALias arborum mutationes, quia occurrunt, lubet hîc appendere. Quædam mulier poma attulit ſanctæ Virgini Brigidæ. Simul autem accedebant leproſi, ſtipem ab eâ emendicantes. Iuſſit ergo poma illa dari miſeris. At mulier id audiens, poma ad ſe retraxit, dicens: Non leproſis hæc mala attuli, ſed tibi & Virginibus tuis. Diſplicuit id ſanctæ Virgini, aitque ad illam: Non rectè facis, dum hoc miſericordiæ officium impedis. Itaque arbores tuas noueris æternâ ſterilitate damnatas. Abijt mulier, & ecce hortum ſuum, quem pomis plenum reliquerat, vacuum inuenit, & deinceps perpetuò ſenſit ſterilem.

Scribit etiam Audoënus Rhotomagenſis Epiſcopus in Commentario de Rebus geſtis S. Eligij, Epiſcopi Nouiomenſis: Quandoque iter neceſſarium ſuſcipiens, peruenit ad locum quemdam propinquum Compendio Regali palatio. Feſſus ex itinere, diuertit in agrum cuiuſdam coloni, vbi erat arbor nucibus onuſta, è quibus miniſtri eius illo in diuerſorio manentes quaſdam decerpſerunt. Accurrit ocyùs arboris dominus, procaciter improperans nuces ſibi eripi. Id vbi comperit B.Eligius, vocat ad ſe virum, & blandè ac comiter illum

appellans, orat ne propter paucas nuces, cùm plurimæ illi relictæ essent, tantas turbas cieat: ait se pro nucibus ablatis liberaliter satisfacturum. Sed ille tumido animo bonitatem eius aspernās, asperis in eum verbis vtitur, eadem sæpiùs iterans. Tum vir Dei animo mutato, famulos quidem, quòd id fecissent, acriter obiurgat, homini illi tres aureos numerari iubet, sed ad arborem conuersus, vt olim Saluator noster ad ficulneam, ita ait: Quandoquidem adeò tuâ causâ infestamur, numquam deinceps ex te fructus nascatur in æternum. Confestim ad vocem eius arbor exaruit, hodieque sic perseuerat. Tenebat fide plenissimâ illam Domini sententiam: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet*. atque ita cum fiduciâ imperauit arbori, Dominicum, vt diximus, secutus exemplum.

CAPVT LXVIII.

De vrso mirificè mansueto.

SAnctus Gregorius lib. 3. Dialog. c. 15. sic narrat. In Nursinæ partibus prouinciæ duo viri in vitâ atq; habitu sanctæ cōuersationis habitabant, quorū vnus Eutychius, alter verò Florentius dicebatur. Sed idem Eutychius in spirituali zelo atq; in feruore virtutis se exercuerat, multorumque animas ad Deum perducere exhortando satagebat; Florentius verò simplicitati atque orationi deditam ducebat vitam. Non longè autem erat monasterium, quod Rectoris sui morte erat destitutum, ex quo sibi Monachi eumdem Eutychium præesse voluerunt. Qui eorum precibus acquiescens, multis annis monasterium rexit, discipulorumque animos in studio sanctę conuersationis exercuit. Ac ne oratorium, in quo priùs habitauerat, solum remanere potuisset, illic venerabilem virum Florentium reliquit. In quo dum solus habitaret, die quadam sese in orationem dedit, atque ab omnipotenti Domino petijt, vt ei illic ad habitandum aliquod solatium donare dignaretur. Qui mox vt impleuit orationem, oratorium egressus, ante fores vrsum reperit stantem. Qui dum ad terram caput deprimeret, nihilque feritatis in suis motibus demonstraret, aperte dabat intelligi, quòd ad viri Dei obsequium venisset. quod vir quoque Domini protinus agnouit. Et quia in eadem cellâ quatuor vel quinque pecudes remanserant, quibus omnino deerat qui pasceret & custodiret, eidem vrso præcepit dicens: Vade, atque oues has ad pastum eijce, ad horam verò sextam reuertere. Cœpit itaque hoc indesinenter agere. Iniungebatur vrso cura pastoralis, & quas manducare consueuerat, pascebat oues bestia ieiuna. Cùm vir Domini ieiunare volebat ad nonam, præcipiebat vrso eadem horâ cum ouibus reuerti: cùm verò noluisset, ad sextam. In omnibus itaque mandatis viri Dei obtemperabat vrsus, vt neque ad sextam iussus redire, veniret ad nonam; neque ad nonam iussus redire, veniret ad sextam. Cumque diu hoc ageretur, cœpit in loco eodem tantæ virtutis fama longè lateque crebrescere. Sed quia antiquus hostis, vnde bonos cernit enitescere ad gloriam, inde peruersos per inuidiam rapit ad pœnam, quatuor viri ex discipulis venerabilis Eutychij, vehementer inuidentes quòd eorū Magister signa non faceret, & is qui solus ab eo relictus fuerat, tanto hoc miraculo clarus appareret, eumdem vrsum insidiantes occiderunt. Cumque horâ, quâ iussus fuerat, non rediret, vir Dei Florentius suspectus est redditus; & vsque ad horam vespertinam expectans, affligi cœpit, quòd is quem ex simplicitate multâ fratrem vocare consueuerat, vrsus minimè reuerteretur. Die verò alterâ perrexit ad agrū vrsum, pariter ouesque quæsiturus, quem occisum reperit. Sed sollicitè inquirens, citiùs à quibus fuerat occisus inuenit. Tunc sese in lamentum dedit, Fratrum malitiam magis quàm vrsi mortem deplorans. Quem venerandus vir Eutychius ad se deductum consolari studuit; sed idem vir Domini coram eo doloris magni stimulis accensus, imprecatus est, dicens: Spero in omnipotenti Deo, quia in hac vitâ ante oculos omnium ex suâ malitiâ vindictam recipiant, qui nihil se lædentem vrsum meū occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina secuta est. Nam quatuor monachi, qui eumdem vrsum occiderant, statim elephantino morbo percussi sunt, vt membris putrescentibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius vehementer expauit, seque ita Fratribus maledixisse pertimuit. Omni enim vitæ suæ tempore flebat, quia exauditus fuerat, sed crudelem se in eorum morte clamauit homicidam. Quod idcircò omnipotentem Dominum fecisse credimus, ne vir miræ simplicitatis, quantolibet dolore commotus, intorquere vltrà præsumeret iaculum maledictionis. Quâ historiâ auditâ, subiunxit Petrus Diaconus: Numquidnam valdè graue esse credimus, si fortasse cuilibet exagitante iracundiâ maledicamus? Respondit S. Gregorius: De hoc peccato cur me percunctaris, an graue sit, cùm Paulus dicat, *Neque maledici regnum Dei possidebunt?* Pensa igitur, quàm grauis culpa est, quæ separat à regno cælestis vitæ. Petrus: Quid si homo non fortasse ex malitiâ, sed ex linguæ iniu-

riâ

riã maledictionis verbum iaculatur in proximum? Gregorius: Si apud districtum Iudicem, Petre, otiosus sermo reprehenditur, quantò magis & noxius? Pensa igitur quàm sit damnabilis, qui à malitiâ non vacat, si & ille sermo pœnalis est, qui à bonitate vtilitatis vacat.

CAPVT LXIX.

De mirabili conseruatione vitæ.

Diximus lib. 9. Hist. nat. oscillum animalis fionij, vocati cabim, sanguinem continere, quo solo præsidio Naodabeguea Malacensis, licet pluribus cæsus vulneribus, incruentus mansit, donec ereptum illi oscillum illius animalis, tunc vbertim sanguis manauit. At non minora præsidia gratiæ sunt, quàm naturæ, quapropter exhibebo historiam, quam libro secundo de Vitâ Pij V. prodidit Antonius Gabutius. Non est hoc loco omittendum, quod in hoc bello Belgico sub Albano Duce, magnâ omnium admiratione, atque vtinam pari hæreticorum ad rectã fidem conuersione, diuinitus accidisse, graues Auctores memoriæ mãdarunt. Hispanum militem Catholicum, inter alios quos peremerunt, ab Aurantio captũ, arborique alligatum, impij milites hæretici æneorum tormentorum ictibus occidere conati, tantum abfuit vt illũ confoderent, vt ne creberrimis quidem ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis vel minimum lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, eum vestibus exuere cœperunt, rati hominem occultis quibusdam armis communitum, quæ tormentorum vis penetrare non posset. Sed cùm nihil in eo præsidij reperissent præter sacrum agnum è collo pendentem, ex ijs, vt coiectura est, quos Pius V. primo sui Pontificatus anno de more consecrauerat (eorum namque magnum numerum inHispaniam, Galliam & Belgium, præsertim militibus pro fide Catholicâ dimicantibus, distribuendos curauerat) hoc illi detracto, primo ictu transuerberatus occubuit.

¶ Idem Auctor lib. 6. vt Pius V. omniũ mentes ad Deum ritè colendum, ac suam quemque salutem procurandam excitaret, precatorias coronas, piaculares calculos, ǽreas tum cruces, tum Sanctorum imagines, ac cereas Agni cælestis effigies, res ad augendam piorum religionem inprimis accommodatas, plurimas varijs temporibus ritè consecrauit. Quæ res tãtâ pietate ac veneratione ab omnibus excipiebantur, quantam ex omni memoriâ recordari nemo potest. Nam etsi salutarem illam vim rebus eiusmodi diuinitus adiunctam à Pontificiâ potestate proficisci non ignorabant, tamen propter singularem huius Pontificis sanctitatẽ, nescio quomodò ad hasce res ab ipso potiùs quàm à ceteris Pontificibus consecratas in dies magis ac magis affici, ijsq; munitos se in periculis tutiores fore existimare, iam per annos fermè quadraginta cùm foris tum in vrbe conspicimus, in quo vel ij, in quos ipse aliquandò animaduerterat, admirabile studiũ pietatis in illum ostenderunt. Verùm neque ijs religionis instrumentis, siue etiam Pontificis sanctitati, diuinæ virtutis defuit testimoniũ: nam cùm tumescentem in Tiberim, & ex alueo, summo Populi Romani cum terrore, parique periculo, defluentem, vnus ex cereis illis orbiculis iubente Pio proiectus fuisset, confestim impetus aquæ resedit.

CAPVT LXX.

De puellis canis.

Locutus Theodoretus in Philotheo, seu historiâ religiosâ de S. Iacobo Nisibeno eremitâ: Venerat, inquit, in Persidem, visurus plantas veræ religionis, & ei quam erat curam adhibiturus. Cùm is autem fontem transmitteret, puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, nè nouum quidem, & qui decentem præ se ferebat grauitatem, sunt reueritæ habitum, sed exuto pudore, & perfrictâ facie, & impudentibus oculis diuinum hominem aspiciebant, neque capita operientes, neque vestes, quas succinxerant, demittentes. Hoc cùm ægrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontẽ quidem est execratus, & fluetum confestim euanuit. Puellas quoque est execratus, & impudentem earum iuuẽtutem castigauit, canis ante tempus inductis, & sermonem factũ est consecutum, mutatusque est nigror pilorum, & similes euaserunt nuper plãtatis arboribus, quæ vere circumtectæ sunt folijs autumnalibus. Eæ autem cùm sic sensissent supplicium (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuẽtes, videbant repentinam illam mutationem) cursu ad vrbem contenderunt, renuntiaturæ illud quod acciderat. Illi autem cùm accurrissent, & magnum Iacobum offendissent, rogauerunt vt iram compesceret, & supplicium remitteret. Ille autem non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit, fluenta autem rursus scatere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanarunt penetralibus, Iusti deriuata nutibus. Illi autem cùm hoc impetrassent, petebant vt filiarum quoque suarum crinibus color

ſuus redderetur. Aiunt autē eum hoc quoque conceſſiſſe, requiſiſſe autem puellas quæ illam acceperant diſciplinam, & quoniam non venerunt, reliquiſſe ſupplicium documentum temperantiæ, & argumētum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum & euidens monimentum. Tale eſt noui huius Moyſis miraculum; quod quidem non factum eſt virgæ percuſſionē, ſed operationem accepit ligno Crucis. Ego autem præter miraculum, valde quoque miror manſuetudinē. Neque enim vt magnus Eliſeus impudentes illas puellas vrſis tradidit immanibus, ſed quadam innoxiâ diſciplinâ, & quæ decoris parum habebat, vſus, pietatem ſimul docuit & moderationē. Hæc autem dixi, non vt Prophetam ſæuitiæ accuſem (abſit vt adeò inſaniam) ſed vt oſtendam, quòd cùm eamdem haberet virtutem, ea effecit quæ congruebant Chriſti manſuetudini, & nouo Teſtamento.

CAPVT LXXI.

De lapide ſponte contrito.

IDem Theodoretus de eodem S. Iacobo ſcribit: Cùm aliquando vidiſſet Iudicem Perſam iniquam tuliſſe ſententiam, quemdam maximum lapidem, qui prope ſitus erat, execratus, iuſſit eum côteri & diſpergi, & illius iniquam arguere ſententiam. Lapide autem ſtatim comminuto in particulas innumerabiles, conterriti fuere qui aderant. Horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iuſtam tulit ſententiam. Et hîc quoq; ſuum Dominum eſt imitatus, qui cùm vellet oſtendere, ſe ſua ſponte ac lubentem ſubire paſſionem, & facile, ſi voluiſſet, punijſſet ſceleratos, non eis intulit ſupplicium, ſed ficum inanimam verbo arefaciens, ſuam oſtendit virtutem. Hanc ipſe quoque imitans clementiam, non punijt iniuſtum iudicem, ſed ictu lapidis illum docuit iuſtitiam.

Auctor quæſtionum ad Antiochū huiuſmodi quęſtionem inter ceteras proponit: Si ſanctus aliquis vir παιδείαν ἢ τιμωρίαν, caſtigationem aut pœnâ, aut dæmonē aut mortem, aut aliam quampiâ animaduerſionem immiſerit in dominum, aut in ſubſtantiæ ſuæ facultates, aut in liberos alicuius immiſerit, poteſtne ille homo, inuocato alio Sancto, allaborare vt effugiat ſententiam maledictionis à priore Sancto latam. Senſus eſt, num, ſi quis Sanctus alicui maledixerit, liceat, imploratâ ope alterius Sancti, maledictionis iaculum declinare. Reſpondit Auctor: Si ſanctus ſit ille vir qui pœnam maledicendo immiſit, euidens eſt id voluntate Dei ab illo factum; & quis de cetero eſt qui conſilium Dei diſſoluere queat? Neque ipſi Sancti aliquando inter ſe digladiantur, memores vinculi charitatis quo copulantur: neque ignorant, Deum non exauditurum preces Sancti, qui precibus preces alterius Sancti irritas reddere tentet. Neque enim congruit Deum, vt alium ex ſuis famulis affligat, alium recreet. Quare inceſtuoſum illum Corinthium idem Paulus qui ligauit, etiam ſoluit. Et in veteri Teſtamento Elias cælum ne plueret clauſit, idemque Elias iterùm aperuit, quamuis Deus tunc haberet ſeptem millia Sanctorum qui genua coram Baal non incuruauerant. Rurſus cùm Iob ab amicis ſuis contumeliâ affectus fuiſſet, voluit Deus vt ipſe illis hoc delictum condonaret, dicens: *Ite ad ſeruum meum Iob, & orabit pro vobis*. Et quemadmodum ex ſanctis Angelis alter alteri non aduerſatur, ita & de ſanctis hominibus ſtatuendum eſt. Hæc Auctor ille. Si tamen contingeret, aut contigiſſet, prout non dubito contigiſſe, vt Sanctus quiſpiam diras alicui ab alio Sancto immiſſas tolleret, vel ſuſtuliſſet, id non niſi Deo, ipſoque adeò Sancto volente fieri, aut factum eſſe, vt hac ratione vtriuſque Sancti meritum apud Deum inclareſceret, cùm minoris virtutis non ſit, à maledictionis pœnâ ſoluere, quàm eidem ſubiacere, quod optimè obſeruat Gretſerus.

CAPVT LXXII.

De coruo ſe lacerante.

DE ſancto Coenigino hæc litteris mandata ſunt in eius Vitâ: Puer (ſermo fuit de filio cuiuſdam Reguli ægrotante) cùm lac concupiſceret, vir Dei ceruam de monte ad cellam iubet venire, cuius lac in vſum infantis fecit mulgeri; ſed coruus veniens munus lactis cum vaſe effudit. Quod Dei famulo valdè diſplicuit, eique dixit: Noë in arcâ inobediens extitiſti, mihi in hoc diſplicuiſti, ideoque dico tibi, vade nunc quidem, ſed in die natalitij mei hîc requiem non habebis. Quod & nos (en teſtem oculatum) oculis impletum cernimus. nam per tres dies Patris Coenigini ales illa non tantùm ciuitati non valet proximare, ſed etiam in vertice montis ſe lacerare non ceſſat.

CA-

CAPVT LXXIII.

De incorruptis panibus.

DE sancto Bernardo hęc scribūtur lib. 4. Vitæ c. 4. Tam multis gustata eiusmodi benedictio (Bernardi) reddidit sanitatē, vt solius Dei, cuius hęc virtute fiebant, possent notitiâ comprehendi. Vidimus in Meldensi territorio militem deuotissimas referentē gratias viro Dei, quòd ad primum gustum panis ab eo benedicti plenā receperit sospitatem à febre quartanâ, qua sic grauiter laborauerat mēsibus fermè decem & octo, vt in horâ accessionis quasi freneticus, nec matrem agnosceret suam. Virum quoquè venerabilem Gerardum Lemouicensem Episcopum testantem audiuimus, iuuenem quemdam de familiâ suâ lethaliter in capite saucium, cùm iaceret spumans, & impos mentis, immissâ sibi in os buccellâ panis, quem benedixerat homo Dei, tam celerem sensisse virtutem, vt incolumis surgeret ipsâ horâ. Neque illud tacendum, quòd ipsam quoque substantiam panis ab omni corruptionis iniuriâ eadem benedictio vindicabat, adeò vt plures viderimus, qui per septēnium & vltra eosdem seruauerant panes, nec colore, nec sapore mutato. Ante hos paucos dies venerabiles Abbates Gerardus & Henricus de Suediæ partibus veniētes, dum super his conferremus, testati sunt nobis, panem ante vndecim annos eius benedictione signatum manere apud se adhuc penitus incorruptum. Nec dissimilem apud aliquos nostrûm vsque hodie nouimus, & apud alios multos credimus esse repositum.

Mox subiungit memorabile exemplum de Eskillo Archiepiscopo Londensi in Daniâ. Nam cùm à S. Bernardo panem benedictum postulasset, eumq; quò diutius duraret, recoqui in furno iussisset, reprehensus est à sancto Bernardo quasi modicæ fidei. Itáne, aiebat, non poterit benedictio ipsum panem magis quàm recoctio conseruare; & non acquieuit benedicere illum (bis coctum) sed communem sibi panem præcipiens exhiberi, benedixit, & dixit: Ecce nunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione sollicitus. Tulit, & ad suos per multa quidem prospera rediens, vsque hodie gloriatur fidei suæ defectum euidentissimâ rei veritate conuinci. Confessus est etiam nobis de pane quem retulit, quòd nunc vsque, cùm iam tertius annus transierit, illæsum ei beati viri fides & benedictio custodiuit.

CAPVT LXXIV.

De incorruptione aquæ Baptismalis.

EXperientiâ compertum est, aquam per verbum Dei & per Ecclesię sanctorumque hominum orationes consecratam & sanctificatam, longo tempore aliquando incorruptam perseuerasse, & adeò puram limpidamque perstitisse, ac si iam tum primùm ex purissimo & limpidissimo fonte hausta fuisset. Ex quo euentu Græci olim Latinis calumniam struxerunt, asserentes eos rectâ fide carere, quòd aqua benedicta apud ipsos non duraret incorrupta. Ceterùm hoc falsum esse, demonstrat Manuel Caleca, præsertim si loquamur de aquâ Baptismali, quæ non modò per anni circulum incorruptionis expers manet, sed & longè diutiùs, vt & illa quam quisque ex fonte Baptismatis acceptam secum domum defert; quæ etiam semper fit limpidior, inquit Caleca; quod & ipsum experientia docuit. Argumentum autem nobis est, quòd & in vino (benedicto) quamuis crassioris materiæ sit, idem cōtingat, vt ait idem Caleca. Memorabile huius rei exemplum extat in libro Reformationis Stiriacæ edito à R.D. Iacobo Præposito Steynizensi. Nam cùm Cōmissarij, quibus hæreseos expellendæ cura commissa erat, venissent VVeissenfelsiam, reperunt in templo sancti Leonardi Baptisterium clausum, plenumque aquâ, prout ante 29. annos à Catholico Sacerdote impletum, consecratū & occlusum fuerat. Cumque Episcopus Baptisterium reserasset, apparuit aqua illa tam pura, munda & limpida, ac si tum primùm ex illimi ac purissimo fonte fuisset hausta. Quod spectaculū non modò Episcopū, sed & totum circumstantem populum in magnam admirationem rapuit. Memorabilius aliquid affert Gretserus noster ex relatione quadam de Reginēsium in Liuoniâ ad Lutheranismum defectione, vbi constantia quarumdam Monialium mirabiliter enituit, ex quibus vna, nomine Anna Netken, aquam benedictā quadraginta integros annos puram prorsus ac illibatam conseruauit, & per eamdē multis salutem attulit, non sine hæreticorū admiratione ac fremitu. Sed iuuat ipsius relationis verba apponere. Eadem industriâ simul per quadraginta annos thesaurum spiritualem, aquam benedictam conseruauit, cuius aspersu potuque omne ægritudinis genus pauperum Lotauorum, ad eam gregatim accurrentium, persanabat. Accidit quadam vice, vt cùm Moschus Liuoniam propè totam subiugaret, milites præsidiarij castra

meta-

metarentur inter Rigam & Dunamuntam, vnumque secum haberent à dæmone obsessum & agitatum. Vocantur leuamen allaturi Ministri: veniunt, multa tentant, sed nihil proficiunt, & abscedunt. Hoc animaduertens quidam Monachus, qui è Monasterio suo pulsus ab hæreticis, aliam vitæ sustẽtandæ rationem non inuenit quàm merendo stipendia, dixit in circulo ad socios, se, si copiam cuiusdã rei haberet, omnino energumenum sanaturum. Quidnam hoc esset, percontantur diligenter. Respondet, aquam benedictam. Vbi hæc inuenietur? inquiunt. Mittite, ait, postulatum ad Annã Netken, obtinebitis. Nil morati, legatum destinant ad monasterium, aquam benedictã obnixè petituri. Atqui virgo verita hæreticorũ imposturas, iuuenem primò asperiùs excepit, deinde illo preces ingeminante, seriem negotij explanante & instante, aquam concedit, quę vt aspersa super energumenum fuit, illicò eum ab omni infestatione liberauit. Ministri de tãto euentu certiores facti, duos ex ordine suo ad Annam destinant: qui cùm multa frustrà de fide cum illâ exegissent, seriò mandant, vt aquam benedictam veluti rem superstitiosam effundat. At illa, Vos, inquit, mihi aquam non dedistis, idcircò nec accipietis. Nihilominùs præceptum vrgentes, & multùm indignantes, interrogauit Anna, vnde putarent huic aquæ tantã virtutem & energiam inesse. Accipite vos, inquit, aquam naturalem, & eam vestris conceptis verbis benedicite, atque prope hanç meam ritu veteri benedictam collocate. Mendax sim, si non vestra aqua intra paucos dies putrida fœteat, & corrupta, cùm ego hanc meam ab annis iam inde quadraginta seruem, & nihilominùs pura semper sit, limpida & incorrupta. Quæ vestra igitur est sententia? vndénam putatis id prouenire? Respondet illi: Quia arcana verba super hanc aquam recitata sunt. Tum illa: Salua res est. Vos arcana hæc verba non habetis, idcircò aquam hanc consecratam mihi non accipietis, quia talem ipsi facere non potestis. Hoc accepto responso, Ministri fremere ac frendere, ac tandem alter ad alterũ, Apage, inquit, quantum negotij in vnâ muliere? Prædixi tibi anteà, malum esse cum hac feminâ disputationem ingredi. Absistamus. Atque exinde nihil vnquam ab eis molestiæ habuit Anna de aquâ benedictâ. Hæc Relatio illa.

Aquæ benedictæ sine corruptione perseuerantis locupletissimũ insuper testem habemus S. Chrysostomum ita scribentem. Idcircò in hac solemnitate (Epiphaniæ, quâ Græci μέγαν ἁγιασμὸν celebrãt) sub mediam noctem omnes ὑδρευσάμενοι, cùm aquam (benedictam) acceperint, domum latices referunt ac recondunt, & per integrum annum conseruant. Vtpote quòd hodiernâ die sanctificatæ sunt aquæ (per Baptismum Christi in Iordane) fitque miraculum euidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque adeò biennio & triennio sæpè, quæ hodie fuit hausta, incorrupta & recens permanet, ac post tantum temporis cum ijs quæ nuper fuerint è fontibus eductæ, certat.



IOAN-

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII EX SOCIETATE IESV DE MIRIS ET MIRACVLOSIS NATVRIS IN TERRA HEBRAEIS PROMISSA LIBER VNVS.

STVDIVM *ſacrarum Litterarum ſucceſsiuis inter philoſophandum horis vſurpabam, nec implacidè naturalibus diuina commiſcebam. Atque vt penitiùs intellectum ſacrorum librorum compararem, ex Palæſtinæ & Ieroſolymitanæ vrbis enarratoribus expiſcabar multa. Inter hos Auctores euoluendos plurima naturæ miracula, pluresque miraculoſas naturas obſeruaui: atque pretium alicuius operæ duxi, ſi naturali hiſtoriæ appenderem, quæ aut mira aut miraculoſa occurriſſent. Certè præter iucunditatem, communem admirandorum cenſum, nonnihil etiam præſtabit ſacrarum rerum intellectui, & noſtræ Religionis fidei, quam S. Lucianus Martyr ex mirabili rupe Golgothanâ diſertiſsimâ confirmauit oratione, quare non omnino ingratæ erunt hæ hiſtoriæ, quas ſcilicet aggeſsi, non digeſsi: diu enim in hac operâ morari non opus erat, quæ etiam diffuſo agmine fortaſſe placebit. Satis eſt mutuaſſe omnia ex probatiſsimis Auctoribus mirificè conteſtantibus, quorum non tantùm narrationes, ſed libenter excerpſi verba. Multa hîc ex Joſepho, Nicephoro, Saligniaco, Bredembachio, Adrichomio, Radziuilio, Cotouico, & alijs diligentiſsimis Scriptoribus, antiquis recentibuſque.*

CAPVT PRIMVM.

De ortu Iordanis.

IGNOTA diu nobiliſſimi amnis natalitia exhibeo, quæ Plinius etiam ignorauit. Phiala dicitur ſiue Phiale, corruptè Syala, fons ex quo Iordanis fluuius, vt Ioſephus & Hegeſippus teſtantur, ducit originem, qui quidem ſitus eſt in regione Trachonitide, non longè à viâ quâ à Cæſareâ Philippi ſeu Paneade, inter Orientem & Auſtrum, in Trachonitidem aſcenditur; à quâ ciuitate ad centeſimum vigeſimum ſtadium, ſiue quindecim mille paſſibus diſtat. Et propriè quidem à rotunditate Phiala dicitur, rotæ ſpeciem præferens. Eſt autem fons hic imperſcrutabilis profunditatis, ac ſemper intra ſua labra cohibet vndam, perpetuâ aquâ plenus, nec vmquâ deficiens, nec vmquam exuberans, ſed quantum aquæ ſcaturigine inijcitur, tantum per abditos ſubterraneos meatus in Dan ſiue Paneadem fontem Iordanis eijcit atque tranſmittit. Multo tempore ignoratum fuit hoc eſſe Iordanis principium, quod tandem à Tetrarchâ quondam Trachonitidis Philippo hac arte deprehenſum eſt. Is namque miſſis in Phialam paleis, inuenit eas apud Panium in fontem Dan redditas, vnde anteà fluuius Iordanis naſci credebatur. Idipſum poſteà & ab alijs ſimili praxi ſæpiùs probatum eſt. Sarraceni hoc ipſum fontis nomenclaturâ indicant. nam eum *Medan*, hoc eſt aquas Dan vocant: מי *me* ſiquidem linguâ illorum, quæ Hebraicæ affinis eſt, aquas ſignificat. A quo quidem nomine & ampliſſima adiacens ei

regio appellatur Campestria, & planicies Medan. Porrò sunt qui locum hunc à Matthæo Magedan, & à Marco Dalmanutha appellari putant.

CAPVT II.

De Iordane fluuio.

IOrdanis, Hebraicè *Iarden*, maximus & amœnissimus totius Palæstinæ fluuius, est vtriusque Testamenti Scripturis celeberrimus. Qui præterquam quòd è fonte Phialâ, in Trachonitide regione sito (vt nuperrime declarauimus) primam suam sumat originem, ad radices montis Libani, quarto, inquit Hieronymus, à Cæsareâ Philippi seu Paneadis milliario, ex duobus fontibus haud procul à se dissitis, *Ior* scilicet & *Dan* (qui Danus Paneas, & Paneus dicitur) bicornis erumpit: quorum prior in fluuiũ Ior, alter in fluuium Dan (ad quem olim Saladinus castra locauit) mox deriuatur. Hi ante portam Cæsareæ Philippi in vnum confluentes, vt aquis ita vocabulis coniunctis, Iordanis, qui minor vocatur, & nomen & fluuium efficiunt. Hinc regiones perquam amœnas præterlabens, post longos quos facit circuitus, Trachonitidem ab Ituræâ & Galilæâ superiori separando, postquam vrbem Seleuciam à sinistris alluit, in vallem quamdam inter Cæsaream Philippi, & mare Galilææ medio loco sitam, influens, stagnum facit latitudinis triginta & longitudinis sexaginta stadiorum, quod aquæ Meron & Samachonitis lacus nominatur. Inde lacum hunc transgressus, & oppido Aroseth gentium à dextris salutato, cursum suũ versus Orientem flectit, & fontibus aliquot auctus, centum viginti alijs præteritis stadijs, inter Capharnaum & Corozaim, nobiles Galilęæ ciuitates, quas aquis suis allambit & ditat, in mare Galilææ seu lacum Genezareth, qui, iuxta Plinium, sedecim millia passuum longus est, latus verò sex millia passuũ, latè se diffundit: Hoc mare medium transemensus, ad aurorã auream Iouis templum è longinquo prospicit, & ab Occidente Torrentis Cison, ab Oriente autem fluuij Iaboc vberrimis auctus aquis, deinceps Iordanis maior appellatur. Tum Peræam à Samariâ, & Moabitidem à Iudæâ regiones diuidens, Conuallem illustrẽ, quæ à lacu Genesareth ad Asphaltiten vsque ducentorum triginta stadiorũ longitudine patet, mediam secat, variasque tum vrbes, tum pagos, & à Solis ortu campestria Moab, ab occasu palmiferos Ierichuntis agros suis fluentis irrigando fecundat, & præter minores aliquot fontes, Dibô, Iezrael, Taphuę, Carith, & Elisei fontium, torrentium, & Iazer & Arnon fluminum recipit. Arnon fluminum aquis in se receptis, post multos circuitus, ac sinuosos flexus, tandem iuxta prędicti Arnonis ostiũ, velut inuitus, inquit Plinius, in Mare mortuum siue lacum Asphaltiten dirum naturâ delabitur: cui commixtus, & nomen amittit, & limpidissimas eximiæ dulcedinis, & saluberrimas laudatasque suas aquas perdit, pestilẽtibus mixtas. Quas vbi pisces, quibus Iordanis abundat, gustauerint, illicò aut renatant, aut moriuntur. Postremò & pestiferum hoc mare latum centũ viginti, longum ducentis triginta stadijs, medium præterlapsus, breuique spatio egressus, in horrendâ quadam terræ voragine atque abysso absorbetur. Vniuersa verò Iordanis longitudo, quâ ab ortu suo sub monte Libano vsque ad desertum Pharan se extẽdit, centum circiter milliaria conficit, qui toto hoc decursu ex vtraque sui parte latis, amœnis, argillosis & vberrimis campis cingitur, illique vtrimque multis & altissimis montibus sibi inuicem succedentibus & cohærẽtibus circumdatur. Eius est naturæ hoc flumen, quòd ripas aluei messis tempore impleat, quod factum est in Israëlis transitu, vt VVolphangus VVeissemburgius scribit. Atque in his quidem campis seu Iordanis campestribus, quæ ætate Hieronymi à Palæstinis Hebræo vocabulo *Aulon* vocabantur, nobiles hæ visebãtur vrbes, Tiberias, Scythopolis, Salem, Iericho, & aliæ multæ. Sed & innumeri hîc erant pagi, prata virentia, peramœna prędia, horti, arundineta, carecta, arbusta, & saltus in quibus morabantur leones, timidi damæ, ceruique fugaces, deniq; omne ferarum genus. vnde etiam secundum literã illud Prophetæ intelligi posset, Ascendit leo de Iordane. Hunc fluuium primò Israëlitæ, postea Elias & Eliseus, aquis eius miraculosè diuisis, siccis pedibus transierũt. In eodem Naaman Syrus Elisei iussu septies se lauans, à leprâ purgatus fuit. In eodem fluuio Christi Præcursor Ioannes Baptista, confluentes ad se vndique Iudęos, sua confitentes peccata, baptismo pœnitẽtiæ baptizauit. Inter alios verò & ipse Iesus à Ioanne hoc flumine baptizatus, mundissimæ carnis suæ contactu eius fluenta sanctificauit, illisque atque omnibus totius mundi aquis regenerandi virtutem indidit. Quo facto ipse primùm suos discipulos, deinde per eos multos alios plures quàm Ioannes ex Iudæis ibidem baptizans, Baptismum in remissionem peccatorum promulgauit. In cuius rei memoriam Christianis peregrinis & accolis solemne est, vt corpora & vestimenta sua in Iordanis aquis abluant. Ait tamen Clemens, Petrum

trum dumtaxat à Christo baptizatum, à Petro reliquos. Hactenus Christianus Adrichomius.

CAPVT III.

De arundinetis Iudææ.

INnascūtur Iordani salix, nigra myrica, vitex, & multa arundinum genera, quæ Arabibus ad varios vsus seruiunt. Etenim ex vno genere iacula, tela, & leues lanceas conficiunt; ex alio genere sagittas quinq; asprorum pretij, quibus vix alij quàm satrapæ vtuntur: aliud genus diligenter legūt in alium vsum. nam Turcæ, Græci, Armeni, Arabes, Persæ, Iudæi, Ægyptij auium pennis in scribendo non vtūtur, sed hac arundine, elegiâ nuncupatâ, scribunt. Eam priùs in Athon montis riuis obseruaueramus, Belonius inquit.

CAPVT IV.

De Panio antro.

PAnium antrum, specus siue spelūca est, licet vmbrosa, amœnissima tamen, in altissimi saxosique montis, qui Panius appellatur, radice sita, vnde Dan fons Iordanis fluuij profluit, ex quâ parte specui subiecta est in immensum hians terrę deuexitas, plena aquis stagnantibus, tam imperscrutabilis profunditatis, vt demittentibus aliquid donec terram inueniant, longitudo nulla sufficiat. Paulò aliter de hoc antro Zieglerus. Sub monte, inquit, excelso Libani, in cuius latere antrum hoc vmbrosum aperitur, profundi præcipitij, vnde grauis odor exhalat. Foris ad pedes montis, & fauces antri, scaturiunt fontes, vnde Iarden fluuius concipitur. Naturalis Panij pulchritudo regijs opibus, & Agrippæ diuitijs magnificentiùs accurata est. Cui loco, alioquin celeberrimo, non parum honoris contulit marmoreum illud templum, quod in loco ei vicino, Augusto Cæsari ab Herode seniore erectum fuit. In prædictum aquæ receptaculum gentili patrioque quodam errore accolæ celebri ac festo die congregati, victimam dæmoni nescio cui proijcere ac immolare solebant, quæ mirificè, dæmonis illius astu & operâ, subitò disparebat. Quo cùm adstantibus persuaderetur, hostiam inuisibiliter in cælum esse sublatam, ea res pro ingenti miraculo vbique celebrata fuit. Accidit autem sub Gallieno Imperatore, dum hæc gererentur, adesse Romanę vrbis Senatorem, Regiâ prosapiâ, opibus ac nomine clarissimum, Asteriū, illustrem posteà Christi martyrem: qui cùm spectatores omnes miraculi huius stupore animaduerteret constringi, humanos miseratus errores, cum gemitu & suspirio oculos simul & palmas ad cælum tendens, rerum omnium Deum totâ fide profusis lacrymis inuocat, vt fallacis dæmonis illis aquis innatantis præstigias dispelleret, ac fraude & errore tanto miseros illos mortales liberaret. Hæc illo cum fletibus supplicante, confestim subnatans victima illa, quę inuisibiliter credebatur assumpta, superferri aquis videtur, & conspectibus omnium redditur. Ita vnius Christiani prece diabolicus tantorum sæculorum dolus, ac longè lateque celebratum miraculū, hominumque de eo portentosa opinio adeò sublata est, vt deinceps nihil eiusmodi in eo loco sit factum. Eusebius lib. 7. Hist. Eccl. cap. 13. & Nicephorus lib. 6. cap. 14. ista tradunt.

CAPVT V.

De aquis Meron.

AQuæ Meron siue Merom, quæ Hieronymo Merrom; Iosepho & alijs Samachonitis & Semechonitis lacus, hodie autem aquæ Maron vocantur, lacus est triginta stadijs latus & sexaginta longus, qui inter Cæsaream Philippi & mare Galilææ quasi in medio situs est, quem Iordanis fluuius medius perfluit. Qui quidem lacus tempore resolutionis niuiū à Libano monte defluentium valdè accrescit ac dilatatur, at æstiuo tēpore ex maiori parte exsiccatur. Quo fit, vt diuersi generis herbæ, arbusta, & arbores in siluam eo loci excrescant, quæ leonibus, vrsis, pardis, alijsque feris maximè abundat, ac Regibus Principibusque viris gratam & iucundam præbet venationem. Ad has aquas & vrbem Berothi, Iabin rex Asor, ac alij viginti quatuor Chananæorum Reges cum peditum trecētis millibus, equitum decem millibus, curruum verò duobus, aliàs viginti millibus, contra Israëlitas conuenerunt, ac castrametati sunt. Quibuscum fortissimus Israëlitarum Dux Iosue manus conferens, Deo adiutore primo impetu hostes fudit, fugauit, fugiētes per octodecim milliaria vsque Sidonem, atque adeò vsque Aquas Maserephot, persecutus est. Reges ad vnum omnes occidit, equos vniuersos subneruauit, & currus combussit. Iosue. 11. Iosephus 5. Antiq. 2. Liranus in Iosue 11. Brocardus Itin. 2. Breidembachius ibidem.

CAPVT VI.

De mari Galilææ.

MAre Galilææ sic dictum ab adiacente prouinciâ, aliàs mare Cenereth, Ceneroth, Chenereth, Chinereth, Chênereth, & Tiberiadis, à ciuitate Tiberiade (quam ferunt illis primùm nominibus fuisse appellatam) necnon à terrâ continente, stagnum Genesareth, atque lacus & aqua Genesar ac Genesarites nuncupatur. Nunc Tabariæ ab accolis vocari, notat Niger: cui assentitur Vitriacus. Iosepho lib. 3. Belli c. 18. quadraginta stadijs in latitudine, centumq; in longitudine patet; Hegesippo verò longiùs extenditur, & Plinio etiam latiùs, alijque aliam mensuram assignăt. Toto autem ambitu suo viginti millia passuum complecti, scribit Niger. Aqua eius dulcis, fecunda atque potabilis est; siquidem nec palustris vliginis crassum aliquid aut turbidum recipit, quia ab arenoso vndique littore circumuenitur, ac præter hoc fluuio & fonte lenior est, frigidior tamen paludis æquore, eò quòd non in stagni morem sternitur, sed per diffusiora lacus spatia frequentiùs auris spirantibus agitatur. Varia autem sunt in eo piscium genera ab alterius loci piscibus tam specie quàm sapore discreta, mediusq; Iordane fluuio secatur, vt notauimus cùm de Iordane ageremus. Oppidis amœnis & celeberrimis circumseptum est, Capharnao, Tiberiade, Bethsaidâ, Bethsan, Gadarâ, Tarichee, Chorozaim, & plerisque alijs. Siluas etiam nonuullis in locis, ad auroram præsertim, finitimas habet. In nouo Testamento cùm nauigatione Domini, tum vocatione & piscatione Apostolorum, alijsque miraculis valdè celebratur. Hîc dum Apostoli iubente Domino in dexteram nauigij rete miserunt, centum quinquaginta tres magnos ceperunt pisces, quo numero (vt qui omnium piscium genera complectitur, sicut testantur qui de animantium naturis ac proprietate scripserunt) significatŭ fuit, per Apostolicam prædicationem nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, & omne hominum genus de mari huius sæculi extrahendum ad salutem.

CAPVT VII.

De Mari mortuo.

MAre mortuŭ dicitur etiam mare salsum, salis & salinarum; Araba, quod Latinè solitudinis, seu deserti: item mare primum Orientale, Sodomiticum, & lacus Asphaltitis, hoc est bituminis: olim Vallis siluestris, amœna nemora significās, delicijs & fertilitate laudatissima, Iordaneque medio irrigua; ideoque paradiso Domini comparabatur, quo tempore quinque Sodomorum Reges magno prælio ab Assyrijs superati sunt, capto etiam Lot filio fratris Abrahæ, qui eam sibi terram, vti fertilissimam, non multò antè delegerat. Sed huius pristinam felicitatem Iericho & Engaddi patrio balsamo, cannisque mellis ostentant. Sed ait Dominus ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo, vtrùm clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.* neque valuit tot sceleribus condonandis deprecatio viri iustissimi toties repetita; iam enim & ipse verecundabatur, stupebat ad illam Dei clementiam, quòd in quinque maximis vrbibus nec decem quidem iusti inuenirentur. Igitur tentant in Angelis, quod in bruta admiserant, & demisso cælitus igne, in testimonium cælestis iustitiæ, & exemplum posterorŭ, conflagrarunt vrbes quatuor Regiæ, quarum nomina Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, vnde & pentapolis nomen acceperŭt. Quod nomẽ videtur habuisse; nam Segor, quæ quinta fuit, non est subuersa. Subuersus autem locus ille igne & sulphure factus est lacus pestilens & horribilis, cuius latitudo est quinque, vt alij volunt, sex milliarium, longitudo autem iter habet quatuor aut quinque dierum. Iosephus verò dicit, eius longitudinem esse quingentorum octoginta stadiorum ad Zoara vsque Arabię, latitudinem verò esse centum quinquaginta stadiorum. Est enim quidem ipse salsus & sterilis, nimiâ verò leuitate etiā quæ grauissima sunt in eo fluitant, demergi autem in profundum, nec de industriâ quis facile potest. Denique Vespasianus, qui eius visendi causâ illuc venerat, iussit quosdam natandi inscios vinctis post terga manibus in altŭ proijci, & euenit omnibus, tamquam vi spiritus sursum repulsos desuper fluitare. Est adhuc mirabilis coloris mutatio, quę ter in dies singulos superficiem vertit, & Solis radijs variata resplendet. Multis autem locis vomit nigras bituminis glebas, & super vndam & habitu & magnitudine tauris sine capitibus assimiles natant. Ad eas autem cùm lacus exercitores accesserint, nacti quod aggestum est, ad naues trahunt, & quia lentum est, repletas eas abrumpere nequeŭt, sed quasi religata scapha pendet à cumulo, donec menstruo mulieris atque vrinâ præluatur. Est autem vtile non modò ad compaginem nauium, sed ad corporum etiam curationem multis remedijs admiscetur. Denique adhuc

huc in lacu diuini reliquias ignis & oppidorum videre licet imagines, renascentesque in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes, sed carpentium manibus in fumum dissoluuntur. Aquæ sunt spissæ, sordidæ, fœtidæ, amarissimæ, & supra alias marinas salsæ; in quo quod viuit nihil reperiri queat, atque inde Mortuum nominatur. Quia si Iordanis illuc influens pisces rapuerit, cùm augetur imbribus, statim moriuntur, & pinguibus aquis supernatant, nihilque viuum in eo submergitur. Bitumen ipsum, vnde Asphaltites, ex imo fundo ebullit, quod vento agitante, & concretum littori appulsum, in magnâ colligitur quantitate. Resoluitur, vt dixi, menstruo, fitque ex eo venenum. Lacus ipse etiamnum in modum camini infernalis perpetuis exæstuat vaporibus, quorum halitu littora & montes vtrimque ad quinque milliaria sterilia squalent. Scribit Ludouicus Romanus, astrui posse, tres esse vrbes, quę singulę in cliuo singulorum montium sunt positæ, & circiter altitudinem trium vel quatuor cubitorum adhuc visitur nescio quid instar sanguinis, quasi exprimat rubicantem ceram humo admixtam. Tota circùm regio aquarum præsertim expers est. Appendere prætereà iuuat quæ Tertullianus canit in carmine de Sodomis:

Sic igitur cælo pariter terraq; sepultis,
Nec mare viuit ibi, mors est maris illa quieti,
Quod nullus animat per anhela volumina fluctus,
Quodq; etiam patrio numquam suspirat ab Austro,
Quodq; nequit proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, læuive cuti vel cortice septã,
Vel crispam concham, aut duplici compagine clausam.
Solùm illic propria mentitur fruge bitumen
Exusti fuligo maris, quod viuidus ardor
Subter stagna coquens, de sulphuris & salis æstu
Temperat, inq; picem dat terræ hærere marinam.
Inuehitur proprio cũ tepore pingue crematæ
Virus aquæ, spumisq; cutis super æquora nigra
Texitur. Appellũt, queis est ea captio mercis:
Adclinant leues laterũ libramine lembos,
Vt semel impositam doceant conscendere venam.
Nam se sponte leuans adnabit mercis ad ora
Nauigij, pretiumq; dabit pro munere largo,
Ni plaga contigerit, quam mensis femina vestit.
Ecce aliud monstrũ pelagi de clade notatur.
Cuncta illic immissa natant, natura recessit
Mergendis data corporibus; si denique testæ
Luciferam narem insistens, quà spiritus igni est,
Velificauit apex, flammæ si flamma perempta est,
Ibit subter aquas destructio naufraga lucis.
Hæ Sodomũm & Gomorũm signatæ in sæcula pœnæ
Gẽtibus iniustis, queis pectora dura timorem
Deseruere Dei, de cælo iura tueri,
Inq; vnum rerum Dominũ spectare docebunt.

Hoc vltimum à nemine alio antiquorum notatum reperi. Ego olim ad mores torsi his iambis:

Nec mortuum lumen Mare feret mortuum.
Sed sospite face nauigat testacea
Nauis secundè, naufragans caligine.
Tranquillitas est tota, lucis columitas.
Vt tota tempestas, tenebræ sunt nigræ.
Sit prona credenti fides; certũ haud mihi est,
Nisi fictilis lembus caro sit, facula mens;
Est mare voluptas mortuum. Mens luceat
Salsis periclis sospitans Dioscoros,
Ne naufragemur æstibus cupidinum.

Idem fortasse accepit Munsterus à Tertulliano, dum de Mari mortuo dixit: *Lucerna ardens supernatat, extincta mergitur.*

CAPVT VIII.

De linguâ Maris mortui.

Lingua Maris mortui dicitur, vbi Iordanis egreditur Mare mortuum, sed paulò pòst subterraneis & secretis quibusdam meatibus terra absorbetur, atque inde in marium aliquod euoluitur. Hæc ita se accepisse à Saracenis, refert Brocardus, atque alij etiam testantur.

CAPVT IX.

De puteis bituminis.

PVtei bituminis erant in agro Sodomorum ante subuersionem & iustitiã Dei: mox verò, Sodomis deletis, lacus ibi, quem à scatenti bitumine Asphaltitem dixere, repentè extitit. Sed ait Brocardus: *De quo legimus in Genesi, Vallis siluestris habebat multos puteos bituminis, hi putei vsque in hodiernum diem cernuntur in littore eius habentes singuli pyramides erectas.*

CAPVT X.

De fonte Elisei.

FOns Elisei scaturiens è pede montis Quarentanæ, fluuium generat vberrimum & amœnissimum, cuius aquas insalu-

bres antè & amaras ad preces ciuiũ Iericho, lagenam fictilem salis plenam, ait Iosephus, in profluentem aquam mittens sanauit, & saluberrimas fecit Elisęus. Illius aquas Archelaus Toparcha, Herodis filius, deduxit in riuos plures ad irrigationem campi, pratorũ, palmarum, cannarum mellis, & hortorum Iericho. Illius aquæ fluunt, ait Brocardus, iuxta locum Galgalæ, & illicò in tantum succrescunt vt impellãt magna molendina, sed posteà in riuos secretæ, hortos & prata irrigant vsque Iericho, & infra, & ibi tandem influit in Iordanem. Iuuat tamen ex Iosepho lib. 5. de Bello Iud. c. 4. integram narrationem edere. Ad ipsam, inquit, Iericho largissimus fons est, rigandisque aruis vberrimus, iuxta veterem scaturiens ciuitatem, quam Iesus Naue filius Hebręorum ductor primam in Chananæorũ terrâ bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt non solùm terræ atque lignorum fructus, sed etiam feminarum partum obtundere solitum, cunctaque pariter morbo ac peste corrumpere. Posteà verò mansueuisse, contraq; saluberrimum ac feracissimum esse factum ab Eliseo quodam Propheta, qui Eliæ notus fuerat atque successerat. Receptus enim hospitio ab Ierichuntis habitatoribus, quòd humaniores eos expertus erat, ipsos & omnem illam regionem perpetuâ gratiâ remuneratus est, progressusque ad fontem, lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit; iuxta deinde ad cælum dexteram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipsum quidẽ precabatur, vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret; Deum verò, vt fecundioribus auris flumina temperaret orabat, tamque vbertatem fructuum, quàm successionem prolis daret indigenis, nec eorum genitrices filiorum aqua deficeret quoad manaret. Ad has preces ex disciplinâ manibus quoque multa operatus fontem immutauit, & qui anteà causa erat luis, orbitatis ac famis, idẽ victus ac fecunditatis auctor est effectus. Denique rigationis eius tanta potentia est, vt si attigerit modò terram, sapidior sit aquis diu perseuerantibus. Vnde eo quæ largiùs abutuntur, exiguum emolumentũ habent, quæ verò parciùs, plurimum. Amplius tamen quàm ceteri fontes spatium rigat, & septuaginta quidem stadijs longam, viginti autem latam planiciem permeat. Optimos autem in eâ paradisos ac densissimos educat palmarumque irriguarum genera, tam sapore quàm nominibus varia, quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multũ alio melle deterius, quamquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium. Itemque Cyprum mirabalsamum gignit; vt qui diuinum esse illum tractũ dixerit, non errabit, vbi & larga & opima generantur quæ sunt carissima. Sed nec in alijs ei fructibus aliqua facilè toto orbe regio certauerit, adeò multiplicatum quod satum est reddit. Cuius rei causa mihi videtur esse aquarum vis læta, & aëris calor, cùm hic prouocet quæ nata fuerint atque diffundat, liquor autem firmis singula radicibus stringat, viresque suggerat ęstiuo tempore, quo sic perusta est illa regio, vt nihil facilè procedat ac pullulet: aqua tamen si ante Solis ortum hauriatur, auræ spiritu refrigescit, naturamque contrariã aëri sumit; hieme verò contepescit, eaque mersis mitissima efficitur. Tanta est autem cæli temperies, vt quo tempore in aliâ Iudææ regione ningit, lino illic tantùm indigenæ vestiãtur. Ceterùm P. Nicolaus Hue, Carmelitanus excalceatus, in Itinerario suo scribit, Eliæ fontem siccum esse, nisi accedat aliquis Carmelitanus Frater, tunc affirmat manare & exundare ad præsentiam eius.

CAPVT XI.

De floribus Ierichuntinis.

PRope hunc fontem arbores crescunt instar prunorum spinosæ, in quibus tamen flores nascuntur, quos rosas Ierichuntinas vulgus appellat, mirãdi effectus. Nocte enim natalitiâ nostri Saluatoris paulatim hiant, atque inde se recludunt, licet siccæ sint & aridæ, in testimonium virginei partus, vt credere licet. Hæc scribunt Salignia-cus & Adrichomius. Sed Bilonius lib. 2. Obseru. c. 86. seueriùs censet. Peruenimus, inquit, in pagum vbi aliquãdo Iericho fuit, nunc verò turris quædam quadrangula superest, columbario vix firmior. Stirpes per hanc planiciem nascentes in memoriam reuocarunt pusillam illam plantam, quam nonnulli impostores Rosam Ierichuntis appellarunt, quę radice aquæ imposita sese explicans, satis tolerabilis imposturæ prætextum dedit, vt admirationem spectantibus inducerent, affirmantes, eam in Vigiliâ Natiuitatis Dominicæ dumtaxat aperiri, vel mulieribus partus difficultate laborantibus. Qui illius naturam ignorantes, alio tempore non posse aperiri existimant, falluntur. Argumentum sumpserunt ex sacrâ Scripturâ, quæ habet, *Sicut plantatio rosæ in Iericho*, cùm tamẽ de vulgari rosâ rubrâ siue carnei coloris sit intelligendum; nam hæc apud Iericho non nascitur, sed in Arabiæ deserto maris Rubri littore, per arenas nascentem iam

iam obſeruaueramus. Non minùs halluci-nati ſunt alij, qui illius iconem pro amomo exhibuerunt, cùm nihil ſit minus.

CAPVT XII.

De Engaddi & fonticulo Ieſu.

ENgaddi, quę & Engadda Ioſepho, priùs dicta Aſaſonthamar, id eſt vrbs Palmarum, eò quòd floreret palmis & balſamis. Inhabitarunt quondam Amorrhæi hanc vrbem, quos interfecit Codorlahomor. Iuxta eremũ Cades ſita eſt in montibus, quorum horrida ſanè & admiranda diſpoſitio eſt. Nam cùm altiſſimi ſint, & ipſæ rupes præruptæ promineant, & quaſi ruinam minentur, ita tranſeuntes perturbãt, dum ſibi quiſque timet, ne in ſe & ſubiectas valles concidant. Ager olim egregius gratiſſimum ſpirans odorem, multitudine arbuſtorum, & aliarum odoriferarum herbarum, maximè balſami, ſecundùm quoſdam, quæ eo loci vbertim naſci dicunt. Sunt autem balſama arbuſculæ vni omnium terrarũ, iuxta Plinium, falsò tamen, Iudææ quondam conceſſæ, quas vineas Engaddi Salomonem in Canticis nominare dicunt, quarum frutices ſi acuto vitro, lapide oſſeiſve cultellis incidantur, ſtillant ſuccum pretioſiſſimum eximiæ ſuauitatis, quem opobalſamum vocant, præferturq; omnibus odoribus. Hunc hortum, ſeu vineas balſami tempore Herodis Magni Cleopatra Ægypti Regina, concedente Antonio vel amatore vel marito, inuidens tantam felicitatem Herodi, tranſtulit in Ægyptum, vbi irrigatur à fonte paruo, vberrimè tamen fluente, in quo fama eſt ſæpè lotum à beatâ Virgine puerum Ieſum, adeoq; potum ex eo ſibi & ſponſæ ſuæ ſanctum Ioſeph parauiſſe, cùm in Ægypto eſſet, atque ideò ab incolis in veneratione & cultu haberi maximo. Sunt tamen adhuc ſurculi quidam balſamorum in monte Engaddi, ſed nullius cultus, nullius prouentus; videlicet hoc eſt iuſtitiæ Dei iuſtiſſimum iudicium, qui ſeſe vlciſcitur de peccatoribus & perſequentibus nomen ſuum, vt quoniam Herodes olim balſami hortorum poſſeſſor puerum Ieſum perſequebatur, Ieſus fugiens in Ægyptum poſt ſe traxit balſami hortum. Eſt autem hortus hic in Ægypto ſitus inter Heliopolim & Babylonem, habens in longitudine duos iactus arcus, in latitudine vnum terræ ferè albæ. Nos cùm ibi eſſemus, ait Saligniacus, in menſe Septembri balſami lignum humile erat, palmi ſcilicet & dimidij in altitudine, folia habens parua vt ruta, albiora tamen. Meſſis balſami talis eſt: Decerpitur folium ex ſtipite contra Solem, moxque gutta lucida & mirè fragrans ſcaturit ex rupturâ, & hic balſami pretioſiſſimus liquor vitreis vaſis colligitur, minimè fluxurus, niſi ad ortum Solis fiat ruptura. Fonticulus autem Ieſu paruulus eſt, non ſufficiens irrigationi totius horti: quare Saraceni alium foderunt iuxta illum puteum, ex quo quatuor boues aquam protrahunt per rotam, ſperantes ex vicinitate fontis Ieſu aquam fore ſalubrem: at longè aliter res euenit, donec miſſis canalibus aquam putei ducerent in fontem Ieſu; quo facto, largiter & ſalubriter ex aquis mixtis rigatur balſami hortus. Mirum dictu, verumtamen à meridie Sabbati vſque ad auroram diei Lunæ, boues nullo verbere impelli poſſunt vt in protrahendâ aquâ laborent; quod eſt fidei noſtræ teſtimonium celebre. Sed & Saraceni hîc ſe & pueros ſuos lauant, non vt baptizentur, ſed vt corporum ſuorum fœtorem naturalem euadant. Hactenus ille. Fuit Engaddi vna ex præcipuis Iudææ vrbibus, vna ſcilicet Toparchiarũ, ordine nona, diſtans ab Ieroſolymâ ſtadijs trecentis, vt Ioſephus auctor eſt, atque etiãnum oſtenditur, auctore Hieronymo, vicus prægrandis Iudæorum Engaddi iuxta Mare mortuum.

CAPVT XIII.

De fonte hortorum.

FOns hortorum, cuius in Canticis Salomonis fit mentio, & ex monte Libano procul à Tripoli ſex millibus paſſuum cum impetu ſcaturit, ac breui ſpatio auctus in vehementem curſuque velocem fluuium excreſcit, ſuiſque aquis, quæ limpidiſſimæ, frigidæ & dulces ſunt, omnes hortos (vnde & fons hortorum vocatur) totamque regionem, quæ inter Libanum & Tripolim eſt, irrigat ac fecundat. Præter minores aliquot, in tres magnos riuos ſe diuidit, quorũ prior inter Tripolim & montem Leopardorum in mare magnum labitur; alter Leopardorum montem circumiens idem mare influit; tertius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni ciuitates fluens medius, Antaradumque alluens, in prædictum tandem mare ſe exonerat. Fluuium hunc Ioſephus etiam ſabbaticũ appellari ſcribit, ob quoddam peculiare miraculum, cuius videndi gratiâ Titus flumen adire, & idipſum coràm explorare operæpretium duxit, quod Ioſephus his verbis deſcribit: Nam cùm ſit, quando fluit plurimus, neque meatu ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus, fontibus defi-

ciens, ſiccum exhibet locum videre; deinde quaſi nullâ mutatione factâ, ſeptimo die ſimilis exoritur. Atque hunc ordinem ſemper eum obſeruare pro certo compertum eſt, à ſacro Iudæorum ſeptimo die ſic denominatus. Hæc Ioſephus. Quærat curioſus, num alius fons ſit de quo Plinius lib. 31. cap. 2. ſcribit: In Iudæâ riuus Sabbatis omnibus ſiccatur. Cui accedit auctoritas Eliæ Theſbitis Iudæi, qui eiuſdem mentionem facit in Lexico, in voce Sambation. Sambation, inquit, nomen eſt fluuij, de quo dicunt, quòd per ſingulos dies hebdomadis tanto impetu currat, dempto Sabbato, vt lapides magnos moueat, nec vllo modo pertranſiri poſſit, ex quo ſapientes vocarunt eum Sabbaton, ab eo quòd ceſſet ſiue quieſcat in Sabbato. Conſentit quoque cum Theſbite Zabamus, qui hunc ipſum fluuium Gozam à veteribus nominatum ſcribit, quòd celeriter oculis ſubripiatur, atque id contingere Sabbato; nemo Iudaicorum ſcriptorum, quos legerim, præter Ioſephum, diffitetur. Quod verò Elias illius quietis hanc cauſam afferat, decem tribus illic captiuas detineri, vt non poſſint exire inde nec Sabbato, ne violent illud: hæc ex tabulis Rabbinorum & nugis, quas ipſe non probat. Præclaram hanc imaginem obſeruauit noſter Cauſinius lib. 1. Parab. hiſt. Quietis ſabbatinæ ita in multis etiam fluminibus ſuorum veſtigia præceptorũ Deus impreſſit. Clamat D. Ignatius Martyr Spiritus ſancti tuba. Vnuſquiſque veſtrûm, inquit, Sabbatum colat, non corpore, ſed mente, ſacrarum legum gaudens meditatione, non corporis remiſſione. Dei ſcilicet opera admirans, non opiparis epulis, aut mollioribus poculis indulgens, vel etiam compoſito gradu incedens, aut ſaltationibus aut choreis, in quibus nihil eſt bonæ mentis, oblectatus. Poſt Sabbatum autem celebret quiſquis Chriſtum diligit diem Dominicum, diem reſurrectionis myſterio dicatum, regem & principem omnium dierum. Hæc ille: ex quibus licet agnoſcere antiquorum in colendis diebus feſtis religionem, noſtrorum verò temporum deplorare impietatem, quibus cæci mortales, quod erat pietatis, hoc totum laſciuiæ tribuerunt. Belonius non dedit fidem huic narrationi: at teſtis oculatus non fuit; fatetur tamen iam famam adhuc perſtantis miraculi. Quid ſi adhuc non extaret? An propterea dicendum non extitiſſe, poſt multorum Auctorum fidem?

CAPVT XIV.

De puteo aquarum viuentium.

IVuat hîc meminiſſe putei aquarum viuentium, cuius in Canticis Salomonis fit mentio. Iuxta viam, quà Tyrum ducit, ſitus, egregius eſt & admirabilis, atque verſus Aquilonem à Sandalio caſtro paulò ampliùs quàm milliari; verſus Auſtrum verò à Tyro paruo milliario diſtat. Quamuis autem ſingulariter puteus dicatur, ſunt tamẽ quatuor fontes quadrati, quorum ille qui præcipuus eſt, in vnoquoque quadrati latere quadraginta, reliqui verò vigintiquinque cubitos habent. Omnes muris fortiſſimis de duriſſimis lapidibus inſolubili opere obfirmatis concluſi, vnde varij deducuntur aquæductus, & riui qui totam Tyri planiciem, omneſque eius hortos irrigant & fecundant. Diſtant hi fontes à mari magno paulò ampliùs quàm arcus iacere poteſt, in quo tantillo ſpatio ſex molas agunt, & deinde ſe mari miſcent.

CAPVT XV.

De Adoni fluuio.

ADonis fluuius, qui ex Libano monte profluit contra Aquilonem, tribus à ciuitate Beryto, & totidem contra Auſtrum à Biblo milliaribus mare magnum ingreditur. Nomen Adonis ſortitus ab Adonide Bibliorum & Cypriorum Regis filio, quem ob formæ excellentiam Venus in delicijs habuit, quo, dum in nemore venatur, primo ætatis flore apri dente ſub inguine percuſſo & occiſo, quotannis à Gentilibus in menſe Iunio tum in Biblo Pœniciæ vrbe, in quâ & templum habuit, tum alibi gentium ſolenni ritu anniuerſaria occiſionis eius dies ingenti planctu celebrabatur: quo die, ſi Luciano credimus, fluuius hic inſtar ſanguinis rubeſcebat. Idem fluuius Chriſtianorum tempore Canis vocatus eſt, ad quem Ieroſolymitanum regnum ac Patriarchatus terminabatur, & Antiochenus Patriarchatus & Comitatus Tripolitanus incipiebant. In huius fluuij oſtio excelſi, aſperi & prærupti attolluntur montes, qui Climax, id eſt gradatio ſiue aſcenſio vocantur, penes quos Lycus fluuius in mare prorumpit. Hi cùm iter facientibus iuxta mare aditum negarent, Imperator Antonius difficultatem iſtam tollere cupiens, montes incidi iuſſit, ac anguſtam inter montes viam aperuit, quod epigramma in eâ inciſione hoc modo inſculptum indicat: *Imper. Cæſar. Antonius*

nius. Pius. Felix semper Aug. Brit. Max. Parth. Max. German. Max. Pont. Max. imminentibus montibus Lyco flumini cæsis viam dilatauit per Antonianam suam. Quæ quidem via ob angustiam, & imminentes montes periculosissima ac pænè imperuia est, vt paucissimi viri, facili negotio, numeroso exercitui hîc transitũ impedire possent. Nam latitudinis vix habet cubitos duos, at lõgitudinis stadia quatuor. Nomẽ hisce angustijs à Cane fluuio, cui transitum præbet, à quibusdã *Passus Canis* inditum est, ab alijs verò, ob frequentes paganorũ, Christianis hunc transitum prohibentium, excursiones, *Passus Pagani* dicitur. Quem Christianorum exercitus aliquoties non sine ingenti periculo transijt.

CAPVT XVI.

De herbâ miraculosâ iuxta statuam Christi Domini in ciuitate Paneade.

CÆsareæ Philippi, aliàs Paneadis, ciuis mulier illa fuit, quam sanguinis fluxu laborantem fimbriæ Christi attactu in Capharnao sanationem rapuisse, diuinorum Euangeliorũ testatur Scriptura, in quâ domus eius magnifica, simulque admirandum quoddã collati Seruatoris in eam beneficij, & grati eius erga benefactorem suũ animi monumentum ac trophæum, multis sæculis fuit visum, quemadmodũ testantur Euseb. lib. 7. Hist. cap. 14. & Niceph. lib. 6. c. 15. Pro foribus namque domus suæ ad fontem quemdam sub dio in editiori loco super basim duas præclaras ex ære fusas erexit statuas, quarum altera mulieris ipsius feminæ habitu, genibus flexis, palmisque protensis, supplicantis præ se tulit imaginem; altera autem huic ex aduerso collocata, directo viri statu, diploide cum decenti quadam grauitate amicti, dexteram inclinatæ mulieri porrigere visa est. Ad huius pedes ex basi herba quædam enascebatur noua, & specie cunctis Medicis omnino ignota, quæ cùm ad æreæ illius diploidis fimbriã excreuisset, eamque summo vertice tetigisset, præsentissimas inde accipiebat vires ad omnis generis ægritudines, morbos languoresque medendos, ita vt quæcumque illa fuisset infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depelleretur. nihil omnino virium gerens, si, antequam æneæ fimbriæ summitatem crescendo contigisset, decerperetur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu, eiusque formam ac habitũ conflatam fuisse, illamque viuidè expressisse, verâ certaq; maiorum traditione ac scriptis celebratũ est. Insigne hoc Christi trophęum non solùm vsque ad illustris Historici Eusebij Cæsareæ Palæstinæ Episcopi permansit ætatem, qui florens sub pijssimo Constantino Magno huc profectus, id oculis suis se inspexisse scribit, sed ad impijssimi Imperatoris Iuliani Apostatæ tempora perdurauit: qui anno à Virginis partu trecẽtesimo sexagesimo tertio, desertâ Christianorum religione, gentilium errorem amplexus, hanc Saluatoris nostri statuam deiecit, suamque in eius locũ constituit. In quam mox ignis è cælo summâ vi dilapsus, caput vnà cum collo à pectore auulsum, in terram prostrauit. Cuius facti memoria in truncatâ statuâ fuliginosa fulminis macula veluti per inscriptionem columnæ incisam longo tempore firmata fuit. Cùm ista à Iuliano tentarẽtur, Ethnici Christi statuam loco suo emotam, funibus ad pedes vinctis, per mediam traxere viam, omnique impietatis genere contumeliosissimè affectæ prominentia membra confregerunt, & caput à trunco diuulsum extraxerunt. Quod Christiani clàm sublatum, vnà cum alijs corporis particulis hinc inde collectis, conseruarunt; ac posteà in Ecclesiâ honoratiore loco positum, cultu conuenienti prosecuti sunt, honorem, quem imagini exhibebant, ad ipsius archetypum & prototypum primariumque exemplar, quod illa repræsentabat, referentes. Porrò tam prædictã Christi effigiem, quàm truncum Imperatoris simulacrum atro adhuc fulminis ictu ambustum, præclarus Scriptor Sozomenus Salaminus in Ecclesiasticâ suâ historiâ, quam circa annum Domini quadringentesimum trigesimum Imperatori Theodosio iuniori nuncupauit, in dictis locis suo etiamnum tempore extitisse, testatur lib. 5. cap. 20.

CAPVT XVII.

De agro Damasceno.

AGer Damascenus est, vbi asserunt Adam à Deo plasmatũ, & hinc translatum in Paradisum terrestrem, atque inde rursus eiectum ob peccatum, quo se & nos omnes perdidit, huc relatum. distat autem spatio quantum arcus iacit ab Ebron. Ager vsque adeò fertilis, & speciosus, vt aliqui paradisum terrestrem intelligi hîc debere, crediderint. Habet terram rubram, & mirè tractabilem, quam Sarraceni deferunt in Ægyptum, Indiam, Æthiopiam, carè vendentes. Ferunt autem foueas reuoluto anno adimpleri, habeturque famâ constanti, terram hanc talis esse virtutis, vt eam gestantibus nulla incommoda noceant, vnde & aliqui abutuntur in varias superstitiones. Hæc ex Iosepho lib. 1. Antiq. cap. 2. Brocardo

cardo Itiner. 6. Breidembachio & Saligniaco Tomo 10. cap. 5. collegit Adrichomius.

CAPVT XVIII.

De agris desertis Gazaræ.

IVxtà Gazaram, siue Gazam, agri deserti inueniuntur ob murium & soricũ abundantiam, quos nisi deuorarent aues, Pertropteri ab Aristotele nuncupatæ, naturæ instinctu cateruatim eò aduolantes, nullam sementem possent facere incolæ quin statim absumeretur, vt Belonius obseruauit.

CAPVT XIX.

De aue venaticâ.

COnspeximus, inquit idem Belonius, in eadem Gazarâ auem, meâ opinione reliquas cantus suauitate superantẽ, quam veteres venaticam auem appellasse arbitramur. Sturno paulò maior est, albo ventre, & deorsum cinereo, vt molliceps, *gros bec* nobis dictus, caudâ nigrâ, alasque vt in picâ separante, pici Martij in modum volans.

CAPVT XX.

De origine vitri, & fluuio Belo.

BElus, aliàs Beleus, est fluuius exiguus, sed profundus, quem & Pagidam vocant, duobus à Ptolemaide stadijs distat: qui è proximis montibus scaturiens; rotundam quandam centum cubitorum præterlabitur vallem admiratione dignissimam. Plinio Cendeuiam paludem appellatam, vbi primò compertum fuisse vitrum, idem Auctor scribit. Vitream enim habet arenam, ex quâ igne liquefactâ vitrum conflatur, quam cùm exhauserint multæ naues pariter accedentes, locus idem rursus impletur: venti siquidem quasi deditâ operâ conuehunt illuc de circumiacentium montium supercilijs arenam istam, vtique communem; locus autem mirabili quadam naturâ tum ipsam arenam, tum alia quoq; quæ susceperit metalla in vitrum statim mutat. Mirabilius quoque illud videtur, quòd iam conuersæ arenæ in vitrum, quæcumque pars super margines loci ipsius fuerit iacta, in vulgarem arenam denuò conuertatur. Meminit huius fluminis etiam Tacitus.

CAPVT XXI.

De saltu Domini.

APpellatur saltus Domini mons altus, vnde videtur mõs Thabor & Hermõ, ciuitas Endor, Naim, & Iezrael, atque ferè tota planicies Campi magni Esdrelon. In montem hunc tradunt transiisse Dominum, cùm eum Iudæi volebant præcipitare, & subitò ad tactum vestis ipsius saxum subterfugisse, & instar ceræ liquatum, ac resolutum quemdam effecisse sinum, quo corpus Dominicum muniretur & reciperetur, tantæ vtique capacitatis, quantæ ipsum corpus Domini extitit quantitatis. In quo hodieque vniuersa lineamenta, & rugæ vestis, quæ à tergo Domini erant, pedumque eius vestigia veluti manu sculptoris expressa seruantur.

CAPVT XXII.

De Emmaus, & fonte eius.

EMmaus, quæ & Emaus dicitur, & Ammaus, & Ammaũ castellum, ciuitas est insignis, ex vndecim toparchijs ordine sexta. Hãc aliqui collocãt in tribu Dan. Apud hãc vrbẽ Iudas Machabæus fugauit exercitum Antiochi. Distat ab Ierosolymis itinere sesquihoræ, trium verò horarum & dimidiæ, vt Zeiglerus ait. Fuit patria Cleophę. Nobilitatus hic locus fuit miraculo Christi, quem in castello hoc discipuli duo cognouerunt post resurrectionem in fractione panis. Sed & aliud miraculum, quod, quemadmodum & alia multa, ait Sozomenus lib. 5. c. 20. solis indigenis per traditionem fuit cognitum. Est, inquit, vrbs Palæstinæ, quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem vt pagi (sic enim iam tũ fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionem, eamque Emaus appellat; at Romani, captâ Ierosolymâ, & partâ cõtra Iudęos victoriâ, Emaus Nicopolim appellarunt. Ante hanc vrbem propter triuium (in quo Christus post resurrectionem à mortuis cum Cleophâ incedens, quasi simulabat se ad alterum pagum properè contendere) est fons quidam salutaris, in quo non homines modò qui ægrotant loti curantur, verùm etiam alia animalia quæ varijs morbis laborant. Nam ferunt, Christum cum discipulis quodam tempore à viâ ad fontem illum diuertisse, inque eo lauisse pedes, & ex eo tempore aquam vim morbis medendi habuisse. Dicitur à quibusdam ipse Christus Cleophæ domum in Ecclesiam dedicasse. Refert in Chronicis Euse-

Eusebius anno Christi 131. Nicopolim terræ motu concidisse. Fuerat etiam olim bello Iudaico iussu Vari exusta, pro cuius instauratione Iulius Africanus, Ecclesiasticus Scriptor temporũ, legationem suscepit anno Christi bis cētesimo vigesimo & quarto, sub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat. Habuit temporibus Christianorum, cùm occupassent Terram sanctam, Episcopum, qui erat sub Metropolitano Cæsariensi.

CAPVT XXIII.

De ciceribus lapideis.

NOn procul à Bethlehem, minùs quàm binis milliaribus, vasta terebinthus inuenitur, sub quâ, inquit Bellonius lib. 3. Obseru. cap. 87. D. Virgo quiescere solebat, cùm ex Bethlehem Ierosolymam proficisceretur, iuxta quemdam agrum lapillis quibusdam rotundis oblitum, magnitudine & formâ ciceris. Vulgi opinio est, D. Virginem, dum hac iter faceret, quemdam conspexisse qui cicer sereret, eumque interrogatum quidnam ageret, respondisse, Lapillos sero. Ab eo tempore solum petrosum remansisse, tamquam cicer in lapillos fuisset transmutatum.

Aliter Cotouicus describit hanc historiam. Discedentibus, inquit, à Rachelis sepulchro Septemtrionem versus, campus ciceris vulgò dictus cernitur, sterilis planè & arenosus. Occasionem huic nomini dedisse ferunt insigne Christi miraculum. Cùm enim illac iter faceret, hominem semina spargentem interrogasse eum aiunt, quid seminaret: illum verò respondisse, Lapides. Subiunxisse Dominum, Lapides seminas, lapides & metes; illumque messis tempore pro cicere lapides ciceri persimiles messuisse. atque exinde in hunc vsque diem agrum illum nihil aliud producere. Nos plurimos ex ijs collegimus nostrati ciceri haud absimiles.

CAPVT XXIV.

De Sardinellæ mirabili proprietate.

NOn procul ab Abanâ fluuio Sardinella est, magnus vicus, ad Orientem Damasci; qui se à Christianis solùm admittit incoli, alios verò ante confectum primum habitationis annum enecat. Ita Bonaventura de Miricâ testatus est.

CAPVT XXV.

De domo vbi concepta D. Virgo.

CVbiculum vbi D. Virgo concepta fuit in domo S. Annæ, magno apud ipsos etiam Turcas honore habetur. Ipsi affirmant (testatur hoc Blasius Buiza Franciscanus) nullum vxoratum in eâ domo habitare posse: statim enim coniuges violento & misero exitu interibant, ea propter custodem eius loci castitatem colere, quod inter Turcas mirum dictu.

CAPVT XXVI.

De domo S. Thomæ Apostoli.

IDem Blasius narrat, in domo S. Thomæ Apostoli nullum infidelem posse degere; qui id tentarunt, atroci obitu ereptos esse è viuis.

CAPVT XXVII.

De fonte Capharnaum.

DIcitur Capharnaũ, siue Capernaum, fons vberrimus muro circumdatus, qui, vt Iosephus testatur, hoc nomine ab indigenis appellatur, ab alijs autem *fons viuus* dicitur. Scaturit è pede montis Christi, ac mox in fluuium excrescit, qui similes Coracino Alexandrino generat ac nutrit pisces, qui in Nilo Ægypti flumine dumtaxat reperiri solent, vnde nonnulli fontem hunc Nili venam esse opinantur. Diuiditur autem hic fluuius in tres riuos, quorum primus inter fontem Luenæ & vrbem Capharnaum medius, mare Galilææ ingreditur, secundus suo aquęductu Bethsaidam ciuitatē transit; tertius verò terram Genesar, siue regionem Genezaris irrigat, & tandem à mari Galilææ etiam absorbetur. Ab hoc fonte tota, quæ per duo milliaria vsque ad Iordanem extenditur, regio etiam Capharnaum nominatur. Ceterùm oportet narrare aliquid de monte, ex quo fons iste erumpit. Dicitur mons Christi, quòd Seruator noster Iesus Christus in eo solitus sit orare & prædicare, quia à ciuitate Saphet versus Orientem tribus ab vrbe Capharnao, contra Occidentem totidem milliaribus non procul à mari Galilææ abest. Formam habet oblongam: nam in longitudine duos teli iactus, in latitudine autem lapidis iactum continet. Altitudo eius tanta est, vt ex eo non solùm totum mare Galilææ, & Terra Zabulon, & Nephthalim, sed & ciuitas Cedar ac Trachonitis

chonitis & Ituraeæ regiones, deniq; & Seir, Hermon, atq; Libanus montes procul conspici possint. Naturâ totus herbosus, floridus & amœnus est, ac cælesti Philosophiæ conuenientissimus. vnde & Christus frequenter hoc loco orauit & docuit: hîc diuinâ oratione integras noctes traxit: hîc omnibus suis discipulis ad se vocatis, duodecim ex eis delegit, quos & Apostolos ordinauit ac nominauit, Simonem nempe, quem nominauit Petrum, & Andream fratrem eius: Iacobum Zebedæi filium, & Ioannem Iacobi fratrem, quibus imposuit nomina Boanerges, quod est filij tonitrui; Philippum, Bartholomæum, Matthæum publicanum, Thomam; Iacobum Alphæi filium, Simonem Chananæum, qui vocatus fuit Zelotes: Iudam Thaddæũ, quem Græci Lebbæum vocant, Iacobi Alphæi fratrem, & Iudam Iscariotem, qui & prodidit illum. Hîc vnà cum eisdem sedens, prolixo & insigni sermone, quem D. Matthæus tribus capitibus describit, de octo beatitudinibus ac Euangelicis perfectionibus disseruit, clare diserteq; in Apostolis nos instituens, quibus in rebus vera sita sit beatitudo, veterisque legis Christiana perfectio; modum item docens, viriliter eleëmosynas erogandi: monens etiam, non alibi quàm in cælo thesaurizandum, omnemq; de victu & vestitu sollicitudinem in Deum proijciendam: item sedulò præcipiendo, non temerè esse iudicandum aut docendum; orationi verò vigilanter instandum. Vrgens porrò arctam virtutis viam sine morâ capessendam, & per angustam portam ad vitam intrandum: denique à pseudoprophetis diligenter cauendum, suæque huic doctrinæ firmiter inhærendum. Ostenditur etiamnum ibi lapis, in quo Iesus Christus prædicans sedit, & loca in quibus Apostoli consedisse memorantur. Sunt qui Christum hoc quoque in monte quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia satiasse censent: ideoque locum hunc Christi & Apostolorum mensam appellant. Nonnulli verò iuxta Tiberiadem ciuitatem id contigisse autumãt; quod tamen vltra mare Galilææ factũ esse, ex Matthæi, Marci & Ioannis Euangelio manifestè patet, qui scribunt, Dominum vnà cum Apostolis mare Galilçæ traiecisse, atque peracto hoc miraculo, Apostolos idem rursum trãsnauigasse mare, Iesum verò super maris aquas peditem transiuisse, tandemque omnes vnam in terram Genesar venisse. Adrichomio verò alterum multiplicatorum panum miraculum hoc loco peractum fuisse videtur, quo nempe septem panibus & paucis pisciculis quatuor hominum millibus saturatis, septem sportæ impletæ sunt reliquiarum fragmentis, quæ saturis superfuerant; & quòd Dominus scribitur dimissâ turbâ nauigio profectus in terrã Magedan, siue Dalmanutha, intelligendum esse de nauigatione, quâ non quidẽ ad oppositum maris littus nauigarit, sed in eodem littoris latere maris oram circumlegerit. Quod Euangelicæ historię satis conuenire videtur, cùm non dicatur hîc transfretasse, sed venisse in fines Magedan. Ad pedem huius montis etiam Dominus Iesus languentium & à spiritibus immundis obsessorum multitudinem curauit, ac ibidem prædictum de vitâ beatâ sermonem, stans in loco campestri, summatim coram copiosâ plebis multitudine replicasse videtur.

CAPVT XXVIII.

De lapide vestigia Christi exprimente.

IN quodam loco ad litus maris Galilææ, qui à ciuitate Capharnao versus Occidẽtem milliario vno, à riuo autem fontis Capharnai contra Orientem viginti passibus distat, post resurrectionem suam quodam die primo diluculo stetit Iesus, ac Petrum, Thomam, Nathanaëlem, Iacobum, Ioannem, aliosque duos discipulos totâ nocte in mari Galilææ ducentis à terrâ cubitis frustrà piscatos allocutus, *Pueri*, ait, *numquid pulmentarium habetis?* ijsque se nihil habere respondentibus, rete ad dexteram nauigij partem emitti iussit: qui iussis parentes, mox magnos ceperunt pisces centum quinquaginta tres, quo miraculo Petrus per Ioannem Dominum agnoscens in mare se coniecit, ac Dominum adijt. Hoc igitur loco à Domino Iesu lapidi veluti ceræ impressa vestigia multis sęculis sunt visa, quem quidem lapidem paucis ab hinc annis à Saracenis ablatum, testatur in suo libello Saligniacus. Decem inde passibus locus visitur, vbi reliqui sex discipuli nauem egressi, positas viderunt in littore prunas, & piscem superpositum, & panem, vbi vnà cum eis Iesus pransus est, qui ibidem à prandio Petrũ, an se diligat, ter sciscitatus, ter id profitenti, ter suas oues pascendas commisit, ipsumque in senectute suâ crucis martyrio consummandum, Ioannem verò placidè moriturum significauit.

CAPVT XXIX.

De fructibus Maris mortui.

SVnt arbores pulcherrimæ sub Engaddi ad Mare mortuum, pulcherrima ferentes in speciem poma, & vuas, sed cùm decerpun-

cerpuntur, intus cinere & fauillâ plena, in fumum dissoluuntur, fœtoremque exhalant teterrimum. Quò respiciebat in Cantico Moyses: *De vineâ Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amarissimi.* Tertullianus in Sodomâ hoc idem confirmat:

Nusquam sunt Sodomi, nusquam illorum impia lucent
Mœnia, cum dominis domus omnis inops ita nusquam;
Tota rogus regio est, hinc atro horrore fauillæ
Hincq; situ cano cineres incendia signant.
Occidit illa prior feritas, quā prospiciens Lot.
Nullus arat frustrà piceas fuligine glebas.
Semiperempta etiam si qua illic iugera, lætas
Autumni conantur opes, facilè optima sese
Promittunt oculis, pyra, persica, & omnia mala,
Donec carpuntur; nā protinus indice tactum
Soluitur in cinerē, fit vana fauillaq; pomum.

CAPVT XXX.

De lapide limpido.

AB Orientali Tyri portâ, quàm procul arcus bis iacere potest, magnus in medio arenæ quidam ostenditur lapis, super quem Christum stetisse ac prædicasse asserunt, vbi etiam mulier quædā extollens vocem de turbā, Domino dixisset, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Qui quidē lapis ob honorem Domini nūquam arenâ, seu puluere aut niue tegi dicitur, quamuis assiduo pænè ventorum afflatu arena ibi agitetur.

CAPVT XXXI.

De admirandâ specie hominis à naturâ expressâ.

IN Dominici præsepij, Aquilonari latere interiori, res admiranda conspicitur, hominis nempe effigies, cucullatum & venerandū senem barbâ oblongâ repræsentans, quam natura ludibūda lineis nigricantibus tāto artificio expressit, vt omnibus industriè depicta videatur. Sunt qui miraculo rem adscribant, ac diui Hieronymi figuram exprimere putent.

CAPVT XXXII.

De saxo sancti Stephani.

IN loco quoque vbi S. Stephanus lapidibus obrutus, imago eius saxo impressa manet. Ita Cotouicus testatur lib. 2. Idem quoque reperi apud Blasium Buizam.

CAPVT XXXIII.

De saxo Cedron.

NArrat etiam Blasius Buiza, in saxo quodam Cedronis aut Vallis Iosaphat, expressa videri signa manuum & pedū Christi Domini, qui violenter vinctus, & tractus super illam rupem cecidit.

CAPVT XXXIV.

De saxo Eliæ.

IDem narrat, saxum, quod Prophetæ Eliæ pro lecto quondam fuit, eiusdem effigiem exprimere.

CAPVT XXXV.

De terebintho Virginis.

NOn procul à Bethleem terebinthus quædam est, appellata beatę Virginis, ad cuius vmbram paulisper recreata fuit Dei Genitrix; magnoque propterea in honore habetur, tum quòd visa fuerit die Sabbati incombusta ardere, quemadmodum rubus Moysis.

CAPVT XXXVI.

De templo Bethleem.

HElena Constantini mater insigne construxit in Bethleem templum, cuius quidem ædificij ea magnificentia est, splendor & elegantia, vt quod huic compares, toto terrarum orbe non inuenias, Adrichomius inquit. Videlicet est excelsum cumprimis & amplissimū, cuius tota superior concameratio quatuor ex marmore columnarum ordinibus constat, quarū non modò multitudo miraculum, sed etiā magnitudo admirationē excitat. Habet enim ordo quilibet quinquaginta columnas, singulari artificio & sumptu, cùm vel ipsa materia sui pretio cuiusuis æstimationem vincat. Super ipsas colūnas nauis Ecclesiæ ostenditur opere vermiculato, quæ omnis veteris Testamēti exhibet historias, ab exordio mundi vsque ad Christi ortum, mirando artificio, & colorū varietate distincta. Parietes tabulis ex alabastro pretiosissimis sunt incrustati, quarum ea opulentia est, & pulchritudo, vt ipse aliquando Sultanus harum formâ & pretio illectus, sacratissimo templo manus sacrilegas admouerit, iubens latomis vt è parietibus leuiter submouerent, & pro palatio suo in Babyloniam transportarent: sed illi vt accesserunt, tabulas amoturi, ex solido pariete

miræ magnitudinis ſerpens prodijt, & primam tabulam momordit,quę& ſtatim crepuit;& in hunc modũ reliquæ morſæ à ſerpente crepuerũt numero quadraginta. Quo viſo, Sultanus timens vltricem Dei irã, iuſſum reuocauit,& de templo exijt turbatus, & plenus formidine, ſimulq; ſerpens diſparuit. Viſuntur etiamnum ſerpentis ibi veſtigia & fixuræ tabularum, quam hiſtoriã relatam ait in Annales ſcriptorũ Saligniacus, adeò vt Turcæ etiã & Sarraceni reuerenter hoc templum frequentent. Pauimentũ huius templi totum ſtratum eſt marmorę,ſed & ipſa concameratio eſt ex marmore,teſtudines & colore & pulchritudine admirãdæ. In ſuperiore templi huius parte verſus Oriẽtem altare erectum eſt,eo loco vbi Magi,relictis dromedarijs,cũ muneribus Ieſum Dei Filium adorauerunt. Ad locum autem dulciſſimæ natiuitatis deſcenditur ab Eccleſiã in Capellã decem gradibus,locũ vel ipſo cęlo auguſtiorem, æternã memoriã omnibus fidelibus honorãdum, in quo medio noctis ſilẽtio Virgo ſacroſancto partu grauida,caſtis viſceribus & illibato pudore edidit Saluatorem, tenellum infantulũ in commune exponens duum animalium medio. Hic locus tegitur menſâ marmorea & candida,in quâ & Sacrum peragitur, & qui eò veniunt peregrini,oſculo deuotionem conteſtantur. Ceterũ lapidis illa pars, ſuper quâ Chriſtus dicitur natus, & præſepis pars in quam fuit reclinatus,non veſtiuntur marmore,ſed nudæ patent,vt erant tempore natiuitatis. Lapis in quem reclinauit Maria, & cui flexis genibus inſedit, ſimilitudinem ſtellæ habet. Eſt autẽ tota hæc Capella ſumptuoſo opere ex marmore & auro exornata. Et de præſepio quidem, ait Hieronymus, in quo Dominus infantulus vagijt, tacendum potius eſt, quàm infirmo ſermone honorandum. Tranſlatum poſteà Romam, in templo S. Mariæ Maioris aſſeruatur. Neque longè à templo locus eſt Circumciſionis, neque procul inde crypta adhæret,locus olim ſtudiorum ſancti Hieronymi, ſicut ſcribit Saligniacus. Crypta quoque viſitatur ad Auſtrum,in quâ multa Innocentium corpora fuerunt congeſta. Extruxerat autem & ijſdem templum B. Helena, vt patet ex Euſebio & Nicephoro. In exitu templi ad Aquilonem ambitus eſt Clauſtri monachorum, quod Minores ex Ordine D. Franciſci inhabitant. Ad Orientem, quantum eſt iactus lapidis, monumenta viſuntur Paulæ & Euſtochij. In Eccleſiâ Fratrum eſt ſacellum S. Catharinæ, quò primùm inducuntur peregrini.

CAPVT XXXVII.

De Eccleſiâ Angelorum.

IN loco vbi Angeli paſtoribus nuntiarunt Chriſtum natum, ruinæ videntur antiqui monaſterij Monialiũ, à temporibus ſanctæ Paulæ Romanæ. Tantâ nunc veneratione templũ illud apud Turcas habetur, vt eius omnem lapidem intactum cuſtodiant. Semel quidam auſus eſt auferre aliquos,ſed expertus breuî vltionem diuinam; eius enim coniux, liberi, pecudes, armenta, ſtatim interempta fuerunt.

CAPVT XXXVIII.

De ſaxo quod dicitur Lac Virginis.

HAud procul, inquit Cotouicus, à Monaſterio Bethleemitico antrum (cui à Virgine nomen eſt, quodque item *Cryptam lacteam* vocant) ſubijmus. Id ingreſſu obſcuriſſimum & arctum, viâ leniter decliui & ſaxosâ, adeò anguſtum præbet acceſſum, vt niſi genibus flexis, aut ſaltem inclinato ad vterum capite, vix penetrare queas. Itaque ne vſquã offenderemus, ardentem quiſque manu cereum geſtauimus. Ad penitiora vbi deuenimus, antrum offendimus quadratã formâ vigintiquatuor circiter pedes per quadrum continens, in cuius ferè medio Aram marmoream etiamnum integrã videre eſt. Ferunt, hoc loco Mariã Virginem cum Ieſu infantulo (dum Herodes in Bethleemiticos infantes ſæuientem fugeret) lactaſſe, atque interim dum Filiũ lactaret, lacte ſuo locũ irroraſſe. In cuius rei memoriam diui Hieronymi ætate templũ in hoc ipſo loco, itemq; monaſterium Virginis à Paulâ Romanâ erectum volunt, quod tamen hac tempeſtate penitus dirutum, & ſolo æquatum, in cinerem abijt, nihilq; præter altare marmoreum, & antri foramen rotundum (quod in ſummitate rupis exciſum, lucem olim admiſiſſe veriſimile eſt) reliquum oſtendit. Huius antri ſaxum, coloris ſubalbidi, duritie cretã non ſuperat, vt ſcalpello radi facillimè poſſit. Id vulgò lac Virginis vocant, miramque ei indigenæ viciniique populi omnes attribuunt efficaciam, multis experimentis approbatam. Ferunt namque, feminas lactis inopiâ laborantes, ſi vel exiguum huius pulueris abraſi, aquâ, vel vino, aut lacte diſſoluti accipiant, ſtatim vbi id ſumpſerint, lacte repleri; idque non ſolùm à Chriſtianis, ſed ab ipſis quoque Mahumetanis, & Mauris, & Turcis publicè omnium ore confirmatur:

qui

qui hoc ipsum in suis vxoribus & animalibus sæpissimè se expertos aiunt. Causam verò virginali lacti attribuunt, ac diuino miraculo adscribunt. Precibus in antro peractis, ac salutatâ Virgine, singuli de cryptæ lateribus aliquid derasimus, & nobiscũ adsportauimus. Cuius ego vim in nostratibus feminis frequentissimè certam didici, atque Orientis populi opinionem haud vanam esse comprobaui.

CAPVT XXXIX.

De Fonte signato.

IDem Auctor sic narrat. Fõtem signatum esse aiunt in sacris Litteris celebrem. Distat is à Bethlehem tria circiter millia passuum, descensumque præbet foramine angustissimo, supra quod ficus antiquissima, patulis diffusa ramis, vmbrã præstat intrantibus lætissimam. Hunc & nos intrauimus, sed quisque quò facilior foret via, ceream faculam ardentem præferebat; est enim locus subterraneus, & obscurus valdè, cellam formâ quadratâ oblongâ fornicato opere referens, latã circiter pedes decem, longam viginti quinque, quæ à Septẽtrione in Meridiẽ distenditur. In medio fossa est, in ipsâ rupe excisa, longa pedes sex, lata duos, totidem palmos, profunda tres, quæ fontis aquã limpidissimam ac saluberrimam frigidamque ex ipso viuo saxo exhibentem excipit, eamque per canalem continuum rupi incisum diffundit, atque inde antiquum aquæductũ publicis impensis in hunc vsque diem conseruatum in vrbem ad Salomonis templi aream defert.

CAPVT XL.

De Horto concluso.

NEc iniucundum erit audire Horti cõclusi elegantiã. Hortum, inquit idem Auctor, conclusum Salomonis in sacris Litteris celeberrimum adijmus. Is non muro conclusus, nec arte, sed ab ipsâ naturâ montibus asperrimis & maximè præcipitibus vtrimque septus, vallem paruam refert, longitudine stadia ferè duo, latitudine passus quingentos continentem. Glebę est fertilissimæ & fortunatissimæ, coloris nigerrimi, diuersi generis arboribus, malis præsertim punicis, aurantijs, citrinis, ficubus, alijsque permultis, nardo etiam & croco varijsque fructibus abundans. Vix autem dici potest, quantũ cùm eminus tum cominus mirandi sui situs elegantiâ, amœnitate, ac pulcherrimo prospectu accedentiũ prætereũtiumque oculos capiat, pascat atque delectet. Cùm etenim circumuicinam regionem torrefactam, aridam, incultam, & Solis ardore exustam Peregrini perspiciant; minusq; inter petrosos, steriles squalidosque montes viridaria se reperturos putent, vbi improuisè vallem arboriferã, odoriferam, herbidam, floribus frugibusque ridentem atque cultissimam ostendunt, rei nouitate hærent attoniti, & in summam rapiuntur admirationem. Vbi ad vallis medium ventum est, mons occurrit, ad Septemtrionale latus, angulum efficiens, atque in hemicycli formam instar arcus sese extendens, cuius costã, quã vallem respicit, villa occupat, quam Salomonis Hettan olim nuncupatam aliqui volunt: hodie ruinosa penitus; nil præter vetustos fornices aliquot, & aceruos lapidum, nonnullaq; Maurorum vallem colentium tuguriola continet. Ad radicem montis sub ipso pago fons est à Fonte signato deriuatus: is per deductas arte canaliculas agros cãposque omnes Horti conclusi irrigat, humectatque sata, mox in aquæductum influit, & per eum in Ierosolymam vrbem iuxta Salomonis templum suas effundit aquas.

CAPVT XLI.

De Statuâ salis.

STatua salis, in quã vxor Lot, respiciens, est conuersa, incredibilis animæ stans memoria. Testatur Iosephus, se suo adhuc tempore statuam hanc vidisse, quin & hactenus manet, & extat, si Brocardo, si Bredembachio, si Saligniaco & alijs oculatis testibus credendum est, qui positam dicunt inter Engaddi & Mare mortuum. Hanc historiam arguto carmine narrat Tertullianus in Sodomâ, & mira addit:

Namque comes coniux, heu me! malè tum quoque legis
Femina non patiens, diuina ad murmura cæli
Audaces oculos nequidquam sola retorsit,
Nec habitura loqui quod viderit, & simul illic
In fragilẽ mutata salem, stetit ipsa sepulcrũ,
Ipsaq; imago sibi formam sine corpore seruans.
Durat adhuc, etenim nudâ statione sub æthram,
Nec pluuijs dilapsa situ, nec diruta ventis:
Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore sexus
Munificos solito dispungere sanguine mẽses.

CAPVT XLII.

De fonte Samariæ.

FOns Samariæ dicitur alternis coloribus quater in anno variari, viridi scilicet, sanguineo, turbido & limpido, mirâ & gratâ vicissitudine inspicientiũ oculos delectans. Fit etiam piscinæ Samariæ mentio in libris Regum, vbi occisi Achab currus ablutus est. Narrauit illud Vitriacus cap. 84.

CAPVT XLIII.

De fontibus Lasæ.

LAsa fuit ciuitas antiqua, quæ pòst Græcè Καλλιῤῥόη dicta est, eò quòd pulchrè fluat: ibi enim diuersi aquarum fontes, calidi & frigidi, dulces & amari, profluentes, præter vim medicam, potu quoque iucundę sunt. Ostenditur autem hîc quædam rupes seu saxũ, super quod duo veluti vbera paululum inter se distantia eminent, quorum vnum fundit fontem calidissimum & dulcem, alterum frigidissimum & amarũ; quæ aquæ inter se mixtæ, lauacrum gratissimum præbent, multisque morbis & vitijs salutare, maximè verò neruorũ contractioni conueniens: atq; inde profluens, in Mare mortuum effunditur; habetque idem lacus metalla sulphuris & aluminis. Huc sub mortem suam de consilio Medicorum profectus Herodes senior, & immissus in solium oleo plenum, inibi fouendus, visus est illis animam agere; quare exortâ comploratione familiarium excitatus, & ad se reuersus, nullamque amplius salutis spem superesse intelligens, ingenti liberalitate in amicos, duces, milites vsus est, & paulò pòst, delatus in Iericho, mortuus est.

CAPVT XLIV.

De fonte B. Virginis.

IN Valle Iosaphat fontem esse beatę Mariæ, scribit Blasius Buiza, vbi pueri Iesu panniculos fertur lauisse, cuius aqua febribus medetur, etiam ægrotantium Mahometistarum, à quibus propterea magno in cultu habetur.

CAPVT XLV.

De fonte Æthiopis.

FOns Æthiopis est in medio itinere, quo itur ab Ierusalem in Gaza contra Bethsuram, vigesimo ab vrbe lapide ad radices montis ebulliens, & eadem quâ gignitur sorbetur humo, in quo Philippus Apostolus Eunuchum Æthiopem baptizauit, qui dum in curru vetus instrumentum relegeret, fontem reperit Euangelij.

CAPVT XLVI.

De Torrente Philisthiim.

VIctoria Dauidis meruit aliquam mentionẽ Torrẽtis fluuij terrę Philisthiim, qui alioqui nullâ naturæ commendatione est insignis. Oritur è Iudææ montanis, fluit per Vallem terebinthi, alluens Modin, apud Sechrona effunditur. Est autem inter Azotum & Ioppen, quo loci cùm insidias Ionathæ Iudæisq; posuisset Apollonius, deprehensis ijs, longe lateque profligatus est. Ex hoc eodem Torrente elegit sibi quinque limpidissimos lapides Dauid, quibus in pastoralem peram repositis, progressus est in monomachiam contra Goliath Gethęum. Apud hunc Torrentem fusus est à Machabæis Cendebæus, 1. Mach. 16.

CAPVT XLVII.

De Torrente Arnon.

DIcitur Arnon ciuitas, vbi erant excelsa in Moab. Est & Arnon rupes quædam in sublime porrecta, in finibus Amorrhæorum, inter Moab & Agarenos, in cuius vertice Torrẽs per abrupta descendens in Mare mortuum fluit. Zieglerus putat cuniculis absorberi ante influxũ. Est igitur & eiusdem nominis Torrens Arnon, qui oritur è montibus & rupibus Arabiæ, atque inde fluit per totum desertum, Moabitidem distermininans & Ammonitida, demum sese exonerat & labitur in Mare mortuum. Regio vtrimque adiacens tota est fructifera. Fluuium hunc miraculosè siccis vestigijs transierunt Israëlitæ, profligato, qui obstiterat, Rege Sehon.

CAPVT XLVIII.

De fonte Siloë.

SIloë fons, cui piscina siue Natatoria Siloë, quæ & *piscina inferior* nuncupatur, coniuncta, est in Occidentali latere Vallis Iosaphat. E radice montis Sion scaturit. Aqua eius clara, dulcis & vberrima, cum silentio placideq; fluit in Torrentem Cedrõ. Hùc fontem inclytus Rex Ezechias restaurauit, atque in eius piscinâ cæcus ille à natiuitate oculos suos, Christi sputo & luto inun-

inunctos, lauans, visum recepit. Testatur Iosephus, Siloë, & alios omnes quotquot erant extra ciuitatem fontes, ante Titi Cęsaris aduentũ adeò defecisse, vt iuxta eos aqua venderetur; post accessum autem eius, tantâ vbertate hostibus fluxisse, vt non modò ipsis & iumentis eorum, sed etiam hortis sufficerent. De huius aquæ virtute diligentissimus loci huius perscrutator Saligniacus ita ferè scribit: Fontis huius aqua hodie adhuc ipsis etiam Sarracenis in pretio est. Nam cùm corpore naturaliter instar hircorum fœteant, in hoc fonte se & pueros suos lauant, eaque lotione fœtorem suũ mitigant. Quin & eam Turcæ magnifaciunt, quòd eius vsum oculorum visui conferre compertum sit. Habet Nicephorus, Helenam Imperatricem ad fontem hunc mirifica construxisse opera.

CAPVT XLIX.

De Vineis Engaddi, & prodigiis Natiuitatis Christi.

LVdolphus à Saxoniâ scribit: Cũ Christus nasceretur, Vineæ Engaddi floruerunt, & Christũ veram vitem venisse ostenderunt. Modus autem Natiuitatis Christi figuratus est in virgâ Aaron quæ floruit, & fructum amygdalinum protulit. Sicut enim virga illa mirabiliter contra naturam germinauit, sic Maria supra ordinem naturæ mirabiliter Filiũ genuit. Virga Aaron protulit fructũ sine plantatione, Maria genuit Filiũ sine virili cõmixtione. In testâ amygdalinâ dulcis nucleus latebat; in testâ carnis Christi dulcissima Deitas abscondita fuit. In virgâ Aaron inuenimus frondium viriditatem, florũ suauitatem, & fructuum vbertatem: sic Maria habuit viriditatẽ virginitatis, suauitatem pietatis, & vbertatem perpetuæ satietatis. Non solùm autẽ Christus Iudæis, sed & Paganis ortum suũ præmonstrauit, quia omnes homines saluos fieri voluit. Vnde Octauianus, qui tunc toti mundo dominabatur, & ideò à Romanis tamquam Deus reputabatur, Sibyllam prophetissam consulebat, an in mundo aliquis se maior futurus esset. Eodem autem die quando Christus in Iudæâ nascebatur, Sibylla Romæ circulum aureum iuxta Solem contemplabatur, in quo circulo virgo pulcherrima residebat, quæ puerum speciosissimũ in gremio gerebat. Quod illa Cæsari Octauiano monstrauit, Regemque potentiorem ipso natum esse intimauit.

Idem Ludolphus narrat, Magorum stellam lapsam in cisternam proximam Bethalem.

Alia Christi nati signa referuntur, subita ruina templi Pacis; tres soles visi in Hispaniâ in vnum coëuntes; fons olei iuxta Tiberim manans; omnium Sodomitarum toto orbe repentina inflammatio atq; interitus; splẽdor mediâ nocte exortus, & in limbum vsque dehiscente terrâ immissus; simulacrorum in Ægypto casus. Quæ omnia non oportet hîc examinare.

CAPVT L.

De botro terræ promissæ.

NEhel-escol dicitur, hoc est Torrens & Vallis botri, vbi absciderunt botrũm miræ magnitudinis exploratores, quos miserat Moyses: quem, in testimonium terræ fertilissimæ, in vecte duo viri portabant in Cadesbarne, quemadmodum de malis quoque granatis & ficis loci illius. Distat hinc riuus Sorec medio milliario.

CAPVT LI.

De vuis sine acinis.

DIstat à Nehel-escol medio milliario Sorec, Soreth, Zored torrens. Huius vineę & vites erant electæ & optimæ, faciebant fructus pulcherrimos, vberes & perpetuos, quorum vuæ non habebant acinum, vt testantur Hebræi. Vinum eius loci rubens delicatissimum. Vinum Cos, id est optimi odoris, coloris & saporis. Hîc habitauit Dalila, quam adamauit Samson. In hoc riuo narrat baptizatum à Philippo Eunuchum Bredembachius; intersecat autem Dan & Simeon tribus.

CAPVT LII.

De Valle & herbâ Baaras.

BAaras siue Babras, appellatur vallis iuxta Machærũ, vbi radix, inquit Iosephus lib. 7. Belli Iud. c. 25. eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem assimilis est colore, circa vesperam verò veluti iubare fulgurans. Accedentibus, eamque euellere cupientibus facilis non est, sed tamdiu refugit, nec prius manet quàm si quis vrinam muliebrem, vel menstruũ sanguinem super eam fuderit. Quin etiam tunc si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi fortè illam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo sine periculo, qui talis est. Totam eam circumfodiunt, ita vt minimum ex radice terrâ sit conditum. Deinde ab eâ religant canem, illoque sequi eum à

quo religatus est cupiente, radix quidem facilè euellitur, canis verò continuò moritur, tamquam eius vice, à quo herba tollenda erat, traditus. Nullus enim posteà accipientibus metus est. Tantis autem periculis propter vnam vim capi eam, operę pretium est. Namque euocantur dæmonia, pessimorum hominum spiritus, viuis immersa, eosq; necantia quibus subuentum non fuerit; hæc citò, etiamsi tantummodò offeratur ægrotantibus, abigit. Multa hîc superstitiose dicta à Iosepho.

CAPVT LIII.

De rutâ Machæri.

MAchærus dicebatur oppidum & castrum munitissimum in saxosâ rupe altâ & vndique præcipiti situm, vallibus ex omni parte cinctum, loci naturâ & firmitate inaccessum & inexpugnabile, magnitudine simul & pulchritudine admirandum. Propter commoditatem loci primùm ab Alexandro Rege ædificatum, pòst instauratum ab Herode, & præcellenti in medio basilicâ exornatū est. Ait autem Iosephus, Ioannem Baptistam, quòd Herodes vereretur ne aliquando populus ipsius doctrinâ commotus, defectionem aliquam pararet, vinctum missum in Machærum, & ibi occisum fuisse. Quod factum secuta est Iudæorum existimatio, ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum: pugnauerat enim infelicissimè contra Aretam. Dicitur hoc eodem loco sepultus à quibusdam D. Ioannes inter Eliseum & Abdiam Prophetas. Castellum autem ipsum erat munitissimum, vt diximus, & ciuitatem habebat colli subiectam, quà ascensus erat in arcem. Inter cetera, quæ ibi visenda erant, naturâ vel hominum industriâ excogitata, ruta erat mirabilis magnitudinis (à nullâ enim ficu vel celsitudine vel magnitudine vincebatur) quæ perseuerauerat ibi abusque Herodis temporibus, mansissetque vlterius, nisi à Iudæis, qui locum tenebant, excisa esset. Sed cum Lucilius Bassus expugnationem tentasset, casus castellum tradidit. Rufus enim miles Ægyptius, cùm cepisset singulari audaciâ Eleazarum fortissimum iuuenem, eique tamquam mox suspendendo crucem defixisset Lucilius in conspectu Iudæorum, miseratione simul & desperatione ad deditionem coëgit obsessos.

CAPVT LIV.

De lacu Gadaræ.

LAcus olim ciuitati Gadaræ propinquus erat, cuius aqua, teste Strabone, adeò fuit noxia, vt pecora eâ gustatâ pilos, cornua & vngues amiserint. In hunc lacum duo porcorum millia, de quibus in Euangelio Marci agitur, à dæmonibus agitata esse putauit Zieglerus, cuius etiam opinionis est Gerardus Mercator; sed, vt etiam primus Gandauensis Episcopus Cornelius Iansenius in Commentarijs in suâ Concordiam Euangelicam annotauit, ex sacrâ Scripturâ & D. Hieronymo satis liquet, præcipitata ea fuisse in mare Galilææ. Quod enim Lucas stagnum dicit, Matthæus & Marcus mare vocauerunt. Hi autem lacum Genesareth mare appellare solent, quem Lucas stagnum ferè vocat. Hieronymus verò lib. De locis Hebraicis ciuitatem Gerseram describens, Gersera, inquit, vbi eos, qui à dæmonibus vexabantur, Saluator restituit sanitati; hodieque super montem viculus demonstratur iuxta stagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt. Hactenus Hieronymus.

CAPVT LV.

De palude Cæsareæ.

ÆEmula Nili palus Cæsareæ suos alit crocodilos, Cæsaream Palæstinæ dico, non Philippi. Maritima est vrbs, & Stratonis priùs πύργ☉ dicta, hoc est Turris Stratonis vocata. Prima Flauia Ziegleri distat ab Ierosolymis stadijs sexcentis. Hanc quidam indicant à Plinio dictâ fuisse Apolloniam. Ptolomæus tamen inter Turrim Stratonis & Ioppen Apolloniam locat, veluti diuersam. Postremùm Flauia colonia à Vespasiano vocata fertur. Vrbs fuit munitissima maximè & opulentissima. Cingitur ab Occidente Mari magno, ab Oriente palude quadam dulci & profundâ, in quâ est multitudo crocodilorum, vt auctor est Bredembachius. Hanc Herodes, metu defectionis Iudæorū, toti genti quasi arcem imposuit: descriptâ enim magnificè eius formâ, totam ædificijs marmoreis exornauit accuratissimè, tam Regijs palatijs quàm priuatorum ciuiū ædibus, &, quod fuit operosissimum, portum addidit (cui nomen Sebastus, ita ab Herode appellatus in honorem Cæsaris) tutum à tempestatibus, magnitudine Pyræo parem, admirandum structurâ; eò magis, quòd omnis illa materia aliunde aduehi debuerit.

buerit. Proiectis autem in mare molibus, desuper turres imposuit, quarum maximæ & pulcherrimæ à Druso Cæsaris priuigno destructę. Circum portum ædes, continuatâ serie, marmore politissimo extructæ sunt, extante in medio tumulo, in quo templum Cæsaris à longè conspicuum, & in eo statuæ, Romæ altera, altera Cæsaris, vnde nomen vrbis Cæsareæ: in quâ etiam cloacæ subterraneæ admirandæ ad recipiendam ex mari aquam in æstu vrbi subluendæ, & ad deferendam in mare purgamentorum proluuiem & imbrium. Extruxit etiam theatrum ibi & amphitheatrum, vnde latè prospectus in maria. Atque hęc omnia duodecim annorum spatio absoluta sunt. Perfectâ autem Cæsareâ, in eius dedicatione magna fuit celebritas, magno apparatu, maximis sumptibus, abusque Italiâ in hunc vsum petitis quæ eò facerent; instituti Ludi quinquennales dicati Augusto. Fuit, vt Iosephus ait, ciuitas Iudææ maxima, & quæ maiorem incolarum partem Græcos haberet. Non longè à Cæsareâ fluuius erat, qui de paludibus eidem vrbi adiacentibus defluebat. Hîc cùm Herodes Agrippa quinquennalia celebraret, neque adulatores compesceret qui Deum eum salutabant, fulgore vestis perstricti, ab Angelo percussus interijt. In hac Cornelius Centurio à Petro Apostolo baptizatus, primus in eâ Episcopus fuisse traditur. In hac Philippus domum habuit, in quâ & habitauit cum quatuor suis filiabus virginibus prophetissis. Hîc Agabus Propheta zonâ Pauli ligatus est, atque ipse Paulus in prætorio Herodis seruatus coram Rege Agrippâ & Felice Præside, ac biennio detentus in vinculis à Festo, Cæsarem appellauit. Cùm Christi fidem fuisset amplexa, habuit Episcopum. Nominat huius Episcopos B. Hieronymus, Theophilum, Eusebium, diligentissimum Bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre persecutorem, Acacium μονόφθαλμον, Euzoium, Gelasium. Habuit ipsa sedes Archiepiscopum posteà, vt patet ex Tyrio, & habuit sub se Episcopatus viginti. Atque hoc loco Marinus à Theotecno eius loci Episcopo confirmatus, martyrium pro Christo amplexus est. Pòst à Balduino Rege, ferentibus opem Genuensibus, recuperata. Carebat tum portu. Cæsariensis Episcopi titulo nunc vtitur Suffraganeus Senonensis in Galliâ; fortè Parisiensis. Describuntur scopuli iuxta Cæsaream Palæstinæ à Iosepho lib. 1. Bell. 16.

CAPVT LVI.

De aquis Maserephot.

AQuæ Maserephot, aliàs Masserephot, Hieronymo Masrephothmaim, salinę sunt iuxta Mare magnum, vbi tempore excrescentis & inundantis maris aqua in alueos quosdam fluit, & aut Solis feruore aut igne in sal excoquitur. Ad has vsque aquas filij Israël, Duce Iosue, persecuti sunt Chananæos.

CAPVT LVII.

De balneis Amathæ.

AMatha villa in viciniâ vrbis Gadaræ in monte sitæ, ad cuius montis radices aquæ calidæ erumpunt, balneis desuper ædificatis. Aquæ ad sarciendam corporum valetudinē sunt commodæ, Gen. 36. Hieronymus de Loc. Hebraicis litera A. & G.

CAPVT LVIII.

De Eleutherio fluuio.

ELeutherius fluuius, qui ex Libano mōte in Ituræâ prorumpit, & per regionem Emath & Roob, atque Galilæam gentium fluens, Velanam vrbem, ac castrū Belcifort alluit, tandemque iuxta ciuitatem Horma tribus ferè à Tyro Aquilonem versus, duobus autem à Sareptâ contra Austrum milliaribus, Mari magno miscetur. Hic fluuius testudinibus abundat, de quo Plinius lib. 9. sic scribit: Testudines Phœnicio mari vltrò veniunt statuto tempore anni in amnem Eleutherium effusâ multitudine. Ad hunc vsque fluuium Ionathas Machabæus Ptolomæum Philometora Ægypti Regem comitatus est. Per eumdem fluuium Demetrij Principes ac milites à facie Ionathæ, in Amathite regione castra metantis, sibi timentes, incensis noctu castris, clàm fugam ceperunt. Huius fluuij Iosephus, Plinius, Ptolomæus, alijque aliquoties mentionem faciunt.

CAPVT LIX.

De terrâ Aceldama.

ACeldema, siue Haceldemach, hoc est ager sanguinis, ager erat figuli ad Australem plagam montis Sion situs, à tergo habens montem eiusdem nominis mediocriter altū, iactu lapidis à Piscinâ superiore

 distans,

distans, qui Iudæorum consilio triginta argenteis, quibus Iudas Christum vendidit, in sepulturam peregrinorũ emptus est. Cuius medium Imperatrix Helena quatuor muris, longitudiue septuaginta duorum, latitudine verò quinquaginta pedum fecit includi, ac superiùs testudine (quæ septem foraminibus, per quæ defuncta Christianorum corpora dimittuntur, patet) concamerari. Est verò huius terræ virtus mirabilis, & fidem pænè superans, quòd defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatio in puluerem redigat: quam virtutem, etiam in alias regiones deuecta, minimè perdit. Nam cũ iussu Imperatricis Helenæ de hoc agro, quantum ducentæ & septuaginta (vt aiunt) naues capare poterant, Romam auectũ, ac iuxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolæ Campũ sanctum vocitant, licet cælum mutarit, eamdem tamen retinere vim, quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit; quorum etiam hîc omnem carnis substantiã intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantùm residuis.

CAPVT LX.

De lapidibus sepulchri Rachel.

SEpulchrum Rachel est, vbi in partu Beniamin obijt Rachel vxor Iacobi, quo loci monumentum hoc cum pulchrâ pyramide erexit Iacob in titulum, sicut & sancta Scriptura & titulus adhuc testantur, & est sub quercu. Superposuerat super tũbam Rachelis duodecim lapides, pro numero filiorũ Israel, qui temporibus Bredembachij ibi erãt. Inueniuntur iuxta sepulchrum lapilli quidam omnino nigri, quos colligunt peregrini: dicuntur enim conducere mulieribus ad faciliorem partum. Est in quinto milliario ab Ierusalem, in eo loco qui à Septuaginta vocatur *Hippodromus*.

CAPVT LXI.

De quercu annosâ, seu Sichem.

MEmoriam aliquam meretur longæuitas arborũ, quam potissimùm commendat Quercus Sichem, seu Sichimorum, quæ & terebinthus. Sub hac lapidem prægrandem erexit Iosue, in testimonium fœderis Israel cum Deo: ibidem Abimelech constitutus est Rex super Israel. Quercus hæc tempore Hieronymi ostendebatur in suburbano rure Neapoleos, prope sepulchrum Ioseph. Ætate quoque Hieronymi monstrabatur arbor Sycomori, vnde Christus vocauit Zachæum; sicut & tempore Bedæ ficus, ex quâ suspensus Iudas. de quo nos Lib. I. Curiosæ Philosophiæ.

CAPVT LXII.

De Conualle Mambre, & terebintho eius.

COnuallis Mambre, quæ & vallis Hebrõ dicitur, fertilis est & amœna valdè, in quâ habitabat Abraham in tabernaculo, vbi & tres Angelos hospitio suscepit, pedes eorum lauit, & sub ilice siue quercu Mambre ministrauit ad mensam. Vidit autem tres, & vnum adorauit, quod nimirum summæ & tremendæ Trinitatis admirabile mysterium est. Vidit, ait Hieronymus, diem Christi, & lætatus est. Arbor autem ipsa, quam terebinthum vocat Hieronymus, durauit vsque ad imperium Constantij iunioris, atque ætatem sancti Hieronymi. Monstrabatur autem peruetus, & annos magnitudine indicans. Cumq; à Christianis tunc ibidem Ecclesia esset ædificata, à cunctis in circuitu gentibus terebinthus illa velut insigni quodam Numine conseruata superstitiosè colebatur, eò quòd Abraham sub eâ quondam Angelos accepisset hospitio. Enimuerò B. Helena Constantini filij instinctu, ad arborem Mambre, quæ nunc terebinthus dicitur (quindecim stadijs Meridiem versus vicinam habens Hebron; à Ierosolymis autem abest ducenta circiter & quinquaginta stadia, vbi vera certaque fama est, vnà cum Angelis contra Sodomam euntibus, etiam Filium Dei hospitio acceptum esse ab Abraham, ab eoq; Isaaci procreationẽ annuntiatam) maximum ornatissimumque templum erexit: intellexerat enim Constantinus, veteres Græcæ superstitionis aras sub eâ construxisse, & Græcis sacrificijs istic operatos esse, vinum libasse, thura adoleuisse, bouem, hircum & gallum sacrificasse, lucernas oleo infuso apposuisse, placentas obtulisse, quosdam etiam nummos, & varij generis vnguenta in vicinum puteum coniecisse, ita vt rerum coniectarum ingẽti copiâ aqua inutilis sit reddita. Quod sanè Constantini vxoris mater, cùm fortè istac transiret, visum genero suo renuntiauit. Animaduerterat enim, æstiuo tempore loci incolas, longinquiores etiam, Palæstinos, Phœnices, & Arabes, annuas ferias in eâ regione peragere, & conuentus celebritasque ea grata fuerat omnibus: Iudæis quidem, quòd Patriarchã generisque sui principem iactarent Abrahamum; Græcis verò, propter Angelorum in eum locum aduentum; Christianis porrò, quòd à Deo dilecto sibi id

id prædictum fuerat, quod multis posteà sæculis de Virgine futurum fuerat. Quâ re Constantinus cognitâ, Episcopis Palæstinis vitio vertebat, inprimisq; Eusebium Pamphili perstringebat, quòd tam sanctum locum despexissent. Itaque Episcopis Phœniciæ mandauit, vt ex ipsis fundamentis aræ euerterentur, simulacra igne comburerentur, ac templum ibi tantæ antiquitatis nomini cõueniens extrueretur, in quo diuinum nomen Ecclesiæ recepto ritu coleretur, locusque de cetero à contaminatione omni liber esset. Quòd si quis deinceps eiusmodi quidquã facere deprehensus esset, eum graui multatum iri pœnâ constituit. Atque imperata hæc ad rem collata, legitimum consecuta sunt exitum. Adscripsimus totum hunc locum ex Nicephoro lib. 8. cap. 30. nimis enim delicati sunt, qui his legendis oleum & operam absumi clamant. Intelligimus illud Hieronymi, quod suprà posueramus: Vidit diem Christi Abraham, quod scrupulum illi moueat, cui ignotum sit, Græcos τὸ *vnum*, quem dicitur adorasse, intellexisse Christum qui tum Abrahæ apparuerit, Angelos verò illos fuisse, qui posteà Sodomam subuerterint, ideoque horũ sententiam, vt ferè facit, sequitur Hieronymus, cùm Latini plerique per *tres*, tres personas, per *vnum*, vnum Deum intelligant. Ostenditur adhuc hodie, ait Saligniacus, ilex illa ante ostium tabernaculi Abrahæ. nam licet antiqua ilex aruerit, tamen ex eius radice alia pullulauit, cuius folia paulò maiora sunt folijs lentisci, fructus vt quercuum. Ceterùm Belonus lib. 2. Obseru. cap. 87. scribit: Nobis porrò demonstratus fuit locus, in quo Abraham tres vidit, & vnum adorauit, extra pagum Hebron, ad agri cuiuspiam fossam, in quo Adam creatus dicitur. Hunc notat terebinthus triplici caudice ex vno trunco prodeunte.

CAPVT LXIII.

De lapidibus scissis montis Caluariæ.

INsigne mansit monumentum Dominicæ passionis in Caluariæ monte, vbi omnia testata sunt Domini sui mortem. Velum templi in duas partes scissum est, terra concussa est, monumenta aperta sunt, mortui surrexerunt, & petræ Iudæis cordis exprobrantes duritiam ruptæ dissilierunt. Cuius rei etiam hoc præclarum in petroso Caluariæ monte adhuc extat argumentum: ibi enim conspici etiamnum potest illa, quæ sub manu Christi læuâ, & à sinistris pendentis latronis in cruce in morte Domini sanguinis colorem adhuc deprehendere licet. Scribit Eusebius, quòd Lucianus Antiochenus Presbyter, vir moribus, continentiâ & eruditione præcipuus, ad tribunal iudicis adductus, coram Præside & populo insigni oratione Christianæ religionis rationẽ reddens, inter alia fidei quæ adducebat testimonia, etiam hanc scissuram testem adhibuerit, dicens: Adstipulatur his ipse in Ierosolymis locus, & Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta. Hæc Lucianus. Cuius quidem scissuræ ea est latitudo, quòd humani corporis crassitiẽ facilè capere possit: profunditas verò tanta, quòd ab huius rei curiosis, dimissâ bolide, nequaquam potuerit inuestigari; vt verisimile sit, infernum vsque patere, & quemadmodum latroni dextero via per Christi mortem in cælum reserata est, ita per petræ huius scissuram latroni sinistro (vt olim rebelli Core) viam in infernum apertam esse. Ex quo patet, quàm verum sit, quod de ipsis ait Hieronymus, Christus, inquiens, vnum reliquit sinistrum, alterum assumit dexterum, sicut in die iudicij faciet. Ex simili crimine dissimiles sortiuntur fines: alter antecedit Petrum in Paradisum, alter Iudam in infernũ. Confessio breuis vitam acquisiuit longam; & blasphemia finita pœnâ plectitur æternâ. Huc vsque Hieronymus.

CAPVT LXIV.

De ictibus flagellantium continuis.

REfert F. Bonifacius, Guardianus Montis Sion, in libello suo, se quidem sæpiùs locum lithostrotum visisse, sed vocatum à Saniacco, cùm vel exactionis impositæ, vel multæ imponendæ causâ inuitus adiret. Cellulas autem se perrarò ingressum; ad locum verò flagellationis, vbi multis modis Christus illusus fuit, septimo vix demum anno (absente Saniacco) à vetulâ admissum, atque tùm se, & quotquot aderant, audiuisse quasi ictus flagellantium: & vetulam interrogatam an hoc sæpiùs contingeret, respondisse, sexaginta annos, quos ibi habitasset, die noctuque indesinenter fuisse auditos. Ceterùm, quod multi putant asseruntque, videri ac conspici ibi hominem assiduò mouentem dexteram, & interrogantem subeuntes de extremo iudicij die, nugas esse & aniles fabulas putat Cotouicus, credit tamen historiam narratam.

CA-

CAPVT LXV.

De columnis lacrymantibus.

ADijciunt aliqui, inter quos Petrus à Sancto Dominico, quatuor lapideas columnas esse in monte Caluariæ, perpetuò stillantes aquam, quasi æternis lacrymis passionem Dominicam commemorantes. Sub ipsum montem ponit illas, quà hiatus ille lapidum pertransit.

CAPVT LXVI.

De Aroër siue Ariel terræmotu.

AROër, quæ & Ar, & Arnon Moab, & Rabbath Moab, hoc est grãdis Moab dicitur, vrbs antiqua, potens, & Moabitarũ præcipua, sita super ripam torrentis Arnon in confinio Moabitarum, Amorrhæorum & Ammonitarum in valle mediâ, gloriosa, & muris validis munita, possessa olim à gente veterrimâ Omnijm, & posteà retenta à filijs Lot, id est Moabitis, cùm priores accolas subuertissent, vnde & eorum metropolis facta, domina Moab nuncupatur, quam posteà Sehon Rex Amorrhæorum illis iure belli abstulit: quo ab Israëlitis interfecto, filij Gad vrbem hanc possederunt & restaurarunt, atque ab hoc loco præclarâ victoriâ filios Ammon prostrauit Iephte. Hãc quidam putant esse Ariel, quòd Ariel siue Ἀ'ρειός, hoc est Martis idolũ, tempore Hieronymi adhuc ibi coleretur, vnde & Areopolim dictam. Hieronymus verò Ariel apud Isaiam allegoricè Ierusalem siue templum significare censet: in Ezechiele verò altare holocausti denotare. Huius vrbis muri in infantiâ Hieronymi nocte terræmotu corruerunt post mortẽ Iuliani, quando totius orbis littora transgressa sunt & exundarunt maria. Nunc Petra dicitur, ait Brocardus, & est metropolis Arabiæ secundæ. Habuit posteà sedem Episcopalem, & sub se Episcopatus duodecim.

CAPVT LXVII.

De speluncâ Adam.

DIcitur speluncâ Adam, in cuius rupis cauitate tradũt Adam & Euam multo tempore, centũ videlicet annis, luxisse Abelem filium suum interfectum, in quâ visuntur lecti eorum saxei, habentes in longitudine triginta pedes. Sed & fons in speluncâ scaturit, de quo bibisse creduntur primi parentes nostri. Brocardus & Bredembachius Itin. 6. Saligniacus Tom. 10. cap. 5.

CAPVT LXVIII.

De igne prodeunte ex sepulcro Dauid.

DAuidis sepulcrum, vnà cùm agro regalium sepulcrorum, in ciuitate Dauid magnificè in sublimi collocatum erat, in quo ipse Dauid, Salomon, alijque Reges Iuda, item & Ioiada Pontifex sepulti sunt. In hoc monumentum Salomon in sepulturâ patris sui Dauid maximas intulit diuitias; quod posteà Hircanus Pontifex & dux aperiens, tria millia talentorum argenti inde extulit. Postmodum verò Herodes Ascalonita Iudæorum Rex, & ipse auferens ex eo thesauri vim magnam, cùm flamma inde exiliens duos satellites eius extinxisset, ab incepto destitit, & ad expiandum se, ipsum monumentum candido marmore ornauit, quod longo tempore ibi permansit: vbi posteà Sarraceni Ecclesiam sibi construxerunt, quæ etiamnum extat, locumque hunc mirè colunt ac venerantur, nec Christianorum quemquã illuc introire permittunt. Aliud mirandum Beniaminus addit. Locus, inquit, sepulcrorum Dauidis & Salomonis, ab hinc annis mille iussu Patriarchæ Christianorum occlusus, & ab oculis hominum ad hodiernum vsque diem celatus est. Corruente enim muro templi quod in Sion est, lapides ex antiquis Montis Sion murorum fundamentis ad templi instaurationem eruti fuere, in quibus eruendis casu lapide quodã sublato, antri ostium ab operarijs inuentum fuit, quod subeuntes, ad quoddam palatium, marmoreis inmixum columnis, peruenere, in quo monumentum vidêre auro & argento obductũ, ante quod mensa erat, in eaque sceptrum & corona aurea, ad cuius sinistram similis ornatus sepulcrum, erantque illic vrnæ conclusæ: quid verò continerent ignotum fuit. Cùm verò homines illi in palatium penetrare constituissent, turbinis spiritu percussi, ex antri ostio in terram exanimati deciderunt. Iacuerunt autem eodem loco vsque ad vesperam, cùm spiritu alio rursus excitati, humanæ voci similem audierunt: *Surgite, exite ex hoc loco.* illi verò impulsi, atque pauore correpti, maximè trementes exierunt, remque omnem ad Patriarchã retulerunt. Hæc ille.

CAPVT LXIX.

De antro Olueti.

LVbet hîc describere antrum ad radices Montis oliuarũ, Christi oratione, sanguinis sudore, atq; Angeli præsentiâ, à Patre

æterno ad Filium suum confirmandū missi, præcelebre, atque omnibus Christianis venerabile. Id figuræ est quasi sphæricæ, in rupe excisum quatuor columnis seu pilis ex eadem rupe cæsis suffultum, latum per diametrum pedes circiter triginta. In summitate rupis iuxta vltimam columnam ad Occasum vnicum spiraculum habet, seu foramen rotundum, per quod lumen admittitur. Iuxta murum qui ad Orientem rupem sustentat, altare quondam extitisse referūt, eo loci quo Christus prostratus in terram, æternum precatus est Patrem, *Pater*, inquiēs, *si possibile est*, &c. Prostrata ibidem iacet columna, pro signo olim (vt volunt) posita, vbi Angelum substitisse, ac Christum confortasse, sacræ narrant Litteræ. Hæc ex Cotouico lib. 2.

CAPVT LXX.

De speluncis munitissimis.

EST spelunca trans Iordanem in regione Suetæ à ciuitate Tiberiade sexdecim milliaribus Italicis distans, sita verò in altissimo cuiusdam montis cretacei, cui subiectum erat immane pręcipitium. Hæc ab vnâ dumtaxat montis parte accedi poterat per angustum adeò collem, vt vix pedis haberet latitudinem; atque homini etiam ab omni onere expedito absque periculo iter non præberet. Intus habebat aquarum fontes, ac tres mansiones seu diuersoria, ita constructa, vt per ligneas scalas ex vno in alterum ascensus ac descensus esset. Locus iste, eò quòd naturâ situque commodissimus esset, Christianorum munitissimum & inexpugnabile quondam præsidium seu municipium fuit. Quod cùm Rex Coradinus, anno puta post Virginis partū millesimo centesimo quinquagesimo septimo, ingentibus copijs oppugnaret, aduentanti cum exercitu Balduino tertio Ierosolymorum Regi cessit, solutaque obsidione, dum venienti hosti occurrit, in pugnâ, quam cùm eo commiserat, victus est. Idem hoc munimentum iuratus Christianorum hostis Saladinus obsidione cinxit, anno nimirum nati Saluatoris millesimo centesimo septuagesimo nono, ante quintum obsidionis diem, dolo & insidijs, non sine proditionis suspicione, per deditionem in suam potestatem accepit. Verùm id Ierosolymorum Rex statim proximo anno recuperauit, ac post trium hebdomadarum obsidionem, cùm strenuè admodum à septuaginta fortissimis viris defenderetur, per deditionē recepit, & armis atque commeatu communiuit, virisque fidis ac strenuis custodiendum tradidit.

Alia est spelunca firmissima & inexpugnabilis, vltra Iordanem, in finibus Arabiæ sita. Quam Fratres militiæ Templi, quorum tutelæ ac defensioni commissa erat, anno salutis post millesimum centesimum sexagesimo septimo, Siracono Christianorum hosti tradiderunt. De quorum proditorum numero Ierosolymitanus Rex Amalricus duodecim in crucem egit. Hæc Tyrius lib. 19. Belli sacri.

Alia est Arbelorum spelunca, quam Bacchides, per regionem Arbellem exercitum ducens, expugnauit, ad quam magnus Iudæorum numerus confugerat. Eamdem Iosephus historicus, dum Galilææ præesset, contra Romanos permuniuit. Idem Iosephus in Vitâ suâ scribit.

CAPVT LXXI.

De cauernâ Adomin.

CEterùm in Adomin videtur quædam cauerna profunda, super quam olim erectum fuit ædificium. Adomi autem est locus sanguinarius, frequentibus homicidijs & latrocinijs infamis, etiam posterioribus temporibus rem & nomen retinuit. Mons, & portio montium Engaddi, aspectu terribilis, & valdè periculosus, quemque sine conductu nemo temerè transeat. Eo loci homo ille, qui de Ierusalem in Iericho tendebat, curatus est à Samaritano, cùm incidisset in latrones, ab ijsque vulneratus esset, quod etiamnum multis contingit. Distat à Iericho contra Occidentē quatuor leucis. Quondam villula, nunc castrum, vt Bredembachius & Brocardus volunt; vt Hieronymus, ruinæ in sorte tribus Iudæ, Græcè ἀνάβασις πύῤῥων, id est ascensus rubentium propter sanguinem qui ibi à latronibus funditur. Hebr. Maledomim; est confiniū tribus Iudæ, & Beniamin, vbi & castellum militum situm, ob auxilia viatorum.

CAPVT LXXII.

De speluncâ duplici.

CVr non speluncæ duplicis meminisse licebit, quam cum agro & arboribus emit Abraham à filijs Heth quadringentis siclis argenti? in quâ sepulti sunt Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia. Mausoleū adhuc temporibus Iosephi & Hieronymi monstrabatur perоptimo marmore fabricatum, circa speluncam hanc Sarraceni ædificarūt munitionem firmissimam, cùm ante fuisset Ecclesia Cathedralis, vt auctor est Bredembachius.

CAPVT LXXIII.

De Trachonitide.

SPeluncarum mentioni proxima est huius prouinciæ historia. Trachonitis, siue Traconitis, alias Trachon, & Tracon, non parua, sed, vt Plinius ait, regni instar regio est, trans Iordanem inter Palæstinã & Cœlesyriam sita, quæ versus Septemtrionem Damascum respicit; ad Orientem deserto Arabiæ, quod Bostræ Arabiæ desertæ metropoli iungitur, contermina est, Incipiens enim, vti Iosephus eam describit, à monte Libano, & fontibus Iordanis vsque ad Tyberiadi proximum lacum latitudine panditur. A vico autem, qui appellatur Arphas, ad Iuliada oppidum longitudine tendit, & habitatur ab incolis Iudæis, Syrisque permixtis. Sunt qui opinantur, Trachonitidem & Ituræam vnius eiusdemque regionis esse vocabula, & vt nomina, ita & regiones, quæ his vocabulis significantur, diuersas esse ac Iordane medio distinctas prouincias, tum ex sacro Lucæ Euangelio, tum ex alijs Scriptoribus satis apertè liquet. Quòd ad Prouinciæ Trachonitidis originem attinet, non Core filius Esau, vt S. Hieronymus in Lamẽtationis Ieremiæ Commentarijs ait; sed prout idem Auctor in Quæstionibus seu Traditionibus Hebraicis in Genesim, & Iosephus in Iudaicis Antiquitatibus manifestè scribunt, Hus filius Aram, nepos Patriarchę Noë primus eam inhabitauit, ac gentem hanc instituit. Qui Palæstinam inter & Syriam, cognomine Cælen, tenens principatum, non solùm Trachonitidem, verùm & terram Hus vrbemque Damascum condidit. Trachonitis autẽ regio hæc appellatur, quòd saxosa & aspera sit, atque subterraneis meatibus ac cauernis abũdet. Τραχὼν enim Græcis locum saxosum significat, & trachones etiam dicuntur occulti sub terrâ meatus ac specus. Fontibus & riuis hæc regio penitus caret, ideoque pluuiales aquas incolæ per trachones, hoc est meatus subterraneos in lacunis, tam naturalibus quàm artificiosè factis, diligenter colligunt, ac eorum plerię; in trachonibus, id est speluncis & cuniculis commorantur, ac ferarum more delitescunt. Rapto libenter viuunt, assueti in Damascenorum aliorumque propinquorum agros simul & vicos excursiones facere, populari, exercere latrocinia, colonos vexare, pecora in sua receptacula abigere, prædas agere, atque his artibus victum quærere. Habebant autem in suis habitaculis paratam cibariorum & aquæ copiam, vt externâ vi petiti possent satis diu bellum in latebris trahere. Specus enim illi aditus habent angustos, nec nisi vnum post alium hominem admittentes, sed intus sunt amplissimi, & suprà quã credas capaces, plano solo desuper tecti. Nam totus is locus constat ex petrâ asperâ, & non facilè meabili, nisi aliquo ducente per semitas, quæ non per directum feruntur, sed multis mæãdris flexuosæ sunt. Imperatoris Octauiani Augusti tempore, cùm Zenodorus Trachonitarũ Princeps propter lucrum, quod illi inde cedebat, latrocinia ista foueret, idem Imperator Trachonitidem eique continentem Batanæam & Auranitidem Zenodoro abstulit, atque Herodis maioris regno eâ lege contribuit, vt suâ diligentiâ latrones coërceret, latrociniaque extingueret. Qui mox, adhibitis ducibus, Trachonem lustrans, latronum receptacula expugnans, eos maleficijs abstinere & agriculturæ operam dare cogens, magnam circumuicinis peperit securitatem. Verùm cùm hoc vitæ genus Trachonitas gladio & raptu viuere assuetos non delectaret, semel iterumq; ab Herode defecerunt, atque ad pristina latrocinia & prædas reuersi sunt. Sed denuò Herodis operâ perdomiti, imperata facere sunt compulsi. Porrò anno Christi septimo Herodes, cùm se iam moriturũ esse sentiret, Trachonitidem vnà cum Gaulonitide, Batanæâ & Paneade regionibus extremæ voluntatis codicillo, filio suo Philippo fratri Herodis Tetrarchæ Galilææ assignauit. vnde & in Euangelio D. Lucæ, Trachonitidis & Ituræ regionum Tetrarches fuisse scribitur: quibus, vt Iosephus meminit, triginta septem annis pacificè præfuit. Posteà Claudij Cæsaris donatione easdem regiones possedit Rex Agrippa, prędicti Herodis nepos. Ab hac regione vicini montes, qui in sacris voluminibus Seir & Hermon vocantur, Straboni Trachones montes appellantur. Nec prætereunda hîc est memoria Philippi huius regionis Tetrarchæ, quo tẽpore Christus Dei Filius in terrâ homo inter homines conuersabatur. Philippus iste vir perpetuò modestus & amator quietis fuit. Degebat enim semper in suâ ditione. Quoties verò domo progrederetur, iter faciebat cũ paucis selectis comitibus, subsequente sellâ, in quâ sedẽs solitus erat iura reddere. Et si quis ex occursu opem eius inuocaret, sine dilatione mox ibi sellâ positâ residens, causam audiebat, iustoque iudicio innoxium absoluebat, & sontem damnabat. Obijt in hac ciuitate anno Imperij Tiberij Cæsaris vigesimo, Principatus autem sui trigesimo quinto, atque in monumento, quod iam antè sibi construxerat, magnificè ac sumptuosè funeratus est.

CA-

CAPVT LXXIV.

De Maarâ.

MAara Sidoniorum, Latinè *ſpelunca Sidoniorum*, cuius in libro Ioſue fit mētio, quæ poſteà *cauea Tyri* dicta eſt, ſpelunca eſt inexpugnabilis, atque Chriſtianorū municipium, in Sidonienſi territorio ſitum, quod anno poſt natum Chriſtum milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo præſidiarij milites pecuniâ corrupti Sarracenis tradiderunt. VVilhelmus Tyrius lib. 19. Belli ſacri cap. 11.

CAPVT LXXV.

De monte Hebal & Garizim.

HEbal, qui dicitur & Ebal & Gebal, cōtrarius monti Garizim in quo ſteterūt ſex tribus, cauernoſus eſt & voraginoſus, & qui ſæpè terræmotum patiatur. Creſcit autem ad dextrā partem fontis Iacob mons, habens duo capita, quorum alteri Garizim, alteri Hebal nomē inditum eſt. Hîc ad imperium Moyſi, poſt Iordanis tranſitum, Ioſue, ædificato altari lapideo, obtulit holocauſta Deo, inſcripſit Decalogū lapidibus, & coram Arcâ per Sacerdotes promulgauit in Garizim legem, obſeruātibus benedictiones conferendas; in Hebal verò tranſgredientibus maledictiones infligendas, populo omni reſpondente, Amen. Et quòd in hoc monte ſex potiſſimè tribus cōſtitiſſent, præcipuâ quadam veneratione à poſteris frequentabatur causâ ſacrificij & orationis. In Garizim Ioathan Sichimitis maledixit. Tempore autē Alexandri Macedonis Manaſſes, frater Iaddi Pontificis Iudæorum, ab altari pulſus, eò quòd alienigenam duxiſſet vxorem, nempe filiā Sanabellat Ducis Samariæ, ſoceri auxilio ædificauit in monte Garizim templum ad inſtar templi Ieroſolymitani, eiuſque primum Pontificem egit; idque Samaritani frequentabāt causâ ſacrificij & orationis, & præferebant templo Ieroſolymitano. Poſteà ab Antiocho Epiphane poſita eſt ibi ſtatua Iouis Hoſpitalis. Temporibus Bredembachij oſtēdebatur ibidem fanum antiquiſſimum Iouis Olympiaci hoſpitale. Hircanus verò poſt mortem Antiochi Pij templum cum Cuthæorum gente euertit, quæ deſolatio incidit in annum ducenteſimum à die quo fuerat conditū. Vult tamen hoc templum perduraſſe Bredembachius vſque ad bellum quod cum Romanis populus Iudæorum iniit. Reſpexit ad hunc montem Samaritana, inquiens: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet.* In hunc montem cùm Samaritanorum ſeditioſi confugiſſent, nequidquam offerente ſecuritatem Cereali, tandem occiſi ſunt. Ceterùm fons Iacob eſt puteus, ad quem Ieſus fatigatus ſedens cum muliere Samaritanâ locutus eſt de aquâ viuâ, & adorando Deo in ſpiritu & veritate; quo loco Hieronymi tempore Eccleſia extructa erat & fabricata. Erat ad radices montis Garizim.

CAPVT LXXVI.

De Libano monte.

LIbanus, Hebraicè *Lebanon*, inſignis eſt Phœnices mōs, ſacris Litteris celebratiſſimus, qui terræ promiſſæ fines à Septemtrione claudit. nam à tergo Sidonis orſus, verſus Orientem vltra Damaſcum tendens mille quingentis ſtadijs, teſte Plinio, hoc eſt centum octuaginta ſeptem millibus paſſuū, ad Smyram & Palmirenam vſq; regionem porrigitur. Ob eminentem autem ſuam altitudinem procul tum in terrâ exiſtentibus, tum in mari nauigantibus, à quadrageſimo milliario cōſpiciendum ſe præbet; omnium quippe quos habet Syria, montiū altiſſimus ſimul ac amœniſſimus eſt, vnde & quibuſdam Mons montiū appellatur. Nihil enim, inquit D. Hieronymus in Zachariam ſcribens, Libano in terrâ repromiſſionis excelſius eſt, nec nemoroſius atq; condenſius. In Oſee: Mons Libanus fertiliſſimus & virens, denſiſſimis arborū comis protegitur. Ideóque magno eius videndi deſiderio Moyſes tenebatur, quem tamen non niſi procul à faſtigio montis Nebo, à ſexageſimo ſcilicet milliario, ſpectare ei datum fuit. Dictus autem eſt Libanus à Liban, quod Hebræis album, vel candidum, & thus ſignificat; nam thus quidem plurimum, optimumque ac fragantius ſpirans in eo legitur, & niuibus perpetuis albeſcit. In ipſius etenim ſummitatibus, ac præcipuè quæ Cæſareæ Philippi imminent (nam ibi ſe altiorem Libanus tollit) nullo non anni tempore, etiam mediâ æſtate, cùm ferentiſſimi calores ibidem eſſe ſolent, frigidiſſimæ niues inueniuntur, quæ inde ſub paleis, ne nimio cæli æſtu liqueſcant, conſeruatæ, per duorum vel plurium dierum iter in circumiacentes vrbes, vt vinum ſuâ commixtione refrigerent, deferuntur. Refert ex Problematibus Alexandri Aphrodiſei Dominicus Marius Niger, in hoc monte ex cæleſti rore coagulum quoddam dulciſſimum fieri, quod *ſacchar* accolæ vocitant, proximum ſalis glebulis, candidum & fragile, vnde

fortè nos sacchari nomen accepimus. Propter roris abundantiam, pluuiarumque frequentiam, ac naturalem ipsius humiditatem, Libanus nobilissimis scatet aquarum venis, celeberrimorumque fontium ac fluminum principium & origo est. Ex eo enim, præter cetera, inclyta hæc erumpunt flumina: Chrysorrhoas, Iordanis, Eleutherus, Leõ, Lycus, Adonis, qui nunc Canis dicitur, & Fons hortorũ, qui magno impetu emanans, tribus fluuijs in mare currit. Eadem quoque ratione præstantissimarum arborum & herbarum Libanus fertilissimus, vtilissima variæ electæq; materiæ silua, & medicinæ hortus est. Et quantum ad arbores huius montis attinet, earum naturæ ex parte huius vrbis à Hieronymo describuntur. Arbores Libani, quantum in auras consurgunt vertice, tantum radice in ima demergunt, vt nullâ tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Harum arborũ rami huc illucque tenduntur, vt veniant volatilia cæli, & habitent in eis. Crebræ hîc crescunt Cedri enodes & imputribiles, miraq; proceritate (quibus idcircò in sacrâ Scripturâ superbi comparantur) sublimes. Rectæ quoque & electæ abiete, odoriferæ cupressi seu cyparissi, pingues oliuæ, pini, buxi, diuersæque arbores thuriferæ, quarum gummi *electum clibanum* à Medicis nuncupatur. Porrò quantum ad herbas, varijs Libanus fragrat aromaticarum medicarumque herbarum generibus, quarum optimè redolẽti odore virulenti serpentes aliaque venenosa animalia procul inde fugãtur. Omne tamen siluestrium ferarum canorarumque auium genus in eo admodum frequens est. Valles Libani olim mirum in modũ feraces erant, ac optimo tritico, vineis, pomarijs, hortis atque vberrimis pascuis abundabant; vnde ob graminum perpetuò virentium copiam animalia, quæ à Sacerdotibus iuxta legis præscriptum quotidie Ierosolymis in templo offerenda erant, in compascuis eius pascebãtur. De eximijs huius montis donis & virtutibus clarissimè Osee Propheta in personâ Dei ad pœnitentiam conuersis in hæc verba loquitur: *Ero quasi ros Israeli, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur sedentes in vmbrâ eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea; memoriale eius sicut vinum Libani.* In hoc monte eiusque vallibus, nec non adiacenti ei regione, quæ ab eo Libanica, & aliàs Syria Libanica denominata est, multi, & diuersæ tum nationis tum religionis habitant populi, Syri nempe, Armeni & Græci, item Christiani, qui se à Gallis originem traxisse gloriantur; Iacobini, Georgiani, Maronitæ & Nestoriani, ex quibus vno tempore octingentos exercitui suo adiunxisse Herodes legitur. Ex Maronitis autem anno post Christum natum millesimo centesimo octuagesimo secundo, quadraginta bellicosissimorum virorum millia, abiurato errore, orthodoxam Catholicamque fidem amplexi sunt. Ex quibus omnibus & admiranda huius montis præstantia, & accolarum etiam frequentia facilè colligi poterit.

CAPVT LXXVII.

De monte Hermon.

HErmon mons, qui ab Hebræis Chermon, à Hieronymo Aermon & Ermõ, ab Amorrhæis Sanir & Senir, à Sidonijs Sarion, Siriõ, & Sireõ, à Phœnicibus Sanior, in Deuteronomio etiã Sion, aliàs Seon vocatur, Straboni Trachon, alijs Trachonus dicitur; Ptolomæo autẽ Alsadamus appellari videtur. Situs est vltra Iordanem è regione ciuitatis Paneadis, quam quidem ab aurorâ despicit, à Meridie verò mõti Seir iungitur; ac vergens versus Septemtrionem, quâ Trachonitidem regionem circumit, prope Damascum Libano se copulat. Vnde in sacrâ Scripturâ frequenter habemus, quòd terra filiorum Israel trãs Iordanem ad Solis ortum à torrente Arnon vsque ad montem Hermon extendatur. Mons iste excelsæ altitudinis est: nam licetà monte quidem Galaad cacuminum sublimitate superetur, attamen altero monte Hermõ, qui intra Iordanem iuxta mõtem Thabor situs est, necnon & tertio monte Hermon, qui in Septemtrionali parte tribus Aser conspicitur, multò maior & altior est, ideoque perpetuò etiam in eo inueniuntur niues, quas D. Hieronymus suo æuo Tyrum ob delicias deferri solitas scribit, vt nempe æstatis tempore æstiua pocula temperarent. Proceris quoque ac laudatissimis abũdat abietibus, quæ multis vitæ operibus, præcipuè trabibus & nauigijs aptissimæ sunt, vnde & in Ezechiele Prophetâ habemus, quòd tabulata nauis Tyriæ de abietibus montis Sanir fuerint compacta. Ex Canticis Salomonis quidam colligunt, in hoc monte leones, pardos & leopardos habitasse. is enim Christum his verbis suam sponsam alloquentem introducit: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonũm, de montibus pardorum*, siue, vt Hebræi habent, *leopardorum*. Habuit mons iste insignes speluncas, quarũ vna, vt Marius Niger scribit, quatuor hominum millia capere poterat.

Tenue-

Tenuerunt autem eum quondam Heuæi & Amorrhæi; posterioribus verò annis in eo dominatus fuisse scribitur Og Rex Basan, quem cùm Israëlitæ occidissent, montem hunc possederunt filij dimidiæ tribus Manasse.

CAPVT LXXVIII.

De montibus Gelboë.

Gelboë mons, siue montes in quibus Saul castrametatus est contra Philisthęos, ibique cum Ionathâ filio suo occisus est, quamobrem imprecatus est ijs montibus Dauid, vt nec pluuia, nec imber, nec ros descenderet super montes istos. Extendunt se montes illi ab Occidente à Iezrael vsque ad Iordanem per vndecim leucas. Narrat igitur Bredembachius, montes illos in multis locis esse petrosos, aridos, steriles. Sunt qui volunt ciuitatem esse prope montes quæ diceretur Gelboë, à quâ ipsi montes nomen acceperint. Est & Gelbus vicus grandis, situs in monte Gelboë, vt Hieronymus auctor est.

CAPVT LXXIX.

De monte Thabor.

Thabor, quem Septuaginta interpretes Itabyrium, alij Tabyrium, Polybius Mastoim vocat; mons est pulcherrimus in medio Galilęæ campo, mirâ rotunditate ex omni parte æqualiter finitus, cuius altitudo triginta stadijs consurgens, quæ in mari nauigantibus procul spectandam se exhibet; ascensu difficilis, & Septemtrionali tractu inaccessa est. In vertice autem viginti sex stadiorum campestris planicies patet. Distat contra Orientalem plagam à Diocæsareâ decem millibus, estq; cæli temperie saluberrimus, vineis, oliuis, varijsq; arbustis, fructiferis arboribus totus vndique consitus, rore perpetuò viuidus, arborum frondibus, versicoloribusque herbis semper viridis, atque suaui omnigenûm florum odore fragantissimus. Hinc magna ferarum maximeque auium hîc est frequentia, quarum & grato concentu amœnissimus est, & venatu celebris. Vt paucis dicã, totus hic mons pascendis oculis reficiendisque animis dicatus est, ideoque eum Christus Dominus meritò delegit tum orationi, tum transfigurationi suæ, quo Sole lucidior niueque candidior refulgens, coram Moyse & Eliâ cęlestis gloriæ æternęq; beatitudinis aliquod specimen discipulis suis Petro, Iacobo & Ioanni exhibuit. In cuius facti memoriã D. Helena his tribus Apostolis pulcherrimũ hoc loco extruxit templũ (quod ex VVilhelmo Tyrio apparet fuisse cathedrale) multamq; reliquit pecuniã in subsidium eis qui ibi manerent, locumq; ipsum excolerent. Huic templo accesserũt posteà duo Monasteria, vt hîc essent quasi tria ex D. Petri desiderio tabernacula: quorum vnum inuenio fuisse Græcorum atque D. Eliæ consecratum, verisimile est alterum fuisse Moysi dedicatum. vtrumq; autem videtur habuisse Abbatem. Nunc trium horum templorum, & per ambitum planiciei (quam Iosephus Historicus quadraginta diebus muro circumdedit) aliorum palatiorum, turrium, nobilissimorumque ædificiorum grandes tantùm visuntur ruinæ, in quibus leones aliæque feræ latent. Fuit enim mons hic non solùm fouendis mulcendisq; sensibus idoneus, verùm etiam extruendis, quę toti patriæ pręsidio essent, munitionibus aptissimus. Vnde in libro Iudicũ legimus, descendisse ab hoc monte exercitum Barac pugnaturum aduersus Sisaram. Porrò in ipso Dominicæ transfigurationis loco iam hortus est arboribus consitus, & fontibus irriguus, qui muro ambitur. Quò qui pedem montis accolunt, propter religionem atque obseruantiam loci, neminem accedere permittunt. Ex hisce fontibus crediderim oriri torrentem Cison.

CAPVT LXXX.

De monte Eroge.

Eroge mons, aliàs mons Meridionalis dictus, altus & celsus est ad vrbis meridiem parum versus Occidentem vergens, de quo hoc notatu dignum legimus, quòd cùm Ozias Rex Iuda, sumpto Sacerdotali habitu, sanctuarium templi ingressus, super aureum altare thymiamatis, Deo thuris incensum adolere, quod solis Sacerdotibus fas erat, præsumeret, factus sit illicò terræmotus maximus: cuius etiam Amos & Zacharias Prophetæ faciunt mentionem, quo & ipsum templum superius fissum fuit, & mons iste scissus medius tantâ quidem vi atque virtute, vt altera eius pars suâ volubilitate per quatuor stadia procedens, obiectu demum Orientalis montis (qui mons offensionis vocatur) constiterit, obstructâ viâ publicâ, & oppressis ruinâ hortis Regijs. Ipse interim Rex Ozias fulmine ictus, leprâ in fronte percussus est, quapropter statim templo atque vrbe eiectus, tabe per omnem vitam ipsi adhærente, in domo separatâ vsque ad diem mortis suæ seclusus fuit.

CAPVT LXXXI.

De monte Oliueti.

MOns Olineti siue oliuarum, ab vbertate frequentium in eo crescentium oliuarum, Græcè quoque ἐλαιον dictus, qui aliàs etiam mons inclytus & mons sanctus vocatur. Situs est è regione Ierusalem ad Orientem, atque à ciuitate altâ interiacente valle Cedron, discretus ab eâ secundùm sacram Scripturam iter sabbati, iuxta Iosephum verò stadijs quinque distat: qui etiam addit, summum montis sex ab vrbe stadijs abesse, tantæ enim altitudinis erat. Ex eo non solùm omnes pænè plateæ Ierusalem, sed etiam mare mortuum facilè videri possent. Præter oliuas autem palmis, pinis, myrtis, alijsque fructiferis arboribus abundabat. In huius montis vertice sanctissimus Rex Dauid, à facie filij sui Absalom fugiens, flens & nudis pedibus Deum adorauit: in eodem quoque monte eius filius Salomon omnis pietatis oblitus, Astaroth idolo Sidoniorum è regione Ierosolymitani templi (ex quo omnis quæ ibi peragebatur idololatria prospici poterat) fanum erexit, quod ipsum etiam cum ceteris idolorum delubris Iosias destruxit. Hunc montem Christus orationis & quietis gratiâ sæpè frequentauit, ibique pernoctauit: atq; ex huius summitate coram adstantibus & intuentibus discipulis, datâ eis benedictione, in cælum ascendit, facie (vt etiam ex vltimis pedű eius vestigijs, ad tantæ rei memoriam, petroso monti instar ceræ impressis, etiamnum euidenter colligitur) ad Occidentem versus, Catholicam ex gentibus Romanam spectans Ecclesiã, ad quam ipse eius caput, tamquam geminos & illustres oculos, D. Petrum suum in terris vicarium Pastorem, ac Apostolorű coryphæum, & D. Paulum gentium Doctorem missurus erat. Cùm hoc loco à B. Helenâ Imperatoris Constantini matre rotundo schemate & pulcherrimo opere cõderetur Ecclesia, quæ in sui medio lapidi impressa Dominica includeret vestigia; locus ille, de quo ascendit, numquam, vt Paulinus Nolanus Episcopus testatur, tegi marmore aut pauiri recepit, semper excussis, solo respuente, quæ manus adornãdi studio tentauit apponere; & summum eius cacumen, vt scribit D. Hieronymus, propter Dominici Corporis meatum, nullo modo contegi aut concamerari potuit, sed transitus eius à terrâ ad cælum vsque patet apertus. Quæ Ecclesia multis ibi sæculis permansit, Christi autem vestigia adhuc cernuntur. Sunt non infimi ordinis viri, qui asserunt, Antichristum huius ascensionis Christi fore æmulatorem, eumque (vt mendacia mendaci signo probet) in cælum hoc loco dæmonum ope esse eleuandum, ceterùm à Domino Iesu spiritu oris sui occisum iri. Supra hunc montem Christum eodem modo ac formâ, quâ ascendit, ad iudicandum viuos & mortuos in nubibus venturum esse, ex Actis Apostolorum liquet, vbi legitur, quòd cùm Apostoli, defixis in cælű oculis, ascendentem Christum intuerentur, duo viri adstiterunt illis, amicti vestibus albis, qui & dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui aßumptus est à vobis in cælű, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

CAPVT LXXXII.

De saxo inconsumptibili.

IN Bethaniâ saxum est coloris subflaui, albidis intersecantibus venis, duorum circiter pedum altitudinis, omnibus cùm Orientis tum Occidentis Christicolis venerabile. Illud enim esse produnt, in quo sedentem & quiescentem Saluatorem Martha hisce allocuta est verbis: *Domine, si hîc fuisses, frater meus non fuisset mortuus.* Porrò maxima admiratione dignum est, à tot iam sæculis, & à tot peregrinis, fragmentis huius saxi asportatis, non esse attenuatum. Hactenus Cotouicus lib. 2.

CAPVT LXXXIII.

De aquis Tiberiensibus.

ESt Emmaus siue Ammaus vicus, non lõgè à ciuitate Tiberiade, vbi sunt aquę calidæ sanandis corporum vitijs idoneæ, quas Iosephus etiam aquas Tiberienses nominat. Hîc Vespasianus pro Tiberiade castra posuit.

CAPVT LXXXIV.

De Carmelo, speluncâ Eliæ, & loco igne cælesti tacto.

CArmelus mons, qui Hebraicè dicitur Carmel, siue Charmel, est excelsus valdè & nemorosus, nobilissimis vineis, oleis, arbustis, fructiferis arboribus herbisq; odoriferis abundans, vt ob summam rerum omnium copiam fertilitati & abundantię in Scripturâ compararetur. Abest à Ptolemaide stadijs centű viginti, vt Iosephus tradit. Incolebatur à colonis multis, eiusque passim multa fit mẽtio in Prophetis. In hoc monte Elias Propheta corã Rege Achab & octingentis

gentis quinquaginta pseudoprophetis Baal, cùm illi nequidquam cultris se dilaniantes idolo immolarent, ipse Deum verum igne cælitus demisso, experimento cōprobauit; ibique flexis genibus gestu admirabili orās, post trium & semis annorum siccitatem, pluuiam à Deo impetrauit. Locus igne consumptus, inquit Iosephus, hactenus ibi perdurat. In hoc monte, in pede montis Orientali, ait auctor Itinerarij Chistele, spelunca est & fons vbi habitabant Elias & Eliseus, & filij Prophetarum, posteà habitauerunt ibi Fratres Carmelitæ, vnde & originem & nomen habent. Fuit etiā saltus in Carmelo, vt colligitur 4. Reg. 19. Isa. 37. Mich. 7.

CAPVT LXXXV.

De montanis Ierosalymitanis.

IErusalem sita est in montanis, quæ adeò abundant, Bellonius inquit, omni arborum genere, siluestribusque & aromaticis herbis, vt monti Idæ in Cretâ comparari possint, cui etiā temperamento & alijs dotibus respondēt. Excolitur terra in ipsis scopulis scalarum in modū, vnde cognosci potest veterum Iudæorum diligentia & industria, qui solum alioqui petrosum & sterile, culturā fructibus abundans reddiderunt. Similis diligentia obseruatur veterum Græcorum, qui Ægæi maris insulas habitarunt, quarum plurimas conspeximus, nunc desertas, & vix centum incolas alentes, in quibus olim plures quàm sexies milleni viuere potuerunt, vt apparet ex tumulis & collibus, qui antiquitus ex firmâ materiâ per scalas exædificati fuerunt, ad retinendam terrā, ne per præcipitia deuoluerentur, & in eâ stirpes nasci possent. Insulæ, Ceos, Milos, Andros, Naxos, Paros, & pleræque aliæ eâ diligentiâ à veteribus Græcis fuerunt excultæ, vt vberiores redderentur planis locis. Sic etiam Iudæi, cùm solum haberent sterile, vt dixi, & ad alendas vites aliosque fructus ineptum, magno labore & sumptu fecundum reddiderant. Colles, vt apparet ex structuris quæ nūc etiam permanent, veterem maiestatem quodammodò resipiunt. Arbores sponte in illis montibus nascentes sunt adrachne, picea, aria, ilex, terebinthus, lentiscus, plantæ, cistus, ledō, thymbra, smilax aspera, maron, origanum, heracleoticum, tragoriganum, saluia, stachis, ruta siluestris, trifoliū, asphaltites, cyclaminus, vmbilicus, siue cotyledon, thymus, hyssopus siluestris, à nostrâ domesticâ differēs, quæ tamē Cretæ ignota est. Mōtiū pars, quæ ad Occidentem vergit, vitium aliarumq; fructiferarum arborum, vt olearum, ficuum, malorum punicorum, opulentissima est, si cum alijs, quæ siluestres dumtaxat arbores gignunt, conferas.

CAPVT LXXXVI.

De Tyrio serpente.

AIunt quidam, in hac regione reperiri serpētem Tyrum, vnde tyria cum dicunt confici, esseque longitudinis semicubiti, crassitudinis autem digiti, colore griseo intermixto, maculis rubris. Est naturâ cæcus, habetq; tam præsens venenum, vt nullo remedio illi obuiari possit, sed membrum læsum ab eo necesse est resecari. Est crinitus circum caput, & irritatus, videtur ignem fouere in lingua. Illud est anilis commētatio, quod liber de Naturis rerum sic scribit: Tyrus est in partibus Iericho circa solitudines Iordanis infestus auibus & animalibus, maximè ouis auiū, quæ cum ipsis auibus comedit. Huius carnes confectæ cum quibusdam admixtis, omne toxicum venenum expellunt; quam confectionem tyriacum dicunt. Ferunt autē nonnulli, hunc ante passionem Christi nullū habuisse remedium, maximeque hominibus fuisse infestum: ipsâ verò die passionis vnum ex eis infestissimum circa partes Ierusalem casu fuisse comprehensum, & ad Christi latus fuisse cruce suspensum: atq; ex illo die totum illud serpentis genus accepisse virtutem contra omne venenū. Actor Tyrus idem esse fertur quod vipera; nam & Auctores in medicinâ loquētes de carne serpētinâ vel tyriacâ conficiendâ, rarò vel numquam de Tyro sub hoc nomine faciunt mentionem, sed de vipera. A Tyro verò denominatione dicitur tyriaca.

CAPVT LXXXVII.

De Piscinâ probaticâ.

PIscina, quæ vocatur Græcè probatica, hoc est ouina seu pecualis, eò quòd oues aliæque pecudes litandæ in eâ lauabantur; Hebraicè autem Bethseda (corruptè Bethsaida) id est domus effusionis, quòd aquæ pluuiales ad eam confluebant; sita erat inter portam vallis & templum. Ampla & præcipua erat piscina totius vrbis, quinque porticus habens; quam Rex Salomon fecit pro ministerio templi, atque hinc à Iosepho stagnum Salomonis nominatur. In hac enim piscinâ Nathinæi lauabāt hostias, quas tradebant Sacerdotibus in templo offerendas. Huius aqua certis temporibus ab Angelo Domini mouebatur, & qui post eius motum primus descēdebat in eam, à quacumque detinebatur infirmitate, sanus fiebat:

ideoq; in porticibus eius iacebat multitudo magna languentium,cęcorum,claudorum, aridorum,expectantium aquæ motum, ex quibus Christus sanauit hominem, qui triginta octo annos languerat. Tempore Hieronymi ostendebātur gemini lacus,quorum vnus hibernis pluuijs solebat adimpleri; alter mirum in modum rubens,quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testabatur. Sunt qui existiment,hunc fuisse lacum, vbi sacrum ignem quondā recondiderunt Sacerdotes, quem cùm requireret reuersus Nehemias, eius loco reperit aquā crassam, 2.Mach.1. Alij malunt,post Natiuitatem beatissimæ Virginis Mariæ prope ipsam piscinam natæ id miraculum accidisse.

CAPVT LXXXIX.

De gigantibus Ham.

HAm, siue Hom,est locus, in quo olim habitauerunt Zuzim,vel Zozim, hoc est viri robusti, horrendique gigantes, quos Chodorlahomor,alijq; tres Reges Assyriorum,cùm contra Sodomitas hac traducerēt exercitum, interfecerunt. Huius loci,vt notat B.Hieronymus in Hebr.textu, Gen. 14. fit mētio.nam Septuaginta interpretes,quos Latina Vulgata editio secuta est, *Bahem* legerunt,*he* pro *heth* posito,pro quo dixerunt, ἅμα αὐτοῖς, hoc est *in eis*. Hieronymus Quæst.in Gen. Pagnin. Gen. 14.

CAPVT XC.

De gigantibus Raphaim.

ALuit sua monstra Rabba,quæ & Rabbath filiorum Ammon, ob magnitudinem sic appellata. Dicta & Ammon,Amman,& Vrbs aquarum,quòd Iacob torrens eam circumfluat. Postremùm Philadelphia vrbs potens,Regia & metropolis terræ Ammonitarū,in quâ olim habitauerunt Zomzommim,Heb. Zamzommim,hoc est scelere turpitudineq; infames,qui & Raphaim gigantes, gens antiqua, quos interfecerunt filij Lot Ammonitæ,generati ex Lot & filiâ eius iuniore, atque horum habitationē sibi vendicarunt. Erat autem vrbs hæc sedes ipsius Regis Ammonitarū, vnde & regio ipsa Ammonitis siue Ammanitis vocata est. Vrbem hanc expugnauit Og Rex Basan gigas, in quâ monstrabatur lectus eius ferreus,longitudinis nouem, latitudinis quatuor cubitorum. Posteà obsedit hanc Ioab, atque in eius oppugnatione Vrias,fidissimus Dauidis militū,scelere ipsius Regis perijt. Expugnauit demum ipse Dauid, tollensque aureum diadema Melchom idoli Ammonitarum, pretiosis gemmis & lapidibus ornatum, capiti suo imposuit,vrbem destruxit,populum trucidauit, reliquasque Ammonitarum vrbes omnes,regionem gentemq; excîdit. Postremùm à Ptolomæo Philadelpho Rege Ægypti vrbs & regio subiugata est, & Philadelphia nuncupata,hactenus nomen retinet. Habuit temporibus Christianorum Metropolitanum Episcopum, qui habebat sub se Episcopos duodecim.

CAPVT XCI.

De mari sabuloso.

MAre sabulosum, spectans ad tribum Simeon,dicitur desertum arenosum. Terra tota est latissima, infrugifera, aquarū egens,Solis adusta ardoribus,& quæ aspectu sui horrorē visentibus incutiat. Caret enim domibus,hominibus,bestijs,arboribus,graminibus,abundat autem collibus & monticulis,non quidem vsitatis & solitis, sed ex arenâ,quæ vi ventorum in vnum cumulum aggeritur, vt quod in Occidente fieri videmus niue eleuatâ,hoc ibi tenuissimo puluere in modum fumi agitato longè fiat mirabilius. Neque ibi vlla certa itineris ratio est: nam cùm arenæ (vt alibi testatur Hieronymus) sint mobilissimæ,pergentium vestigia subtrahunt, vnde etiam mare sabulosum à posterioribus Scriptoribus appellatur,quòd scilicet ad instar maris arena ventorum flatu nunc huc nunc illuc diffluat,& subitò in altissimos sæpè montes erigatur. Et quoniam nullus hîc viarum callis apparet, quem hac iter faciētes itineris sui ducem sequi possint, ea propter haud secùs quā si in vasto Oceano nauigandum esset,ad Cynosuram nauticam profectionis suę scopum explorare debent. Sed neq; sic adhuc in tuto sunt:nam si quâ sinistrâ fortunâ contingeret,vt qui illac iter agūt Austro ferrentur,vt Septemtrione aguntur,sabulo obruti omnes occumberēt. Nā etsi,inquit Ludouicus Romanus, prosperis vehebamur flatibus,atro tamen turbine sabuli adeò inuoluebamur,vt adempto è conspectu interuallo decem passuum alter alterum non conspiceret. Ob id incolæ camelis vehuntur,caueis inclusi ligneis, inque eis vitam trahunt,ducibus tamē pilotis, qui non aliter quàm in vndabundo mari,pyxide & paginâ ducuntur. Et ibi siti exanimantur complures. Quamobrem intelligimus apud Iosephū Herodis Regis beneficium, cùm Augusti Cæsaris exercitui per loca arida facturo iter,de aquarum copiâ & reliquis ad vitam necessarijs abundè prospexit. Narrat historiam Nicephorus,quam operæpretium

tium est hîc adiungere. M. Antonio, inquit, imperium administrante, Iudęus quidam in solis aridisque locis iter faciens, cõmuniter cum viatoribus Christianis Psalmos canebat. Cùm verò morbo repentino ita affligeretur, vt crederetur moriturus, atque ibi in locis ijs permãsurus esse, magnâ cõtentione viatoribus suis obsecrando institit, ne eum ita pręsidio omni destitutum relinquerent, sed vt diuini Lauacri participem facerẽt, ac deinde abirent. Vt autẽ illi, neque qui præstare hoc posset (Sacerdote enim opus erat) neq; aquæ copiam adesse, quæ in Baptismo perficiendo, & consuetudine antiquâ, & lege certâ & inuiolatâ requirerentur, causati sunt, & propterea in tantarum rerum penuriâ petitioni eius nõ annuerunt. Iudæus porrò in sententiâ suâ permansit, & iureiurando eos, vt sibi satisfacerent, adegit. Illi itaq; detractis homini vestibus, arenâ, quæ ibi erat pro aquâ, vsi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tertiù m arenâ in eum cõiectâ, baptizarunt. Per hanc tam insolitã & admirandã sacrorum mysteriorum initiationem, imbecillitate omni tamquam vinculo quodam is solutus, longè meliùs quàm illi, validus iam prorsus iter fecit. Postquam autem domum sunt reuersi, rem eam ad Dionysium Alexandrię Episcopum retulerunt. Ille verò admiratione stupens, Ecclesiam de eâ consuluit: cui visum est, aquâ insuper ad eum modum initiatum iuxta Ecclesiæ traditionem abluendum esse, vt ita, quod sacro ei deesset, sarciretur.

CAPVT XCII.

De cancro cursore.

PEr aliquot Mediterranei maris littora cancer inuenitur admirandæ naturæ: nam mediâ ęstate, summisq; Solis ardoribus cateruatim mare egressus, per littus vagatur, ad tres balistæ iactus per arenam excurrens, tantâ celeritate, vt vix assequi liceat, cùm tamen pusillæ castaneæ magnitudinem non excedat; & integro die per summos Solis æstus in sicco versatus, noctu in mare sese recondit. Aristoteles cancrum cursorẽ nominat. Pleriq; autem falluntur, qui inter cetaceos pisces reponunt, & dromonem, hoc est cursorem appellãt; nam, vt dixi, pusillus est.

CAPVT XCIII.

De purpurâ.

IN promissæ & distributæ Israëlitis terræ parte inueniebatur purpura, primum inter colores locum obtinẽs, & quasi Rex eorum existens. Eâ ipsâ olim Regum, magistratuum & Senatorũ vestes tingebantur. Originem igitur huius expositurì, dicimus, purpurã fuisse ex conchyliorum genere, quod intrinsecus animatam continebat carnem, & in medijs faucibus candidissimam habebat venam, quâ exsectâ, pretiosus ille promanabat cruor, quo lanæ & serica ad vestes indecontexendas tingebantur. Crediderim, conchylium istud etiãnum hodie inueniri quidem, quandoquidem species planè non intereunt, nullum tamen ipsius vsum futurum, cùm nemo sit, qui venæ illius eximendæ modum sciat. Coquebatur sanguis iste vnà cũ venâ priùs apertâ in vasibus plumbeis, adiectâ tamen aquâ modico vapore, & longinquæ fornacis cuniculo. Inde splendidus ille & quasi intermedius inter rubrum & nigrum eliciebatur color, qui garyophylli est: nec enim vllum alium similiorem huic puto. Erat & alia coloris species, quam puniceũ siue hiacinthinum dicebãt. Amissæ autem purpuræ causam hãc esse opinor, quòd Syria, & alia quoque loca, in quibus illa deprehendebatur, in Turcarum, barbarorũ & incultorum hominum deuenerint potestatem, quod optimè obseruat Guido Pancirolus. Sunt qui scribant, purpuram pro soli propinquitate colorẽ habere. Vnde puniceũ procreat Africa, id est quasi violaceum colorem, Tyrus verò rubeum. Eius cruoris dignatio præcipua lanis tingẽdis, si præsertim vno ictu lapidis cædatur, alioquin dolorem aliquamdiu sustinens, amittit colorem. Sunt autem purpurarum plura genera, nonnullæ augentur insigni magnitudine, aliæ sunt paruæ. Marinæ magnæ scabræque sunt, paruæ ad littora & oras reperiuntur flore rubro. Murex quoque est ex his qui firmiori integuntur testâ, & est frequens & nobilis apud Tyrum, præbetq; eumdẽ vsum ac purpura. In Italiâ discernunt per oleum fusum super sericum purpuram veram à nothâ. Nam si relinquat maculã, notha est; sin vestis serica nihil vitij contraxerit, legitima est purpura. Ex purpura (inquit idem Pancirolus) atramenti genus cõficiebatur, quod encaustum nominabatur. Hoc soli Imperatores priuilegijs & litteris subscribendis vtebantur, alijs omnibus sub pœnâ rebellionis id erat prohibitũ, eos videlicet, post publicationẽ bonorum omniũ, capitali non immeritò pœnâ plectendo, qui eo fuisset vsus. Id ipsum & Nicetas lib. de Vitâ Manuelis confirmat, dum ait, eum in ipso Imperij sui initio Cõstãtinopolim misisse litteras rubro aureoq; sigillo & serico filo munitas, & conchæ siue purpuræ sanguine pictas. Et l. 6. ait, Sultanũ Persię Regem Imperatori Constantinopolitano inanes magnorum munerum pollicitationes,

tationes, quæ rubricatis quidem litteris inſcriberentur,ſed exigua præberentur, obieciſſe.Ex quo apparet,Imperatorem non alio quàm iſthoc atramento ſcribere ſolitum. Quòd ſi in pupillari ętate Imperator adhuc eſſet conſtitutus, tum virides litteras tutor ipſius exarabat,quemadmodum de Alexio Protoſebaſto,Alexij Comneni tutore,idem Nicetas teſtatur.Princeps Sabaudiæ dicitur priuilegium habere Michaëlis Palæologi cum encauſto ſubſcriptum. Encauſtum ita præparari ſolitum. Terebatur in puluerem conchylium purpuræ, & adijciebatur nonnihil de cocto ex ipsâ colore,ac ſimul liquabatur, reductaque inde materia liquida, & denſitate ſuâ ſcriptioni apta, dicebatur encauſtum,vt in Lege quadam expreſſum extat,quæ vnica eſt,quæ & confectionem encauſti doceat, & nomen etiã eidem imponat. Vnde & inchioſtro, hoc eſt atramenti, corruptum vocabulum poſteà deriuatum credo. Atq; hinc eſt encauſtica illa pictura, de quâ Plinius diſſerit,quòd ſcilicet cum encauſto fieri conſueuerit. Ceterùm encauſtum cum purpurâ iuit in deſuetudinem.

CAPVT XCIV.

De palmâ.

NVllum ſolum genuit fecundiores palmas quã Iſraëliticum, de quo Plinius ita ſcribit: Sunt Palmæ in Italiâ, ſed ſteriles. Ferunt in maritimis Hiſpaniæ fructum, verùm immitem,dulcem in Africâ,ſed ſtatim euaneſcentem.Contrà in Oriente ex his vina,gentiumq; aliquibus panis,plurimis verò etiam quadrupedum cibus. Hinc caryotæ fiunt, & cibo quidem & ſucco vberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti,iniqua capiti; & vt copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudæâ, nec in totâ, ſed Ierichunte maximè. Nulla arbor frugifera,niſi in feruidâ. Gignitur leui ſabuloſaq; terrâ,maiore in parte & nitroſâ. Coma omnis arboris in cacumine eſt,& pomum non inter folia,vt in ceteris, ſed ſuos inter ramos palmitibus racemoſum. Arboribus vtrumque ſexũ eſſe, diligentiſſimi naturæ obſeruatores tradunt. Mas in palmite floret, femina citra florem germinat tantùm, ſpinæ modo. Diſtinctiùs Cotouicus lib.2. Ierichuntinas palmas narrat. Mirum ſanè, inquit, quòd hîc palmas, fructus maturos producentes cõſpicias plurimos,cùm tamen iuxta Ieroſolymã fructus non producant, licet vnius tantùm diei itinere ab inuicem diſtent. In causâ eſſe putauerim vtriuſque loci differentem ſitum. Ieroſolyma enim in montibus altiſſimis poſita, non adeò æſtu flagrat. Iericho contrà in valle ſita,montibus vndique circumdata,ob Solis reflexum immenſis caloribus obnoxia eſt,quibus cùm palmæ plurimũ gaudeant, maturitatem inde fructuum cauſari facilè quis viderit. Atque hinc etiam eſt, quòd fructus & ſegetes in valle Ierichũtinâ duabus antè hebdomadis quã Ieroſolymis matureſcant. Sunt autem tria palmarũ genera, vnum humile, quod dactylos communes profert,quales noſtrę quandoque vident regiones: alterum productius,vt noſtra pyrus, quod dactylos flaueſcentes rotundoſque gignit, optimi ſaporis, ſed non ita durabiles, cùm facilè marceſcant: tertiũ genus in magnam proceritatem excreſcit, oblongos & ſapidos habens fructus, quales ad noſtras partes non deferuntur. Illud verò omnibus commune eſt, vt in tertio vel quarto anno fructificent,maximè depreſſiores.

CAPVT XCV.

De balſamo.

BAlſamus nobiliſſima plantarũ ſoli Iudææ tribuitur, & in ſolâ Ierichunte, à quâ vrbs nomen illud eſt ſortita.Nam ſonat יריחו Hebraica vox bonum odorem.De hoc Plinius ſic ſcribit: Omnibus odoribus præfertur balſamũ vni terræ Iudææ conceſſum. Quondam in duobus tantùm hortis, vtroque Regio,creuit. Malleolis ſeri dicitur,vincîtur vt vitis, nec ſine adminiculis ſe ſuſtinet. Properat naſci intra tertiũ annum,fructum ferens. Folium proximum rutæ, perpetuâ comâ. Inciditur vitro,lapide,oſſeiſve cultellis. Ferro lædi vitalia,odit. Incidentis manus libratur,ne quid vltra corticem violet. Succus è plagâ manat, quem opobalſamum vocant. Eximiæ ſuauitatis, ſed tenui guttâ. Alexandro Magno ibi res gerente,toto die æſtiuo vnam conchã impleri iuſtum erat. Præcipua gratia eſt lacrymæ, ſecunda ſemini,tertia cortici,minima ligno. Ceterùm poſtquam Romanus Princeps Titus deſtruxit Ieroſolymam (in vltionem mortis Chriſti) & Iudæos in perpetuum exilium adegit, balſami quoq; herba & plantatio trãſlata eſt in Ægyptum. Verùm Alpinus probat,plantam balſami incolam Arabiæ eſſe, & fuiſſe; Iudææ autem peregrinam,quod nos in Curioſæ Philoſophię Lib. 1. latiùs diſſeruimus.

CAPVT XCVI.

De puteo beatæ Virginis.

GRegorius Turonẽſis l. 1. Miraculorum ſic ſcribit: Eſt autem in Bethleem puteus magnus,de quo Maria glorioſa aquam fertur

fertur hausisse, vbi sępius aspicientibus miraculum illustre monstratur, id est stella ibi mūdis corde, quæ apparuit Magis, ostenditur. Venientibus deuotis, ac recumbentibus super os putei, operiuntur linteo capita eorum. Tunc ille, cuius meritum obtinuerit, videt stellam ab vno pariete putei super aquas transmigrari ad alium, illo modo quo solent super cælorum circulo stellę transferri. Et cùm multi aspiciant, ab illis tantùm videtur quibus est mens sanior. Nōnullos vidi qui eam asserebant se vidisse. Nuper autem Diaconus noster retulit, quòd cum quinque viris aspexit, sed duobus tantū apparuit.

CAPVT XCVII.

De mulis Palæstinis & Syrijs.

CElebris Palæstinis mula fuit & Regiā maiestate digna. Salomon super mulā Dauidis Regis circumductus, ab omni populo Regio nomine salutatus fuit: in censu enim & in honore Principum habebatur. Ideò dicitur mulus apud Hebræos *reces*, vt habes Esther 8, 10. Sic autem dicitur, quasi de substantiâ Regis: inter opes enim Regum cōputabantur muli: nam *recus* est facultas, substantia, opes, diuitiæ, & quidquid homo acquirit. Racas enim est acquirere facultates, substantiam, congerere opes. Hinc ergo muli sic nominati sunt, quòd ad diuitias Regum spectarent. Vocantur etiā muli *achas theranim*, quòd animalia sint magna & honorabilia. Ex duabus speciebus, equâ & asino, componitur hæc dictio, ex *achas*, quod Syriacè magnum & honorabilem siue principem significat, & *tharin*, id est duo, etiam Syriacè siue Chaldaicè, quasi animal magnum & honorabile ex duabus speciebus genitum. Hi autem Latinè veredi vocantur muli, nempe nati ex equâ & onagris māsuefactis: nam veredus apud Latinos equus est cursus velocissimi, qualibus antiqui vtebantur in venatione. Veredis item vtebantur Principum tabellarij, qui mutatis perstationes equis, quàm velocissimè, quò instituerētur, peruenirent; qui inde etiam veredarij appellati sunt. Putant autem dictum veredum à vehendâ rhedâ, vnde & veredarium Vrbis apud Hieronymum legimus, metaphorâ profectò non inuenustâ pro gubernatore, rectore vel administratore. *Singulæ*, inquit, *metuunt veredarium vrbes offendere*. quamquam non desint, qui rhedarium ibi potiùs, quàm veredarium legendum censeat. Ex his loci illius Esther cap. 8, 10. explicatio facilis est, vbi legimus, *Ipsæq; epistolæ, quæ ex Regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios, qui per omnes prouincias discurrentes, veteres litteras nouis nuntijs præuenirent*, id est per equites, mulis & veredis equitātes. Ad verbum in Hebraico legimus, *per mulos magnos & honorabiles, ex duobus genitos filios equarum*, quæ omnia vnâ dictione comprehendit D. Hieronymus, cùm ait *per veredarios*, id est Principū tabellarios, huiusmodi velocissimis mulis equitantes. Hoc ipsum significare voluerunt Septuaginta interpretes, dicentes, *Et miserunt litteras per veredarios*. quod magis explicat Chaldęus Paraphrastes, qui sic locum hunc interpretatur. *Misit*, inquit, *litteras per manus cursorum currentium equis, & ascensorum celerum equorum, & mulorū equinorum.* Dubitari posset, an tantus honos monstris & sterilibus quadrupedibus datus, an sui generis mulæ essent, id est diuersæ speciei à nostratibus, & legitima animalia. Nam apud Aristotelem lego lib. 6. Hist. animal. c. 24. *In terrâ Syriâ super Phœnicem mulæ & coëunt & pariunt omnes. sed id genus diuersum est, quamquam simile.* Et lib. 1. cap. 6. *Quas terra Syriæ fert, quæ similitudine quadam nomen mularum acceperunt, quamquam non omnino eadem quâ mulæ specie continentur, coëunt enim, & mutuâ inter se ratione progenerant.* Hæc Philosophus. Negare tamē non possumus, nostrates quoq; Iudæis fuisse: nam vocatur præterea mulus voce Hebraicâ *pered*, vt habes 3. Reg. 4. quem ita dictum volunt à separatione, quòd non gignat, & separatus sit; id enim significat *parad*, separare, diuidere. Denique Gen. 26, 24. dicuntur muli *iemin*, nam, iuxta aliquorum sententiam, Ana faciebat coire asinos cum equâ, sicque nati sunt muli. ideò putant dictum esse iumentum *iemin*, id est huius nouæ speciei animalis, quod D. Hieronymus aquas calidas, alij maria aut congregationes aquarum, alij gigantes interpretantur. Quod probè Onomatographus obseruauit.

CAPVT XCVIII.

De chœrogryllis seu herinaceis.

ANceps fuit, quod animal chœrogryllus sit, cuius Moyses meminit inter immūda. Clemens Alexādrinus intelligit hyęnam; Lyranus, Abulensis, Caietanus cuniculum, alij hericium. Ego puto cum nostro Cornelio, sui generis animal esse, & peculiare Palæstinæ, magnitudine mediocriū cuniculorum, de cauernis petrarū gregatim procedens, pascensque in Palæstinâ iuxta Mare mortuum, inquit Eucherius lib. de Nomin. Hebraic. cap. 12. atque inde fortè Græcè dictus est chœrogryllus, à χοιράς, id est rupe, & γρύλλος, id est porcus. quasi dicas porcellum rupium.

rupium. Ita ferè S. Hieronymus, vel quisquis est auctor Commentariorum in Prou. c. 30. nam hæc Commentaria non esse S. Hieronymi, ex eo colligitur, quòd hoc ipso loco Auctor citet S. Hieronymum. Potius videntur esse Ven. Bedæ, cui ea attribuit Trithemius. Hic ergo Auctor sic ait: Pro lepusculo antiqua translatio chœrogryllum posuit. Est autem hoc animal non minus hericio, habens similitudinem muris & vrsi, cuius in Palæstinæ regionibus magna est abundãtia, semperq; in cauernis petrarum & terræ foueis habitare consueuit. Vnde & Origenes hîc pro chœrogryllo vertit *herinaceum.* Chœrogryllus ergo distinctum est animal à cuniculo & hericio, licet id neget Petrus Serranus. Quorsũ enim Septuaginta & noster vocaret eum chœrogryllũ, tam obscurâ & ignotâ voce, si esset cuniculus vel hericius? hæc enim nomina & animalia nobis notissima sũt. Vnde & Eucherius ac S. Hieronymus distinguit herinaceos siue chœrogryllos ab hericeis, siue echinis, qui spinosos vndique habent aculeos, vt vix contingi possint, quos ad libitum exerunt, vel remittunt & contrahunt, iisque pomis se in hortis onerãt, quæ ad latibula sua deferunt.

CAPVT XCIX.

De pomis paradisi.

REperitur in Palæstino solo musa arbor seu frutex potius, cuius fructus quoq; musa vel musi dicitur, altitudine sesquihominis, stipite viridi, comam in cacumine habens circum extensam, & folia in digitorum modum protensa, adeoq; longa, vt staturam hominis erecti ferè excedãt: tam lata verò, vt extensus quispiam facilè folio vno cooperiatur. Sunt qui putant, hæc priùs exsiccata veteribus pro papyro in vsu fuisse: habent siquidem à summo vsque ad imum rectissimas lineas ordine certo distãtes, quo ferè hodie apud Italos in pergamenis arte fieri solent. Quotannis stipes excinditur, vel arefacta planta ex radicibus alios surrogat surculos. Semel tantùm ex vno stipite fructus fert; qui plures in vno botro crescunt, aliquando decem, plerumque viginti, nonnumquam plures, quorum quisq; oui habet magnitudinem: suntq; obducti cortice seu folliculo spisso, coloris crocei, instar ficuum, odore rosis, formâ nostris cucumeribus non absimiles. Colores primùm virides: ast vbi maturescere incipiunt, paulatim in flauum mutantur vel croceum. Sapore quidẽ dulcissimi, ideoque grati palato, sed stomacho noxii, somnum quippe inducunt, fumo cerebri cauernas implent, & satiant multùm, ac citò corrumpuntur: quocircà etiam plebeiis ac vilioribus dumtaxat in cibum cedunt. Vt autem diutiùs conseruentur, nondum maturi colliguntur, & arenâ obruuntur, deniq; in cubiculis appensi, vel ad Solem appositi maturescunt. Sunt qui fructus hosce paradisi poma appellant, eosdemque esse putant in quibus comedendis Adamus protoplastes præceptum Domini transgressus legitur. Id autem in fructibus hisce notatu dignũ, imò mirandum putauerim, quòd in orbiculos concisis venas in singulis reperias crucifixi effigiem vtrimque referentes. Hæc Cotouicus. Alij adhuc magis cõmendant eumdem fructũ, quem saltem crucis figurâ notatum narrant. Nec dubitant esse in quo Adam deliquit. ideò à quibusdam vocatur fructus mortis.

CAPVT C.

De locustis Palæstinis.

VIctum Ioãnis Baptistæ locustas fuisse, Euangelica testatur historia. Dubiũ est, quod genus locustarum esset. Brocardus in descriptione Terræ sanctæ ait, in Palæstinâ herbas esse eo nomine, seque ad Iordanem sæpè vidisse Monachos illis vesci. Alij affirmant esse piscem marinũ hoc nomine. Sed verius est fuisse locustas communes, quibus salitis, in multis regionibus vescuntur, præsertim pauperes, vt ait Plinius lib. 6. cap. 30. & lib. 7. cap. 2. Sed Leuit. 11, 22. locusta inter mundas volucres numeratur. Signum hoc est, in vsu cibi esse, quare inter cibaria fuerũt Iudæis, Æthiopibus, Libyis, Parthis, aliisq; Orientalibus, qui inde ἀκριδοφάγοι, id est locustiuori sunt dicti, teste Diodoro Siculo lib. 3. cap. 3. & Plin. lib. 6. 30. & Hieron. lib. 2. contra Iouin. Ita S. Ioannes Baptista locustas comedit. Porrò locustas comedebãt vel elixas, vel tostas, & in pollinem redactas, imò etiam sale & fumo duratas, in totum annum seruabant. Quomodo & quale homini alimentum sit locusta, docet Mercurialis lib. 2. Variar. lection. cap. 20. vbi inter alia docet, locustas cibum esse siccum, qui vitam abbreuiet, pediculos gignat, & morbos creet, vt accidit Acridophagis Africanis. Hi sũt homines paulò ceteris breuiores, macilenti, ac supra modum nigri. Veris tempore Zephyrus ac Libycus venti infinitum pænè locustarum ex deserto ad eos deferunt numerum. Hæ permagnæ sunt; sed colore alarum turpi ac squalido. Æthiopes ad id assueti, in quamdam latam longamque multis stadiis conuallem plurimum materiei ex propinquis locis ingerũt; cum suo tempore tamquã locustarum nubes

bes à ventis supra vallem defertur, materiã congestam, omnemque loci herbam anteà succisam incendunt. Locustæ verò desuper volantes ingenti fumo enectæ, paululum vltra vallem ad terram tantã decidunt copiã, vt victum omni genti abundè præbeãt. Has enim sale superinfuso diutiùs seruãt, cibum gustu eis suauem. Hic est solus eorum per omne tempus locustarum victus. Neque enim pecora nutriunt, neque pisces edunt procul à mari positi, neque vllum aliud vitæ adminiculum habent. Corpore leues sunt, veloces cursu, & vitæ breuis, vt qui longissimè viuunt, quadragesimum non excedant annum. Finis eorum non solùm miserabilis est, sed & incredibilis. Nam, propinquante senectã, pediculi alati non solùm visu varij, sed specie horridi ac turpes in corporibus nati, ventrem primò, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedunt. Qui morbum patitur, primùm veluti scabiei cuiusdam pruritu allectus corpus scalpit, voluptate simul & dolore perceptis, deinde exorientibus pediculis, simulque effluente saniem, morbi acerbitate ac dolore percitus, vnguibus corpus cum magno gemitu lacerat. Tanta verò vermium copia effluit, alijs super alios tamquam ex perforato vase scaturientibus, vt deleri nequeant. Hoc pacto siue cibi siue aëris causã miserum sortiuntur vitæ finem.

CAPVT CI.

De melle siluestri & siliquis.

ALiud ferculum Ioannis Baptistæ mel siluestre fuit. Sunt qui putent, siliquas fuisse, aut ex siliquis, quarum arborũ ingens vis in montanis Iudæis. Mellei saporis sunt, melleum succum cõcludunt, & quidẽ apud Germanos *panis sancti Ioannis* vocãtur. Eas siliquas dico, quas Latini dulces vocant, Græci recentiores xylocerota, antiqui ceratoria. Arbor in magnã satis proceritatem attollitur, cortice cinereo in cęruleum inclinante, vt in loto arbore, ramis in latitudinem potiùs quàm longitudinem expansis: folijs eo positis ordine quo in fraxino, latioribus tamen quàm in fraxino, durioribus, rarioribus magis, circinatis supernè ex fusco viridibus, infernè dilutę viriditatis. Floret ceratoria hiemis fine, aut vere iam appetente. Fructum profert æstate & autũno. Fructus siliquæ sunt latæ, compressæ, aliquando pedem vnum aut eo plus longæ, quæ semen continent amplum, latum etiã compressum castaneæ colore. Hæ recentes ab arbore decerptæ, gustui sunt ingratæ, sed diu in cratibus siccatæ adeò mitescunt, vt dulces fiant, & gustui suaues. Præter semen melleum intus succum habent. Eo potissimùm refertæ sunt in Oriente prouenientes, quo Indi & Arabes zinziber, myrobolanos, myristicas nuces, aliaq; aromata condiunt, vt testatur Strabo de Indicis arboribus scribens. Arbor hæc amat loca maritima, calida, sicca, campestria. Multum hæc cognita Niceæ marisque Ligustici accolis, vbi eam esitant pueri, etiamque porci. Nascitur & in agro Neapolitano, inquit Matthiolus, præsertim in Apuliã, ac etiam in Campaniã. In Viã Appiã frequentissima conspicitur. Incolæ *salequã* vocant, nomine à siliquã detorto. Certius mihi est, mel illud agreste ex apibus agrestibus sumptum, quarum magna varietas est. Satis attulimus in Historiã nostrã naturali. In regionibus calidioribus tanta apum copia esse solet, vt cũ aluearibus capi non possint, in siluas auolent, & aut in arborum truncis, aut in rupium fissuris mellificent. In Bæticã sunt homines pauperes, qui hoc ex siluis colligendo vendendoque melle quęstum factitent. Id in Palæstinã multum fuisse credendum est: & quia calida & fertilis erat regio, & quia Deus sæpè vocat terrã lacte & melle manantem, Exod. 3, 8. & 13, 5. & 33, 3. & Leuit. 20, 24. Num. 13, 28. & 14, 8. & Deut. 6, 22. & 11, 9. & 16, 9. & 27, 3. & 31, 20. Iof. 5, 6. & quia ex facto Ionathæ 1. Reg. 14, 27. manifestum est mel è rupibus reuerà fluxisse. Quòd autem quidam boni etiam Auctores tradiderint, mel fuisse amarũ & ori insuaue, ideò fortasse est quòd sapiat quidem plerũque naturã florum quibus apes pascuntur, & arborum, in quarum truncis confectum est, semper tamẽ est mel, id est dulce. Minùs etiã probabile est, quòd Suidas & alij nonnulli Auctores putauerint hoc non mel, sed nescio quem rorem fuisse, quo Ioannes, sicut olim in deserto populus, alitus sit, quod benè obseruat Maldonatus.

CAPVT CII.

De spinis Ierosolymitanis & Coronã Christi.

BElonius lib. 2. Obseru. cap. 88. hæc ait: Diligenter autem examinatis spinarum generibus, quòd certiores fieri cuperemus, è quã spinã contexta fuerit Corona Christi capiti imposita, nullo autem frutice spinoso frequentiore inuento ipso rhamno; arbitramur coronam ex eo contextam fuisse. Nam neque rubum aliũmve spinosum fruticem istic crescentem inuenimus, præter paucas cappares spinosas. Cùm autem Itali rhamnum vulgariter appellent *spina santta*, præsertim circa Maceratã & Pisaurum (vbi sepes

eo

eo constant, quemadmodum Ierosolymis) hoc loco id subijcere voluimus. Huc accedit, quòd veteres Auctores Arabes fruticem, è quo contexta fuit Christi Corona, albansegi appellēt, quod vocabulum Latini interpretes Coronam spineā verterunt. Accedit Palæotus cap. 9. Expl. Sacræ Synd. vbi ait: Nonnulli, & quidē verisimiliter, opinantur, id spinarum genus ex quadam exortū plantâ, quæ vulgò *spina Christi* solet appellari, & satis copiose Ierosolymorum in agro nascitur, tum quòd militibus commodiùs inciderit vt illam citiùs reperirent, tum quòd spinas duras admodum & acutas habeat. Huic fides augescit inde, quòd Marcellus Empiricus *herbam salutarem* ipsam nuncupet. Salutaris, inquit, herbę fasciculum, id est spinæ albæ, quâ Christus coronatus fuit. Hanc autem Dioscorides rhamnū primum nominat. Maximè tamen fauet Anguillara. Prima, inquit, rhamni species omnium sententiâ ea est, quæ Romæ *spina santa* nominatur, à Samnitibus *spino di Christo*, à Marcello lib. de Re medicâ, *Saluatoris*, & *spina alba*. Salutaris herbæ fasciculum, inquit, id est spinæ albæ quâ Christus coronatus fuit. Cordus etiam rhamnū à Latinis *albam spinam* dici testatur; prudēter interim nos monens, ne stirpes diuersas hoc nomine cōfundamus. nam præter rhamnum, spinam arborescentem, albæ spinæ nomine passim ab Auctoribus in herbaceo genere duo cardui indicantur. Contrà tamē, vt obseruauit Daniel Mallonius, ex iuncis quidem marinis fuisse, maximè illud probabile reddit, quod Gulielmus Durātes lib. 6. Rationalis diuin. offic. cap. de Parasceue, tradit, qui se oculatum testem exhibet, docens, eamdem se vidisse in thesauro Regis Francorum. Nam, vt refert Genebrard. lib. 4. suæ Chronologiæ, S. Ludouicus Rex Galliæ à Græcis redemit coronam spineam, eamque Lutetiā asportari præcepit, cui ipse obuiàm comitantibus Episcopis & Regnı Proceribus venit, multis cum lacrymis & suspirijs, nudis pedibus, vndique affluente & in genua procumbente populo. Eam quoque ex marinis iuncis testatur fuisse Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloriâ Mart. num. 1.7. & Anselmus Dialogo de Passione Domini. Lyran. in c. 27. Matthęi dicit, ex iuncis marinis ad modum spinarum acutis: & ego qui hæc scripsi, audiui à quodam qui fuerat vltra mare cum B. Ludouico Rege Franciæ, quòd in littore maris senserat puncturas iuncorum per sotulares intermedios. Landulphus de Vitâ Christi dicit in hunc locum, eos qui accuratiùs spineam coronam inspexere, deprehendisse eam fuisse ex iuncis marinis, quæ non solùm in acutum desinunt, sed etiam latera habent spinosa. Idem sentiunt Hugo Card. in Ioannē, Toletus item Card. Annot. 2. in c. 19. Franciscus Suarez 3. par. q. 46. disp. 35. sect. 3. dicit, communiter omnes sentire, coronam non ex spinis, sed ex iuncis marinis fuisse contextā. ex quo colligit, ex illâ coronâ Christo lethalia vulnera non fuisse inflicta, nec craniū perforari potuisse, sed solùm cutem & carnem, licet verisimile sit, spinas ita fuisse infixas per superiorem capitis partem, vt per inferiorem sanguine conspersæ prodirent; atq; hac ratione fortiter in carne infixæ hærerent. Verùm longè aliter apud Laurentium Iustinian. lib. de Triumphali agone c. 14. vbi dicit, spinarum punctiones cerebrum perforātes. Et subdit: Debuit planè mori tanto dolore trāsfixus, se tamen reseruauit ad vitam, vt his etiam grauiora perferret. Et S. Vincentius de Passione Domini dicit: Quis satis cogitare potest, quantus dolor venerandum illud caput tot aculeis confixum affecerit, cùm nos vel ad vnius spinæ puncturâ ferè intolerabili dolore vexemur. Placet tamen hîc afferre sententiā Balduini Ambiani, qui adstruēs Ægyptios fuisse vsos calceis ex iunco factis, quemadmodum è papyro, & apud Hispanos ex sparto, sic inquit: In Ægypto natus educatusq; Moyses, cùm oues soceri sui pasceret, pastorum Ægyptiorū more, vt credere par est, induebatur. Huic ad rubum ardentem, vt Exodi sacra monumenta testantur, accedenti, vt propiùs stupendum illud flammarum non comburentium ostentum agnosceret, Dominus Deus statim edixit, *Solue calceamentū de pedibus tuis*. Quod igitur illud erat calceamētum? id enim sacræ tacent Litteræ. Vt quid etiam Moyses eo calceatus ad rubum prohibetur accedere? Vno breuique verborum cōtextu, vt bipartitæ quęstioni fiat satis, pro Ægyptiorum pastorum more calceamenta Moysis erāt ex iunco marino cōtexta: ideoque Dominus Deus, præsciens Filiū suum aliquando factum hominem, inter ceteras suppliciorū acerbitates coronâ ex eiusmodi iunco marino compactâ coronandum, vult ea calceamenta tolli, quod indignum videretur, seruum id pedibus calcare, quo ipsius Dominus aliquando esset coronandus. At fortè hæc spinosi diadematis ad iuncea calceamenta relatio, spinosa quibusdam videatur, illorumque menti spinam hanc infigat, quî nimirum ex eiusmodi iunco calcei potuerint contexi, cùm tam acutis spinis iuncus ille, qui Græcis ὀξύσχοινος, alijs *rhamnus*, alijs *carectum* appellatur, sit asperatus, vt vix manibus tractari queat. Et me quoque spina hæc aliquādo pupugit; cuius tamen aculeus hebescere mihi visus est, cùm in animum induxi, potuisse iuncū illum compingendis calceis

calceis alijsque id genus destinatum tenerum euelli, priusquam spinæ in rhamnū excrescerent, iuncumque duriùs asperarent; ita vt si qui fortè aculei in ipso tum eminerent, facilè possent aut manu auelli, aut ferro abradi, aut quouis alio modo effringi, atteri atque contundi. Vero enim simillimum est, vt apud nos straminei calcei (quorum vsus domorum septis non egreditur) è contusis contextisque segetum calamis fiunt, ita veteres illos siue Ægyptios siue Hispanos & iuncum & spartum malleis contudisse, quò faciliùs in funes contorqueri, aut in strata contexi, aut in calceos compingi possent. Verùm redeamus ad propositam tractationem. Quid ergo dicemus in hac controuersiâ? An conciliatio, quam excogitauit Io. Arboreus in cap. 27. Matth. dicens, primò Christo coronam de spinis fuisse impositā, eamque gestasse diu, sed in Caluariæ monte rursus illi ex iuncis alteram fuisse impositam. In manuscripto antiquo dicitur: Cùm Christus fuisset crucifixus, constrinxerunt aliam coronam de iuncis marinis, quorum spinæ sunt acutiores, & posuerunt hanc coronam super caput eius postquam Iesus duriùs pungebatur, & plus vulnerabatur, cutis capitis eius ex aculeis illorum iuncorum, quàm coronâ spineâ quâ fuit anteà coronatus. Verùm S. Brigittæ reuelatum fuit, eamdem numero quæ priùs Christo imposita fuit perpetuò eius capiti adhæsisse, quoad in Caluariæ monte vestibus nudaretur. Cùm enim inconsutilis ea tunica, vt multi piè contemplabantur, detrahi non posset, nisi & corona spinea tolleretur, ideò detracta est corona à Christo in crucem acto, eadem denuò eius capiti fuit imposita. ita enim sibi reuelatum fuisse, scribit lib. 7. cap. 15. Quo facto, coronam de spinis, quam deposuerant de capite eius cùm crucifigeretur, iterùm imposuerunt, & aptauerunt capiti suo sacratissimo. Fauet Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 15. dicens, Christum cùm spineâ coronâ fuisse crucifixum. Idem Isidorus Pelusiota lib. 1. Epistol. 95. Aptiorem conciliandi rationem crederem, si quis diceret, eam coronam, quam Iudæi imagini sanctissimi Crucifixi in Beryto imposuerunt, è cuius lateris vulnere exiuit sanguis & aqua, cuius historiam refert Athanasius Opus. de Passione imaginis, ex iuncis fuisse. Corona enim ipsius Christi & vnica fuit & ex rhamno, hoc est veris spinis fuisse videtur mihi cum Baronio & Mallonio: nam in primis apud sanctos Patres semper ex spinis coronam legimus, quos vtique ad litteram explicare tenemur. Valdè autem notandum putò, quod Ill. Card. Baron. Tom. 1. anno Christi 34. num. 66. monet, dum dicit: *At nullatenus audiendos puto, qui ex iunco marino Domino contextam coronam fuisse edixere, cùm certum sit, & Lucæ & Ioannis Euangelistarum assertione, ex spinis esse compactam, ambobus ita dicentibus, Plectentes coronam de spinis. longè enim diuersa est iunci ac spinarum ratio: nam iunco marino nullæ, nec infusæ vel ramis inhærent spinæ, sed eius tantùm acumina in spinas desinunt. Confirmari hoc ratione multiplici potest. In primis enim cùm Ierosolyma à mari longè distet (nam si de mari Tyberiadis fit mentio, præterquam quòd stagnum illud mare non sit, Iordanis fluminis præclusione firmatum, sed lacus, imò stagnum Genesareth dicitur, nec aliâ ratione maris sortitur nomen, nisi quatenus congregationes aquarum maria vocantur: si de Mari mortuo siue Asphaltite fit mentio, at in eo nihil ne pisces quidem superuolare possunt, sed fœtore inde erumpente necantur. Ita Brocardus in Descriptione Terræ sanctæ 1. Parte c. 7. §. 35. proximè poma nulla, etsi quæ circa littora exoriuntur, licet forinsecus roscida, intus tamen cineritia soloq; cinere ac puluere oppleta deprehenduntur. tanta est Sodomitici facinoris detestatio. Si de Mediterraneo, constat, inter Ierusalem & Mediterraneum mare multorum millium inter patere distantiam) quomodo potuerunt ita in promptu esse marini iunci militibus? At si de spinis, vbique peruiæ. Spinas enim & tribulos sponte maledicta terra producit.* Ampliùs autem testatur idem Baronius Card. quæ in Ecclesijs asseruantur spinæ, easdem verè spinas, non autem iuncos videri. Accedit & illud, quòd sacræ Scripturæ verba sint prout sonant intelligenda, præcipuè autem cùm ad literam explicata, nec fidei sinceritati, nec morum honestati reluctantur. talis enim est regula S. Augustini lib. De doct. Christ. cap. 3. Quâ de causâ Basilius ille Magnus Hom. 3. & 9. in Hexaëmeron dicebat: *Ego cùm audio Moysem dicentem cælum, terram, aquam, pisces, fœnum, nihil aliud intelligo, nisi cælum, terram, aquam, pisces, fœnum. Si enim aliter dicere voluisset, alijs verbis explicasset.* Plura hac de re notat Georgius Ederus lib. Biblioth. Oeconomicorum. Liceret etiam hoc ipsum ex textu Græco confirmare. ita enim habet: Καὶ οἱ στρατιῶται πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν. ἄκανθα autem non est quodlibet spinæ genus, sed præacutæ, prout notat Auctor Etymologiarum Græcus. Adde, quòd iuncus marinus Græcè dicatur ὀξύσχοινος; Ioannes autem non scripserit coronam ἐκ τῶν ὀξυσχοίνων, id est *ex iuncis marinis*, sed ἐξ ἀκανθῶν, id est ex *spinis*. Tandem communis Patrum consensus huc accedere videtur:

detur:in eo enim quòd Christi caput spineâ coronâ redimitum legunt, alij quidem impletam eam figuram notant, quâ aries inter vepres cornibus hæsisse legitur. Ita D. Hieronymus in cap.27. Matth. Alij verò, vt maledictum solueret antiquum: Isidorus Epistolâ 95. Hieronymus vbi suprà. Alij, quòd de peccatoribus,qui per spinas intelliguntur, gloriam quærebat: ita Ambrosius. Alij alia quæ de veris spinis intelliguntur. Imò verè nec explicari posset, quomodo tot puncturis Christi caput corona lacerasset, cùm Bernardus dicat, *mille puncturis*; & alibi, *densitate spinarũ*. præcipue cùm marini iunci appellatione nullus spinas intelligat, nec econtrà spicarum nomine iuncum marinum interpretetur. Adijcit etiam Mallonius, magnam huic loco explicando claritatem illud allaturum, quòd Iudicum c.9. parabolicè dicitur de lignis Regem supra se creare certantibus. Ita enim legimus: *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem. Dixeruntq; oliuæ: Impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, quâ & Dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq; suauissimos, & ire vt inter cetera ligna promouear? Locutaq; sunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod deos hominesq; lætificat, & inter ligna cetera promoueri? Dixeruntq; omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera nobis. Quæ respondit eis: Si verè me Regem vobis constituistis, venite, & sub vmbrâ meâ requiescite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno & deuoret cedros Libani.* In rhamno enim immites, & dolosi, & superbi, & omnes improbi notantur, vt Augustinus, Hieronymus & Cassiodorus in Psal.57. notant, quia rhamnus est aculeis asperrima, flore gratissima, & valdè spinosus est frutex, & arbusculum sentibus spinisque contextum, quod tenet quidquid attingit, & retentum vulnerat, & vulneratorum sanguine delectatur: insuper & ignem emittit ex se, & cetera ligna consumit. Ideò superbi & tumidi ambitione maximâ per fas nefasque dominium captantes, in rhamno denotantur, & isti caput Christi dilacerant. Verè tamen nunc dicere potest rhamnus in Christi capite conquiescens: Venite, requiescite sub vmbrâ meâ; non enim decet sub spinoso capite membrum existere delicatum. Hoc tamen concionatoriè dicitur.

CAPVT CIII.

De arboribus Ierosolymitanis, & ligno Crucis Christi.

ADijcit Belonius: Fructiferæ istic arbores proueniũt, ficus, oliua, Punica malus, zizipha, prunus. Cùm verò lignarij mercatores in vrbibus varia lignorũ genera adseruare soleant in suis ædibus & fabrorum tabernis, vix suspicari licet, ex altero quàm suprà memoratarum arborum ligno Crucem fabricatam fuisse. Adrichomius specialiùs scribit: Ad duas leucas de Ierusalem inter Emaus & Ierusalem est castrum ad S. Crucem appellatum, quod Græci monachi inhabitant, in quo iuxta maius altare, ait Saligniacus, arbor quædam dicitur stetisse, de cuius ligno Crux Christi facta fuerit. Radziuilius eiusdẽ meminit, & oliuam nominat. Guilielmus Durãtes Parte 6. Rationalis diuinor. offic. Rubricâ de die Parasceues, ex quatuor lignorũ speciebus constare refert Christi Crucem, affertq; illud:

Pes cedrus est, truncus cupressus, oliua supremum,
Palmaq; transuersum Christi sunt in Cruce lignum.

Hæc eadem lignorũ genera in Christi Cruce contemplatur B. Augustinus. Hæc ferè prosequitur Franciscus Samarinus 3. Parte Sacerdotalis thesauri, tit. De diebus maioris Hebdomadæ. Idem docuit Albertus Magnus lib.4. Cõpendij Theologiæ verit. c.21. Imò etiam Bernardus Tract. de Passione Domini cap. vlt. Ludolphus de Vitâ Christi, Antonius Glissandus quæst.643. in Passionem secundùm Matthæum, Iacobus Voragineus Serm.3. in Dom.3. post Octauã Epiphaniæ, qui etiam quatuor hęc lignorũ mysteria explicat: in ijs enim quatuor lignis dicit denotari quatuor Crucis virtutes. Primò, quia fugat malas cogitationes, quæ per cedrũ denotantur, cuius odor serpentes fugat: secundò, quia in tribulatione constantiam præbet, & significatur per cupressum, quæ nullius venti turbine comam amittit: tertiò, quia de hoste triũphat, significatur per palmam, quâ victores coronabantur: quartò, quia pœnitentiæ amaritudinem temperat, significatur per oliuã, cuius liquor dolores vulnerũ reddit tolerabiliores. Hęc est causa, cur nos in ijs quatuor casibus Crucis signo nos muniamus, vel cùm cogitatio turpis se ingerit, vel cùm aliquod periculũ subitò emergit, vel cùm aliquod phãtasma diabolicũ sensibus nostris se obijcit, vel cùm aliquis dolus nos arripit, vel timor inuadit. At Beda in Collectaneis & Floribus dicit, Crucem ex cedro, pino, buxo & cupresso factam esse. Chry-

Chryſoſtomus Orat. de Veneratione Crucis, Anaſtaſius Sinaita, & Ioannes Cãtacuzenus Aſſertione contra Mahumetem, dicũt, Crucem eſſe ex cupreſſo, pino & cedro. Verùm hæc ſine dubio myſticè ſunt accipienda: neque enim Crux ex tam multis ſectionibus connexa, ad corpus grauiſſimum ſuſtinendum fuiſſet idonea, mixtaq; fuiſſent ligna felicia infelicibus, immò ligna maximè pretioſa, qualia ſunt cedrus, oliua, cupreſſus, palma; quod optimè annotauit Daniel Mallonius. Ideò Goropius Becanus, & alij, è quercu conſtructam Chriſti crucem aſſerunt. Approbat Lipſius lib. 3. de Cruce c. 13. Fauet Ciacconus lib. de Signis ſanctiſſimæ Crucis, cap. 30. quòd Crucis Dominicæ fruſtula roboris ligni ſpecimen præ ſe ferre videantur. Sillius Creta lib. 1.

Quem poſtquã diro ſuſpenſum robore vidit.
& infrà:

——— *Erectum ſuffixum robore mœſtis*
Oſtentabat ouans populis. ———

Idem ferè Sedulius lib. 3. Operis paſchalis. Vtcumque igitur res ſit, incertam rem omnem puto, neque ita ſcitu neceſſariam. illud tamen ſubdo, lignum illud ſanctiſſimę Crucis Chriſti, quod in pluribus Eccleſijs oſtenditur ſubfuluum, nigricans tamen apparere, quale illud eſt quod Mãtuę in auguſtiſſimo D. Barbaræ Sacello aureâ Cruce tectum, gemmiſq; magnificentiſſimè exornatum, prout decet, cõmonſtratur. Tale quoq; illud apparet, quod Bononiæ apud S. Stephani ædes commonſtratur. Ferunt & verum Chriſti Crucis lignum ſic cognoſci & probari, quod & aquæ iniectũ non ſupernatet, ſed ſtatim ſubmergatur; in ignem verò coniectum, prunis ipſis quaſi ignitum candeat magis, nec abſumatur. Et lignum quidem, quod aquis iniectum mergatur ſtatim, multiplex eſt, vt de ebeno dicitur, & de robore, & alijs. Immò Plinius lib. 9. cap. 3. docet, lignum gallinæ ouo perfuſum non ardere. Apud plures veteres, & Gottifredum Viterbienſem in Chronico cap. 4. egregia fabella celebratur. Poſt diluuij tempora Sethũ, inſignem illum Noë filium, quem alij Orontem nominarunt, inuento Adæ protoplaſti ſepulchro, ad paradiſum terreſtrem contendiſſe, ad eius valuas Cherub illũ, verſatilem gladium igneum manu vibrãtem, inueniſſe, ab eoq; oleum, quod miſericordiæ dicitur, petijſſe, vt eo ſuper Adæ tumulum effuſo, protoplaſti ſcelus expiaret. Mox ad ipſum cũ Cherub reuertiſſet, pro oleo baccas tres illi è paradiſo detuliſſe, dixiſſeque Setho, vt baccas illas ſuper Adæ tumulum complantaret. Cherub iuſſa Sethus peregit, bacciſque plantatis, haud ita multò pòſt ecce tria virgulta ſucereſcunt, quę paulò pòſt ſimul congreſſa, in vnicum tãtùm ſtipitem coëunt, ex quo maxima arbor temporum ſucceſſione progignitur. Cùm verò celeberrimum illud templum Ieroſolymis conſtruendi tempus aduenifſet, variaq; Ieroſolymam ligna comportarentur, Deo ſic volente, illud quoque lignum Ieroſolymas vehitur, vt Ieroſolymitani templi cõſtructioni deſeruiret. Sed ecce tibi nouum inauditumque miraculum: arbor enim hæc nulli vmquã in templo conſtruendo vſui eſſe potuit. nam interdum lõgior, interdum breuior videbatur: ſi breuiore eguiſſent, longior excreſcebat; ſi quid verò ex ipſâ ſecaretur, iuſto breuis nimis viſa reijciebatur. Repudiatur ergo portentoſum lignum, nec templi ædificio deſeruit. Eo tamen vtebatur Salomon in priuato ſuo palatio exſtruendo quà hortus verſus ædificium protendebatur. At Regina Saba, quæ ab vltimis terræ finibus venit ad audiendã ſapientiam Salomonis, lignum cùm intuita eſſet, exhorruit: portenti enim quid in ligno nouerat, nec tamen Salomoni coràm, quid vidiſſet, indicare auſa eſt. At notato ligno, vbi diſceſſiſſet, rem per litteras aperit, vidiſſe ſe in ſui palatij ędificio lignum, in quo innocens eſſet occidendus, vnde totius Hebraici regni ruina ſubſequeretur. quale verò ſit illud lignũ, notis aperit. Re cognitâ, Salomon lignum illud ex ædificio tolli, ac ſubtus terram ſepeliri mandat, vt ibi computreſcens, malo omini non ſubſeruiat. Fiunt omnia prout Rex Salomon imperat, ibique ſubtus terram conditur. Ibi poſteà famoſa ea piſcina, quæ προβατικὴ dicitur, excauatur, non tamen ſtatim lignum detegitur; ſed aduentante Chriſti paſſione, tempore lignum illud paulatim detectum, vti aquas tãgere potuit, vim ei admirabilem contulit, quâ ſanaretur quicumque poſt Angeli motionem eò immiſſus primus fuiſſet; tuncque excauatum omnino, aquis etiam ſupernatat, ita tamen, vt nulli vſui deſeruire poſſet. Quare extractum è piſcinâ lignum, ad templi externos parietes apponitur. Cùm verò Chriſto crux parãda eſſet, Infelix illud lignum, inquiunt, accipiatur, quod cuilibet bono operi fiundo ineptum eſt. Quare ex ipſo Crux Chriſti fabricatur. Alij tamen, antequam Crucis figuram acciperet, priùs aut ſuper piſcinam eamdem, alij ſuper torrentẽ Cedron ſuperextenſum pontis officium diu peregiſſe autumant. Ita Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ in 3. Reg. c. 26. Carthuſianus in c. 5. Ioannis. Hanc omnem hiſtoriam cum Gretſero noſtro & Mallonio apocrypham cenſeo, nec certum quid conſtare, ex quo ligno Crux ſit fabricata. Illud miraculum certum, multiplicari ſanctum lignum, vt S. Paulinus obſeruauit. nam ſi omnia fruſtula Crucis

iungerentur, sufficerent multis magnis crucibus conficiendis, ipsa tamen vna est.

CAPVT CIV.

De vrim & thummim lapidibus.

DVos miraculosos lapillos, vrim & thūmim, censeo cum Philone & Isidoro Pelusiotâ ad eum finem à Deo datos & cōparatos, vt futura prænunciarent, qui inferebātur intra plicas Rationalis, & inde efferebantur ad interrogandum Deum. Isidori verba hæc sunt: Siquidem τῷ Λογίῳ, id est Rationali, δήλωσις & ἀλήθεια inhærebant, quarum altera perspicuitatem, altera veritatem significat. Denique quia splendor quidam, vt nonnulli aiunt, in lapillis illis existebat, cùm ad Sancta Sanctorum sacrificandi causâ se cōferret, atque ea quæ ventura erāt verè declarabat, his fortasse nominibus appellatæ sunt. Hæc ille. idque satis declarat, quòd duobus nominibus non vna sed duæ res vocarentur. Quid enim aliud significat, *Pones in Rationali iudicij Haurim & Hathummim*, & quoties aliàs nominantur, quā duas res fuisse illis nominibus appellatas? Qui existimātur fuisse duo lapilli lucidi, clari instar crystallini speculi tersi, dicti vrim & thummim numero plurali, hoc est illæ luces, illæ inflammationes, seu illuminationes, & illæ perfectiones, seu completiones, posito abstracto pro concreto, more Scripturæ, pro *illi lucidissimi lapides*, vt ait Forerius, qui propter multitudinem & copiā coruscationum & emicationū, quas emittebant in responsis, significantium perficiendum, consummandum, & complendū quod quærebatur, numero multitudinis vocabātur. De modo enim respondendi per vrim & thummim varia est sententia. Plures Auctorum existimant, coruscationibus lapidū responsa data. Sed difficilè intelligitur, quomodo possent multa responderi, & explicatè, illis emicationibus. Dauid enim cōsuluit Dominum 1. Reg. 30, 7. dicēs: *Persequar latrunculos hos? & dixit Dominus* per vrim & thummim: *Persequere, absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Hoc responsum quomodo posset illis emicationibus percipi? Ideò Tyræus noster lib. 2. de Apparitionibus cap. 11. pro certo affirmat, voce externâ vel internâ edoctum Sacerdotem, quid responderet interrogantibus. Sed hac ratione quorsum iuberet Deus vrim & thummim inferri in Rationale ad interrogandū Deum ipsum, si voce responsum daretur? Mihi non videtur improbabile, in illis lapidibus pellucidis scribi solitum responsum ad interrogata, ita vt cùm educerentur è Rationali, coruscarent longè lateque ad miraculum, & tunc Sacerdos in vno lapide legeret quid esset agendum, & in altero, id esse cōplendum & perficiendum à Deo, quò certiores redderentur de responso qui interrogabāt. Vel certè in illis lapillis coruscantibus depictum visebatur diuinitus quid agendū, quid verò non, & cuiusque rei, belli verbi gratiâ, exitus & absolutio: quemadmodum nostrâ & maiorum ætate in oppido Lusitaniæ Santareno assiduo miraculo, in pellucidâ crystallo visitur Christus pro cuiusque deuotione, nunc puer tenellus, nunc duodecim annorum, nunc triginta, nunc crucifixus, nunc Iudex sæuissimus; ex quo multa fidelibus commoda proueniunt. Hæc vt probabilia asserimus cum Christophoro Castro, qui tamen aliter adhuc sentit. Huius difficultatis, inquit, tam diuersas solutiones dum meditarer, & nihil quod satisfaceret inuenirē, incidi in locū Oseæ, qui fortasse veritatem aperiet. Dum enim cōminatur filijs Israel, extremam vastitatē vsque ad Christum duraturam, defuturam dicit formam eius Reipublicæ illis verbis: *Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.* Videtur significare, & verè, vrim & thummim, qui erant in Rationali. Hoc apertè nos docent Septuaginta, qui cùm Exodi 28. & aliàs, vbi inueniuntur duo illa nomina, trásferant δήλωσιν & ἀλήθειαν, hoc est *manifestationem* seu *perspicuitatem & veritatem*, similiter hoc loco pro theraphim transtulere δηλώσεις, *manifestationes*, vrim & thummim volentes intelligere per quæ futura manifestabantur, vt rectè animaduerterūt Cyrillus Alex. Theodoretus & Theophylactus. Erāt ergo vrim & thummim ijdem qui theraphim, per quæ interrogabatur de futuris. Theraphim autem imagunculæ erant, seu idola, quæ interrogata responsa dabant voce manifestâ. Quia ergo Deus voluit populum illum ablactare, & à ritibus gentium & dæmonū cultu suauiter auocare, sicut reliquit eis tam varia sacrificiorū genera, quæ priùs dæmoni exhibebantur, posteriùs Deo præstabantur; ita modos illos admirandos, quibus dæmones se hominibus admirabiles ostendebant, prædicēdi futura & occulta reuelandi, conseruauit Israelitis, sed per Deum ipsum, & in illius honorem huiusmodi erant oracula, sortes, omnia ostenta, & visa prophetica: & in his numerātur theraphim, pro quibus dedit illis vrim & thummim, sed medio summo Sacerdote, vt occasio plebi ignoranti remoueretur idola ea colendi. Erant igitur duo paruula simulacra affabrè facta, vel Dei manu, vel artificum, quæ ferebat Sacerdos inter plicas Rationalis, & quoties

ties aliquid erat interrogandū, efferebat,& per illa Deus,vel Angelus nomine Dei,clarè & perspicuè quid agendū quidve non agendū respondebat: & propter sermonis perspicuitatem quo manifestabantur responsa,& propter veritatē dicti aut promissi certò cōplendi, vnum dicebatur vrim , illuminationes,perspicuitates; alterum thummim,consummationes , completiones , & veritates, quòd de responso complendo certiores redderent interrogantes.Dum autem Sacerdos ea idola ostendebat, verisimile est ea emicare aut coruscare solita,ad captandam populi attentionem , & ad ingenerandam admirationem , quæ Deo vero eos coniungeret, quasi tantorum miraculorum auctori.

CAPVT CV.

De Euphrate & Tigride fluuijs.

IAm excurremus nonnihil extra Terræ promissæ terminos;merentur enim suam commemorationē Tigris & Euphrates celeberrimi amnes Syriæ,quæ DauidiRegi paruit,prout Israëlitis promisit Deus,iuxta sacrosanctæ Scripturæ fidem.E terrestri paradiso dicuntur promanare, sed mox à terrâ absorptos,post longum subterraneū decursum,tandem ex montibus Armeniæ maioris,multorum inter se millium passuum interuallo rursum emergere. vbi Plinius,Ptolomæus,alijque Ethnici Cosmographi eos primùm oriri putauerunt. Euphrates siue Eufrates,Hebræis *Perath* seu *Parath* dicitur, cuius nominis vis apud nos fecunditatē atque fructuum abundantiā significat. Apud Ezechielem Prophetā fluuius hic *Chobar*,& Hebraicè *Chebar* vocatur,iuxta quem idem Propheta se visionē vidisse asserit. Iosephus & recentiores accolæ patrio vocabulo *Phora, fora*,vel *foras* modò appellant.Hic Tigride multò maior est,atq; plus terræ obit. Nam ab eo loco vbi in Armeniâ maiore erumpit,celer & fremens Cappadociam rectà petit: vnde se flectens, post ducenta passuum millia Taurum montem,quamquam duodecies mille passuū molem ei obijciat, fracto nonnihil cursu perrumpit. Ita naturæ,inquit Plinius, dimicatio illa æquatur, hoc eunte quò vult,illo prohibente ire quà velit.Hinc saxosus & violentus Mesopotamiam præterlabens , diuersa oppida alluit, nimirùm Epiphaniam & Antiochiam,quæ ad Euphratem vocantur;item Zeugma, Apamiam,Seleuciam & Vram , Babylonem verò mediam secat.Quam procul transgressus, tandem defertur in Persicū mare,quod in sacris Litteris Mare rubrum vocatur.Tigris tam Hebræo quàm Græco, Latino & accolarum idiomate à cursus celeritate nomen sortitus est.Hebraicū enim nomen *Aidebel* aut *Chiddechel*, vt & *Diglath*, quo vocabulo eum Iosephus nuncupat, significat velocitatem.Græcâ verò & Latinâ voce Tigris dicitur, quia instar tigridis bestiæ nimiâ pernicitate decurrit. Tigris enim, vt habet Plinius , animal est tremendæ velocitatis. Medis denique, Armenis & Persis,qui hunc fluuium accolunt,tigris sagittā sonat, quòd fluuius veluti sagitta emissa citus volet: eâ siquidem proripitur velocitate, vt vnda die tantum peragat itineris, quantum vir acer & velox septem diebus currendo conficere posset. Prodiens igitur in Armeniâ maiore ex lucido conspicuoque fonte in loco edito, primùm per sexagies & bis mille passus præceps inter saxa deuoluitur, & multorū torrentium non aquas solùm , sed etiam saxa secum trahens, in lacū Arethusam siue Arsissam influit,in quem omnia illata pondera enatant. Est verò aqua eius laci nitrosa,quæ vestes in eâ lotas dilacerat ac rumpit. Vnum genus ei piscium est , idque transcurrentis, Plinio teste,non miscetur alueo,sicut nec è Tigri pisces in lacum transnatant. Nec patitur amnis aquam secum commisceri : nam & cursu & colore dissimilis per eum fertur, transuectusq; occurrente Tauro monte rursus in specu mergitur , subterque lapsus ab altero montis latere erumpit in lacum , qui *Zoroanda* vocatur.& esse eumdem, manifestū est,quòd demersa perferat. Deinde tertium transit lacum salsum , & piscibus carentem,qui *thospites* seu *thopitis* appellatur, atque ipse quidem piscibus plenâ non permixtâ aquâ in alteram ripam peruenit, rursusque in cuniculos multo cum sonitu demergitur,& post vigintiquinque millia passuū exoriens mox in Armeniâ,lustrat Gordiæorum siue Cordiæorum montes amomi feracissimos,in quibus Arca Noë post diluuium quieuit,eiusque reliquiæ Berosi & Iosephi vsque tempore ostensæ ibidem fuisse memorantur. Vnde & locus ab Armenis *Apobaterion* & *Gibelnoë*, id est *Egreßorium Noë*, vsque modò appellatur. Hinc contra Assyrios pergens, eosque præteriens , citra Seleuciam & Babyloniam centum vigintiquinque millibus passuum diuiditur in alueos duos. Vbi remeauere aquæ , atque in vnum alueum coiere, aliquanto spatio vectus, in lacus Chaldaicos se fundit, eosque septuaginta millium passuum amplitudine implet. Moxque vasto alueo profusus,duobus ostijs in Rubrū mare defluit. Inter Euphratis & Tigris ostia vigintiquinque millia passuum fuere, aut,vt alij tradunt , septem millia, vtroque nauigabili. Duo hi amnes simili quidem ratione, sed maiori felicitate,

quâ Nilus Ægyptum, statis temporibus restagnantes, Syriæ humű irrigant, opimant, atque Ægypti solo reddunt fertiliorem. Limum autem non inuehunt, sicut in Ægypto Nilus; verùm quotannis quasi nouos agros creantes, Syriam vbertate terræ Chanaan pænè parem efficiunt. Vnde, vt etiam Plinius meminit, varijs arborum, fructuum herbarumque generibus abundat. Hæc in hortis operosissima est, indeque Prouerbium Græcis, *Multa Syrorum olera*. Tàdem hîc obseruandum, fluuiũ Euphratem quondam designatum fuisse Israëliticæ terræ terminum. Elegerat namque sibi Dominus Deus filios Israël de cunctis terræ populis in peculium, & regnum sacerdotale ac gentem sanctam, ipsisque in possessionem daturum se promiserat omnem terram à deserto Pharan & Torrente Ægypti, qui iuxta Rhinocoruram Mari magno influit, vsque ad fluuium magnum Euphraten. Terram sanè lacte & melle manantem, ac non tantùm, vt Plinius ait, totius Orientis fertilissimam, sed, vt sacra Scriptura testatur, inter omnes terras maximè egregiam. De quâ & D. Hieronymus in hæc verba scribit: *Inclytam esse terram Iudææ, & cunctis terris fertiliorem, dubitare nemo poterit, qui à Rhinocorurâ vsque ad Taurum montem & Euphratem fluuium cunctam considerauerit terram, & vrbium potentiam, amœnitatemq; regionum, Palæstinam videlicet & Phœnicen, Arabiam, Syriam, Cœlen, Ciliciam, & ceteras regiones. Ac venit quidem terra hæc in Israëlitarum potestatem regnante Dauide, qui in regno Iuda & Israel iam confirmatus, subiugatis sibi multis in circuitu nationibus, Philisthæis nempe, Idumæis, Amalecitis, Moabitis & Ammonitis, cæsis plurimis Syrorum millibus, vniuersam Syriam subegit, & vsque ad flumen Euphratem imperium suum dilatauit, dispositisq; opportunis in locis præsidijs, Syros omnes annua tributa sibi pendere compulit. A quâ victoriâ triumphator Ierosolymam reuersus, composito Psalmo qui Latinis quinquagesimus nonus est, Deo ter optimo maximo epinicia cecinit. Ceterùm non diu Israeliticus populus has regiones possedit, solus enim Dauidis filius Salomon, regni paterni successor, omnibus Regibus à flumine Euphrate vsque ad terminos Aegypti pacificè dominatus fuisse scribitur: post cuius mortem continua, quæ Syri tum filijs Israel intulerunt, bella, Israelem non Syris, sed Syros Israeli magis imperasse declarant. Accidit autem Israelitis clades hæc, quòd pro omnipotente Deo ipsum Baal, Beelphegor, Beelsebub, Astaroth, Astarte, Moloch, Melchom, Chamos, vitulos aureos, aliaq; gentium colerent idola, eaq; Deo optimo maximo præferrent. Hanc enim ob causam sæpè & ipsi inferiores famulos, promissionis iure sibi subditos, rebelles sentire debuerunt, & à Chananæis, Philisthæis, Moabitis, Madianitis, Amalecitis, Ammonitis, Syris, Assyrijs, Babylonijs & Chaldæis superari, subigi, atque eis sub tributi ac captiuitatis iugo seruire, ac iustè, quæ ipsis fuerant promissa, perdere meruerunt. Incredulitatis ergo vitio adscribendum est, quòd non diutiùs has terras Israël possederit. Neque enim sponsor in crimine est, si ille cui repromittitur indignum se fecerit sponsione, præsertim cùm proponatur optio promittentis. Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis; sin autem nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Eliguntur ergo præsentia, nec statim qui eligitur tentari non potest, nec perire: quia & Saul electus in Regem, & Iudas in Apostolum, suo posteà vitio corruerunt.* Et mihi, inquit idem Auctor, *in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ Instrumentum vetus omnino non nominat, sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me qui promissum accipere non merui. Vbi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, frustrà cupias quod promissum est.* Hactenus Hieronymus.

CAPVT CVI.

De Mesopotamiâ & paradiso.

Nonnullam hîc mentionem meretur Mesopotamia. Regio quondam connumerata fuit Syriæ, sicut & Armenia, nam omnes istæ terræ Hebraicâ voce ארם fuerunt dictæ; vnde nata quoque fuit vox Armeniæ pro *Aramiæ*. Factum est tamen discrimen apud Hebræos in multiplici illâ Aramiâ: nam eam partem quam Græci vocant Mesopotamiam, appellant *Aram naharaim*, id est Aramia duorum fluuiorum. Hi autem duo fluuij sunt Tigris & Euphrates, Tigris ab Oriente, & Euphrates ab Occidente: in medio eorum est Mesopotamia. est autem μέσος Græcis *medius*, & ποταμὸς *fluuius*. Vnde Tacitus: Præfectus campis, qui Euphrate & Tigride inclytis amnibus circumflui, Mesopotamiæ nomen acceperunt. Est deinde Aram Toba, Aram Hamath, Aram Damascena, &c. Est autem Mesopotamia fertilissima regio, præsertim eâ parte vbi alluitur Euphrate, qui annuâ inundatione superfunditur terris, vnde copia læti graminis prouenit, nutriunturque pecora innumera. Vnde Gen. 24. legimus, quòd cùm seruus Abraham venisset in Mesopotamiam, procuraturus filio domini sui vxorem, occurrerit illi Rebecca, & inuitauerit

uerit eum in domum patris sui, dicens: *Palearum & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum*, &c. Habet etiam hæc regio plantas quasdam perpetuò florentes. Producit & aromata quædam, & prætereà picem quamdam mollem, naphtham nomine, quam aiũt ardere instar olei. Plinio regio ista fecundissima est iuxta Tigridem fluuium circum Seleuciam ciuitatem, vbi inculti agri quinquagesimum, culti autem centesimum reddunt fructum. Interiora verò regionis aspera sunt & sterilia, laborantque magnâ penuriâ aquarum. Vnde fit, vt sicubi fons aliquis inuentus fuerit, ille abscondatur ab incolis, ne hostibus innotescat. Id testatur quoque memoratum vigesimumquartum Geneseos caput, & item vigesimumnonum eiusdem. Huius regionis insigniores vrbes sunt Edessa, Charræ, & Nisibis. In Edessâ, quæ nunc Rase nuncupatur, regnasse dicitur tempore Christi Abagarus, qui datis ad Christum Iesum litteris, responsum meruit accipere. Porrò de Charris, quæ in Hebræo Haran appellatur Genes. 11. quomodo illuc ex Vr Chaldæorum demigrauerit Tarah cum filijs suis Abramo & Lot, &c. Nisibis verò non multum ab Haran distans, fuit olim magni nominis, dicta aliquãdo Antiochia, & aliquando Mygdonia ab interfluente Mygdone fluuio.

In finibus Mesopotamiæ creditur paradisum fuisse, vbi Tigris & Euphrates in vnum alueũ confluunt, & iterùm facto aquarum diuortio (est non longè à Babylone) abeunt in alueos peculiares, à quibus deinde alia duo flumina Phison & Gehon deriuantur: alterum enim Armeniam permeans Phison vocatur, cuius & meminit Ecclesiasticus c. 24. quod nomen etsi apud profanos scriptores ita expressum non reperiatur, extare tamen apud illos videtur nonnihil mutatũ. Nam Quintus Curtius lib. 5. testatur, Euphratem & Tigrim quodam loco ab accolis vocari Phasin. & Plinius lib. 6. cap. 21. tradit, Tigrim in duos scindi alueos, atque vbi remeauere, Pasitigrim appellari.

Porrò quæ sit terra Heuilath, quam circuire dicitur Phison, colligi potest ex Genesis 25. & 1. Reg. 15. Certè Strabo Geographus eam regionem collocat in confinibus Arabiæ & Mesopotamiæ. Ceterùm alter fluuius Arabiam desertam petit, & Gehon vocatur, cuius item meminit Ecclesiasticus dicto cap. 24. Dicitur autem is circumire omnem terram Æthiopiæ, non illius Africanæ, quam longissimis spatijs perluit Nilus, sed Asiaticæ, quæ vicina est Arabiæ & Mesopotamiæ. Esse enim Æthiopiam quamdam Palæstinæ vicinam, facile est ex sacris Litteris ostendere. Madianitæ enim vocantur Æthiopes Num. 12. Vnde & illud in Cantico Habacuc: *Vidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Quibus adde loca 2. Paralip. 14. & 21. & Psal. 71. & 86.

At obijcitur contra dictam sententiam de paradiso. Nam hinc sequeretur, inquiunt, paradisum illum iam non existere; loca enim illa & olim atque etiam nunc commercijs frequentantur, & nullum apparet ibi paradisi aut Cherubim ante illum positi vestigium. Porrò paradisum debere adhuc exstare, videtur docere Ecclesiasticus c. 44. vbi dicit Enoch translatum in paradisum. Atque idem de Eliâ similiter testantur multi Patres, Iustinus ad Orthodoxos quęst. 75. 76. & 85. Irenæus lib. 5. Aduersus hæreses, & Tertullianus in Apolog. Contra gentes. Verùm quod ad Scripturam Ecclesiastici attinet, in Græco codice non nominatur paradisus, imò nec additur locus aliquis in quem fuerit Enoch translatus. Vnde & S. Thomas de hac re agens, non simpliciter affirmat Enoch & Eliam degere in illo paradiso, sed ferè addit, *vt dicitur*, vel, *vt creditur*. Ad Iustini, Irenæi & Tertulliani sententias respondeo, eos quædam alia ijsdem locis adiungere, quæ Ecclesia non recipit, vt quòd in illum terrestrem paradisum ductus sit latro, quodque in eo demorentur omnes iustorum animæ vsque ad diem iudicij. Proinde non temerè nos facere, si etiam in hoc, quòd volunt paradisum adhuc existere, ab ijs recedamus. Asserunt quidem, vel potiùs referunt & alij Patres hanc sententiam, sicut & Scholastici plerique; sed nullo modo tamquam de fide. Optimè hæc disseruit Estius, & nos in nostrâ Curiosâ Philosophiâ de loco paradisi ampliùs nonnihil scripsimus.

CAPVT CVII.

De monte Sinai.

Sina, qui & Sinai dicitur, mons præclarus & sanctus (cuius pars quædam est Oreb, vnde legem datam nunc in Sinai, nunc in Oreb scriptum est) estq; rotundus, omnium in eâ regione celsissimus, & ascensu difficillimus, continet in altitudine graduum septem millia, demptis locis in quibus rectis passibus ascenditur, & non per gradus. Nomen accipit ab eo quòd rubis abundet, quemadmodum & herbis optimis ad pascua, &c. Fuerat iam olim inaccessus pastoribus, quòd vulgato rumore Numen illic habitare diceretur; ideoque tamquam religiosum magnâ cum reuerentiâ habebant. In huius montis vertice die quinquagesimo

 egres-

egressionis Israel de Ægypto Deus terribili igne & sonitu legem suam promulgauit Israelitis, eamque suo digito duabus tabulis lapideis inscriptam dedit Moysi, cùm ibi per quadraginta dies totidemque noctes ieiunasset, qui ob vitulum aureum ab Aarone conflatum, & ab Israelitis adoratum, tabulas ad radicem montis confregit & proiecit, vitulum contriuit, & reos occidit; atque rursum ascendens montem, vidit gloriam Dei transeuntem, & nouas tabulas Decalogi scriptas diuinitus à Deo accepit, quibuscum descendens, facie adeò resplenduit, vt filij Israel oculos in vultum eius intendere non valuerint: ideoque necessum fuerit, vt velamine tectus ita tandē populo loqueretur. Hîc commoratus est & sedit Israel toto anno & diebus quatuor, quo tempore construxit Moyses & dedicauit tabernaculum, Pontificem, Sacerdotes & Leuitas consecrauit, leges tulit quæ ad statum religionis & politicum spectabant, populum numerauit, castra disposuit. Media pars Exodi, totus Leuiticus liber, & principium Numerorum completi sunt in hac mansione. In huius montis summitate postea corpus S. Catharinæ ex Alexandriâ Ægypti ab Angelis delatum & sepultum est, ex cuius membris virgineis olei fluit vnda salubris. In Sinai Abbas fuit Io. Climacus tempore filiorum Constantini Magni. Trithemius in Climaco. Ad radices huius montis à Iustiniano Imperatore fundatum est monasterium S. Catharinæ Monachorum, estque vnum monasterium de Regulâ S. Basilij, vbi plusquam nouem millia descriptorum quiescunt corpora Monachorum. Habuit posterioribus temporibus, cùm Christiani ea loca possiderent, sedem Episcopalem, sed suffraganeam. Dictus hic mons Arabibus Agar aliquando, vt quibusdam placet, nunc verò Tur.

CAPVT CVIII.

De monte Oreb.

PRoximum est vt memoremus montem Oreb, montem sanctum, maiori commendatione, quàm naturâ nobilem, qui & Horeb Chorebque dicitur. Iugum est montis Sinai, atque inde vno nomine mons Dei appellatur, & scriptum est legem datam nunc in Sinai, nunc in Oreb: quidam verò existimant Orientalem istius montis partem dici Sinai, Occidentalem Oreb. Hieronymo autem videtur, quòd duplici nomine idem mons nunc Sina nunc Choreb vocetur; communior autem sententia est, montes illos inter se distinctos esse, sed radicitus cohærere: esse etiam Oreb multo inferiorem altitudine monte Sinai. Est autem ferax optimarum herbarum, ideoque pascuis valdè commodus. In huius montis pede Deus in rubo apparuit Moysi oues Iethro soceri pascenti, in rubo ardente, sed rubi frutice, ramis, frondibus & floribus incombustis. Accedere iussus eò Moyses venit, sed discalceatis pedibus. Huius petra virgâ Moysis percussa effudit sitienti populo flumen aquarum. In Oreb montis cacumine orante Moyse eleuatis manibus, Iosue debellauit Amalecitas, inque huius speluncâ, vt diximus, stans Elias vidit Deum in sibilo auræ tenuis.

CAPVT CIX.

De lapidibus montis Oreb.

ARbuscularum formis insigniti sunt lapides montis Oreb. Creditur esse mysterium eius loci, quo Deus Moysi in flammâ ignis de medio rubi ardentis apparuit.

CAPVT CX.

De Mari rubro.

NArrare etiam oportet beneuolum Hebræis pelagus. Mare rubrum Hebræi *Iamsuph*, Græci *Erythræum*, alij *Sinum Arabicum* seu *Persicum* vocant. Aqua est coloris rubei, quod tamen negat Ludouicus Romanus) tempestuosum mare, & magnorum animalium propter profunditatem capax. Huius aquis Dei virtute instar muri vtrimque diuisis, filij Israel, sexcenta scilicet virorum millia, absque mulieribus & paruulis & vulgo promiscuo innumerabili, per medium sicco pede transierunt, quò loci latitudo maris extendebat se ad sex milliaria: quos insequens eques Pharao cum suis Principibus, equitibus, sexcentis curribus, & selectissimo totius Ægypti exercitu, aquis ictu virgæ Moysi rursum confluentibus, omnes ad vnum submersi sunt, quos mortuos littori adnatantes Israelitæ armis & vestibus spoliarunt, lætique gratias Deo cum cantu in tympanis & choris peregerunt. Dictum fuit Hebræis *Iam suph*, id est mare caricosum, quòd in littore eius multæ crescant carices. Significat autem סוף *suph* finire, desinere; hinc סוף *suph* finis, & terminus, extremum siue vltimum.

Inde

Inde etiam סוף *suph* iuncus, iuncetum genus iunci siue caricis, quod sic vocatur eò quòd crescat in extremitate fluminis aut maris. Sumitur collectiuè pro ivnceto: ideò *Iam suph* quasi mare caricis appellatur, quòd eo iunci genere abundet. Vnde Herodotus lib. 2. tradit, Ægyptios ex iunco sua nauigia facere. Et quamuis propriè hæc vox Mare rubrum significet in sacris Litteris, aliquando tamen pro pelago maris profundo accipitur, vt Ionæ 2, 6. *Circumdederunt*, inquit, *me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.* vbi pro *pelago*, quod vertit Hieronymus, in Hebraico est סוף *suph.* Errant autem qui dicũt, Mare suph, id est rubrum, operuisse caput Ionæ. Nam Mare rubrum non coniungitur mari Ioppe, id est Mediterraneo, vt ipsi putant, est enim hoc alienum ab ipsâ Geographiâ, & à rerum experientiâ. Ideò D. Hieronymus non transtulit *Mare rubrum*, sed *pelagus operuit caput meum:* suph enim significat quoque pelagus, siue quodcumque mare profundum. Versabatur enim Ionas in mari Ioppe, id est Mediterraneo: in Ioppe namque conscendit nauem. Forsan Ionæ videbatur, ob frequentes carices quibus inuoluebatur, se versari in mari caricoso, & propterea Chaldæus Paraphrastes exponit, *Mare caricosum suspensum erat capiti meo.* Ideoque nonnulli exponunt locum hunc, *Iuncus alligatus est capiti meo*, siue *carectum.* Et quia suph algam quoque designat, posset verti *mare algosum.* est enim alga tenuis & oblonga, piscium capitibus sese inuoluens. Quare aliqui hunc reddunt sensum: *Alga alligata est capiti meo*, id est, piscis in quo sum, qui me absorbuit, cuius caput est sicut caput meum, dum in illius ventre sum, est quasi alga capiti meo obuoluta. Sed simplicior & verior sensus est quem adfert D. Hieronymus, vt pelagus profundum significet, quemadmodum obseruat Ludouicus Ballester. Ceterùm ruborem aquarum Maris rubri non ipsis inesse dicunt, nam in vase extractæ rubedine illâ carent: quare terræ illius color aut alia externa causa purpurat liquorem. Quidam id tribuunt coralliorum multitudini. Est etiam memorabile, quod Bredembachius narrat, prope Memphim esse lacum, qui singulis annis rubescat instar sanguinis. Aliud incertum, quod de portu Rubri maris ipse narrat, & Adrichomius repetit, ad Thor siue Thour, nominatissimum portum huius pelagi, naues applicare coniunctas clauis ligneis, non ferreis, propter scopulos magnetis, quos pertransire dicunt, & nos id negauimus lib. 5. Curiosæ Philosophiæ, vbi de magnete egimus.

CAPVT CXI.

De imagine Christi in Beryto.

NObiliorem Berytum fecit Saluatoris imago: quapropter meminisse eius oportet. Berytus à Gergesæo, quinto filio Chanaan eius conditore, olim Geris dicta creditur, & posteà Felix Iulia appellata fuit. Antiqua, insignis & robusta Phœniciæ vrbs est, quinque contra Aquilonem à Sidone, versus Austrum verò à Cane fluuio tribus milliaribus, alto munitoque in loco sita. Ab Occidente mari magno alluitur, ab Oriente autem Campestris illi adiacet regio, multis fructiferis arboribus, satis, siluis & vineis fertilis & amœna, quam fluuius quidam irrigans, iuxta vrbem in mare labitur. Vrbs hæc quondam Romanorum colonia & domicilium fuit, atque Augusti Cæs. beneficio singulari priuilegio Romanum ius ciuibus concessum erat. Quam priùs Herodes senior, & posteà Agrippa Rex templis, foris, porticibus, theatro, amphitheatro, balneis, alijsque magnificis ædificijs exornauerunt. Cùm Christianâ religione vigeret, Episcopali Cathedrâ decorata, Tyrensi Archiepiscopo parebat. In hac ciuitate stupendum illud accidit miraculum, quod circa Christi imaginem contigisse, grauissimi Scriptores referunt. Cùm enim perfidi Iudæi ligneam illam Domini nostri Iesu Christi casu ibi repertam iconem, quam Nicodemus olim proprijs suis composuerat manibus, illuderent, & post sputa, colaphos, flagra, omne denique iniuriarum & ignominiæ genus, quod ipsi Christo Saluatori nostro ipsorum patres intulerant, ferreis clauis imaginis manus pedesque, ac latus lanceâ foderent, continuò copiosi sanguinis & aquæ ex eâ riuuli emanauerunt, cuius vnctione cùm varij paralytici, cæci, claudi, surdi, muti, leprosi, alijque infirmi mox sanitati restituerentur, signis tam admirandis visis, omnes qui in ciuitate Iudæi erant fidem Christi amplectentes, ab eiusdem vrbis Episcopo Baptismi gratiam susceperunt. Idem autem sanguis, tum propter rei tam mirandæ celebrandam æternitatem, tum propter diuinam eius virtutem, in omni humanâ infirmitate curandâ sæpiùs expertam, multis sæculis,

culis, in varijs eius prouinciæ Ecclesijs venerationi habitus, conseruatus fuit. Extat adhuc de hoc miraculo sermo S. Athanasij Episcopi Alexandrini, qui in septimo generali Concilio, Nicæno II. Actione IV. ad confirmandam & stabiliendam sacrarum imaginum venerationem, coram trecentis quinquaginta Episcopis lectus est. Porrò Berytum in Sarracenorum potestatem delapsam anno Christi millesimo centesimo vndecimo, mense Aprili, Balduinus I. Ierosolymorum Rex terrâ & mari per duos continuos menses diu noctuque impugnans, assultibus armorum vi recuperauit. Sed anno salutis millesimo centesimo octuagesimo septimo à Saladino capta, rursum decimo pòst anno à Christianis recepta, sæpiusque tum à barbaris vicissim destructa & instaurata est. Nunc verò Barutus dicta, maximum & celeberrimum est emporium, & Syriæ portus. Hinc Berytia habetur vna hodie quoque nominatissima. Incolitur à Mahometanis.

CAPVT CXII.

De arbore hospitali B. Virginis.

RAdziuilius prodidit, medio milliari extra Cairum in Natareâ villâ esse domum antiquissimam, in quâ B. Virgo per annos septem cum Christo habitauerit. In muro eius adhuc visitur armarium longum & latum cubitum vnum, vbi B. Virgo Christum recondidit, sub quo est altare, vbi P. Franciscus Sassus Societatis nostræ sacrificauit præsente Radziuilo. Iactu lapidis ab illâ domo est ficus, dicta Pharaonis, ad cuius radices in ipso trunco est quasi conclaue quoddam miraculosè factum, cùm B. Virgo ad ipsam arborem assideret. Illa enim diffissa per totum ad radicem vsque, hanc illi mansiunculâ præbuit, donec Ioseph domum in villâ reperisset. Traditionem hanc ipsi Turcæ retinent, ideoque arborem venerantur, & lampades ibi accendunt.



INDEX

INDEX CAPITVM HISTORIÆ NATVRÆ MAXIME PEREGRINÆ.

LIBRI PRIMI.


CAPVT I. *Vsus, & voluptas, & dignitas Philosophiæ de Naturâ animatâ.* pag.1,a
CAP.II. *Quàm chara fuerit ista Philosophia Regibus & alijs magnis viris.* ibid.b
CAP.III. *Motus cælestes in animalibus inueniuntur.* 2,b
CAP.IV. *Præsagia ex animalibus.* 3,a
CAP.V. *Vtilitas ex animalibus.* ibid.b
CAP.VI. *Animalia in aëre genita.* 4,a
CAP.VII. *Meteora in animalibus generantur.* ibid.
CAP.VIII. *Celestes imagines in animalibus inueniuntur.* ibid.b
CAP.IX. *Præstat consideratio animalium contemplationi cæli.* 5,a
CAP.X. *Plantæ & mineralia in animalibus generantur.* ibid.b
CAP.XI. *Politica & Ethica ex animalibus.* 6,b
CAP.XII. *Medicinam docent animalia.* 7,b
CAP.XIII. *Diuersarum artium exempla in animalibus.* 8,a
CAP.XIV. *Quanti fecerint Aristoteles, Aelianus, & Oppianus contemplationem animalium.* 9,a
CAP.XV. *De fide admirabiliū naturæ.* ibid.b
CAP.XVI. *Admiratio non debet obstare veritati in effectibus naturæ.* 10,b
CAP.XVII. *Quid de Deo demonstretur ex naturâ animalium.* 11,a
CAP.XVIII. *De industrijs animalium.* ibid.b
CAP.XIX. *De structurâ animalium.* 12,b
CAP.XX. *Prouidentia Dei circa animalia. Agitur etiam de ocotochtli astutiâ.* 13,b
CAP.XXI. *Prouidentia circa homines per animalia.* 14,a
CAP.XXII. *Quomodo ex rebus naturalibus philosophandum sit de diuinis.* ibid.b
CAP.XXIII. *Ratio huius Historiæ.* 15,b

LIBRI II.

CAP.I. *De varietate animalium, & quid sit animal.* 17,a
CAP.II. *An mundus sit animal.* ibid.b
CAP.III. *An Angeli, plantæ & elementa sint animalia.* 18,b
CAP.IV. *An cæli sint animalia.* 19,a
CAP.V. *De motione cælorum.* 20,b
CAP.VI. *Non sunt duo motus in cælis.* 21,a
CAP.VII. *Primum mobile non potest rapere inferiores orbes.* ibid.b
CAP.VIII. *De Intelligentijs cælorum.* 22,a
CAP.IX. *Censura de opinantibus cælos animalia esse.* ibid.b
CAP.X. *Excluditur illa animalium differentia,* Aliud mortale, aliud immortale. 23,a
CAP.XI. *An cæli solidi sint.* ibid.b
CAP.XII. *Tres solùm sunt cæli.* 24,b
CAP.XIII. *An cæli corruptibiles sint.* 25,a
CAP.XIV. *An sint violentæ aquæ super cælos.* 26,a
CAP.XV. *Reijciuntur, qui Planetas & Cometas putarunt animalia.* ibid.b

LIBRI III.

CAP.I. *De gradu sensitiuæ substantiæ.* 28,a
CAP.II. *Quot sensus insint animalibus.* 29,a
CAP.III. *An sit gradus medius inter animalia & stirpes.* ibid.b
CAP.IV. *Quanta communio sit stirpium & animalium.* 31,a
CAP.V. *Plantæ quæ animalia generent.* 32,a
CAP.VI. *An planta borametz, seu agnifera, ad zoophyta spectet.* 34,a
CAP.VII. *An sint plantæ, quæ præter tactum alios sensus habeant.* 35,a
CAP.VIII. *An inter plantas & animalia mediam perfectionem obtineant cælestia corpora.* ibid. b
CAP.IX. *Quæ animalia præstent sensibus.* 36,b
CAP.X. *Quo fundamento antiqui aßignarint mentem animalibus.* 38,a
CAP.XI. *Ex calliditate animalium probatur, mentem aliquam ijs ineße.* 39,a
CAP.XII. *Ex sermone & sermonis intellectu.* ibid.
CAP.XIII. *Ex ludo & iocis.* 40,b
CAP.XIV. *Ex furore.* 41,a
CAP.XV. *Ex virtutibus.* ibid.
CAP.XVI. *De canibus ex Empirico.* ibid.
CAP.XVII. *Ex vitijs.* 42,b
CAP.XVIII. *Ex discretione.* ibid.
CAP.XIX. *Ex varijs actionibus.* 43,a
CAP. XX. *Sagacitas animalium sine ratione vindicatur.* ibid.b
CAP.XXI. *An disciplina sit brutis.* 45,b
CAP.XXII. *An sint in brutis affectus.* 46,a
CAP. XXIII. *An risus & fletus competat brutis.* ibid.b

CAP.

CAP. XXIV. *An soli equi lacrymas fundant.* 47,b
CAP. XXV. *Memoria quibus brutis insit.* ibid.
CAP. XXVI. *An libertas aut indifferentia aliqua brutis insit.* 48,a
CAP. XXVII. *Quomodo animalia præsentiant.* 49,a
CAP. XXVIII. *Quid sit instinctus animalium.* ibid.
CAP. XXIX. *Cur nullum animal præter hominem, cum intellectu sit.* ibid.b

LIBRI IV.

CAP. I. *An cælum sit causa aliquorum animalium.* 50,a
CAP. II. *Opiniones Gentium de animalium origine.* 51,b
CAP. III. *Fabularis origo animalium.* 52,b
CAP. IV. *De opinione Metempsychosis apud Indos, & eorumdem fabulis.* 54,a
CAP. V. *Mundi ortus.* ibid.b
CAP. VI. *Quænam fuerit materia mundi.* 55,b
CAP. VII. *Quâ facie chaos subsidebat.* 56,b
CAP. VIII. *An sol in die primo eductus.* 57, a
CAP. IX. *Distributio partium mundi.* ibid.b
CAP. X. *Occupatio partium vniuersi.* 58,a
CAP. XI. *Ad aliqua elementa spectare quæ inde non fuerunt.* ibid.b
CAP. XII. *Aër quos incolas habeat.* ibid.
CAP. XIII. *An aues ex aquâ eductæ fuerint.* 59,a
CAP. XIV. *Quomodo aues ex aquâ eductæ.* 60,a
CAP. XV. *Quod genus causæ aquæ præstiterint in piscium auiumq; productione primâ.* ibid.b
CAP. XVI. *An aër aliquid generet.* ibid.
CAP. XVII. *An ignis admittat aliqua viuentia.* 61,a
CAP. XVIII. *An in igne aliquod animal generetur.* ibid.b
CAP. XIX. *An ignea sit salamandra.* 62,b
CAP. XX. *An aliqua grandior bestia ignem toleret.* 63,a
CAP. XXI. *An in niue nascantur viuantq; aliqua animantia.* 64,a
CAP. XXII. *Quomodo è terrâ exorta primùm animalia.* ibid.
CAP. XXIII. *In quâ magnitudine animalia creata.* ibid.b
CAP. XXIV. *An initio creata multa animalia ex vnoquoque genere.* 65,a
CAP. XXV. *Quorumnam animalium erant tunicæ pelliceæ quibus indutus Adam.* ibid.b
CAP. XXVI. *Animalia carniuora & recenter creata quibus rebus vescerentur in arcâ Noë.* 66,a
CAP. XXVII. *An aliqua viuentia & marina animalia creata plura quàm bina ex eadem specie.* 67,a
CAP. XXVIII. *De piscibus vescentibus aurâ.* ibid.
CAP. XXIX. *An fuerint aliquarum specierum creata solùm singula animalia.* ibid.b
CAP. XXX. *An animalium ingenia mutata fuerint, & diuersa facta, quàm Deus illa creauerit.* 68,a
CAP. XXXI. *An rapacia, iracunda, exitialia & carniuora animalia à Deo in initio creata eodem ingenio.* ibid.b
CAP. XXXII. *An viperæ & serpentes venenum solùm post peccatum habeant.* 69,a
CAP. XXXIII. *Cur Deus venenata & noxia animalia fecerit.* ibid.
CAP. XXXIV. *An sit mutata animalium complexio & vitalis vis.* 70,b
CAP. XXXV. *An aliquorum animalium figura mutata.* ibid.
CAP. XXXVI. *Quæ species serpentis fuerit, quâ dæmon decepit Euam.* 71,a

LIBRI V.

CAP. I. *De animalibus noui orbis, quomodo illò transuecta, opiniones variæ.* 72,a
CAP. II. *Quomodo homines & animalia transuecta in nouum orbem.* ibid.b
CAP. III. *An aliqua animalia reproduxerit terra.* 74,b
CAP. IV. *De hominibus repertis quasi sponte subortis.* 75,a
CAP. V. *An homo sponte possit ab humo nasci.* ibid.
CAP. VI. *An humanus aliquis fœtus præterquam à femineâ vuluâ prodire possit.* 76,a
CAP. VII. *An ex semine non humano homo verus possit oriri.* ibid.b
CAP. VIII. *An Centauri fuerint.* ibid.
CAP. IX. *An Satyri omnino sint commentitij.* 77,b
CAP. X. *An Isaias Propheta Satyros fuisse agnouerit.* 78,a
CAP. XI. *An Nereides & Nymphæ extiterint.* 79,a
CAP. XII. *An Sirenes sint.* ibid.b
CAP. XIII. *Quid Isaias Propheta per Sirenes intellexerit.* ibid.
CAP. XIV. *An Tritones fuerint.* 81,a
CAP. XV. *An homines cynocephali fuerint.* 82,a
CAP. XVI. *An Pygmæi fuerint.* 83,b
CAP. XVII. *De pugnâ Pygmæorum cum auibus.* 85,a
CAP. XVIII. *An Propheta Ezechiel nouerit Pygmæos.* ibid.b
CAP. XIX. *An animalia perfecta sponte nasci possint.* 86,b
CAP. XX. *An animalia, quæ sponte nascuntur, produxerit Deus in creatione primâ rerum.* 87,a
CAP. XXI. *An adulterinæ naturæ à Deo conditæ in primâ productione.* 88,a

CAP.

CAP.XXII. *An gryphes verè fuerint.* 89,a
CAP.XXIII. *An gryphes fuerint in Americâ.* 90,b
CAP.XXIV. *De adulterinis animalibus, seu bigeneribus.* ibid.
CAP.XXV. *An aliquæ naturæ nec ne fuerint post peccatum Adami, quæ non fuissent si non fuisset lapsus.* 91,a
CAP.XXVI. *An aliqua animalia exotica Americæ & insularum remotissimarum post primam productionem enata fuerint.* ibid.b
CAP.XXVII. *An in Americâ fuerint in principio mundi formata animalia quæ ibi inueniuntur.* ibid.
CAP.XXVIII. *In quibus regionibus animalia generentur.* ibid.
CAP.XXIX. *De regionibus exitialibus.* 92,b

LIBRI VI.

CAP.I. *De progeneratione animalium.* 93,a
CAP.II. *De conceptu animalium.* 94,a
CAP.III. *De fœturâ animalium.* ibid.
CAP.IV. *De fœtu.* ibid.b
CAP.V. *De partu.* ibid.
CAP.VI. *De propagine animalium per coitum sine decisione seminis.* 95,a
CAP.VII. *De propagine & fecunditate animalium sine coitu, nec vi masculinâ.* ibid.b
CAP.VIII. *De spontaneâ genesi animalium.* 96,a
CAP.IX. *Ex animalibus viuis sponte nascuntur alia animalia.* ibid.
CAP.X. *Ex animalibus mortuis alia animalia renascuntur.* ibid.b
CAP.XI. *Ex plantis animalia.* 97,b
CAP.XII. *De blantis.* ibid.a
CAP.XIII. *In mineralibus animalia.* 99,a
CAP.XIV. *Ex varijs rebus animalia genita.* ibid.
CAP.XV. *Ex elementis animalia.* ibid.
CAP. XVI. *De generatione per diuisionem.* 100,a
CAP.XVII. *De generatione per fauaginem.* ibid.
CAP.XVIII. *De generatione per degenerationem.* ibid.b
CAP.XIX. *De generatione zoophytorum seu plant-animalium.* ibid.
CAP.XX. *De generatione basilisci.* 101,a
CAP. XXI. *De generatione plantarum.* 103,b
CAP.XXII. *De causis cur plantæ generentur dissimiles & diuersæ.* 104,a
CAP.XXIII. *Quomodo diuersæ generentur plantæ ratione soli.* 105,a
CAP. XXIV. *Quomodo generentur plantæ diuersæ ratione culturæ, & de erroribus descriptionum.* 107,a
CAP.XXV. *De artificiosâ arborum generatione.* ibid.b
CAP.XXVI. *Mira inserendi industria.* 108,b
CAP.XXVII. *De generatione mineralium, an seri possent.* 109,a

LIBRI VII.

CAP.I. *De formâ animalium, & generibus diuersis.* 110,a
CAP.II. *De partibus animalium externis, de capite & cornibus.* ibid.b
CAP.III. *De capite & sensibus.* 111,b
CAP.IV. *De collo.* 112,b
CAP.V. *De mammis.* ibid.
CAP.VI. *De dorso.* 113,a
CAP.VII. *De lumbis, testibus & cruribus.* ibid.
CAP.VIII. *De genitalibus.* ibid.
CAP.IX. *De genubus.* ibid.b
CAP.X. *De pedibus & vnguibus.* ibid.
CAP.XI. *De caudâ.* 114,a
CAP.XII. *De tegumento.* ibid.b
CAP.XIII. *De pilis.* ibid.
CAP.XIV. *De colore.* 115,a
CAP.XV. *De oculorum colore.* ibid.b
CAP.XVI. *De carne.* 116,a
CAP.XVII. *De qualitatibus carnium.* ibid.
CAP.XVIII. *De carnibus volucrum.* ibid.b
CAP.XIX. *De carnibus piscium.* ibid.
CAP.XX. *De adipe.* 117,a
CAP.XXI. *De sanguine.* ibid.
CAP.XXII. *De lacte.* ibid.
CAP.XXIII. *De ossibus.* ibid.b
CAP.XXIV. *De medullâ.* ibid.
CAP.XXV. *De cerebro.* ibid.
CAP.XXVI. *De corde.* ibid.
CAP.XXVII. *De iecore.* ibid.
CAP.XXVIII. *De felle.* 118,a
CAP.XXIX. *De pulmone.* ibid.
CAP.XXX. *De stomacho.* ibid.
CAP.XXXI. *De extis.* ibid.
CAP.XXXII. *De intestinis.* ibid.b
CAP.XXXIII. *De ventre.* ibid.
CAP.XXXIV. *De liene.* ibid.
CAP.XXXV. *De coagulo.* 119,a
CAP.XXXVI. *De renibus.* ibid.
CAP.XXXVII. *De vesicâ.* ibid.
CAP.XXXVIII. *De excrementis.* ibid.
CAP.XXXIX. *De magnitudine.* ibid.
CAP.XL. *De motu.* ibid.b
CAP.XLI. *De temperamento.* 120,a
CAP.XLII. *De odore.* ibid.
CAP.XLIII. *De alijs qualitatibus.* ibid.
CAP.XLIV. *De voce.* ibid.b
CAP.XLV. *De cibo.* 121,a
CAP.XLVI. *De potu.* ibid.b
CAP.XLVII. *De morbis.* 122,a
CAP.XLVIII. *De remedijs.* ibid.
CAP.XLIX. *Cur animalia ægrotent.* ibid.b
CAP.L. *De vitâ.* 123,a
CAP.LI. *De somno.* ibid.b
CAP.LII. *De respiratione.* ibid.
CAP.LIII. *De ingenio.* ibid.

Cap.liv. *De industrijs.* 124,a
Cap.lv. *De disciplinâ.* ibid.b
Cap.lvi. *De stratagematibus.* ibid.
Cap.lvii. *De præsagio.* 125,a
Cap.lviii. *De conditionibus & affectibus.* ibid.b
Cap.lix. *De fine.* 126,a
Cap.lx. *De eruditione ex brutis.* ibid.
Cap.lxi. *De vsu animalium in alimento.* ibid.b
Cap.lxii. *De vestitu.* 127,a
Cap.lxiii. *De seruitio.* ibid.
Cap.lxiv. *De medicamentis.* ibid.
Cap.lxv. *De generibus plantarum.* ibid.b
Cap.lxvi. *De partibus plantarum.* 128,b
Cap.lxvii. *Arborum dissectio.* 130,b
Cap.lxviii. *An partibus heterogeneis constent mineralia.* 131,b

LIBRI VIII.

Cap.i. *De varijs hominum figuris.* 132,a
C.ii. *De varijs monstrorũ nationibus.* 133,a
Cap.iii. *De insulanis meridionalibus.* 135,a
Cap.iv. *De hominibus caudatis* ibid.
Cap.v. *De Amazonibus.* ibid.b
Cap.vi. *De hermaphroditis.* 136,a
Cap.vii. *De Penecaijs & feminis Arupinus.* ibid.
Cap.viii. *De longæuis.* ibid.
Cap.ix. *De repuerascentibus.* ibid.b
Cap.x. *De anthropophagis.* ibid.
Cap.xi. *Leges politicæ aliquorum Barbarorum.* 137,a
Cap.xii. *Mores nonnullarum Gentiũ.* ibid.b
Cap.xiii. *Religio Peruanorum.* 138,a
Cap.xiv. *De superstitione Congianorũ.* ibid.b
Cap.xv. *De scientiâ & Astrologiâ Ingarum.* 139,a
Cap.xvi. *Admiranda.* ibid.b
Cap. xvii. *De Sacerdotibus Tibetensium.* 140,b
Cap.xviii. *Pudor & charitas adumbrata in Cuianorum superstitionibus.* 141,a
Cap.xix. *A quibus Pilatus adoretur. Castitas dæmonibus iactata. Vis ligni sanctæ Crucis.* ibid.
Cap.xx. *De ventriloquâ feminâ, & fulmine adorato.* ibid.b
Cap.xxi. *Qui alantur viperis, & pictis contenti vestibus nudi incedãt: & alia de Guaycuris.* ibid.
Cap.xxii. *De septuaginta & octo partibus maximi templi Mexicani.* 142,a
Cap.xxiii. *De cærimonijs Mexicanorũ.* 146,a
Cap.xxiv. *De effusione sanguinis superstitiosâ.* ibid.b
Cap.xxv. *De varijs superstitionibus.* 147,a
Cap.xxvi. *De ministris deorum.* 148,a
Cap.xxvii. *De votis, iuramentis, & nuptijs.* 150,a
Cap.xxviii. *De noui Mexici moribus.* ibid.b
Cap.xxix. *De fortitudine Christianâ.* ibid.
Cap.xxx. *De virtute Christianâ Indi cuiusdam.* 151,b

LIBRI IX.

Cap.i. *De pinuum dasypode, siue ocotochtlo.* 153,a
Cap.ii. *De animalibus spinosis.* 154,a
Cap.iii. *De animali Sionio siue Cabim.* 155,b
Cap.iv. *De animalibus manticatis, siue tlaquatzinis.* 156,a
Cap.v. *De animali caudimano seu coyopollin.* 158,a
Cap.vi. *De animalibus loricatis.* 159,a
Cap.vii. *De dasypodibus Nouæ Hispaniæ.* 161
Cap.viii. *De leporibus Indicis.* ibid.b
Cap.ix. *De viscachis.* ibid.a
Cap.x. *De vulpibus Indicis.* 162,a
Cap.xi. *De animali rotundæ faciei.* 163,b
Ca.xii. *De animali anonymo.* ibid.
Cap.xiii. *De animali Pigritiâ siue Haut.* 164,a
Cap.xiv. *De quadrupede candenti.* 166,a
Cap.xv. *De tigribus Indiarum.* ibid.b
Cap.xvi. *De tigridibus Bambæ.* 167,b
Cap.xvii. *De zebrâ.* 168,a
Cap.xviii. *De dante Africano.* ibid.b
Cap.xix. *De empalangâ.* ibid.
Cap.xx. *De lupis Bambæ.* ibid.
Cap.xxi. *De leonibus Indicis.* 169,a
Cap.xxii. *De leonibus exiguis.* ibid.
Cap.xxiii. *De leone albo.* ibid.
Cap.xxiv. *De animalibus leoni affinibus.* ibid.b
Cap.xxv. *De grato leonis animo.* ibid.
Cap.xxvi. *De zainis & apris Indicis.* 170,a
Cap.xxvii. *De suibus Indicis.* 171,a
Cap.xxviii. *De vrsis Indicis.* ibid.b
Cap.xxix. *De vnicornibus Indiæ Occidentalis.* ibid.
Cap.xxx. *De fele siluestri.* ibid.
Cap.xxxi. *De mustelâ siluestri.* ibid.
Cap.xxxii. *De mustelâ Libycâ.* 172,a
Cap.xxxiii. *De vulpeculis Chiappæ.* ibid.b
Cap.xxxiv. *De sciuris Indicis.* ibid.
Cap.xxxv. *De pecuris.* 173,b
Cap.xxxvi. *De canibus Indicis.* ibid.
Cap.xxxvii. *De cane montano.* 174,a
Cap.xxxviii. *De canibus ferocibus.* ibid.
Cap.xxxix. *De canibus ingentibus.* ibid.b
Cap.xl. *Miranda de canibus.* 175,a
Cap.xli. *De animali canicidâ.* ibid.b
Cap.xlii. *De animali Mapach.* ibid.a
Cap.xliii. *De mole montano.* 176,b
Cap.xliv. *De cercopithecis.* 177,b
Cap.xlv. *De baribus.* 179,b
Cap.xlvi. *De simio albo.* 180,a
Cap.xlvii. *De animali maripeto.* ibid.
Cap.xlviii. *De ciacali.* ibid.b

CAP.XLIX. *De lupis Indicis.* ibid.
CAP.L. *De animali necrophago, siue iesét, seu hyænâ.* 181,b
CAP.LI. *De tauris noui orbis.* 182,a
CAP.LII. *De alijs peregrinis vaccis.* ibid.b
CAP.LIII. *De equis & ouibus Indicis.* ibid.a
CAP.LIV. *De pecoribus Libyæ, seu adim main.* 183,a
CAP.LV. *De equis viridium iubarum.* 184,a
CAP.LVI. *De animali moschifero.* ibid.
CAP.LVII. *De ceruis.* ibid.
CAP.LVIII. *De venatione ceruorum.* ibid.b
CAP.LIX. *De vicunis.* ibid.
CAP.LX. *De lapide bezar.* 185,a
CAP.LXI. *De lapide bezar simiarum.* 186,b
CAP.LXII. *De lapide histricis seu Malacensi.* ibid.
CAP.LXIII. *De huenacu.* 187,a
CAP.LXIV. *De tarugis.* ibid.
CAP.LXV. *De dantis.* ibid.
CAP.LXVI. *De capris Abyßinis.* ibid.b
CAP.LXVII. *De capris cymatilibus.* ibid.
CAP.LXVIII. *De capro lactante hædos.* 188,a
CAP.LXIX. *De roßomakâ.* ibid.
CAP.LXX. *De cynodetico siue itzcuintecuani.* ibid.b
CAP.LXXI. *De cappâ.* ibid.
CAP.LXXII. *De eiulatore.* ibid.
CAP.LXXIII. *De animali quodam piloso.* 189,a
CAP.LXXIV. *De su animali.* ibid.
CAP.LXXV. *De glire Chiappæ.* ibid.b
CAP.LXXVI. *De peuâ.* ibid.
CAP.LXXVII. *De catis.* 190,a
CAP.LXXVIII. *De muribus.* ibid.
CAP.LXXIX. *De animali sicco.* ibid.
CAP.LXXX. *De fœtido animali.* ibid.
CAP.LXXXI. *De myrmecophago, siue tamendoâ.* ibid.b
CAP.LXXXII. *De graffâ.* 191,a
CAP.LXXXIII. *De snack.* ibid.
CAP.LXXXIV. *De elephante.* ibid.
CAP.LXXXV. *Historia Garziæ ortæ de elephantis.* 192,a
CAP.LXXXVI. *Narratio Eduardi Lopez de elephantis.* 194,a
CAP.LXXXVII. *Narratio Cadamusti de elephantis.* 195,b
CAP.LXXXVIII. *Narratio Ioannis Hugonis de elephantis.* 196,b
CAP.LXXXIX. *De armaturâ elephantorum ex Iarrico.* 199,a
CAP.XC. *De venatione elephantorum.* ibid.b
CAP.XCI. *Alius elephantos venandi modus.* 200,a
CAP.XCII. *De fide elephantis Regis in Auuâ.* ibid.
CAP.XCIII. *De caoch.* ibid.b
CAP.XCIV. *De cane quodam Vlyßiponis.* ibid.
CAP.XCV. *Miranda animalium obsequia.* 202,a
CAP.XCVI. *De dominio in animalia S. Patris Iosephi Anchietæ, ex Societate Iesu.* 203,b

LIBRI X.

CAP.I. *De aue variâ.* 206,a
CAP.II. *De Magellanicâ aue.* ibid.b
CAP.III. *De lepore aqueo.* 207,a
CAP.IV. *De paßere stulto.* ibid.b
CAP.V. *De aue ouimagnâ.* ibid.
CAP.VI. *De aue cornipetâ.* 208,a
CAP.VII. *De maiâ.* ibid.b
CAP.VIII. *De paßere longirostro.* ibid.a
CAP.IX. *De alterâ xochitenacatl.* 209,a
CAP.X. *De aue caudatâ.* ibid.
CAP.XI. *De aliâ xochitenacatl.* ibid.
CAP.XII. *De momot.* ibid.b
CAP.XIII. *De manucodiatâ.* 210,a
CAP.XIV. *De aue verminosâ seu tuputâ.* 213,b
CAP.XV. *De Mozambicanis gallinis.* 214,a
CAP.XVI. *De aue cornutâ.* ibid.
CAP.XVII. *De aue ridibundâ.* ibid.
CAP.XVIII. *De luscinijs.* ibid.b
CAP.XIX. *De gallis.* ibid.
CAP.XX. *De aue barbatâ seu tentzon tocotl.* ibid.
CAP.XXI. *De aue viuiuorâ.* ibid.
CAP.XXII. *De coturnice aquaticâ.* ibid.
CAP.XXIII. *De coruo.* ibid.
CAP.XXIV. *De coruo aquatico.* 215,a
CAP.XXV. *De anatibus cornicinibus.* ibid.b
CAP.XXVI. *De auibus non consistentibus.* ibid.
CAP.XXVII. *De mergo Americano & Arctico.* 216,a
CAP.XXVIII. *De quachiltone.* 217,a
CAP.XXIX. *De aue latirostrâ.* ibid.
CAP.XXX. *De aquilâ cristatâ.* ibid.
CAP.XXXI. *De aquilâ virgæ.* ibid.b
CAP.XXXII. *De struthione.* ibid.
CAP.XXXIII. *De emeu.* 218,a
CAP.XXXIV. *De tritono aue.* 220,a
CAP.XXXV. *De paßere aquatico.* ibid.
CAP.XXXVI. *De aue raucâ.* ibid.
CAP.XXXVII. *De hoactzin.* ibid.b
CAP.XXXVIII. *De rabihorcado.* 221,a
CAP.XXXIX. *De aue auritâ.* ibid.
CAP.XL. *De bubone oculauro.* ibid.
CAP.XLI. *De auiculâ floridâ.* ibid.b
CAP.XLII. *De xomotl.* ibid.
CAP.XLIII. *De aue caluâ.* ibid.
CAP.XLIV. *De aue pulchrâ.* 222,a
CAP.XLV. *De aue siccâ.* ibid.
CAP.XLVI. *De aue venti.* ibid.
CAP.XLVII. *De auibus torquatis.* ibid.b
CAP.XLVIII. *De pico salutifero.* 223,a
CAP.XLIX. *De pico imbrifœto.* ibid.

Cap.L. *De pico Martio.* ibid.b
Cap.LI. *De accipitribus Chiappæ.* ibid.
Cap.LII. *De alcatrazl.* ibid.
Cap.LIII. *De kiczoth.* ibid.
Cap.LIV. *De coruo Sinarum marino.* 224,a
Cap.LV. *De auris.* ibid.b
Cap.LVI. *De reginâ aurarum.* ibid.
Cap.LVII. *De garaguy.* 225,a
Cap.LVIII. *De hoacton.* ibid.
Cap.LIX. *De petrophænico Indiarum.* ibid.
Cap.LX. *De psittacis.* ibid.b
Ca.LXI. *Narratio Anonymi de psittacis.* 226,a
Cap.LXII. *Narratio Clusij de psittacis.* ibid.
Cap.LXIII. *De ingenio psittacorum.* 229,a
Cap. LXIV. *De noyrâ.* ibid b
Cap.LXV. *De auibus pennipulchris.* ibid.
Cap.LXVI. *De turdis Chiappæ, & passeribus fabris.* 230,b
Cap.LXVII. *De rhinocerote aue.* ibid.
Cap.LXVIII. *De aue montanâ.* 231,a
Cap.LXIX. *De aue longâ, seu hoitlallotl.* ibid.
Cap.LXX. *De turture Indicâ seu cocotzin.* ibid.b
Cap.LXXI. *De cygno cuculato.* 232,a
Cap.LXXII. *De coturnicibus Indicis.* ibid.
Cap.LXXIII. *De aue niueâ siue ceoan.* 233,b
Cap.LXXIV. *De aue euocatrice niuis.* ibid.
Cap.LXXV. *De pauxi.* ibid.
Cap.LXXVI. *De picicitli.* 234,a
Cap.LXXVII. *De aue polyglottâ.* ibid.
Cap.LXXVIII. *De noctuâ canorâ.* ibid.b
Cap.LXXIX. *De aquilis albis, & venatione gemmarum.* ibid.
Cap.LXXX. *De seyserach.* 235,b
Cap.LXXXI. *De tetraone.* ibid.a
Cap.LXXXII. *De vulture aquatico seu tetetzauhqui.* 236,a
Cap.LXXXIII. *De auibus Farrensibus.* ibid.b
Cap.LXXXIV. *De skuâ.* 237,b
Cap.LXXXV. *De auibus Chagrinis.* 238,a
Cap.LXXXVI. *De perdicibus magnis.* ibid.b
Cap.LXXXVII. *De auibus ingentibus.* ibid.
Cap.LXXXVIII. *De auibus paruulis.* 239,b
Cap.LXXXIX. *De stercore auium.* 240,b
Cap.XC. *De puteo Comitlan.* 241,a
Cap.XCI. *De superstitione in esu.* ibid.
Cap.XCII. *De ouis peregrinis.* ibid.
Cap.XCIII. *De vespertilionibus Indiæ Occidentalis.* ibid.
Cap.XCIV. *De vespertilionibus Orientalibus.* 242,b
Cap.XCV. *De vespertilionibus Hispaniæ.* ibid.
Cap.XCVI. *De nagualibus.* ibid.
Cap.XCVII. *De piscatione auium.* ibid.
Cap. XCVIII. *Facetum aucupij genus.* 243,a
Cap.XCIX. *De vigiliâ & custodiâ anserum.* ibid.b

LIBRI XI.

Cap.I. *De tritonibus.* 244,a
Cap.II. *De hydrâ.* ibid.b
C.III. *Quodnã animal fuerit behemoth.* ibid.
Cap.IV. *De pisce remoranti.* 245,b
Cap.V. *De pisce Goënsi.* 246,a
Cap.VI. *De achkaro.* ibid.b
Cap.VII. *De schaubhut.* 247,a
Cap.VIII. *De lupis & canibus marinis.* ibid.
Cap.IX. *De manati.* ibid.
Cap.X. *De hicoteis & ouis testudinum.* 249,a
Cap.XI. *De anguillis arenæ.* ibid.
Cap.XII. *De xaybis.* ibid.
Cap.XIII. *De pisce ludicro, siue axolotl.* ibid.b
Cap.XIV. *De pustâ pisciculorũ genere.* ibid.
Cap.XV. *De catan pisce.* ibid.
Cap.XVI. *De conchâ nigrâ.* 250,a
Cap.XVII. *De cancris Orientalibus.* ibid.b
Cap.XVIII. *De reuerso siue gaicano.* ibid.a
Cap.XIX. *De pisce romerreo.* 251,b
Cap.XX. *De tiburone.* 252,a
Cap.XXI. *De galei quodam genere.* ibid.b
Cap.XXII. *De generibus lutrarum.* 253,b
Cap.XXIII. *De cattiuari.* 254,a
Cap.XXIV. *De pisce tauriforme.* ibid.
Cap.XXV. *De pisce gibboso.* ibid.
Cap.XXVI. *De pisce tereti.* ibid.b
Cap.XXVII. *De pisce serrâ.* ibid.
Cap. XXVIII. *De aurato pisce.* 255,b
Cap.XXIX. *De rubetis lactifluis.* 256,a
Cap.XXX. *De conchis.* ibid.
Cap.XXXI. *De conchâ muscosâ.* ibid.
Cap.XXXII. *De brage.* ibid.
Cap.XXXIII. *De pisce Metensi.* ibid.b
Cap.XXXIV. *De lumbricis.* ibid.
Cap.XXXV. *De pisce volucri.* ibid.
Cap.XXXVI. *De seecanauc.* ibid.
Cap.XXXVII. *De morss pisce.* 257,a
Cap.XXXVIII. *De piscibus subterraneis.* ibid.
Cap.XXXIX. *De muscâ palustri.* ibid.
Cap.XL. *De ouis muscarum.* ibid.b
Cap.XLI. *De ouis piscium.* ibid.
Cap.XLII. *De cicadâ lacustri.* 258,a
Cap.XLIII. *De scarabæo lacustri.* ibid.
Cap.XLIV. *De atopinam.* ibid.
Cap.XLV. *De gerynis edulibus, siue atolocatl.* ibid.b
Cap.XLVI. *De ranis magnis.* ibid.
Cap.XLVII. *De vermiculis candidis, siue oculiztac.* ibid.
Cap.XLVIII. *De cœno eduli, siue cocolin.* ibid.
Cap.XLIX. *De simijs fluuialibus.* ibid.
Cap.L. *De bonitâ.* 259,a
Cap.LI. *De albacorâ.* ibid.
Cap.LII. *De suibus marinis.* ibid.
Cap.LIII. *De requienibus.* 260,a
Cap.LIV. *De magnis testudinibus.* ibid.
Cap. LV. *De ambizâ seu porco aquatili.* ibid.b

CAP.LVI. *De aliquibus piscationibus.* ibid.
CAP.LVII. *De piscatione taclarum.* 261,a
CAP.LVIII. *De piscationibus alijs Ternatensium.* ibid.b
CAP.LIX. *De balænis pugnacibus.* ibid.
CAP.LX. *De piscatione balænarum.* 262,a
CAP.LXI. *De aquatilibus ingentibus.* 263,a
CAP.LXII. *De pisce mulari.* 265,a
CAP.LXIII. *De cancris maximis.* ibid.b
CAP.LXIV. *De conchylijs.* ibid.
CAP.LXV. *De piscatione conchyliorum.* 266,b
CAP.LXVI. *De ostreis magnis.* 267,b

LIBRI XII.

CAP.I. *De dominâ serpentum.* 268,a
CAP.II. *De hæmorrhoo Indico.* 269,b
CAP.III. *De aliquibus viperis Chiappæ.* ibid.
CAP.IV. *De serpente armato.* 270,a
CAP.V. *De caymane seu crocodilo.* ibid.
CAP.VI. *De iguanis.* 271,a
CAP.VII. *De serpēte aquatili siue acoatl.* 272,b
CAP.VIII. *De matre formicarum, siue tzicatlinan.* ibid.a
C.IX. *De angue ceruino, siue macacoatl.* 273,a
CAP.X. *De amphisbænis.* ibid.
CAP.XI. *De aguasen.* ibid.b
CAP.XII. *De oto.* 274,a
CAP.XIII. *De dopone.* ibid.
CAP.XIV. *De attaligato.* ibid.
CAP.XV. *De angue venti.* ibid.
CAP.XVI. *De angue laqueo.* ibid.b
CAP.XVII. *De angue stupido, siue canaugcoatl.* ibid.
CAP.XVIII. *De bitin serpente.* 275,a
CAP.XIX. *De lacertis Indicis.* ibid.
CAP.XX. *De monoxilo mucronato.* ibid.b
CAP.XXI. *De tapayaxin.* 276,a
CAP.XXII. *De cuti.* ibid.b
CAP.XXIII. *De taletec.* ibid.
CAP.XXIV. *De zaro coloti genere.* ibid.
CAP.XXV. *De lacertâ soporiferâ.* ibid.
CAP.XXVI. *De cantore lacertâ.* 277,a
CAP.XXVII. *De bufone Indico.* ibid.
CAP.XXVIII. *De rubetis siue tamacolin.* ibid.
CAP.XXIX. *De serpente raro.* ibid.b
CAP.XXX. *De serpente oculipeto.* ibid.
CA.XXXI. *De ignitis serpētibus, seu tleoâ.* ibid.
CAP.XXXII. *De serpētibus sanguineis.* 278,a
CAP.XXXIII. *Qui fuerint igniti serpentes Scripturæ.* ibid.
CAP.XXXIV. *De morbo vermium.* 280,a
CAP.XXXV. *De tetzauhcoatl.* 282,a
CAP.XXXVI. *De alatis serpentibus.* ibid.
CAP.XXXVII. *De dracone bipede.* ibid.
CAP.XXXVIII. *De serpentibus Bambæ.* ibid.
CAP.XXXIX. *De serpentibus medicinalibus.* ibid.b
CAP.XL. *De serpentibus mansuefactis.* 283,a
CAP.XLI. *De serpenti forti.* ibid.
CAP.XLII. *De animalibus insulæ Iāboli.* ibid.b
CAP.XLIII. *De serpentibus Senegæ & incantationibus serpentum.* ibid.
CAP.XLIV. *De anguibus maripetis.* 284,a
CAP.XLV. *De apachycoatl.* ibid.b
CAP.XLVI. *De tzinhuitzli.* ibid.
CAP.XLVII. *De yzhunperkin.* ibid.
CAP.XLVIII. *De polpoch.* 285,a
CAP.XLIX. *De kokob serpentis genere.* ibid.b

LIBRI XIII.

CAP.I. *De apibus.* 286,a
CAP.II. *De scorpionibus Guatimalicis.* 287,a
CAP.III. *De cucuijs.* ibid.
CAP.IV. *De gryllis.* 288,b
CAP.V. *De araneis.* ibid.
CAP.VI. *De vermibus montanis.* ibid.
CAP.VII. *De alijs vermibus Chiappæ.* ibid.
CAP.VIII. *De miguis.* 289,a
CAP.IX. *De yetin.* ibid.
CAP.X. *De culicibus paruulis.* ibid.
CAP.XI. *De axin, quæ pinguedo quædam vermium est.* ibid.
CAP.XII. *De tetlatocâ.* ibid.b
CAP.XIII. *De formicis.* ibid.
CAP.XIV. *De tomictli.* 290,a
CAP.XV. *De hocitexcâ.* ibid.
CAP.XVI. *De verme cornuto.* ibid.
CAP.XVII. *De igneo verme, siue teocuilin.* ibid.b
CAP.XVIII. *De pollin.* ibid.
CAP.XIX. *De hirudine tenui.* ibid.
CAP.XX. *De scarabæis Indicis.* ibid.
CAP.XXI. *De marsupio terrestri.* ibid.
CAP.XXII. *De coyayahoal.* 291,a
CAP.XXIII. *De tenamaznanapaloâ.* ibid.
CAP.XXIV. *De araneo aureo.* ibid.
CAP.XXV. *De acotatl.* ibid.
CAP.XXVI. *De araneis magnis.* ibid.b
CAP.XXVII. *De araneo spinoso.* ibid.
CAP.XXVIII. *De araneorum generibus.* ibid.
CAP.XXIX. *De papilione.* 292,a
CAP.XXX. *De nopal ocuillin, seu tunarum vermibus.* ibid.
CAP.XXXI. *De cuchipilutl, seu verme qui inducit somnum.* ibid.b
CAP.XXXII. *De spongijs formatis.* ibid.
CAP.XXXIII. *De alcyonio peregrino.* 293,a
CAP.XXXIV. *De arbore lapideâ.* ibid.
CAP.XXXV. *De fungo lapideo.* ibid.

LIBRI XIV.

CAP.I. *De arbore illustri.* 294,a
CAP.II. *De arbore aureâ.* ibid.
CAP.III. *De arbore Iucaiæ.* ibid.b
CAP.IV. *De mulli arbore.* ibid.
CAP.V. *De gacirmâ.* 295,a
CAP.VI. *De mocarice.* ibid.
CAP.VII. *De latanis.* ibid.
CAP.VIII. *De cocco arbore.* 296,b
CAP.IX. *De cocco Maldinensi.* 298,b

Cap.x. *De granadillâ.* 299,a
Cap.xi. *De maguey.* 300,a
Ca.xii. *De mecotztli, siue maguey luteo.* 301,a
Cap.xiii. *De maguey magno.* ibid.
Cap.xiv. *De mexcalmetl seu maguey apto vt assum edatur.* ibid.
Cap.xv. *De mexocotl seu maguey prunorum.* ibid.
Cap.xvi. *De tepe mexcallin, seu maguey montano.* ibid.
Cap.xvii. *De teometl, se maguey diuino.* ibid.
Cap.xviii. *De xolometl, seu maguey serui.* ibid.
Cap.xix. *De arbore tristi.* 302,a
Cap.xx. *De herbâ mimosa.* 303,a
Cap.xxi. *De dutroâ herbâ.* ibid.b
Cap.xxii. *De herbâ viuâ, siue entidâ.* 304,a
Cap.xxiii. *De arbore frondiuiuâ.* ibid.
Cap.xxiv. *De cornubus plantabilibus.* ibid.
Cap.xxv. *De tocâ.* ibid.b
Cap.xxvi. *De cereo spinoso.* 305,a
Cap.xxvii. *De ahoëhoëtl, seu de tympano aqueo.* ibid.b
Cap.xxviii. *De arbore metrosiderâ.* 306,b
Cap.xxix. *De acatapalacatl, seu testâ aquis impositâ.* 307,a
Cap.xxx. *De genipat.* ibid.
Cap.xxxi. *De atepocapatli, seu gerynon medicinâ.* ibid.
Cap.xxxii. *De herbâ mortem & vitam indicante.* 308,a
Cap.xxxiii. *De ayotli, seu de cucurbitarum Indicarum naturâ & generibus.* ibid.b
Cap.xxxiv. *De cohyne.* 310,a
Cap.xxxv. *De tunâ.* 311,a
Cap.xxxvi. *De nopal nocheztli, seu cocco Indico, in tunis quibusdam nascente.* 312,a
Cap.xxxvii. *De yohuabxochitl, seu flore nocturno.* ibid.b
Cap.xxxviii. *De mangle.* 313,a
Cap.xxxix. *De caphare arbore.* 314,a
Cap.xl. *De cubebis.* ibid.
Cap.xli. *De cardamomo.* ibid.
Cap.xlii. *De calamo aromatico.* ibid.b
Cap.xliii. *De fructu, quem Suzaratenses carambolas vocant.* ibid.
Cap.xliv. *De carandas.* ibid.
Cap.xlv. *De coru.* ibid.
Cap.xlvi. *De curcas.* 315,a
Cap.xlvii. *De arbore ferente sirifoles.* ibid.
Cap.xlviii. *De costo.* ibid.
Cap.xlix. *De croco Indico.* ibid.
Cap.l. *De colubrino ligno.* ibid.
Cap.li. *De colot.* ibid.b
Cap.lii. *De aparequâ, seu herbâ calidâ.* ibid.
Cap.liii. *De atochietl tertiâ.* ibid.
Cap.liv. *De tragorigano Quauhnahuacense.* ibid.
Cap.lv. *De tlatochietl, seu humili pulegio.* ibid.b
Cap.lvi. *De alterâ Molinensi herbâ expurgante.* ibid.
Cap.lvii. *De amohuitli Tyauhtepecensi.* ibid.
Cap.lviii. *De mexixquilitl, seu nasturtio, iberidéve Indicâ.* ibid.
Cap.lix. *De nasturtio Peruano.* 317,a
Cap.lx. *De memeydâ Tepecuacuiliensi.* ibid.
Cap.lxi. *De macaxocotl, seu pruno ceruino.* 318,a
Cap.lxii. *De texoctl, seu pomo saxeo.* ibid.b
Cap.lxiii. *De mizquitl, seu siliquâ.* ibid.
Cap.lxiv. *De tomatl, seu plantâ acinosâ.* 319,a
Cap.lxv. *De tlalcacâ mecaxochitl, seu flore funis pabuli terrestris.* ibid.
Cap.lxvi. *De mecaxochitl.* 320,a
Cap.lxvii. *De mecapatli seu çarçaparrillâ.* ibid.
Cap.lxviii. *De quauhmecapatli.* ibid.b
Cap.lxix. *De quauhmecatl alterâ.* ibid.
Cap.lxx. *De cocolmecatl, seu cunarum fune.* 321,a
Cap.lxxi. *De alterâ olcacatzan, seu pehuatlanicâ.* ibid.b
Cap.lxxii. *De chinâ Mechoacanensi.* 322,a
Cap.lxxiii. *De cacalitlacopatli, seu sudis glutinosæ medicinâ.* ibid.
Cap.lxxiv. *De quauhyyae, seu arbore fœtidâ.* ibid.b
Cap.lxxv. *De tlaolli maizióve, deq; potionibus & placentarum generibus ex eo parari solitis.* ibid.
Cap. lxxvi. *De modo parandi panem ex maizio.* 325,a
Cap.lxxvii. *De xocoatl.* ibid.b
Cap.lxxviii. *De cihoapatli hemioniticâ.* ibid
Cap.lxxix. *De caquanquahuitl, seu signi arbore.* 326,a
